

This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.


About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

NYPL RESEARCH LIBRARIES
3 3433 00026094 7

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

...lla Biblioteca privata
...V. FLA...

III. I. 15

Digitized by Google

1923 B.
es.

(Giordano)

Digitized by Google

Digitized by Google

DELECTUS SCRIPTORUM RERUM NEAPOLITANARUM,

QUI

Populorum, ac Civitatum res antiquas, aliasque vario tempore gestas memoriae prodiderunt.


Partim nunc primum editi, partim auctiores, ac emendatiores ed. by D. Giordano

ACCESSERUNT

VARIAE, AC ACCURATAE TABULAE GEOGRAPHICAE, AC ALIAE,

CUM INDICE LOCUPLETISSIMO.

Eorum seriem pagina post Epistolam dedicatoriam exhibet.



NEAPOLI, M.DCC.XXXV.

Excudit Franciscus Ricciardi.)(*Cum Superiorum Licentia.*

Digitized by Google

THE NEW YORK
PUBLIC LIBRARY
138565A
ASTOR, LENOX AND
TILDEN FOUNDATIONS
1924

Digitized by Google

ILLUSTRISS. ET EXCELLENTISS. DOMINO;

D. JO: DOMINICO MILANO-FRANCO DE ARAGONIA,

Marchioni S. Georgii, & Poliſtenae, Principi Ardoris, Magno Comiti de Mazalanes, utili Domino Baroniarum, Terrarumque Syderonis, Galatri, Plaiſani, S. Nicolai de Canalibus, S. Donati, S. Marinae, Melicucci, Bombilis, Caſignani, Prataniae, Paliaforii, Scuderii, Bellagii, &c. Domino totius Familiae MILANO, & FRANCO.



Uanam potiſſimùm ratione & publicae utilitati conſulerem, & aliquod, qualecumque fuerit, ſummae meae erga Te, EXCELLENTISSIME PRINCEPS, obſervantiae teſtimonium darem, cogitanti jamdiù mihi, tandem in mentem venit, non alienum me facturum, ſi ea, quae a variis ſelectioribuſque Auctoribus, de praecipuis Regni Neapolitani, ubi nati atque educati ſumus, partibus, ſcripta ſparſim fuerant, mea diligentia impenſaque

Kauge 77ab, 124

Digitized by Google

colligerem, ac Typis impressa, amplissimo Nomini Tuo nuncuparem. Quod ut facerem, impulit nedum ratio, verum etiam in hoc statu rerum, ut ita dicam, necessitas. Cum enim quae in singulos dispertita rarò memorantur, ea omnia in Te uno, PRINCEPS EXCELLENTISSIME, collecta suspiciantur, Generis nimirum Nobilitas; Ingenii in re litteraria, atque militari mirum in modum exculti acumen; & demùm in eodem Regno nostro ingens Feudorum ditio; quin Tibi opus hoc dicarem, facere haud poteram. Et sane, ut hinc exordiar, videbis hoc in eodem Volumine graphicè descriptam ipsam quoque antiquam nobilissimamque Brutiorum regionem, Calabriam postea nuncupatam, cujus Tu amoeniora ac faecundiora loca a praeclarissimis in universo Terrarum Orbe Atavis Tuis velut per manus accepta, atque abs Te itidem aucta, jure possides, & summa cum humanitate regis gubernasque. In qua regione describenda laudandaque non minimum insudarunt qui hìc continentur, *Gabriel Barrius*, & *Franciscus Grani*, non infimae sane eruditionis viri. Eandem verò nobiliorem felicioremque, ac suo prisco nitori velut postliminio restitutam, reddet brevi, Deo auspice, invictissimi juxta & glorioſissimi Regis nostri CAROLI BORBONII primigenia Proles, reddentque deinceps Pronepotes, quibus, utputo, Progenies tua, qua nobilitate, qua fide & obsequio ad Tui exemplum, se quoque reddet bene meritam; ac proinde sicut caeteras inter alias ejusdem Provinciae Magnatitias Familias praecipua, ita dignitatibus ac honoribus magis magisque adaucta, erit Regiae munificentiae meritissimum objectum. Nam, ut ad Genus nunc progrediar, inclyta sereniſsimaque tua MILANA Domus, quam cum melioris notae Scriptoribus *Milà* rectiùs dixerim, complectitur in praesentiarum & URSINAM, & GIOJENAM, & CARACCIOLAM, & MENDOZZAM, aliasque similes cùm Regni nostri, tùm Europae ferè totius antiquissimas itidem & celebratissimas. Quae omnia notiora sunt, quàm quae probatione indigeant, ut idcircò silere potiùs, quàm de iis, pro Epistolae hujusce ratione, pauca degustare, mihi expediat; ne pro uno hoc, quod Tibi dicandum duxi, alterum non minus ingens in tuis laudibus omnibus recolligendis recensendisque, si tamen omnia recolligi & recenseri queant, Volumen efficere videar. Quod modestia certè tua nec etiam patietur, factis nimirum propriis magis, quàm alienis verbis dumtaxat contenta. Quamobrem ab ineunte aetate (quod pro mei propositi ratione restat dicendum) placuit Tibi in omni disciplinarum genere selectiores libros nocturna versare manu, versare diurna, non interim posthabito nobilissimo armorum exercitio; adeout ad utrumque tempus & Belli, & Pacis, Te habilem reddideris, &, si occasio dedisset, quoque pa-

Digitized by Google

paratum . Atque ita Te, PRINCEPS EXCELLENTISSIME, pro Reipublicae muneribus obeundis dignum reddidisti, ut eandem etiam tutari, ad Regis nostri amabilisimi amantisimique nutum, & velis, & possis. Tu autem hic ad animi Tui oblectamentum documentumque videbis & Regni nostri varias, ut in rebus omnibus, vicissitudines, & quammulta Regnicolarum nostrarum, Gentilium praesertim tuorum, praeclara facinora; eritque propterea Volumen hoc, accedente Auctorum dignitate, gratum Tibi acceptumque. Quid igitur ipse sperem ignotus adhuc nulliusque meriti homuncio? Sed quae tua est humanitas, atque animi celsitudo cum liberalitate conjuncta, accipies procul dubio munus, quod exhibetur, & cum hoc exhibentis animum, quem esse caeterorum omnium munerum optimum precioſisimumque, in Proverbio est. Collector dumtaxat hujusce, & similium, quae sequentur, Voluminum, fui, ac ero, fateor. At adhibui industriam, diligentiam, impensam, quam potui, maximam. Id, quod conferenti utraque Tibi, si lubet, fiet palam. Et ipse interim Deum Opt. Max. pro incolumitate tua, ac majori in dies tuo Tuorumque incremento, oro obtestorque, futurus quoque Tui Tuorumque, dum in humanis agam,

EXCELLENTISS. DOMINE.

Neapoli V. Kal. Augusti M.DCC.XXXV.

Humillimus & obsequentissimus Famulus
Dominicus Jordanus.

Digitized by Google

SERIES AUCTORUM.

Quorum Opera in hoc Volumine continentur.

Ambrosius Leo *de Agro Nolano*.
Gabriel Barrius Francicanus *de Antiquitate, & Situ Calabriae.*
Franciscus Grani *de laudibus Calabriae*.
Joannes Juvenis *de varia Tarentinorum Fortuna*.
Pauli Antonii *de Tarsia Historiarum Cupersanensium lib. III.*
Antonius Galateus *de Situ Japigiae,*
De Civitate Gallipolis,
A C
De Villa Laurentii Valla

Abbatis Damadeni *AEs Canusinum, sive de Tabula AEnea Canusina*; ubi elegantèr, ac perfusè agitur *de antiquitate Canusii*.
Henrici Brencmanni *Dissertationes duae,*
ALTERA
De Republica Amalphitana,
ALTERA
De Amalphi à Pisanis directa.

Digitized by Google

PRÆFATIO
AD LECTOREM.



On multis ab hinc annis peculiare apud singulos penè Europæ Populos studium fuit, Rerum suarum Scriptores insimul colligere, ac certo ordine disponere; ut facile esset, minusque laboris historias suæ Nationis percurrere: Nec una tantùm contenti, plures fecerunt. Sic habent varias collectiones Galli, habent Angli, habent Poloni, habent Hungari, Siculi, Veneti. Sola Neapolitanorum gens, aliarum Nationum non inferioris gloriæ, præcipuis Historiæ suæ Auctoribus insimul collectis hactenùs caruit, qui partim variis in locis omninò delitescunt, aut in pulvere cum tineis, & blattis colluctantur, partim licet editi, tamen postea neglecti, aut rarò inveniuntur, aut sparsim in aliis collectionibus, sive Bibliothecis. Percelebris enim, ac magnifica est collectio *Burmanni*. Percelebris etiam illa nostri *Muratoris*; Sed pergrandes certò sunt, & summo pretio vendi solent, cum pene meliores totius Italiæ Scriptores respectivè contineant; nec omnes tamen, quos Nos habemus, Auctores in illis inveniuntur. Hæc cum attentè considerarem, & consilio ab Eruditis accepto, summæ laudis esse Neapolitanæ Regioni, proficuumque doctis civibus, omnes præcipuos Neapolitanarum rerum Scriptores, potissimùm latinos (cum plures Italicè conscripti, & latinè redditi in collectione erunt apponendi) publici juris facere. Quòd ideo ad hanc collectionem animum adijcens, summo labore, continuisque vigiliis è multis tum publicis, tum privatis Bibliothecis permultos celebres Scriptores collegi, ac certo ordine dispositi, itaut tota collectio quinque voluminibus constaret; & iam tempus manus apponendi erat, ut tàm diù optatum opus ad lucem prodiret, quando propter varia incidentia fuit intermissum, & ad meliorem frugem reservatum, quod si Deo Optimo videbitur, sequenti anno erit in ordine: Interim tamen cum quædam præcipuorum etiam, & rariorum Auctorum opuscula summoperè ab eruditis perquirantur, quæ extra nostram collectionem erunt, opere pretium duxi pubblici Juris facere. Accipe igitur benigne lector hanc non spernendàm plurium Scriptorum Rerum Neapolitanarum editionem, in uno volumine collectam, quæ si tibi arridebit, maiori animo ad illam maximam, & completam veniemus. Quales, & qui sint ipsi Scriptores, brevi nunc edisseram.

In hac nostra collectione primum obtinet locum *Ambrosius Leo*, Medicus, & Philosophus insignis. Hic Nolæ, Patriæ suæ tribus libris originem, magnitudinem, varios status, & Fata descripsit. In primo de *Agro Nolano*, & antiquæ Urbis situ agit. In secundo hodiernam *Nolam*, *Nolanorumque* ritus accuratè describit. In tertio de Incolis, magistratibus, & moribus *Nolanorum* perfusè, ac sapienter scribit. Cuius ruditionis noster *Ambrosius* fuerit, patet ex eo, quod adducit *Erasmus Roterdamus in Adagio δὶς διὰ πασῶν*, ubi sermonem eruditissimum cum eo habitum de hoc proverbio totum memoriæ prodidit; & quotæ extimationis fuerit apud illius temporis eruditos, innotescit ex sua Epistola ad *Erasmum* (n. 324., cui respondet sua n.466) Medicam artem exercuit, tantoque ardore in literis humanioribus versatus fuit, ut senex etiam Græcas addiscere non erubuerit. Multum eruditionis noster Leo hoc in opere prodit, & Patriæ suæ ignominiam, illam, qua *Virgilius* urbem hanc adfeciisse vulgo creditur, lib. 1. cap. 2. operosè amolitur .... Verè historicus, qui Patriæ suæ, suorumque civium tam facta laude digna, quàm ignominiosa eleganter describit; ut legenti patebit.

Urbs Nola inter cæteras Campaniæ Urbes præcipuè celebrata est, & excessu Augusti, & Paulini Episcopi fama.

Sequitur *Gabriel Barrius Francicanus* Presbyter secularis Calaber, qui Calabriæ situm, & antiquitatem descripsit. Auctor certè eruditus, & qui vixit Anno Dom. 1571. Tantoperè hoc imprimis agit, ut *Calabriam*, virosque in ea natos acerrimè defendat contra obtrectatores laudum Calabricarum. A superstione etiam non fuisse alienum, passim ea, quæ narrat, ostendunt: Imò ex Fabulis, quæ Oenotri, & Itali in hanc partem Italiæ adventum, & *Calabriæ* origines tradunt, se expedire potuit, aut voluit: Indignatur illis, qui *A. Gellii* locum lib. X. corruperunt, & ignominiam illam, qua *Brutios* à Romanis adfectos dicit, ille *Boiis, vel Bojanis, Gallis, vel Bajanis*

nis Campanis esse inustam magno conamine vult probare; his præcipuè argumentis, quòd *Boii* dicti carnifices, & *Boja* vincula, & quòd non *Bruttii* à Romanis primi defecere, sed *Boii Galli*, & deinde *Campani*; *Brettios* verò, licèt quosdam ex gente illa stipendiarios habuerit *Hannibal*, non sponte defeciſſe, sed vel à Romanis destitutos, vel vi oppressos fuisse, paucos necessitate coactos defeciſſe, sed ante alios rediisse in fidem Romanorum; ideoq; non potuisse hac iniuria adfici. Sed hæc infirma, & vana; licèt enim demus quasdam Urbes *Bruttii* in fide mansisse, potuere tamen quidam etiam *Brutii*, simul cum *Campanis* deficere, qui cum postea hac ignominia notati essent, nomen illud *Bruttium* deinceps etiam Ministris Magistratuum adhæsit, licèt illi non essent *Brutii* origine. Nèc quia *Boii* primi defeciſſe dicuntur, illi hic substituendi: hi enim non in Italia, sed Gallia Cisalpina siti; & *Gellius* dicit, *cum Hannibal in Italia esset, & aliquot jam pugnas adversus RR. pugnavisset.* Tunc primos *Bruttios* defeciſſe, nihil ergo cogitare potuit Gellius *de Boiis*, qui iam post terga relicti erant, & sub Hannibale diu militabant. Quod vero *Boja* carnificem, & vincula notet, probandum erat, hoc à *Boiis* Populis deduci, cum alii diversas origines huius vocis dent. Vide *Menag.* orig. Ital. in *Boja*, & *Cangium* in Glossario, & quos laudant. Et cur non hæc vox, ut plurimæ aliæ, potuit ad Romanos à Germanis, vel alio Celtico Populo veniſſe? Deinde genti suæ favens versum *Silii*, ubi *Bruttius ambiguus* dicitur, explicat *ambiguum fortuna*; & in *Leandrum* acriter invectus, qui ignorantia latinæ linguæ aliter exposuit; sed imponit Barrius lectoribus incautis. Certiſſimè enim inter illos refert Silius populos Bruttios, qui fidem fefellerunt, & à Romanis ad Pœnos defecere; sed quod notasse debuerat, si legiſſet diligenter Poetam *Barrius*, non *ambiguus* dicitur ibi *Bruttius*, sed *levis*; Ait nimirum lib. XI. 9. Silius.

Mox leviş, & ſero preſſurus fata pudore
Bruttius, ambiguis fallax mox Appulus armis

ità enim legitur ille locus, non *Bruttius ambiguus*; illa vero verba, *ſero preſſurus fata pudore*, videntur ad illam ignominiam, qua *Bruttiani* illi postea pressi fuere, respicere. Eodem animo, & leviſſima suspicione inductus, suspicatur pag. 29., illa, quæ in *Joviani Pontani* libris de Calabris leguntur minus honorifica, à Campano quodam subdolo, & perverso esse inserta.

Linguæ autem latinæ acerrimus Vindex (nam, & pro *lingua latina* librum scripsit) eos, qui Italicè scribunt, vehentiſſimè perstringit ubique, & præcipuè pag. 161., ubi illis, qui suum librum in Italicam linguam vertere vellent, iram Dei multis diris imprecatur, & novo devotionis genere, vota ad Deum concipit, ne annum interpretes exigant. Inscriptionem, quam habet pag. 193., pleniorem exibet *Gruterus* p. XCVII. 8. alia pag. 81. ex Gualthero paullo aliter legitur apud *Gruter*, p. CLXXIV. 7. duæ illæ, quæ p. 126. *M. Megonio* positæ leguntur, sunt apud *Gruter.* pag. CXXV., & *Fabret.* pag. 404. pleniores, quæ ibi videndæ. Atq; hæc de Barrio, ut eius ingenium, & eruditio innotescant, sufficiant, qui singulari planè industria totius Calabriæ Urbes, pagos, & omnia, quæ vel nomine appellantur proprio, loca ita recensuit, & cum antiquiorum Scriptorum monumentis comparavit, ut dubitem, an ullius regionis exactior descriptio dari possit. Si quid peccaverit, aut gravius in quosdam dixerit, id omne Patriæ amori tribuendum, quo ita sæpè aufertur, ut Calabriæ etiam adscribat viros multos illustres, qui Siculi fuere, errore inde nato, quia *Calabriam* olim etiam *Siciliam* dictam fuisse credit. Sed refutarunt hoc eius, & aliorum Calabrorum Scriptorum *furtum* (ut vocant Siculi) plurimi Insulæ Siciliæ Vindices, & imprimis Cl. Mongitor, in delineatione Siciliæ §. 2., ubi de *nominibus* Insulæ *Siciliæ*, & de titulo illo *Regni utriusq; Siciliæ*, eruditè, & candidè agere visus est. Antequam Barrium dimittam, nescire me fateri cogor, quid de *Davidis Abercrombii* Scoti censura statuendum, qui furto hæc omnia *Cardinali Sirleto* Barrium surrupuisse adfirmat, in Jure Academ. p. 90. Sed cum nullo testimonio, imo ne argumento quidem probabili innixus id referat, nobis id parum verisimile videtur; nam *Sirleti* studia omnia aliò versa fuere; idemq; stilus, eadem vehementia in hoc libro regnat; quæ in aliis pro *lingua latina*, & de *laudibus Italiæ*; & de *urbis æternitate*, quæ simul prodiere A. 1571. Præterea nullus eorum, qui *Sirleti* vitam scripsere, quos recenset *Toppius in Bibliotheca Neapolitana*, vel minimam huius rei suspicionem iniicit; contra omnes uno ore ad sacra, & ecclesiastica scribenda animum applicuisse Cardinalem tradunt.

Adjungendum Barrio curavimus parvum, sed sapidum, & elegans poema Franciſci Grani Croponitani de Situ, laudibusq; Calabriæ *. Fuit Granus in græcis, & latinis literis summè versatus; ut Diatribæ in Homerum ab eo compositæ, demonstrant. Situs, flumina, Civitatum origines, & magnificentias eleganti versu describit. Calabriæ glo-

riæ,

Digitized by Google

riæ, & laudis non ita vindex, ut Barrius, sed in honestiori forma. Multa circa fabulam Arochæ Nimphæ perdoctè scribit, & in hoc verè Poeta, reliqua apud eundem videre est.

Post Calabriæ descriptionem, congruum fuit visum adnectere *Joannis Juvenis* libellum de *Antiquitate, & varia Tarentinorum fortuna*; fuit enim Tarentum Urbs magnæ Græciæ primaria, & opibus, & deliciis florentissima, & nacta fuit diligentissimum inter Cives suos historicum hunc. Fuit hic Presbyter sæcularis doctus satis, & eruditus, ut testatur *Toppius in Bibliotheca Neapolitana*, sed de quo, cum nulla alia ab eo opera edita recenseat, nihil præterea novimus. Ipse in dedicatione ad Lælium Brancatium, Archiep. Tarentinum, se in eius contubernio vixisse scribit, & ex præfatione sub Sixto V. scripsisse patet. Eruditionem eius ostendit satis lexicon vocum Tarentinarum, quod historiæ præmisit, ex antiquis Grammaticis collectum. De origine Tarenti agens, ab Annianis fabulis, & vulgi opinionibus animum alienum ostendit. Et cum de Tarante parum constet, de Phalantho, instauratore Vrbis, certiora ex historicis profert; & deinde ordine temporis deducit ad sua usque tempora. Viros illustres, rationem gerendi rempublicam, & rei pecuniariæ, deinde Agri Tarentini situm, & fertilitatem, delicias, & luxuriam Incolarum, & alia quatuor prioribus libris complexus est. Sequentibus tribus Historiam Urbis, à Phalanthi temporibus, ad sua deducit, ubique optimorum Scriptorum testimoniis sua firmans. Ultimo vero libro Ecclesiæ Tarentinæ fata narrat, à Petro Apostolo, & Marco Evangelista, ut solent omnes ferè istius tractus urbes, fundamenta, & initia Christianismi repetens, non ut in historia, reliqua certis annalibus innitens, sed patruum suorum traditione, & manuscripti cuiusdam Codicis, qui in choro templi servatur, auctoritate. Nec certiori fide nituntur sequentia, donec ad Catalogum Episcoporum, quorum nomina ex tabulis publicis recensentur, pervenerit; numquam tamen non offendisse hunc Scriptorem, egregio exemplo ostendit Cl. Mongitor in delineatione Siciliæ, quæ ante eius Bibliothecam Siculam legitur §. 2. num. [illegible], ubi *Regnum utriusq; Siciliæ* dictum inde esse tradit, quia olim continens fuerit, & Italiæ adhæserit Sicilia, postea verò Terræmotu avulsa duas fecerit quasi partes, & regna; sed meliorem huius tituli rationem ibi reddit vir doctissimus; ut cupienti patebit.

Optimæ quoque notæ est liber egregius *Antonii Galatei de Situ Japygiæ*, qui Medicus, & Philosophus ante duo Sæcula vixit, multis virorum Doctorum elogiis honoratus, & à *Pontano*, *Hermolao Barbaro*, & aliis laudatus; elogium ejus scripsit etiam Jovius num. CXIX., ubi hoc opus cum veteribus comparandum sibi videri ait; laudat eum etiam Sanderus lib. III. de Claris Antoniis, & *Joannes Juvenis* lib. II. cap. 4. de varia Tarentinorum Fortuna, ubi de situ Tarenti agens, prædicat ejus industriam & fidem, ut qui loca, quæ descripsit, ipse noverit omnia. De ejus vita & ratione studiorum quædam ex hoc ipso opere colligi possunt. Pag. 615, se ex urbe Galatina, sive Galata oriundum dicit; quæ Urbs à Gallipoli IX. mill. passuum distat. Patrem suum à Joanne Antonio Principe Tarentino in exilium ejectum scribit pag. 619. Ipse in urbe Nerito, ubi celeberrima toto Regno studia literarum fuisse dicit pag. 330.... primâ fundamenta literarum posuit. Habitasse deinde Gallipoli (cujus Vrbis descriptio ultimam partem sui libelli absolvit) a sextodecimo ætatis anno pag. 626. narrat, & in laudes istius Urbis, ejusque salubritates, & tranquillitates latè excurrens pag. 631. se cibo, & somno parciùs usum athleticè valere, tertia, aut quarta hora noctis, dormitum ire, nona, aut decima, nec diutius in lecto pudico, & cælibe posse se morari, sed ad scribendum, aut faciendum excitari. Deinde ante Solis ortum rei divinæ vacare, tunc ægrotos circuire, dehinc prandere sobriè, & simplici cæna defungi, & reliquum vitæ ordinem enarrat. Libri sui de *Eucrasia* meminit pag. 626. quare miror hujus viri tam docti nomen omissum in *Lindenio* de scriptis Medicorum, licèt ejus meminerit *Castellanus* in Vitis Medicorum, sed ex Jovio ad verbum omnia describens. Fuisse vero Antonium nostrum, non eruditum modo, sed vetitatis indagandæ cupidissimum, & à vulgi erroribus, & anilibus commentis alienum, egregiè patet ex illis, quæ pag. 620. Phasmatibus, Strigibus, Lamiis, & Spectris disputat, quæ legi merentur; cum præsertim eo tempore sint scripta, quo densis tenebris occæcatæ adhuc mentes hominum erant. Hæc de Scriptore. In ipso libello nihil ferè est, quod culpari meruit, licèt postea major lux literis adfulserit pag. 593. Notatu digna est expugnatæ Hydruntis historia per Achamatum, Mahometis Turcarum Regis præfectum, quæ nescio, an ab alio veriùs descripta sit, & unde conficere licet, Hydruntinos stultitia sua, & intempestiva temeritate sibi exitium accessiviisse, quos tamen noster a Turca jugulatos, Martyres JESU CHRISTI appellat, pag. 614. lapidem exhibet, Vastæ repertum, quem ille eruditis Pontano, Hermolao, & aliis misit, literis, ut noster credit, masapicis, quibus

bus ante Idomenei adventum Japyges usi fuere, inscriptum; habet & illum Grut. pag. CXLV. 5. sed ille Græcas, forma aliquantum immutata, linguæque Æolicæ esse censet.

Adjunximus post hunc libellum *Pauli Antonii de Tarsia*, qui de Apulia, & Patria sua *Cupersano*, hodie *Conversano*, tres libros reliquit. Fuit iste Auctor Doctor Theologus, & Abbas, ex nobilissima gente descendens. Ipse enim lib. 1. familiæ suæ nobilitatem, & Antiquitatem multis describit, & post majores enumeratos, patrem suum, *Donatum Mariam de Tarsia* multa eruditione, & juris scientia clarum, muneribus etiam amplissimis functum celebrat. Ipse Auctor non Italica modo lingua, ut vernacula, promptus, sed Hispanico etiam sermone quædam scripta edidit, quæ memorat Nicol. in Append. ad Biblioth. Hisp. T. II. p. 356. Tribus libris, ut diximus Apuliam, & Urbem Patriam describit, & ab Antiquitate orsus, multam ostentat, & variam eruditionem; pauca tamen libro primo profert, quæ non in aliis, qui in eodem scribendi genere versati sunt, leguntur: An Scribæ, aut operis tribuam insignem lapsum pag. . . . . nescio, ubi *Plauti* locum ex *Heautontim.* Profert, certè doctior, & versatior fuisse scriptor videtur in Antiquorum libris, ut tam negligentem fuisse credam. Liber secundus, diligentia magna conscriptus, Comitum Cupersanorum gesta ordine apto continet, in quo multam ævi medii peritiam ostendit, ut præcipuè *Gentis Aquavivæ*, quæ Comitis Cupersani titulo gaudet, splendorem, & viros illustres, quos recenset, egregiè illustrat. Tertio res Ecclesiasticas Patriæ prosequitur, ubi more tralatitio, à Petro Apostolo conditam ibi Religionem Christianam tradit, & reliqua, quæ ante certam Annaliam fidem, illis credenda relinquimus, quorum interest: perducit verò Episcoporum seriem ad An. Christi MDCXLII.

Inter Apuliæ Urbes *Canusium* veteribus jam celebrata fuit, & maxime nobilitata vicinitate Cannarum, ad quas Romanorum exercitus ab Hannibale victus, & cæsus fuit, parsque exigua Canusium profugit. Hujus Urbis in Agro A. 1675. mense Novembri, Rusticus aratro Terram vertens, æream Tabulam invenit, quam cum Domino Agri, Baroni *Octavii Affaitati* detulisset, ille eam Venetias misit, ubi in manus *Bernardi Palotulæ* venit, qui adhuc possidere dicitur, quamvis Montfauconius, eam se in Museo *Antonii Capelli* Patricii Veneti vidisse dicat in Diario Italico pag. 63. ad quem transiisse ejus possessio videtur; nam, & Baro *Stosch* cum Venetiis versaretur, Tabulæ ipsius exemplar ab eo obtinuit, quod Editor Thesauri Italici expressit, ne Illustrissimi Marchionis Codex ulla parte labem aliquam acciperet. Nam apud Palotulam cum vidisset Abbas Damadenus, eam longo commentario illustravit, qui elegantissimè *scriptus*, cum venisset in manus Viri Excellentissimi Marchionis *Berretti landi*, ab illo eum obtinuit Editor Thesauri Italici; & in lucem primò prodiit. Exibuit eam etiam Sponius in Miscell. Erud. Antiq. p. 280. De ipso Commentario, nihil dicemus, sed eruditis existimandum de illo liberum arbitrium permittimus. Editor ille curavit, ut inscriptiones, quas plurimas adduxit Commentator, ad Gruteri editionem exigerentur; quosdam etiam ex Goltzio nummos illustrandis Auctoris verbis adiici voluit; quod & Nos fecimus in hac secunda editione.

Hisce annotatis nostris Scriptoribus, adnectere curavimus *Henricum* Brenkmannum, Virum Batavum, eruditione, & humanitatis laude dignissimum. Hic cum Italicum iter eo fere unicè animo suscepisset, ut Florentinorum Pandectarum exemplar illud, verè augustum, & Sacrum, accuratissime perlustraret, sensit sibi quoque ejus Codicis Fata perquirenda esse, & cum a Pisanis ex Urbe Amalfi adductum esse omnes traderent, *expeditionem illam Pisanorum*, & Urbis ipsius *Amalfeos* omnem simul historiam conscribere aggressus, tanta diligentia elaboratam, & omnis ævi, quo floruit hæc Civitas, tot monumentis illustratam, ut dubitem, an ulla in tota Italia Urbs, vel locus à Civibus, & Popularibus suis tam accuratè sit descriptus. Certè non contentus ex omnis ævi, & generis Scriptoribus, quorum magna pars vulgo ignoratur, subsidia conquisisse, ex Italiæ Bibliothecis, quas summo studio perlustravit, tot nova produxit documenta, ut victuro hoc ingenii, & doctrinæ monumento æternam sibi laudem paraverit.

Et hæc dixisse sufficiat de hisce Scriptoribus, qui in hoc Opere continentur; reliqua legenti patebunt. Vale.

Digitized by Google

INDEX
RERUM ET VERBORUM,
Quæ in hoc Opere continentur.

A

Abachuch in agro Bezochæ sepultus est. pag.670.E.
Abagelardus filius Dragonis F. Tancredi. 707.D.
Abbandona familia Cupersanensis extincta.702.B.
Abbas S.Mariæ de Gelaso.739.B.
Abbatissarum S.Benedicti Cupersanensis catalogus.ibid.
Abbatiæ in Tarentina Diœcesi quot.172.E.
Abbellinum cur sic appellatum.682.C.
Abella a mense Octobri nivibus tecta.7.F.
.... aquilonem ventum ingentem generat.8.F.
.... non tantùm Clanium, sed etiam alios magnos fontes parit.ibid.E.
.... plurimas producit, & alit cicadas. 9.C.
.... unde dicta. ibid.B.
Abyla mons in tertio climate.87.F.
Acalandei fluvius 344.C.D.
Accardus Lupiarum Dominus. 611.E.
Achamatus Turcarum Dux. 599.B.
Acheorum legatio.470.D.
Acheron amnis.173.C.
Acida fluvius. 166.E.
Acolita ex Blasio familia nobilis.702.D.
Acra vicus.174.D.
.... oppidum. 318. D.E.
...., Japygia. 614.F.
Acrion philosophus celeberrimus.246.D.
Acroterium promontorium ubi.596.D.
Acus pisces. 495.B.
Admiratus Apuliæ quis.600.D.
Adolivia Regis Rogerii filia, uxor Roberti Comitis Cupersani.709.E.
Adriaticum mare.598.F seq.
.... Tarentina alluit mœnia.413.C.
Adrianus Imperator vetat, ne mortui in urbe sepelliantur.669.A.
Adurium pagus. 253.B.
Ædes Nolanæ quantùm quotannis solvere tenentur. 107.A.
Ædilis magistratus à Regulo creatur.104.F.
Ædilitus, Ædilitas.873.C.D.
Ædiles in genere.ibid.
.... Plebis qui. ibid. Curules qui. 874.C. Cereales qui.875.B.C.Majores qui 874.C.Pubani qui.877. F.Forenses qui. ibid. Coloniarum, & Municipalium.875.D. & seq.
.... an plura munia uno tempore abiverint. 877.B.
Ædilicii Decuriones.873.B.C.
.... II., & III. aliquando creati.879.A.
Ædilicius quis.878.C.
.... Decurio.ibid.
Ædilis dignitas.873.C.
Ædilitas in urbe, & extra urbem floruit. 877.C.
Ædilitatis ob Sacerdotium excusatio 880.B.
Ædium Nolanarum antiquarum figura ignoratur.75.B.
.... numerus 78.B.
.... præsentium descriptio.75.D.
Ægon Crotoniata Philosophus, & Athleta celebris 301.F.
Ægyptus urbs lutosa.680.F.
Æmilius (P) Consul apud Cannas periit.616.F.
Æquicolorum pœna.144.A.
Æs multatitium, & ejus species.790. E.
.... dedit nomen Ærario. 791.B.
.... cusum effigurabat vultus Imperatorum. ibid.
.... ejus moneta antiquissima. ibid.
Æsarus fluvius, & portus 304.E.
Aetitis lapis valet ad fures agnoscendos 688.A.
Ætas est spatium 33.annor., & 4.mensium.129.D.
.... secundum Nasonem 100.annor.ibid.E.
Æta oppidum 162.B.
Æthræ uxoris Phalanthi lachrymæ 395.E.
Æthram Græci Cœlum serenum vocant. ibid.C.
Aer vehemens Apuliam olim infestabat.673.E.
Affaitati familia.811.A.B.
Affectus animæ pravus imperfectum reddit.335.E.
Affinitas tyranni felicitatis amissæ causa.240.E.
Africum pagus. 233.F.
Agasus portus. 771.E.
Agareni Calabriam vastarunt. 152. E.
.... ab Othone II. ex Calabria ejecti. 16.F.
Agatha forte Artemisium oppidum. 167. C.
...., græcum oppidum. 229.C.
.... fluvius. ibid.
.... vicus. 235.A.
Agathinorum agilitas. 167.C.D.
Agathius Guidacerius apprime eruditus.265.D.
Agatho P.R. Calaber homo.150.C.
.... ex Rhegina regione oriundus.223.C.
Agathocles fugatus a Tarentinis 472.E.
.... humili, & sordido genere natus. 473.A.
.... in amica fortuna nunquam sine fictili cœnavit. ibid.B.
.... Diomedis torquem invenit.683.E.
Agapytus Episcopus virtute clarus.701. C.
Agellum oppidum, & fluvius.184.C.
Ager Apulus. 936.C.
.... Salentinus quando seri solet.620.B.
Agerulæ Civitas quæ sit; & quibus nominibus olim appellata. 936.B.
Agesidamus Athleta fortissimus.251.B.
Agesilaus cum filio puero ludebat.421.A.
Agnanum olim oppidulum. 742. A.
Agnellus (Sanctus) Abbas Saracenos exturbavit.665.E
Agnes Pisana monialis virtutibus clara.741.E.
Agnus albus cum comibus auratis à Stabiis ad Præsulem Nolam mittitur quotannis. 29.A.
Agri Tarentini descriptio. 405. F. fertilitas. 407. B. Tempe comparatur.406. B. ejus politia, & ritus. 439. B.C.
Agrigentini Cleominis filium Ducem exercitus eligunt.472.B.
Aiax fluvius. 274.B.
Alaea fluvius. 258.
Alarici Gothorum Regis sepultura in Basenti alveo. 176.A.
Alarus Fluvius. 254.A.
Albanorum duo vici. 174.D.
Albericus Aquaviva Cardinalis. 725.B.

Digitized by Google

INDEX

.... eruditione clarus. ibid.
.... à Barbaro Comes Cupersani. 712.A.
Albertinorum familia, 89.D.
Albertus Aquaviva Aragonius Bitunti, & Aquavivæ Marchio. 720.E.
Albinus cons. 481.B.
Alburia Cupersani Comitissa Lupiarum Comitatum adepta. 709.E.
Album flumen. 183.C.
.... pagus. 267.D.
Alcistheues plumarius [illegible]. 324.B.
.... ejus luxus vestimenti. ibid.C.D.
Alemæon Crotoniata Pithagoreus Philosophus, & Medicus. 91.A.
.... ejus Œconomia ibid. B.C.
.... sententia de immortalitate Animæ. ibid.D.
.... [illegible] invenit. 192.A.
Aleces pagus. 455.E.
Alecium Promontorium cum statione. [illegible].D.
Alegria Gallorum Dux. 547.D.
Alegrannus Archiepiscopus. 568.A.
Alessium pagus. 212.C.
Alexander Rex Epiri oraculo de Acheronte deceptus. 173.C.D.
.... & in Italia accitus. ibid.D.E.
.... à Tarentinis accitus. 471. A.B.
.... in Italia Acheruntem, & Pandosiam urbem invenit. ibid.F.
.... prælio factus superior Romanos sibi conciliavit. ibid.D.
.... Goffridi filius 708.C.
.... Cupersani Comes. ibid.
Alexis Sybarita Poeta Comicus. 324. D.
Alexis Tarentinus cur dictus Rapsodus. 429.F.
Alexandria quando condita. 471.F.
Alfanorum familia 93.E.
Alfareda mater Comitis Cupersani. 709.D.
Alga 456. E.
Allecti qui. 867. E. & seq. Allecti in Theatralibus, scenæ, seù scænicorum, inter Juvenes, inter Tribunicios, inter Patricios, inter Equites, ad munera, inter Quinquennalicios. 868. per totum, & 870.B.
Allectionis, seù Adjectionis beneficium quibus datum. 869. per tot.
Alphonsus Ferdinandi filius, & Alphonsi nepos, Rex Apuliæ 593. B. 600. B.
.... quam urbem instaurat, ac munit. 598.B.
.... quorum ossa Neapolim deportari curavit. 600.B
.... contra quos bellum gessit. 603.A.
.... quod nam ostium effodere conatus est. ibid.B.
.... quam arcem, & ubi ædificavit. ibid.C.
.... extra Regnum agit. 604.F.
.... à quo armis, & pecunia adjutus 612.D.
.... a quo adoptatus, ac postea abdicatus. 618.C.
.... succedit Ferdinando. 539.C.
.... Tarentum muniendum curat. ibid.F.
.... regno relicto in Siciliam navigat. 540.E.
Alphonsus Ferdinandi Pater filium ipsum spurium Ducem Calabriæ declarat. 535.D.
.... Neapolim vi capit. 534.C.
Alphonsi felicitas conjugio filiæ turbata 540. B.
Altimontium olim Balbia oppidum 165 D.
Altimonti in fano B. Mariæ reliquiæ Sanctorum. 165.F.
Alvarus Nunnes Osorius creatur Comes Trastumaræ. Lemosii, & Sarriæ 705. C.
Amalphis, ejusq. situs. 905. A.
.... ejus confinia, & latitudo ibid.B.C.
.... ab aliquibus cum Melphi confusa. 906. per tot.
.... olim dicta Malfia, & Malfa 907.D.E.
.... ejus origo fabulosa 908. per tot.
.... Historia magis probabilis circa ejus ortum 909. A., & seq.
.... quando, & à quibus in ea inventa volumina Pandectarum 913.C. 919.B.& 968.A.
.... direpta a Pisanis fit eorum tributaria. 919.E.
.... quo tempore penitus diruta. 925.C.
.... antiqui magistratus & forma Reipublicæ 926. C. 927.A.
.... fuit Græcorum sedes eisque subdita. 927.F. 928.A
.... suis legibus, & consuetudinibus vivebat. 928.A.D
.... simul cum Surrento aliquando sub Duce Neapolitano fuit. 928.B.C.
.... suam propriam monetam cudebat. 928.F.
.... ejus antiqua Respublica comparata cum Veneta 931. per tot.
.... quæ mutationes hujus Reipublicæ naturæ 933.B.& seq.
.... quæ ab ea ortæ. ibid.E.
.... Oppida, & Castella olim subjecta 934.D.& seq.
.... ejus ditiones, & possessiones extra Regnum Neapolitanum 937. per tot.
.... ejusdem sumptuosa ædificia, templum, Armamentarium novale. 939.C.D.
.... illius Archiepiscopatus, Episcopi suffragani, & prærogativæ 938. E.
.... Familiæ in ea quondam illustres 939. [illegible]q.
.... Agri fertilitas, urbisque elogia 942. [illegible]q.
.... ejus opulentia, & celebritas 944. per tot.
.... à Pisanis ex improviso invasa, & direpta 969.B.
.... quo die direpta fuerit 969.E.
.... an à solis Pisanis 971.F. & seq.
.... an incensa quoque ab eisdem fuerit. 971.C.
.... ab eisdem denuò capta 978.D.
.... à quibus postea se redemit, ibid. E.F.
.... ejusdem Tabula Cronologica. 985.& seq.
Amalphitani per fraudem ducuntur captivi Salernum 609. F.
.... postea seipsos liberant 910.B.
.... eorundem bella cum Saracenis ibid.D.
.... cum Salernitanis. 912.E.
.... cum Surrentinis 913.A.
.... ad Robertum Guiscardum confugiunt 914.B.
.... à quo per fraudem circumveniuntur, ibid. C. 946.C.
.... Subjugantur a Rogerio I. Siciliæ Rege 917. A 918.C.
.... Nonnulla vocabula à Græcis traxere, & quæ 923.B.C.
.... Post patriam dirutam se Neapolim conferunt. 925.D.
.... quandiù liberi fuerint. 929.C.
.... quando alienæ potestati subjici cœperint. ibid.D.
.... eorum statura, habitus, mores 941.D. 942.A.
.... in mercatura præ cæteris celeberrimi 943. E. 944.A.B.
Amalphitani Agri fertilitas 943.B.
Amalphitanum Concilium adversùs Pseudo-Pontifices 913.B.
Amalthea cornu nemus amenissimum juxta Hipponium 191.E.
Amanthea Civitas 184.B.
Amarnum pagus 264. F.
Amasianus à Marco, [illegible] Episcopus 555.B.
.... quidam Reguli pomarii custos à Marco erigitur. 554.D.
Ambages Oraculi quando evolutæ 395.E.
Ambarualia Cereris in honorem instituta 671.B.C.
Amendoria familia nobilis 702.C.
Ameristus Stesichori frater Geometra 202.E.
Amicitia quotuplex ex Hippodami sententia 332. B.
Amicus inclytus comes 708.B.
Amphitalattos quid 592.F.
Amphiteatra cur non potuerunt esse extructa muris vicina, vel extra Urbem. 20.D.
.... fuerunt intra muros Urbis Nolæ antiquæ 46.F
.... Nolana quantùm a se invicem distant 20.C.
Amphiteatri marmorei forma ante extirpationem 21.E
.... Nolani reliquiæ quædam 19.B.
Amphiteatrum marmoreum ab Ursо Ursino funditus extirpatum 21.E.
Amplissa oppidum 254.A.

Digitized by Google

Amygdalai qui 384.E.
Amygdalaria oppidum 343.E.
Amygdalia oppidum 230.E.
Anacletus II., & Innocentius II. schisma 992.C.
Anacletus confirmat Regnum in Regem Siciliæ, in Ducem Calabriæ, & Apuliæ, atque Capuæ Principem 954.A.B.
.... Novas turbas movet, occupat S. Angeli arce 982.D.
.... ejusdem mors ibid.
Anaxorchus cujus mores execrabatur. 634.D.
Ancinalis fluvius 57.G.
Ancurus se præcipitem dedit, ut Patriam liberaret in Præfat. Anton. de Tarf.
Andeas pagus 258.F.
Andreas Aquaviva magnus R. Justit. 724.F.
.... Matthæus Aquaviva Episcopus Venafri ibid.
.... Matthæus Aquaviva Aragonius 725.E.
.... Matthæus Aquav. Arag. Comitatu Cupersani à Rege Federico donatur 718.D.
.... Matthæus Aquaviva militum Imper. 725.A.
.... Matthæus Aquav. Arag. contra Gallos præliatur, seditiones Regni sedat 728.E.
.... & armis, & eruditione clarissimus 720.A.B.
.... multa egregia fecit circa Virginem Insulanam. 718.F.
.... moritur 720.D.
Andria Urbs nobilis 664.C.
Androdamus Philosophus, & Legislator. 226.B.
Angela mulier Monsanti ingeniosa 189.E.
Angelicorum familia 94.F.
Angelorum familia 96.E.
Angelus Ep. Cupersani, ejus Bulla de beneficio S. Crucis familiæ Tarsiæ 746.A.
.... de Bado miles Cupersanensis 745.C.
Angitula oppidum 189.C.
Anglibertus de Baucio deficit à Rege 717.A.
Anguilla piscis 455.E.
Animæ immortalitatis, & mortis sceleratorum judicium Theano uxoris Pythagoræ 289.A.
Animi tranquillitatis Hipparchi sapientissimum judicium 224.D.
Anna Manfridda monialis clara 741.E.
Anna Pagus, sive decastichidium 207.B.
Anna Columna 534.D.
Annibal primò apud Nolam à Romanis, Nolanisque victus 32.F.
.... ter Nolam summo conatu aggressus est 35.A.
.... ubi castramentatus ad oppugnandam Nolam 24.D.
.... milites suos alloquitur 504.D.
.... Tarentum ingreditur. 503.A.
.... munit 505.
.... post pugnam ad Herdoneam Fulvianum delet exercitum. 509.C.
.... ætatem consumpsit in agro Tarentino, & quæ spe 499.C.
.... audita expugnatione Tarenti quid dixit 513.F.
.... contendit cum exercitu in Campaniam 509.E.
.... infirmitatem simulat, ut præfectum Tarentinum decipiat 501.D.
.... in Tarentino agro quare pacatum agmen incedere jussit 498.F.
.... muro Tarentum ab arce distinguit. 506.A.
.... occupata Urbe Tarentinos in Foro convocat 505.D.
..... per Metapontinos conatur Fabium opprimere 514.A.
.... præsidium Romanorum Tarentum missum profligat. 515.C.
..... relicto Tarenti subsidio castra metatur. 506.F.
..... sacrificandi gratia ad locum Averni descendit. 498.F.
..... Tarentinos benignè, & humaniter alloquitur. 505.D.
..... Tarentinos instruit quomodo dominium maris possint accipere. 507.B.
..... Tarentum fraude occupat. 504.F.
.... Romanos vicit apud Cannas. 678.
.... annulorum tres modios Carthaginem misit. 679.A.
Annibalis responsum Campanis legatis datum. 509.D.
Anno à Romanis fugatus. 507.D.
Annulus aureus Equitem à Plebeio separabat. 856.E.
Anoglia Castellum. 200.F.
Antiquitas Cupersanensis in quibus rebus. 667.E.F.
.... ex Idolis & sepulchris. 749.B.C.
Antistrophe quid. 685.F.
Antonius Aquaviva militum Imperator. 724.F.
..... Aquav. Pontificis legato suppetias tulit. 728.C.
..... Aquav. magnus Regni Camerlanus. 724.E.
..... Aquav. magnus Regni Justiciarius ibid.
..... Barbantiæ Dux. 710.C.
..... Brunachius Episcopus Cupersani. 752.A.
..... eius munera, & severitas ibid.
..... Neapoli moritur ibid.
..... Caldora Comes Cupersani. 715.F.
..... Cardinalis Maræatus Tarsiorum Consanguineus. 699.D.
..... de Celano. 739.B.
..... Domini Nardi Episcopus Cupersani. 699.E.
..... Galatheus merita Belisarii Aquaviva Arag. recenset. 717.F.
..... Lutzemburgius Carnii Comes. 711.A.
Antonii Scoccetti Minorum Ordinis Cœnobitæ sepulchrum. 184.B.
Antonius Bonius D. Francisci Paulitani socius. 183.F.
Antonius Ponta literis eruditus. 182.F.
Antoniarina pagus. 253.B.
Antri Insulani consideratio. 735.D.
Apeneste. 771.D.
Apennini Sylvæ delineatio. 212.A.B.
Apenninus mons secat Calabriam. 124.D.E.
..... unde ortum habet. 616.D.
..... eius terminus. 615.A.
..... quas regiones dividit. 616.D.F.
Apistrum oppidum. 163.C.
..... Flumen ibid.
Aponium promontorium. 393.F.
Apodonia locus unde ita appellatus. 553.E.
Appii Claudii Cœci oratio de non ineunda pace cum Pirrho. 485.F.
Apollinis ambiguum responsum Pirrho datum.....
..... responsum Phalantho datum de deducenda Colonia. 394.F.
..... imago à Populo Nolano, & Sacerdotibus quare destructa, & quando. 72.D.
Apothecarii qui sint. 922.E.
Apuli ventos cur venerarentur. 673.F.
..... Cererem venerabantur tritici causa. 671.C.D.
..... offenduntur à Calamo Philippi Bergomensis. 665.D.
..... & Calabri suppetias tulerunt Neapolitanis contra Saracenos. 665.D.
..... laudantur. 663.A.
..... vindicantur à Conviciis Delcampii. 694.F.
..... vindicantur à Conviciis Lambini ibid. B.C.
..... viri fortes, ac robusti. 665.B.
..... adversus Romanos quales. 145.C.D.
Apulia unde dicta. 589.B.
..... illius terminus. 598.D.
..... dicitur à pluvia, i. absque pluvia. 691.F.
..... cur olim Longobardia. 687.C.
..... cur Latonia. 661.A.
..... olim Regibus subiecta ibid.B.
..... quot Provincias complectatur. 695.C.
..... Regni Neapolitani Regio nobilior. 695.E.
..... Italiæ horreum. 662.B.
..... laudatur à Populi frequentia, à metallis, à frugibus. 662.

.... Senatum laborat, & munetis. 691.E.
.... Gothis nonnullas Longobardor. leges. 683.C.D.
.... cur ab Horatio fabulosa dicatur. 688.F.
.... vindicatur à Conviciis Ligurini. 665.A.
.... Terræ motibus quassata. 666.D.
.... accessit Romanis. 775.C.
.... Romanis subdita. 809.B.
.... Barbaris, Vandalis, Gothis subjecta ibid.
.... Ducibus Syriæ subfuit. 810.D.
.... ad Comites Andegavenses transiit ibid.
.... ad Aragones, & postea ad Austriacos.
Apulia nomen ad totum Regnum extendebat. 695.B.
.... lutum præstantissimum. 692.D.
.... varia mutatio dominii, & subjugatio. 309.C.D.
Apulus impiger, & laboribus assuetus. 664.E.
Apulorum divitiæ ibid.
.... in loquendo promptitudo. 693.F.
.... eorum agri. 771.C.
Apulus sugillat Delecampius. 693.F.
Aqua sulphurea ubi 595.A.
.... In Insulam Crypta pergutta tim defluunt. 734.E.
Aquarum inundatio 606.E.
Aquilonium pagus 199.D.
.... pagus alius 205.D.
Aquæ Japygiæ quales 589.F.
Aquavivia familia una ex septem Regni 723.F.
.... in Aragoniam allecta à Ferdinando 729.B.
.... quando sedili *Nidi* aggregata ibid. F.
.... antiquitas, nobilitas, & eius origo 722.E.
.... eius Procerum dignitas 705.F.
.... ex Bitunti Marchionibus provenit. 702. C.
Aquila piscis 454.A.
Aquinii familia 187.E.
.... ex ea ortus est D.Thomas, & ubi 269 B.C.
Arabes quid corrupere. 587.E.
Aræ Basilicæ Nolanæ. 62.A.
Aragonenses. 596.C.600.F.604.A.612.D.
Arachneus quale animal. 590.D.
.... illius venenum fistulis, & timpanis pellitur ibid.
Arcades in Calabriam Colonias deduxere. 130.F.
Archangelus Francisci Paulitani socius. 183.F.
Archimedis præstantia. 422.E.
Archidamus Fanum Apollinis diripuit. 470.
.... Tarentinorum Dux interfectus ibid. C.
Architæ Tarentini patria. 593.C.
.... animi magnitudo, & mansuetudo. 477.B.
.... discipuli quinam fuerunt. 422.C.
.... dissertatio de principiis, & Ente. 418.D.
.... oratio contra voluptatem. 422.D.
.... quædam dogmata. 417.F.
Architas alter de agricultura scripsit. 416.F.
.... mytilenus Musicus ibid.
.... non fuit Pithagoræ discipulus. 426.C.
.... quartus. 417.A.
.... quintus Tarentinus ibid.
.... Servis abbundavit. 420.F.
.... Tarentinus Dictator creatus nunquam ab hostibus superatus 31.B.
Tarentinus imperio se abdicavit ibid.C.
.... multa scripsit. 418.B.
.... obscenitatem verborum assiduè vetavit. 417. E.
.... Pithagoreus, & mathematicus fuit. 421.D.
.... quam infelicem ultimum vitæ diem habuit. 425.F.
.... quo tempore vixit. 417.A.
.... solebat ludere cum suor. servor. filiis. 420.F.
.... Tertius Epigrammatarius. 417.A.
Arca antiquæ Urbis Nolæ. 20.C.
.... Nolæ præsentis. 44.B.
Arcæ pro Cæmeteriis apud Afros. 670.A.
Arenaria pro Cæmeteriis ibid.
Arenæ oppidum. 199.D.E.
Arenea tela juxta Cereris faciem infausti ominis loco Thebanis fuit. 672.E.
Arethusa flumen. 179.C.
Aretium pagus. 214.C.
Arethusa quando penitùs defecit. 426.F.
.... quando rursus fluere cœpit ibid.
.... fons admirabilis. 269.D.
Argiona pagus. 263.B.
Argirous Meli Regis Apuliæ filius Normannor. primus Dux. 704.
Argivum pagus. 263.D.
Argyripa. 809.D.
Arguntha oppidum. 167.A.
Argyrotus Crotoniata Philosophus. 295.D.
Arintha oppidum. 173.B.
Arionis à Delfino servati hist. 464.E.
Aristidis Locri de filia elocanda sententia. 238.E.
Aristo musicus. 228.C.
Aristocratia quodnam politiæ genus. 593.D.
.... ejus prærogativæ. 335.A.
Aristoteles quid de robustis Corporibus dixit. 590.C.
.... unde acumen sensus argumentatur. 591.D.
.... cuius Urbis meminit. 592.E,
.... quomodo Babylonem appellavit. 603.D.
.... quantam urbem esse statuit. 605.A.
.... quid dicit de Nilo, & de Tanai. 606.D.
.... quid de bellis. 110.A.
.... quam sententiam explodit. 620.A.
.... quas historias probat. 594.B.
.... quid de M.Græcia prædicat. 585.E.
.... quid de fortuna pronunciat. ibid.
.... ubi ponit Italiam. 586.A.
.... quid de Philosophia censet. 633.F.
.... in quo felicitatem ponit. 630.A.
.... quam distantiam inter homines abbominatus est ibid.F.
.... unde regionum temperies, & intemperies agnosci dicit. 627.D.
.... quam urbem celebravit. 624.A.
.... quid de ratione, & de apparentibus. 621.D.
.... quid de Cretensibus affirmat. 609.E.
.... quid de Deo, atque Natura 591.F.
.... illius familiaris quis. 593.D.
.... quomodo moriens sibi successorem declaravit. 428.C.
.... ejus opera spuria. 401.B.
Aristoxenus unde ortus. 593.D.
.... musicus, & Philosophus ibid.
.... Aristotelis familiaris ibid.
.... unus ex eius discipulis. 428.B.
Aristoxeni scripta tàm philosophica, quàm medica 428.E.
Arocella oppidum. 254.A.
Arocha pagus. 231.B.
.... Castellum. 265.D.
.... fluvius. 268.A.
.... oppidum. 145.A.
Arpi Civitas. 771.D.
Arpi, seù Argyripa. 772.F.
Arpona familia Cupersanensis extincta. 702.B.
Arponium nunc Querquarium oppidum. 343.A.
Aruanum fratrum Insigne Spichea Corona. 671.L.
Arx Saracena apud Tarentinos 719.F.
Arx Nolana ubi sita. 56.A.
Aschenas pronepos Noe Calabriæ inhabitator. 124.F.
.... condidit Rhegium sub suo nomine ibid.
Aschanazei Auxonis dicta 131.A.
Asculum. 48.F.
Asellus piscis. 456.D.
Asini Japygiæ quales. 589.F.
Asinorum Sylvestrium descriptio, & cornua. 689.F.
Assa fluvius 257.B.
Astracum quid Nolanis significat. 76.A.
Astrici. 455.F.
Asto, seu Ascon crotoniata Philosophus celebris 292.B.
Astylus Crotoniata Philosophus, & Athleta celebris 301.A.B.

Asilia Castrum.267.E.
Atabulus ventus Apulis peculiaris. 673.E.
Atella quibusdam Comœdiis nomen fecit. 59.E.
Atellana Comœdia introducta Nolæ. 109.F.
Athenienſium, & Arcadum vanitas circa eorum originem. 666.E.
Athenæum promontorium, ſeu Roſſia.311.D.
Atrani oppidum.935.D.936.A.
Attica terra optima.627.F.
Attici quales eſſe putantur.ibid.
Attila flagellum Dei Tercaſinam Urbem quare non offenderit.76.B.C.
Atturina Civitas ubi olim fuerit. 936.A.
Avaria vocabulum maritimum quid ſignificat.923.A
Aucupium Aquilarum, & Milviorum quomodo inſtituebatur.48.F.
Aucupia optima paſſim, atque affatim ſunt in Calabria.345.G.
Avellana Tarentina.450.B.
.... quomodo creſcat.49.F.
Avellanarum collectio quanta Nolanis.101.A.
Averardus Aquaviva Hungariæ Regem excepit. 729.B.
Averroes quid de Græcia affirmat.588.F.
.... illius opinio erronea.587.D.
Aufidus fluvius.772.F.
.... cruentus ex Cannarum clade.773.C.
Auguſti templum Nolæ.23.F
Auguſto à Tiberio Nolæ templum erectum.33.B.
Auguſtus Cæſar Nolæ diem obiit ſupremum.ibid.
Auguſtinus Niphus Calaber homo.149.D.
.... ejus origo, & laudes.195.E.F.
.... Ferentillus Epiſcopus Cuperſani.752.A.
Aulon mons.255.E.
.... Urbs 598.F.449.E.
Aulus Licinius Poeta dictus Archias, à Tarentinis Civitate, & multis præmiis donatus.435.E.
Aurea Bulla.887.D.
Auſonia dicta Calabria.125.C.D.
.... unde ità dicta.ibid.
Auſonii ideſt Aſchenaceii.229.D.
Auſter ubi ſæpiſſimè flare ſolet.625.F.
.... illius proprietas quæ.621.E.F.

B

Babylon qualis Urbs.603.D.
.... quid experta eſt.ibid.
Bacharium pagus.317.E.
Bacilli quid ſignificarint.831.E.
Bacurius Rex Iberorum in domo Conſtant.M. Comitis domeſticorum numus obtinuit.705.A.
Badulatum oppidum.258.F.
Balæi parœcia unde dicta.467.A.
Balbia nunc Alimontum oppidum.165.D.
Balena.458.F.
Baleſus urbs diruta, & ubi.606.B.
.... quænam numiſmata, & Lapilli ibi reperiuntur.ibid.C.
.... quinam Torrens eam in duas partes ſecat. ibid.
.... quantum diſtat à mari.ibid.F.
.... multa ſepulchra, & vaſcula &c.ibid.
Ballettarum familia.91.F.
Balnearia oppidum.207.C.
Balza Familia una ex ſeptem Regni.723.F.
Bantinum B. Virginis monaſterium.707.D.
Bantii fides erga Romanos.37.D.
Baphia juxta Tarentum.85.F.
Barbarorum intemperantia. 629.E F.
... Ceremoniæ in puerorum immolatione. 686.C.
Barbara pagus. 191.C.
Barium antea Japix.598.E.664.A. Urbs nobilis.695.E
.... quis condiderit.391.D. olim caput totius Apuliæ. 661.E.
.... nunc Peucetiæ Caput. 661.C.
.... in ea Duces regio diademate coronabantur ibid.
Barnabæ (Sancti) Corpus repertum cum Evangelio Sancti Matthæi.673.C.
Baronia familia Cuperſanenſis extinta.702.B.
Baronum familia.97.A.
Baronum dignitas in Apulia tempore longobardorum. 695.F.
Barſenta oppidum. 742.A.
Barulum Urbs nobilis. 695.B.
Barulorum familia. 97.A.
Baſentus amnis. 174.
in *Baſenti* fluminis alveo ſepultus Alaricus Gothor. Rex. 176.A.
apud *Baſentum* Otho II. Imp. à Bajolio Conſtantinopolitano ſuperatus. 176.B.
Baſilica Divæ Claræ Nolæ. 70.F.
.... Epiſcopii à quibus incæpta, & perfecta. 79.A.
.... Felicis fuit templum Jovis.
.... Joannis Baptiſtæ, poſſidetur à Veſpillonibus. 64.F.
.... quomodo fuit tempore Divi Paulini.66 F.
.... Divi Cataldi Tarentini. 572.B.
Baſilicæ antiquæ atque parvæ Nolanæ deſcriptio 64. A.
.... Divi Franciſci Nolæ deſcriptio.70.B.
.... Nolanæ deſcriptio. 61. A.
.... Paulini deſcriptio. 66.E.
Baſilium pagus. 191.C.
Batianum pagus. 190.C.
Batum flumen.163.A.
Bauciorum familia nobiliſſima. 718.B.
Beatrix Aquaviva de Aragonia Abbatiſſa S.Benedicti Cuperſanenſis, ejus Sanctitudo.740.B.C.
.... de Guevara Roccæ Princeps mundo abrenunciat, & ejus Sanctitudo. 725.F.
.... de Tarento Regia ſtirpe Comitiſſa Cuperſani. 709.F.
.... Palangela monialis S. Bened. meritis plena. 741. E.
Beatricis puellæ Nolanæ vetuſtiſſima hiſtoria. 93.C.
Belatonum pagus. 200.C.
Belicaſtrum Civitas Sedes Epiſcopalis. 268.A.
Beliſortum oppidum. 190.C.
Beliſarius Aquaviva Aragonius. 717.A.
.... Cuperſani Comes Nerinotenſi Urbe donatur à Ferdinando Rege.716.F.
.... multa auxilia, & ſuppetias dedit Ferdinando II. Regi. 727.D.E.
.... contra Gallos fortiter pugnat, & Neapolitani Regni diſſenſiones componit.717.A.
.... ejus eruditio. 718.B.
Bellimontum oppidum. 183.F.
Bellividarium oppidum. 168.A.
Bellividerium pagus. 306.F.
Bellum Jovis cum Gigantibus quomodo Nolæ repræſentetur.114.F.
Bella varia à Pirrho geſta.477.C., & ſeq.
Bellum inter Tarentinos, & Romanos quo anno incæptum. 475.C.
.... inter Lacædemonios, & Meſſenios quare, & quando ortum.392.F.
.... inter Namurſium, & Conſalvum.549. C.
.... primum Tarentinor. fuit cum Thuriis. 468.A.
.... quo apparatu à Rogerio Bohemundo paratur. 523.F.
.... Amalphitanum cum Saraçenis. 910. D., & 946.B.
.... cum Salernitanis.912.E.
.... cum Surrentinis.913.A.
Benedicti (Sancti) celeberrimum Cuperſani Cœnobium à Goffredo privilegiis exornatum.707.E.

Digitized by Google

Beneventum cur olim Maleventum dicebatur. 680.D.
Bernardina Latilla virtute clara. 741.F.
Bernardinus Cupersani Comes, & Magnus Justitiarius Apuliæ, & Terræ laboris. 709.B.
Bernardus Abbas Claravallensis partes Innocentii II. suscipit. 953.C.
.... difficultatem de Investituris Imperio restituendis tollit. 956.B.
.... ejus opera Conradus Imperio in favorem Lotharii renunciat. 973.E.
.... Lotharium contra Rogerium hortatur. 975.A.B
.... atque etiam Pisanos. ibid.C., & 976.A.B.
.... ab Innocentio in patrocinium adscitus. 982. D.C.
.... & schismate extincto, Innocentium pro Pontifice ab omnibus haberi fecit. 983.A.B.
.... D.Francisci Paulitani Socius. 310.D.
.... Abbas apud Thebas, & indè Episcopus Tarentinus. 319.D.E.
Bernardini Thilesii laudes. 178.F.
Besbius Princeps Gigantum. 32.A.
Besbius dictus Vesuvius à Duce quodam Pelasgo. 31.F.
Besidia vulgo Besidianum, olim Bescia Civitas Episcopalis. 319.D.E.
Besidiæ vicus. 174.D.
Besidianensium Principum geneologia. 319.B.
Bestiæ gratam retinent beneficii memoriam. 462.E.
Betis amnis ex Beto Tagi filio sic dictus. 682.B.
Biancum oppidum. 335.B.
Bibliothecæ Nolanæ descriptio. 77.C.
Bigetti oppidum Monasterio Sancti Benedicti Cupersanen. donavit Goffridus Comes. 737.E.
Biginæ mares, & fœminæ qui dicuntur. 87.B.
Bitettum Urbs. 664.C.
Bituntum Urbs nobilis. 695.B.
Blanda oppidum. 168.C.
Blancha familia Cupersanensis extincta. 702.B.
Blasium pagus. 188.C.
Blasius cum turmis militum clanculum Nolam intravit, & quem in finem. 35.F.
Boarium forum ubi situm. 55.F.
Boca piscis. 458.A.
Boccalatorum familia. 89.C.
Bochilerium oppidum. 309.A.
Bohemundus Roberti Guiscardi Frater Princeps Tarenti. 810.A.522.E.
.... ejus bella, & Sepultura. ibid.
.... Rogerii frater. 707.F.
Bohemunduli, & Costantiæ matris privilegia. 525.A.
Bojorum pœna defectionis. 139.A.
Boletum oppidum. 344.D.
Bombilium pagus. 253.B.
Bombycinum oppidum. 167.F., ibi Cyriaci templum. 168.A.
.... & Basilii monachor. monasterium. ibid.
Bonifatum oppidum. 168.C.
Bonifacius Vannocius injustè carpit historiam in præfatione Antonii de Tarsia.
Bonnatius monachus Floriacensis. 181.C.
Bononiensium Patroni Antonii. 839.C.
Bonziæ familiæ nobilitas. 752.D.E.
Bottem cur Nolani vas magnum vocant. 76.D.
Boracianum pagus. 214.D.
Borellum oppidum. 200.
Borracchi fluvii ostium. 406.A.
Bova Civitas Episcopalis. 233.F.
Boves Japygiæ quales. 589.F.
Bovis Tarentini historia. 463.F.
Bovolina oppidum. 235.E.
Bovingium pagus. 206.B.
Bracadum pagus. 206.B.
Bracalis fluvius. 201.B.
Braces Insula Ithacusa juxta Nicolam. 193.E.
Braucaleonum Castellum. 234.E.
Brassica vitibus contraria. 416.F.
Brazaria pagus. 199.D.
Brettia pars Calabriæ. 120.F.135.A.
.... unde dicta. 136.B.C.
Bretii an a Romanis ad Annibalem defecere. 138.A. & seq. 142.F.
Brettiis si quid erratum, ignotum fuit. 143.A.B.
Brettiorum potentia, & origo. 135. B.& seq.
.... Metropolis fuit Cosentia. 175.E.
.... Numismata. 136.D. & seq.
.... Respublica in Calabria. 309.F.
Brettium promontorium in Terineo sinu. 133.C.
.... Subarum appellatur ab accolis. ibid.D.
Briadum pagus. 195.C.
Briaticum oppidum. 193.B.
.... Civitas Episcopalis. 307.B.
Bricanium pagus. 61.C.
Broniatarum pagus. 57.C.
Bruda fluvius. 258.F.
Brunus Medicus, & Chirurgus Calaber celebris. 310.A.
Brundusium finis Italiæ. 415.F.
.... quis condiderit. ibid.E.
.... unde dicatur. 680.D.
.... quænam Urbs, & ubi sita. 602.E.
.... quomodo aliàs appellata. ibid.
.... illius portus qualis. ibid.
.... ejus ostium à quo, cur, & quomodo obstructum. 603.A.
.... ejus arx qualis, ubi, & à quo ædificata. 603.C. 612.A.
.... quid illam infamavit. 603.F.
.... in quorum partibus perseveravit. 604.A.
.... quantum distat à Roma, et Dyrrachio. ibid.
.... de illa quinam meminerint ibid. B.C.
.... à quo capta, & diruta. ibid., & 612.A.D.
.... an à Virgilio commemorata. 600.F.
.... illius aer qualis. 602.A.
.... eius ora, & fretum. 603.A.
.... illius fossæ quales ibid.B.
Brundisinorum defectio à Gothis. 519.A.
Bruthatus flumen. 253.C.
Brystacia nunc Briaticum Civitas. 307.C.
Bryvanaculum pagus. 195.C.
Bulinorum familia. 95.C.
Bulsanum oppidum. 234.F.
Burcinæ Marinæ. 454.D.
Burfellorum familia. 97.B.

C.

Cacinos fluvius. 191.A.
Cacucius mons. 174.B.
Cacurium oppidum. 306.D.
Cadavera cur Capillis operirentur. 690.B.C.
.... olim cur exurerentur. 677.D.
.... comburunt Peruviani. ibid.
Cacinum oppidum. 258.F.
Cæcinus amnis. 259.A.
Cæliæ qualis Urbs, & ubi. 624.B.
Cænis, sive Cœnisium oppidum. 211.C.
.... promontorium. 209.F.
Cæriorum familia. 96.C.
Cæsar Aquinius Dominus Castioni 187.E.
.... Aragonius 728.E.
Cæsaris Baronii in pauperes largitas 745.A.
Cæsaletum pagus 170.D.
Cæsaretum pagus 214. D.
Cesarea (Diva) ubi latuisse dicatur. 596.E.
.... quid de illa narratur. ibid. F.
.... in eam hymnus compositus, & templum dictum. ibid.B.
Cæsarinorum familia. 90.E.

Digitized by Google

Cæſium quid Nolanis ſignificat. 53. C.
Cæſula vicus 182. E.
Cajetana ex hyachinto familia nobilis. 702. D. & 96. D.
Cai cognomen apud Tarentinos unde. 500. A.
.... Fabricii legati virtus. 487. D.
Caio Livio Ebrio nunciatur Numidas regionem invadere. 502. D.
Caij Livii temulentia. ibid. F.
Calabriæ mulieres doctæ. 287. E. 289. F. 298. C.
.... mulieres abſtemiæ. 153. D.
.... Urbes Romanos ſocietate conjunctæ. 147. A.
.... & civium Romanorum jura habuerunt. ibid.
Calabri omnes in fide Romana permanſerunt. 145. B.
.... quales. 148. E.
.... Italorum primi Chriſti fidem amplexi. 149. A.
.... Artifices excellentes. 189. E. 211. F. 300. A. 224. A.
.... Athletæ. 249. F. 251. B. 300. B. C.
.... Epiſcopi veteres alicujus nominis. 251. C. 169. F. 178. E. 193. C. 194. D. 196. E. 203. F. 220. A. 221. F. 222. B.
.... Heremitæ famoſi. 152. B. 177. F. 179. D.
.... Jureconſulti. 178. E. 229. A. 249. E. 306. F. C.
.... Martyres. 151. A. B. 340. D. 341. D.
.... Medici. 188. F. 194. E. 229. A. 246. D. 292. B. 296. A. 309. C.
.... Monachi celebres. 151, E. F. 171. F. 179. C. D. 183. F. 198. C. 200. F. 204. A. E. 207. C. 224. B. 230. A. 233. F. 310. E. 316. F. 219. A. F. 340. D.
.... Muſici. 251. B. 252. C. D.
.... Philoſophi. 178. F. 195. D. 202. D. 224. A. 226. B. C. 227. A. 243. C. 145. F. 246. E. 249. C. 265. A. 266. D. E. 268. E. F. 283. B. 289. E.
.... immortalitatem Animæ tenuere. 134. F.
.... Poætæ. 201. F. 227. A. 249. C. 295. E. 324. D.
.... Rei militaris periti. 303. D. & ſeq.
.... Viri Docti in literis humanioribus. 177. & 178. 182. F. 188. A. 192. E. 306. C. 337. D. E.
Calabriorum familia. 89. C.
Calabria quænam regio ſic dicta. 389. C.
.... quomodo olim appellata. ibid.
.... illius diſtantia ab Epiro. 598. D.
.... Italia regionum prima inhabitari cœpta. 124. F.
.... multis nominibus appellata, & quare. 125. C. & ſeq. & 126. per tot.
.... ejus quædam pars dicta fuit Sicilia. ibid. D.
.... pars alia Colonia, alia Japygia, alia Salentina, alia Lucania, & alia Bretia. ibid. D E. F.
.... quando ad fidem Chriſti converſa. 149. A.
.... habet 24. Epiſcopales ſedes. ibid.
.... fuit altera Monachorum Ægyptus. 149. C. 204. F.
.... ab Agarenis ann. 950. vaſtata. 152. F.
.... poſtea Benedicti VII. tempore a Græcis occupata. 153. A.
.... anno 176. a Græcis, Cretenſibus, Mauris, & Pœnis inita ſocietate adjutoribus Siculis depopulata. ibid. B.
.... a Turcis, a Franciſco Gallorum Rege, & iterum ab ejus filio Henrico accerſitis direpta. ibid. E.
.... a Roberto Guiſcardo Mauris, & Saracenis erepta. 153. B.
.... hodie a multis Regulis, & Tyrannis expilatur. 160. B.
.... omnium Italiæ regionum optima 154. B. & alibi.
.... loca non pauca, in quibus res divina græca lingua perficitur, habet. 149. F.
.... quatuor Archiepiſcopales Sedes. 122. A.
.... poſt Regem, & Philoctetem Reſpublicæ quatuor fuere, quæ toti Regioni dominatæ ſunt. 333. E.
.... poſtea, & Bretii ſibi ſuam Rempublicam conſtituerunt. ibid. F.
.... lugendi mortuos præcipuos ritus habet 153. C.
Calabriæ ſitus. 124. D.
.... termini, ſive fines, & qualitas. ibid.
.... quæ Coloniæ. 127. A. B.
.... multæ Romanorum Coloniæ deductæ. 42. D. E.
.... habitatorum mores. 148. E.
.... lingua præſens. 153. B. C.
.... mos lugendi defunctos. ibid. D.
.... primi incolæ Aſchenaz. 125. A.
.... Ænotrii, Arcades, Peucetii ibid. C. & 126. C.
.... Græci alii ibid. D.
.... Trojani Mneſtei Comites. 127. B. 148. B.
.... Urbes ab Ænotrio conditæ. 126. B.
.... nomen etiam parti Apuliæ tributum, ibid. E.
.... montes, paſcua, herbæ. 154. C. D.
.... armenta, greges, ſcaturigines, flumina, maria, venationes, equi, metalla, Emporia. 155. C. & ſeq.
.... opificia, frumenta, arborum fructus 156. A. & ſeq.
.... aeris temperies, & Salubritas. 156. F.
.... oppida, & pagos omnes, aut Auxones. aut Ænotrii, Peucetiique, aut Athenienſes, aut Phocenſes, aut aliæ Græciæ Principes condiderunt. 345. A. B.
Calabrices fluvius. 170. E.
Calanna oppidum. 212. C.
Calaſerna nunc Campanæ oppidum. 308. F.
Calatia, & *Salatia* olim Peucetia. 660. A.
Calatrum oppidum. 200. D.
Calavrum pagus. 198. D.
Caldariæ jus olim in caſtris tribuebatur. 705. A.
Caldora familia una ex ſeptem clarioribus Regni. 723. F.
Calimera Caſtellum. 197. A.
Calipſus, ſive Ogygia inſula. 275. A.
Callibratus Cauloniata Philoſophus. 256. E.
Callipolis Urbs non Gallipolis dicenda. 625. B.
.... unde nomen ſortita eſt. ibid.
.... illius ſitus qualis. ibid.
.... ejuſdem arx, & pons. ibid. C.
.... quid in illa admiratione dignum. ibid.
.... illius fons ubi, & qualis. 626. B.
.... ejus Cælum quale. 625. D. E. & 626. C.
.... illius amenitas, & ubertas. 626. F.
.... græcè loquuta tempore Auctoris. 629. F.
.... Lacedæmoni comparatur. ibid.
.... Civitatis Sanctæ imago quænam. 630. E.
.... in cujus fide permanſit. 612. E.
Callipolitani Religioſi ſunt. 628. D.
.... illorum Patrona quæ. ibid.
.... non victi, ſed a multitudine ſuperati. 629. C.
.... à Laconicii originem trahere dicuntur. ibid. B.
.... illorum mulieres ſtrenuæ in pugna. ibid.
.... illorum complexiones, frugalitas, mores, & virtutes. 627. C. F. 628. C. D.
Calliſthenes Sybarita Philoſophus, & Hiſtoricus. 324. F.
Calocerum Caſtellum. 197. A.
Calocrius mons in Appennino. 188. F.
Calopiciatum Caſtellum. 309. B. C.
Calopinicum flumen. 229. C.
Calos pagus. 195. C.
Calosytonum pagus. 196. F.
Calovitum oppidum. 310. A.
Calpe mons in quarto climate. 587. F.
Calumnia Hippiæ ſapiens dictum. 226. F.
Camenum pagus. 257. F.
Camilli Querni Archipoetæ carmina de Beliſario, & Jo: Bernardino Aquevivijs. 717. E.
Camillus Pellegrinus Capuanus laudatus. 695. C.
Campana oppidum, ibi multorum Sanctorum Reliquiæ. 308. F.
Campanorum perfidia in Romanos. 139. D. E.
.... eorum pœna. 144. B.
Campania inundata, & quando. 606. D.
.... quæ res ei peſtilentiſſima. ibid. E.
Campana magna nondum inventa tempore D. Paulini. 68. F.
Campaniæ locorum nomina potius græca, quam latina eſſe. 32. D.

Digitized by Google

Camparonum pagus. 198. D
Campasanorum familia. 95. B.
Campi latini ubi, & qui. 617. F.
Campi Tarentini quales. 593. B.
Campionum familia. 93. F.
Campsores unde dicti, & qui propriè sint. 922. F.
Canaria Insula unde dicta. 680. C.
Cancri quando capiuntur. 454. C.
Candelabrum Dionysii. 464. C.
Candelabra Tarentina. 451. D.
Candinorum pagus. 200. D.
Candiciorum familia. 96. B.
Canditarum familia. 91. A.
Canis nomen urbis in Ægypto. 680. C.
.... transans quis, & unde dicatur. 688. C.
Cannaum pagus. 214. D.
Cannæ tempore Annibalis quid fecerint. 779. E.
Cannes cum Canusio confundere error historiæ est. 773. C.
Cannensis pugna. 678. F. & seq.
Cantelma familia una ex septem Regni. 723. F.
Canusia lana optima. 774. A.
Canusium Civitas. 771. D.
.... & Canosa. 773. B.
.... à Diomede conditum, ejus situs, & circuitus. 772. E. F.
.... differt a Cannis, & distat 25. stadiis. 773. C.
.... inter fœderata oppida relatum. 776. A.
.... ex oppido fœderato in Coloniam Romanorum mutatur. 776. E. 779. A.
.... quid fecerit tempore Annibalis. 779. E.
.... prius Colonia, sub Augusto Colonia militaris. 771. D.
.... Colonia Jus Quiritum, & civium Romanorum obtinuit. ibid. E.
.... Respublica in quibus consistebat. 776. F.
..... Respublica sub Trajano, & Adriano Impp. floruit 782. B.
..... sub tribu Palatina censa. 783. E. F.
.... cur potiùs municipium, quam Colonia. 813. C.
.... eius II. Viri. 786. B.
.... eius Coloniæ Status sub Alexandro Imperadore. ibid.
.... eius Episcopi, & Archiepiscopi. 803. C. seq.
.... eius populatio. 801. E.
.... destructum, eiusq; excidium. 804. A.
.... eius status post excidium suum. ibid.
.... eius porta Romana stat inconcussa. 774. D.
.... eius via Romana strata lapidibus. ibid. E.
.... eius mutatio per tempora explanata. 809. A.
.... eius Arx, Clerus, Cives, Gubernator, & Regimina. 805. D. E.
.... eius Ecclesia Cathredalis quomodo, & qualis. 806. B.
.... ad Familiam Affaitatorum pervenit. 811. A.
.... jampridem Baronatus, nunc Marchionatus. ibid. B.
.... à quo occupatum. 609. D.
Capanianum amnis. 173. C.
Capilli Deæ Sanctitatis olim dicati. 690. C.
.... cornua olim dicebantur. ibid.
Capistranum pagus. 189. F.
Caposcrofarum familia. 91. F.
Capuæ nomen unde. 680. F.
Capua quasi Campaniæ Caput. ibid.
.... quasi Campestris. ibid.
.... Urbs deserta. 603. E.
.... à quo condita. 680. F.
Carbonella familia nobilis. 702. D.
Carbonellus de Tarsia. 696. E.
Carciladum pagus. 195. D.
Cardanum injustè, ut plurimum fugillat Scaliger. 693. A.
Cardetum pagus. 229. E.
Cardinales S. R. E. in familia Aquavivæ quot. 724. A.
Cardinalum pagus. 259. D.
Cardonum flumen. 182. F.
Cargentum pagus. 196. F.
Carminianorum familia. 97. E.
Caroleum vicus. 174. D.
.... oppidum. 183. D.
Carolus Jardinus Parrhasii alumnus. 183. A.
.... Francorum Rex in Italiam venit. 595. C.
.... omnem Italiam perturbat. 600. E.
.... quodnam Regnum capit. 596. A.
.... Rex primus Apuliæ. 595. C. 612. A.
.... quem vicit, atque occidit. 612. A.
.... quam Urbem solo equat. 595. C.
.... quem Comitem lupiarum instituit. 612. A
.... Andagavensis. 526. E.
.... moritur Fogiæ. 527. A.
.... Quintus Austriacus. 551.
.... ejus Privilegia erga Tarentinos. 542. C.
.... Aquisgrani imperiale Diadema accipit. ibid. B.
.... Christianorum Imperator eligitur obstante Urbano Pontifice. 551. F.
.... Dyrrachinus Joannæ Præfectus a Ludovico capite truncatur. 529. E
.... Gallorum Rex Neapolim vi, & præcio expugnat. 541. C.
.... Hispaniarum Rex cum Matre declaratur. 551. E
.... Manfredum ad Beneventum superatum interfecit. 526. F.
Caronum pagus 196. F.
Carpacianum pagus. 183. A.
Carthago. 622. D.
Carthaginenses quomodo Tarenti ingrediantur. 903. E
Caryvatum pagus. 183. A.
Casabulum oppidum. 742. A.
Casalia varia Græcorum, & Latinorum in agro Tarentino. 467. D.
Casale novum quodnam oppidum, & ubi, & quinam lapides ibi reperiantur. 605. F. & seq.
Castellamina quæ dicuntur. 85. F.
Castellanetum. 549. F.
Castellanetani Gallorum injuriis exagitati conjurant. ibid.
Castella oppidum. 273. F.
Castellatum Castellum. 205. F.
Castellani oppidum erat Monasterii Sancti Benedicti Cupersanensis. 707. D.
Castellionum oppidum. 742. A.
Castellum ad mare esse Stabias non est verum. 29. B.
.... Divi Cataldi ubi, & à quo ità dictum. 601. F.
.... quæ moles ibi extructa, & a quo. ibid.
.... Nucis oppidum, & cur sic dictum. 742. A. 682. C.
Castionum vicus. 174. D.
Castionum oppidum. 179. B.
Castra Annibalis portus. 174. C.
Castravillanum oppidum. 340. B.
Castrengium vicus. 344. F.
Castrifrancum oppidum. 173. C.
Castrovetum oppidum. 255. D.
Castrum Minervæ oppidum. 336. A.
.... oppidum aliud. 253. D.
.... oppidum aliud. 596. E.
.... illius Templum ubi, & cui dicatum. ibid.
.... fons, & antrum ibi habetur. ibid.
Castrum Cupersani a quo ædificatum. 712. A.
Casuonum Castellum 306. A.
Catapsanium Civitas unde dictum, & ejus conditor. 266. B.
Catapanes præsunt æduliis, & eorum mensuris. 104. D.
Cateanum amnis. 207. C.
Cataldus qualis Archiepiscopus. 601. F.
.... unde profectus, & quo venit. 602. A.
.... templum illi sacrum. ibid.

Cæco

.... Caco a nativitate visum ereptum.559.
Catharina Aquaviva de Aragonia abbatissa S. Benedicti, ejus virtutes, & merita.710.C.
.... Aquaviva Aragonia Neritoni Ducissa, & Cupersani Comitissa.720.F.
.... Aragonia de la Nata Secunda Andreæ Matthæi Aquavivæ Aragonii uxor.718.C.
.... Blanca monialis Sancti Benedicti sanctitate clara.741.E.
.... Ursina Joannis Antonii filia, Comitissa Cupersani.713.F.
.... Julio Antonio Aquavivæ Aragonio nupta. ibi. & seq.
.... Ursina Ramondelli filia Tristano Claramontio nupta.712.C.
Cato Portius diligentissimè scripsit de conditoribus Italiæ.391.C.
Catocastrus fluvius.160.F.
Catonis verba de sinu Tarentino.402.B.
Cavedii, & hortorum descriptio.76.F.
Caviarium quid sit, & unde dictum.457.E.
Caulon mons.276.A.
.... Castellum, & ubi.602.B.
.... quomodo ab Horatio, & incolis appellatum. ibid.
.... quinam tumuli lapidum ibi cernuntur.ibid.
Caulonia Urbs nobilissima, & unde dicta. 255.D.E.
Caulonitarum numismata. 156.F.
Caupo quidam Tarentinus.433.B.
Caylatum pagus.170.E.
Ceanum pagus.199.D.
Cecurinum pagus.196.B.
Censores in Coloniis.785.E.
Census à quibus conferendus.160.A.
Centracum pagus.274.F.
Cerasus Urbs unde dicta.682.C.
Cerbalus fluvius.771.E.
Cerensia, sive Gerensium validum propugnaculum. 306. D.
Ceres à Cupersanensibus cur olim colerentur.671.E.
.... prima, & panem, & leges dedit. ibid.
Cerilli oppidum.163.E.F.
.... promontorium.ibid.
Cersosimum pagus.345.A.
Cervaricius locus. 554.
Cervi Dianæ consecrati.675.C.
Cervicatum pagus. 170.D.
Cete piscis.458.F.
Cetrarium olim Lampetia oppidum.170.F.
.... flumen.ibid.
Characolum, sivè Cruculum Castellum.308.D.
Charetum Castellum.335.F.
Charia pagus, & fons.268.D.
Cariatum Civitas. 308.E.
Charida oppidum.200.A.
Charitorus mons Appennini in agro Saracenæ. 165.D.
Charopolis pagus. ibid.
Chatarena oppidum. 258.E.
Cherapotamus fluvius.201.B.
Cherfidyri quales serpentes.590.E.
Chespanum pagus, & in qua terra.194.F.
Chona Civitas.268.C.
Chonia pars quota Calabriæ.126.D.130.E.132.C.
Choronetum pagus. 195.A.
Chraunii montes ubi.598.D.
Chrestoum pagus.205.F.
Christophorus de Tarsia.696.F.
Christina Castellum, & fluvius.206.B.
Christiani primitivæ Ecclesiæ in cryptis, & subterraneis rem divinam faciebant.732.B.
Chrotonum pagus.206.A.
Chrysia Castellum.309.C.
Cicadæ ubi mutæ, & quæ.691.A.B.455.F.
.... aere, & rore vescuntur.691.A.
.... aureæ ad ornamentum mulierum capillorum in Apulia.ibid.
.... in Apulia infestæ. ibid.
.... de reis peculiare quiddam juxta Halecem. 230.D.E.
Cicala oppidum in collibus Gecalæ.51.F.
Ciceronis elogia super Pythagoram.286. C.D. 290.A.
.... domus à cicere serendo dicta.682.E.
.... sepulchrum.668.B.
.... nomen ciceris grano indicatum.682.E.
Ciconiæ gratæ exemplum.462.F.
Cimbarium pagus. 191.A.
Cimenia oppidum.742.A.
Cineres defunctorum cum lachrymis Amicorum condebantur.668.A.
Cinesia Poeta gracilis admodum.674.B.
Cingo vicus. 306.B.
Circejum pagus. 170.E.
Circuitio apud antiquos lætitiæ signum.685.E.F.
.... in Sacrificiis, & in Deorum celebritatibus observabatur. ibid.
.... Ecclesiarum in pœnitentiam.687.B.
Circuitus malus à Diabolo inventus.684.E.
Circuli religio apud Gentiles.ibid.
Circumeundi ritus unde emanaverit. ibid.
.... ritum Cupersanenses a quo acceperint.687.B.
Cirum, sive Cirrha Civitas.107.D.
Cisidonium pagus.194.A.
Citadella Turris. 543.D.
Civitates mortuorum Neapoli, & Syracusis videntur. 88.B.
.... Alphonso fideles quæ. 612.E.
Civitatis bonis legibus constitutæ quis effectus.336.E.
.... Gubernatio ex principiis Regni, Aristocratiæ, & Democratiæ optimè constituitur.334.E.
in *Civitatibus* bonorum legum necessitas.336.E.F.
Clamista pagus.198.F.
Classis Christianorum à Saracenis fugatur. 520.Ec
Claudius Aquaviva Aragonius Pii V. P.M. cubicularius, ejus ingenium, & eruditio; Archiep scopatum Neapolitanum tenuit, ejus mors &c. 725.E.F.
Claramontiorum familia.96.E.
Claravallis Castellum. 259.C.
Cleandria.468.A.
Cleantes Tarentinus omnia versibus eloquebatur. 434.F.
Clearchus Rheginus.ibid.A.
.... statuarius celeberrimus. 228.C.
Cleonymus Spartanus Dux Tarentinorum.472.B.
.... Poeta clarus.227.B.
Clementia familia nobilis Cupersanensia. 702.D.
Clesa Castellum.184.E.F.
Clibanus mons.273.B.
Climata diversarum Regionum.587.F.588.A.B.
Climate quarto quæ loca comprehenduntur.587.F.
.... tertio quæ loca continentur.ibid.
.... ejus terminus qui.588.B.
.... Cœlum ubi salubre, & calidum.616.F.
Coccyges.456.C.
Cochiceronum pagus.194.A.
Cochlearum genera.454.D.456.D.
Cocorum familia. 90.D.
Cocynthum promontorium mare Siculum, & Jonium dividit.258.A.
Cocypedonum pagus 206.C.
Codrus Rex pro Patria mortem abivit in Præfatione Ant.de Tarsia.
Cœlia Civitas.771.D.
Calandarium pagus.194.B.
Calicum pagus.179.B.
Camiterii descriptio.37.F.
Canidonum pagus. 193.F.
Canobium Deceratis dictum quale, & ubi.607.B.
.... à quo conditum, atque ditatum. ibid.

Digitized by Google

.... Divi Nicolai ubi situm. 616. F.
.... ejus monachi, & cujus ordinis. ibid.
.... ejus Bibliotheca constructa, & quando deperdita. ibid. D.
Cœnobia, & monasteria Cupersanensia. 736.
Colonetum oppidum. 310. C.
.... fluvius. 318. B.
Coloni qui fuerint. 783. E.
Colonia ex lege Agraria ducebatur, per quem, & quomodo. 777. F.
Coloniæ insignia vexilla. 778. B.
.... numismata. ibid.
.... locus aratro circumscribebatur. ibid. B.
Coloniæ, & municipia quasi filiæ Rom. Reipublicæ eam incitabantur. 875. D.
.... a quo erectæ, cur, quomodo, quando, & ubi. 780. E.
.... In Calabriam missæ. 127. B. C. 130. F.
Columellæ, sive Columella Rhegia Promontorium. 211. C.
Columella citatus. 30. E.
Comæ charorum cum cineribus in urna. 677. A.
Comerconum pagus. 199. F.
Comes pro lepido.
.... erat nomen officii, & honoris in Regia. 704. E.
.... Continariorum quis. ibid.
.... Sacrarum largitionum quis. ibid.
.... Regii Stabuli quis. ibid.
.... laborum quis. ibid.
.... Sacri Patrimonii quis. ibid.
.... Stabuli ex sententia Marianæ quis. ibid. E.
.... Capaciæ. 600. D.
.... Lupiarum qui, vel quæ. 607. B.
Comites Tiuphadi. 705. A.
.... Palatini qui. 704. A.
.... Cataphractarii. ibid.
.... Clibanarii. ibid.
.... in Bello qui. ibid.
Comitatus nomen honoris. ibid. E.
Comitii Etymologia. 73. A.
.... numerus apud Normannos. 706. A. B.
.... sive Comarchi dignitas. 703. B.
.... dignitas antiquissima. ibid.
.... dignitas quo ritu olim in Hispania dabatur. 705. C.
Comitum Cupersanensium Catalogus. 707. B. & seq.
Compendium Historiarum Neap. Barthol. Caraccioli M.S. 709. A.
Comparatio Diametri Nolæ hodiernæ cum antiqua. 744. E.
Conchæ quando capiantur. 454. D
Conciliabulum quid. 814. B.
Conciliorum Græcorum locus. 471. C.
Concilium Amalphi coactum sub Nicolao II. 913. B.
.... in eo depositus Episcopus Atranensis. 935. D.
.... Pisanum sub Innocentio III. 973. D.
Conclavis descriptio. 76. F.
Concordiæ simulacrum Crotoniatarum Templum Musarum. 285. D. E.
Conditiones, quibus fœdus inter Romanos, & Carthaginenses renovatum. 497. A.
.... quibus Tarentini traderent urbem Annibali. 500. F.
Conditores Urbis Tarenti in condenda Urbe, quid perspexerunt. 413. E.
Condojanum oppidum. 136. A.
Condrochinorum pagus. 195. D.
Conflentum pagus. 186. B.
Conradus Aquaviva Magnus Regni Marescialus. 724. F.
.... Imperator Imperio renunciat in Lotharii favorem. 973. E.
.... succedit in Imperio post ejusdem mortem. 981. B. C.
Consalvus Magnus. 546. E.
Consentia Civitas nobilis, 174. B.
.... Sedes Episcopalis ex antiquioribus Ecclesiis Regni Siciliæ. 175. A. C.
.... fuit Metropolis Brettiorum. 175. E.
.... ejus soli ubertas. 176. D.
Consiletum Castellum. 206. E.
Conspiratio in Fredericum. 546. E. F.
Constantia Bohemundi uxor. 524. F.
.... Henrici uxor. 525. F.
.... Monialis educta de Monasterio, nupta Henrico VI. Imperatori. 810. C.
.... altera Regis Neapolis uxor, & cujus mater. 611. F.
.... Regno pulsa, & à quo. ibid.
.... quando Regnum Apuliæ obtinuit. ibid.
.... de Brenna Abbatissa S. Benedicti. 739. C.
Constantinum pagus. 194. A.
.... pagus alius. 345. A.
Constantinus Imperator. 519. C.
.... Romam conatur spoliare. ibid. D.
.... homines ad Christi fidem honoribus alliciebat. 705. A.
Constantium pagus. 198. F.
Constitium pagus. 186. B.
Consulinum oppidum. 257. C.
Consules Romani Tabulæ Canusinæ insculpti explicantur. 814. E.
Consulum Romanorum literæ ad Pirrhum. 488. D.
Consulis abbreviatura COS. ejusque explicatio. 793. F.
Contina familia nobilis. 702. D.
Convivium opipare extructum post exequias celebrant. 87. B.
Conum pagus. 194. A.
Coratinus. 455. C.
Corallia Tarentina. 459. A.
Coraltini populi. 562. C.
Corita Promontorium. 184. C.
Coriga pagus. 188. F.
Coriolanum oppidum nobile, & vetustum. 318. E.
.... item fluvius ejusdem nominis. ibid.
Cornu Amaltheæ nemus amœnissimum juxta Hipponium. 191. E.
Cornu differt a lenticula contra Abulensem. 689. D.
.... in Tabernaculo asservatum erat ex metallo prætioso, Prophetarum verò osseum. ibid. F.
Cornuum usus. ibid. B. C.
Cornua quæ venenum expellant, & morbos. ibid. F.
.... Asinorum Sylvestrium. ibid.
.... in quibus servabatur oleum pro Regibus ungendis, an fuerint argentea, vel aurea. 689.
.... pro capillis. 690. C.
Coronarum familia. 89. C.
Corona scorpioni super imposita quid denotet. 446. A.
.... Spicea quorum insigne. 671. D.
.... in Apulia primùm contexta. ibid.
.... tribuitur Romanis à Plinio. ibid. E.
Corpus S. Andreæ Amalpheos Patroni unde, quando, & à quo in eandem Civitatem translatum. 923. E. 924. A.
.... Felicis Martyris ignoratur ubinam sit. 73. A.
Corpora ad serviendum apta, quæ. 589. F.
Corrobra quid apud Hispanos. 705. F.
Corruptio accidit aut per nos, aut per externos. 335. E. F.
.... quomodo porro accidat. 335. A. B.
Corta quid antiquis. 704. B.
Cortalia pagus. 188. F.
Cortiadum pagus. 205. F.
Cortina Apollinis quasi Certina. 704. B.
Corycta in Agro Nolano sunt. 49. F.
Cos Insula Hyppocratis patria. 588. F.
Cosa Civitas vulgo Cosanum. 341. D. C.
.... fuit Colonia, & Municipium Romanum. ibid.
Cosmographia cui præcipuè utilis. ibid. D.
Cosmum pagus. 318. E.

Digitized by Google

Cæsenus Mathematicus. 8.D.
Cetilis fluvius. 10.D.
Cetosonium pagus. 198.D.
Covellæ de Lucio testamentum. 21.B.
Cratessitius Tarentinus Grammaticus, & Philosophus. 246.A.
Crateus amnis Scyllæ. 171.E.
Cratis fluvius 171.E.174.B.
.... ejus origo. 180.B.
.... auriferi est. 326.B. & seq.
.... unde dictus, & quæ ejus natura. ibid.
Cretenses quales. 391.D.
.... Japigarum parentes. 609.C.
.... quas Insulas sub Cretæ nomine habitarunt. 609.B.
.... quas Colonias miserint. ibid.C.
Cribri suspensio ad vaticinium. 687.F.
Crimissa nunc Alcinum promontorium. 308.A.
.... & Citum. 309.C.
.... & Flumicinus. 309.C.
Crepteria oppidum. 253.C.D.
Criptoporticus ad voluptatem extructus. 53.D.
Crisagora oppidum. 264.A.
Crissa Urbs. 189.D.E.
Crocus optimus in Agro Nolano colligitur. 341.F.
.... & ubi abundat. 617.A. & seqq.
Cropa amnis. 271.A.
Cropanum oppidum. 267.F.
Cronologica tabula amalphitana ab anno MCXXVI. ad MCXL. 285., & seq.
Crotalus fluvius. 265.D.
Crotoneum castellum. 273.A.
Croto promontorium sic dictum. 274.E.
.... civitas nobilissima. 277.D.
.... ejus conditores, ibid.B.F., & 178.E.F.
.... fuit colonia Romanorum. 283.A.
.... quale studium ibi viguit, ibid.B.
.... est Sedes Episcopalis, vetustissima, à Dyonisio Areopagita ad Christum conversa. 204.B.C.
Cretoniatarum olim Respublica. 279.D.
.... eorum potentia, & fortitudo. 280.E.F.
.... sigillum civitatis. 304.C.
.... numismata. 282.E.
.... templum musarum Concordiæ Simulacrum. 285.E.F.
Crotoniensium Episcoporum præsentia in Concilio. 304.G.
Crotopestum qualis Urbs, & ubi. 603.E.
Crucinarum familia. 97.E.
Cruculum Castellum, sive Charocalcum. 308.D.
Cryptæ ferratæ monasterium. 210.A. 212.D.
Crypta S. Silvestri. 743.D.
.... Insulana quando inventa. 732.F.
.... Insulana an olim Cereri dicata. 603.A.
Cryptæ Cuperfanenses. 732.B.
Cubiculorum descriptio. 77.A.
Cucurbitarum familia. 94.B.
Culinæ quis olim Romæ locus. 668.F.
Cupa quid significet. 679.C.
Cuperfana Urbs, sive Cuperfanum. 540.B. & 731.B.
.... conditum. 678.D.
.... quando primum Comites obtinuerint. 607.B.
.... nomen à Cupreſſibus obtinuit. 676.D.
.... sacro Petro Christi fidem suscepit. 781.A.
Cuperfani Comitis fabulum, & equorum armentum. 663.D.
.... laudes ex situ, & loci amœnitate. 682.F., & 683.A.
.... nomen an à Cupa dicatur, & Jano. 679.C.
Cuperfanenses cur olim cum Cereris sacro sepelirentur. 673.A.
.... quænam Idola antiquitus colerent. 671.B.
.... eam cur Junonem colerent, & cum Junonis Statua sepelirentur. 673.C.
.... cur Vestæ Statuam in Sepulchro ponerent. 673.
.... eorum mores, & ritus. 654.C.
.... eorum numerus. 683.C.
Cupressus Cuperfanæ nomen deriv. 731.F.
Cupressina Junonis lucus. 674.A.
Curia quid significat. 812.B.
Curiæ, sive Decuriæ Judicum, Equitum, Veneriæ, Ædilium, Plebis, Cerealium, Ædilitiæ, Pompæ, Juliæ, Viatoriæ Consulares, Libertæ Consulares, Prætorum, Scribarum Ædilium Curulium, Scribarum Ædilit. armentar., Scribarum librorum Quæstorum, Fabrum, Dendrophor., & Centonariæ, Sacerdotum, Bidentalium, Augurum, Luperc. Flaminum, Pontificum, Colonior., & Municipior. 837.D.
Curialium nominatio. 812.B.
Curii responsum legatis Samnitibus magnum aurei ponderis offerentibus. 691.C.
Curiositas apud Plurios quanta fuit. 329.C.
Curius ter triumphavit. ibid.
Currus aureus erectus Dianæ tribunus. 675.F.
Cursus equestris pro seriemio annulo. 1111.F.
Cutrum Castrum. 273.F.
Cyathi ex Cupidinibus. 689.A.
Cyneas Orator. 461.B. 485.C.
.... mittitur à Pyrrho ad Tarentum cum militibus. 479.C.
.... in Senatu Romano multa præclara dixit. ibid.D.
.... quibus orationibus Pyrrhum à bello gerendo abterrere est conatus. ibid.
.... quid Pyrrho retulit de Senatu Romano. 489.E.
Cylisternus nunc Rocanellus fluvius. 344.C.
Cybbella quid. 735.E.
Cyprianus (B.) Divi Basilii Monachus. 223.D.
Cyprus cur Veneri Sacra. 679.F.
Cyrii nunc Caldana fluvius. 143.B.
Cyrisanum oppidum. 174.A.
Cyrnistanus mons. 342.C.
Cyroliorum familia. 95.B.N.
Cyromachus Philosophus. 337.D.E.
Cyterium oppidum. 174.A.
Cythara septem voces acceptas multiplicant. 653.A.

D.

Damea Pythagoræ Filia admodum erudita. 90.D.
.... castitatis doctrinis Virgines instituit. ibid.
.... ejus filia Biscula. ibid.E.
Dameas Crotoniata statuarius celeber. 300.A.
Dametas Paleologa monialis in monasterio Sanctæ Mariæ de Verge. 737.F.
.... Græcorum effugit persecutionem. 738.A.
.... Benedictum appulit. 738.A.
Damon Thurius, Athleta celebris. 337.E.
Danai filiæ Thesmophoria ex Ægypto transtulerunt. 671.F.
Dani in rupibus historias scripserunt, & saxis. 666.E.
Daniel martyr. 340.E.
Dapetia oppidum. 171.E.
Daphnus nius nominis duo pagi. 194.E.
Dardanisum pagus. 267.D.
Dasa pagus. 199.D.
Davus Regia inauguratio. 689.B.
Daulum pagus. 259.B.
Daunii populi. 771.E.
Decatus nummus aureus unde dictus. 82.D.
Decius Magus. 481.B.
Decollatura vallis. 185.C.

Digitized by Google

INDEX

Decuriæ vatiæ vide Curiæ.
Decuriones Coloniarum, & municipiorum. 835. D.
.... Patroni CC. VV. erant in Coloniis Primarii. 838. C.
.... Patroni Equites Romani. 854. F.
.... Quinquennalicii. 859. E. F.
.... II. Viralicii. 870. F.
.... Allecti inter Quinquennalicios. 867. E.
.... Ædilicii. 873. B.
.... Quæstoricii. 879. D.
.... Pedani. 885. C.
.... Prætextati. 889. D.
.... eorum electionis forma. 735. E.
.... quomodo creabantur. 836. A.
.... eorum ætatis leges variæ. ibid. B.
.... in Colonia, ut Senatores Romæ. 858. A.
.... eorum magistratus annuus. 866. B.
.... eorum annua potestas. 835. F.
.... eorum privilegia. 836. A.
.... olim liberti fieri non poterant. ibid. C.
.... quomodo post Justinianum fiebant. ibid.
.... assumpta virili Toga, inito magistratu, vel nuptiis celebratis Consodalibus invitatis singulis binos denarios dabant. 837. A.
.... eorum ornamenta, vestis, & Prætexta. ibid. C.
.... aliquam nobilitatem produxere. ibid. D.
.... eorum onus fuit eorum onor, & quale. ibid.
.... eorum onus transibat ad hæredes. ibid.
.... tres uncias ex asse bonorum Curiæ relinquere tenebantur. ibid.
.... esse desinebant, cum relegarentur, aut Consules fiebant. ibid.
Defensores qui vocati. 843. A.
.... Quinquennales. ibid.
Defunctus quomodo domo educitur. 35. C.
Delphines pisces. 458. F.
Delphinus, & equus in Tarentinis nummis. 442. F.
Delphinorum amor in homines. 443. C.
Demaratus Corinthus. 602. E.
Democides Crotoniata medicus celeberrimus. 295. F.
.... à Dario magnificè remuneratus. 296. A. B.
.... quomodo reditum in Patriam procuravit. ibid.
ex *Democratia* aliquid in Republica necessarium est. 334. E.
Democratia quinam principatus. 593. E.
.... illa qui usi sunt. ibid.
.... cui regimini opponitur. ibid.
.... Tarentinorum fuit laudabilis. 439. F.
Demosthenes Athenienfis orator Tarenti. 388. F.
Dentices pisces. 458. B.
Dester Megadon occidit. 483. B.
Deus, nec ut sit, neque ut benè sit, nullam aliunde opem requirit, per se perfectus est. 335. D. E.
.... de eo rectè sentire quid conducat Reipublicæ gubernationi. 334. C. D.
Diaconi, & Sacris initiati qua spe Templo serviunt. 81. F.
Diamas fluvius. 163. F.
Diameter Urbis antiquæ quantò major hodiernæ. 44. F.
Diana in Cœlo Luna, in Inferis Proserpina, in Terris Diana dicitur. 625. D.
.... venationis Præfecta. 676. A.
.... prægnantes, & parturientes juvat. ibid.
.... humanis placabatur victimis. ibid. B.
.... ejus veneratio à Cupersanensibus 676. E.
.... ejus Templum. 685 B.
.... eius Cervus Sacer. 676. E.
.... eius imago petentibus responsa dabat. 685. B.
.... eius simulacrum in sepulchro quodam Cupersani inventum. 675. C.
Dichus vates. 556. D.
Dicon Callibrati filius Philosophus, & in Olympicus victor. 156. E. F.
Dideus Lopez de Haro Carpiensium marchio. 699. E.
Digiti, vel dactyli. 453. D.
Diminitum pagus. 214. C.
Dimitrium Castellum. 191. C.
Dinamis pagus. 199. F.
Dinon.n Pythagoræ Socrus admodum docta. 298. C.
.... ejus dictum de officio mulierum. ibid. E.
Dio Tarentinus. 427. E.
Diognetus Crotoniata Athleta celebris. 300. C.
Diomedes quæ loca occupavit. 609. D.
.... Canusium condidit. 772. B.
.... disparuit in Insula. ibid.
.... torquem Dianæ consecravit. 675. E.
.... ei fides non servatur à Daurno Rege. 676. A.
.... eius Socii in Aves conversi. 772. B. C.
Dionysii Areopagitæ effigies sigillum Cotron. 304. C.
Dionysii Junioris candelabrum Prytaneo Tarentino dicatum. 464. C.
.... desiderium videndi Platonem. 423. F.
.... ejus interventio cum Platone. 424. D.
Dionysodorus Thurius Athleta celebris. 337. E.
Dioscoron Insula. 275. A.
Diploma Gregorii P. XIII. 573. C.
Divitiæ superfluæ plura, & superflua conquirendi desiderium sollicitant. 334. B.
.... Apulorum olim magnæ. 665. A.
Docana vide Emporium.
Domanicum vicus. 174. D.
.... oppidum. 183. E.
Dominica pagus. 170. E.
.... alius pagus. 195. A.
Domini Nardi familia nobilis Cupersanea. 702. B.
.... à quo huiusmodi cognomen accepit. 699. E.
Dominedius à Nolanis vocabatur Deus. 61. A.
Domitium pagus. 183. C.
Donatum oppidum. 166. D.
Donatus Aquaviva monasterium Sancti Benedicti erexit. 741. B.
Donatus Antonius Martuccius peregrinationis suæ libellum conscripsit. 687. B.
.... vir insigni sanctitate ornatus. 700., & seq.
.... Aquaviva de Aragonia, & Episcopus Cupersani. 749. E.
Donatus Divi Catáldi frater. 560. C.
Dondus (Joannes Antonius) citatus. 32. C.
Donnulus martyr. 346. D.
Dracones. 456. C.
Drapea pagus. 194. F.
Drogo Tancredi filius Apuliæ Comes. 707. A. 809. D.
Dragonus Episcopus Tarentinus. 565. F.
Drosium Castellum. 205. C.
Ducatus nomen aureo nummo unde derivatum. 723. E.
.... Amalphitanus olim penes diversos Nobiles Neapolitanos fuit. 930. A. & seq.
.... hodie ad Regem Hyspaniarum pertinet. 930. E.
Duces quinam antiquitus erant. 723. E.
.... Neritoni, & Atriæ magnatum titulis, ac prærogativis à Carolo effecti. 715. A.
.... Amalphitani unde eligi antiquitus solebant. 927. D.
Durantia familia Cupersanensis extincta. 702. B.
Duum-Viraticii Decuriones. 870. F.
Duum-Virutus maximus honor in Coloniis, & municipiis. 830. D.
Duum-Viri qui. 821. F.
.... Perduellionis, custodiendis libris Sybillinis, Sacrarum Ædium, Pontifices, & Flamines, Capitales, Navales. ibid., e 822.
.... Ærarii. 823. B.
.... Jure dicundo, & juris dicundi, eorumque munus, Libripendes, eorumq; munus. 825. C.
.... Coloniarum, & municipiorum. ibid. E.

cu-

Digitized by Google

.... eudendi nummos pollebant auctoritate. 829. A
.... designabantur ad talem dignitatem in Coloniis, ut Consules Romæ. ibid. B.
.... ex postulatione populi designati. 829. B.
.... nulli, nisi priùs inferioribus magistratibus probati. 831. D.
.... Quinquennales Coloniarum, & Municipiorum. 832. B. C.
.... Quinquennales iterum ex S.C. ibid.
.... Quinquennales tertiò. 833. F.
.... quo munere, & honore fungebantur. ibid.
.... erant Prætores, Judices, Consules. 835. B.
.... eorum auctoritas in dando tutore. 831. F.
.... honores in Coloniis recipiebant. 831. E.
.... Bacillis honorabantur. ibid.
.... Lanuvii Dictatores, Capuæ Prætores, Alexandriæ [illegible], Tusculi Consules, Cumis IIII-Viri, Alibi X-Viri nominabantur. ibid. C.
.... aliquando sumuntur pro Magistris municipiorum. ibid. B.

Dux Ferdinandus quis. 596. C.
.... quam urbem defendit, ac servat. ibid.
.... Neritonis quis, & quas thermas instaurare cogitat. 595. B.

Dyrrachium quænam Urbs, & ubi. 598. F.

E

Ebula familia nobilis. 702. D.
Ebur Apulum ad Thyrias nundinas delatum. 663. C.
Ecclesia S. Petri prima, quæ erigeretur Cupersani. 731. C.
.... Sanctæ Crucis, & ejus gentilitium Sacerdotium. 746. A.
Ecclesiæ ad Urbis mœnia olim fiebant. 731. D.
Ecclesiarum circuitio apud Cupersanates. 684. F.
Echo quid, ubi, & quare eveniat. 683. B.
Ecphantus Crotoniata Pythagoræ discipulus scripsit de Regno. 292. D.
Educatio puerorum qualis esse debeat ex mente Theano uxoris Pythagoræ. 387. F.
Egnatia Civitas. 771. C.
Ejanus fluvius. 342. A. B.
Elagabal M. Aurel. Ant. quando occisus. 788. A.
Electio Pontificis ut sit rata, quid requiratur. 913. C.
Electi Nolani quinam dicuntur. 184. C.
Elephantes ante adventum Pyrrhi in Italia non conspecti. 481. A.
Eliacon Philosophus clarus, & legumlator. 124. C.
Elisabetha de Aragonia Piccolominea Andreæ Matthæi Aquaviva Aragonii uxor. 718. D.
.... Filomarina Comitissa Cupersani. 722. C.
.... Aquaviva Aragonia Siciliæ Princeps. 720. F.
Elisarius Archiepiscopus Tarentinus. 567. F.
Elysii Calentii epistola de Taranto. 413. D.
Emporium Nolanum ubi extructum. 59. D.
Emporium quid sit. 814. C.
Emula amnis. 173. B.
Ennius Poeta Rhudius, an Tarentinus. 435. B.
.... Romæ mortuus & sepultus.
.... (Quintus) qualis Poeta. 594. D.
.... ubi natus, & ubi floruit. 594. D. 608. C.
.... illi multum debent latinæ litteræ. 608. D.
.... Scipionibus valde charus ibid.
Epaminondæ Præceptor. 434. C.
Ephesi sum natus, non sum in Apulis, non sum in Umbria, quomodo intelligatur. 694. A.
Epicureorum dogma. 487. F.
Epigramma jocosum de interitu Pythagoræ. 427. D.
Episcopi, & Clericorum proventus unde sumitur. 82. C
.... & Reguli sepultura. 86. C.
.... Amalphitano Archiepiscopo subjecti qui sint. 938. E. & 939. per tot.
Episcopus omnium Sacerdotum Dominus est. 82. B.
Episcopium Nolæ antiquo pavimento Templi Jovis superextructum. 23. C.
.... nunc est, quod antiquitus fuit templum Jovis. 43. F.
Episcopales Sedes 24. in Calabria. 151. E.
Episcopatis dignitas quam antiqua Cupersani. 742. A.
Episcopia familia nobilis Cupersanensis. 702. D.
Epistolarum inscriptiones variæ. 424. F.
Epithaphium in sepulchrum Jo. Borbonii. 711. D.
.... ad sepulchrum Julii Antonii Aquaviva Aragonii. 716. A. B.
Eplacus turmæ præfectus Pyrrhum conatur occidere. 482. E.
Epodus quid. 685. F.
Eques Romanus natus. 855. F.
Equester census ibid. C.
Equestris ordinis origo. ibid.
Equites, seù Equester ordo duplex. ibid.
.... Romani. 855. C.
.... equo publico donati. 855. C.
.... Coloniarum, & Municipiorum Patroni, & Decuriones. 857. C.
.... quomodo armati. 110. A.
Equitis annulus aureus. 856. E.
.... eorum habitus. 857. A.
Equi, & Delphini in nummis Tarentinis. 442. F.
.... Apuli præstantissimi, agiles, & longævi. 663. C.
Equotuticum idest Fogia. 695. B.
Eradoctius historicus. 337. E.
Eratosthenes qualis scriptor. 607. E.
Eremitæ octo Calabri celebres. 152. A. B.
Error Lactantii, qui. 621. C.
Erycem urbem munitam Pyrrhus expugnat. 491. E.
Etrusci adversus Romanos. 143. E. F.
.... eorum pœna. 144. A.
.... quales ibid. F.
Eucadius Rex Tarentinorum. 416. D.
.... Venator. 554. E.
.... Regulus Tarentinus à Marco baptizatur. 555. C.
Eucbus pater Divi Cataldi. 556. C.
Eufragia Mastia Monialis S. Benedicti virtute ornata. 741. E.
Eugenia Neracia Monialis meritis clara. ibid.
Eumeni Tarentini Cytharedi vanitas. 431. C.
Euphemia oppidum. 187. F.
.... pagus. 206. D.
Euripi descriptio. 209. F.
.... pisces laudatissimi. 210. A.
Euripus Calabriæ tractus. 124. D.
Euritus vir doctus, & Cytharedus eximius. 249. E.
Eusebius Nicrebergius nominatus. 726. F.
Euthydemus Thurius Athleta celebris. 37. E. F.
Euthymus Athleta fortissimus. 249. F.
Evangelus Tarentinus Comicus Poeta. 431. D.
Exquilinam ad portam olim sepulchrum. 668. E.

F

Fabalium oppidum. 345. A.
Fabia domus a fabis. 682. E.
Fabius cum tota Fabiorum familia Herculeus dictus. 516. A.
.... Maximus Tarentum recuperat. 512. B.
.... Metapontinorum insidias detegit. 514. B.
.... quo stratagemmate Tarentum recuperat. 512. D.
Fabii Labeonis judicium vafrum de terminis Agrorum Neapolitanorum, & Nolanorum. 26. F.
Fabricii constantia, & responsum ad visum Elephantem. 487. F.

Digitized by Google

.... mendicitas. 593.E.
Fabula Brocolarum apud quos. 620.F.
.... de anima Hermotimi. 621.A.
.... mulierum Maleficarum, Strigum, & Lamiarum. 620.D.
.... de sepulchro incantato. ibid.F.
Fabulæ introductio quid intendat. 292.A.
Fabularum auctores Sybaritæ. 324.D.
Fagianum Castellum. 170.E.
.... vicus. 174.D.
Falcunaria vicus. 183.F.
Familiæ in Tribu Vincanciana. 94.B.
.... in Tribu Cortefellana. 91.E.
.... in Tribu Cortellana. 89.E.
.... in Tribu Samuelitana. 90.B.
.... Cupersanenses. 702.B. & seq.
Familiæ Sanseverinorum, quam Urbem illustravit. 622.F.
.... Aquaviva ex Austriacis, & Bavaricis Ducibus descendit. 722.F.
Fasti Consulares. 815.A.
Favetonum pagus. 193.F. & seq.
Febris antidotus Pythagoreus. 287.C.D.
Felicitas sine virtute non consistit, & felicitatem capere possunt, qui rationem habent. 335. C.D.
Felicis (Sancti) Basilica. 23.D.
Feliciana Marraffa Monialis S. Benedicti monasterii. 741.F.
Fellinum oppidum. 559.C.
Fellichiarum familia. 96.D.
Felum pagus. 173.C.
.... pagus alter. 201.D.
Ferdinandus primus Rex Calabriæ. 535.F.
Ferdinandi bellum cum Turcis. 538.F.
.... filii, & filiæ. ibid.
.... privilegium Tarentinis datum. 537.D.
Ferdinandus Alphonso in Regnum Neapolitanum substituitur. 536.F.
.... Catholicus mortuus anno MDXVI. relicto Carolo. 551.D.
.... Catholicus anno MDIII. regnum acquisivit Neapolitanum. 550.E.
.... Catholicus varia Tarentinis concessit privilegia. ibid.
Ferrariorum familia. 89.A.
.... Cupersani extincta. 702.B.
Feroletum castellum. 138.E.
.... pagus. 200.E.
Ferretum vicus. 183.A.
Filinum pagus, ibid.
Finetum flumen. 171.E.
Fiscaldum castellum. ibid.B.
Fistina unde dicta, & quid est. 117.D.
Fiternus fluvius. 771.D.
Flavius Gioja Amalphitanus nauticæ Pixidis auctor. 921.B.
Florense Monasterium. 181.B.
Florentinorum familia. 97.C.
Florum pagus. 119.E.
Flumica fluvius. 308 D.
Fogia Urbs nobilis. 695.B.
Folonum Ariantha oppidum. 167.E.
Fontanarum rosarum familia. 97.B.
Fons aquæ saluberrimæ ubi. 626.B.
.... omni tempore fluens ibid.
.... aquæ calidæ ubi. 596.E.
Fontes Japygiæ quales. 89.F.
.... in Calabria quales. 345.C.
Fora varia Nolana, & quid in eis tractetur. 79.F.
Fortia familia Cupersanensis nobilissima. 695.D.
.... ad insignia Melitensis Religionis admissa. ibid.F.
Fortuna inconstans, & lubrica. 585.E.
Forum quid. 814.A.B.
Fossatum pagus. 265.D.
Fossa alta in via, quæ in Lauriturn fert. 24.D.
.... altera sub Turre rotunda excurrens. ibid.E.
.... subterranea per veterem Urbem Nolam ducta. ibid.E.
Fragmenta fabricarum antiquarum ubi Nolæ inveniuntur. 24.E.
Francavilla oppidum. 189.C.
Francica oppidum. 198.E.
.... fons Hieracii. 252.E.
Franciſci Paulitani laudes. 171.F.
.... Cœnobium. 735.F.
.... Assisinatis Cœnobium. 738.E.
.... Heremitæ laudes. 179.D.
Franciſcus Primus Galliæ Rex Turcas accersivit in Calabriam. 213.E.
.... Simoneta Jurisconsultus. 366.C.
.... Majoranus Franciſci Paulitani Socius. 183.F.
.... Acquaviva. 728.F.
.... De Baucio Andriæ Dux è Regno ejectus. ibid.A.
.... De Petris historicus, & jurisconsultus celeberrimus. 723.C.D.
.... Ursinus Gravinensium Dux, & Comes Cupersani. 711.F.
.... Neritinus ubi literas didicit. 622.F.
Franciſcani observantes se solis mendicatis alunt. 82.F.
Frater Franciſcus Gonzaga Episcopus Tarentinus. 562.B.
Fraxanetum oppidum. 742.A.
Fredericus Neapolitanorum Rex Gallos Regno expellit. 544.B.
.... post obitum Matris Constantiæ Ecclesiam turbat. 526.A.
.... cujus fuerit filius. 611.F.
.... Apuliæ semper favit. ibid.
.... Lupias Urbem infesto animo prosequitur. ibid.
.... Brundusium munit, & amplificat. 612.A.
.... quam arcem construxit. 603.G.
.... Barbarossa Imperator quo tempore regnavit.
Friciarum familia. 90.F.
Frigoris, caloriſque nimii proverbium. 691.D.
Frugalitas genetrix virtutum. 285.F. & seq.
Fruges Appulæ cæteris præstantiores. 662.B.
Frumentaria molæ struendæ. 411.E.
Frumentum Tarentinum. 452.A.
Frumenta in Calabria passim, atque affatim proveniunt. 345.D.
Fulciorum familia. 89.E.
Fulmina ubi frequentia. 591.B.
Fur deprehenditur a canibus odoratu. 688.C.
Furem quomodo cognoscunt Galli, & Scoti. ibid.

G

Gabellæ quibus rebus impositæ. 107.C.
Gabriel Ursinus Venusiæ Dux. 712.C.
Gallinæ quales aves, & ubi. 590.F. 596.C.
.... quomodo bruchos destruunt. 590.F.
.... lege cautum ne quis illarum ova, aut pullos violaret. ibid.
.... cui Regioni salutares. 596.C.
.... quam Regionem deserunt. 591.A.
Galatana quænam Urbs, & ubi. 615.C.
.... quomodo aliàs nuncupata. ibid.
.... unde ortum ducit. ibid.D.
.... sub cujus dominatione. ibid.E.
.... quid amplectabatur. ibid.F.
.... quam urbem superat, ac solo æquat. 616. A.
.... illius aer, & ager quales. ibid.F.
.... illius crocus qualis, & ubi provenit. 617.A.
.... illius caseus, ac mel qualia. ibid.E.
.... in cujus potestatem venit. 618.A.

Digitized by Google

.... Turcarum furores, & incursiones multis ibid.F.
Galatanenſium origo.ibid.
Galathei verba de ſinu Tarentino.405.B.
Galatonum pagus.205.F.
Galatum vicus.259.B.C.
Galenus Medicus parens.599.A.
.... quid de Græcia aſſerit.588.F.
.... quid de Roma.626.C.
Galeſus fluvius dulcis.396.F.
.... phalantinus.397.A.
.... niger. ibid.
.... Theramneus.ibid.F.
.... Lacedemonius.398.A.
.... Gurgetus.407.D.
.... Galeus. ibid.
.... unde ſic dictus.ibid.
Galitium flumen.253.F.
Galli, & Aragonii Tarentinos ad deditionem ſollicitant.547.C.
Galli Regnum Neapolitanum invadunt.596.A.
.... à quo variis cladibus afflicti ibid.C.
.... cui Regno dominantur.604.A.
.... à quibus victi.ibid.B.
.... Senones in Iapygia habitarunt.597.B.625.B.
Gallorum, & Hyſpanorum conſpiratio in Regem Fridericum.546.D.
Gallicum amnis.212.C.
.... pagus.231.B.
*Galluccio*rum familia.91.F.
Galterus de Brehna Comes Cuperſani moritur in carcere.709.F.
Gama fluvius.165.A.
Garganus Mons.771.D.587.F.602.F.609.D.
Gaſparina pagus.264.F.
Gaſparium pagus. 191.A.
Gaſula oppidum à Nolanis ædificatum.52. D
.... unde dicta.51.F.
Gecala colles ameniſſimi, & præter vinum, variorum fructuum feraces.ibid.C.
.... collis meridianus marmoreus eſt, ibid.B.
Gecalani colles in Agro Nolano ſiti. 50.F.
Gemilianum oppidum.265.A.
Gemmeticenſe Monaſterium quare ſic diceretur.741.D.
Gentilium religio in circuitu.684.E.
Gentilitium ſacerdotium Familiæ de Tarſia in Eccleſia S.Crucis antiquiſſimum.697.A.
Geolia oppidum.201.D.
Geolienſis ſinus. 195.B.
Geoloſia oppidum.253.F.
Georgia pagus.206.C.
Georgetum pagus. 261.B.
Georgius D.Franciſci Aſſiſinatis Monachus.223.D.
.... Svillus Gallis præpoſitus tentatur muneribus. 543.C.
Gerardus Abbas Cœnobita Floriacenſis.181.C.
.... quidam Gallus, vel potius Scalenſis ex oppido Ducatus Amalphitani fuit Noſocomii, ſeu Hoſpitalis ſub patrocinio S. Joannis Baptiſtæ in Amalphi Auctor, & Rector.912.A.B.C.
Gevarra cum Conſalvo de traditione Tarenti tranſigit.548.D.
Gibellum oppidum.167.F.
Gieſtra dicitur equitum conflictus.111.D.
Giriſalcum caſtellum.265.E.
Giſulphus Salerni Princeps, ejuſque hiſtoria. 914.A., & ſeq.
Glandiferæ arbores paſſim in Calabria. 346.A.
Glaucius Crotoniata Olympionicus celebris 300. B.
.... ſive Glaucia philoſophus, & muſicus.227.A.
Gloriam alienam occupari vani, & dementis eſt.196.A
Gobius. 455.A.
Gonſal quam urbem occupat, & illius crudelitas. 596.B.
Goſippia in Calabria paſſim.345.D.
Gothi quando Italiam tenuerunt.623.D.
Gothorum hiſtoriam qui ſcripſerunt.617.C.
Græci quid de Iapygia cenſent.589.B.
.... quales æſtimati à Cicerone.590.A.
.... quot politiarum genera ſtatuunt.593.D.
.... quomodo Lupias appellant.603.E
.... eorum inſulæ à quibus ſubactæ.605.D.
.... ipſorum lingua, at literæ à quo aſſumptæ ibid. & 616 B.C.
.... eorum primi leges.588.F.
.... Agnellus in Italiam acceſſus anno 970. 972.E.
.... cum Mauris anno.1176. Calabriam depopulârunt.152.F.
.... à Tancredi filio, vel Nepote omnes ejecti. ibid.
Græcia à quibus æſtimatur temperatiſſima.616.C.
.... quando inventæ artes, atque ſcientias.609.E.
.... quibus ſervit, & quomodo.616.C.
.... quam regionem [illegible] ibid.
.... quodnam politiæ [illegible] illum perdidit.634.B.
.... magna pedi aſſimilata.[illegible].E.
Græcorum Coloniæ in Calabriam deductæ. 133.F.
Grando ubi frequenter cadit.591.A.
Gratianorum familia. 91.D.
Gratianus Roſta patrius.109.F.
Graveri viri varia lectantur.
Gravinarum familia.97.E.
Gregorius Archiepiſcopus Tarentinus.562.A.
.... Pontifex confirmat conceſſionem Monaſterii, & privilegiorum S. Benedicti Dametæ Falegnologæ.735.B.
Gregorium pagus. 193.D.
Grimaldi Principes fuere domini Canuſii.820.F.
Griphorum familia.91.F.97.B.
Grondus fluvius.166.D.
Grumentum oppidum.342.F.
Guadalquivir nomen fluminis in Hyſpania olim Bethii. 681.E.
.... flumen magnum interpretatur. ibid.
Gualterius Brehena à quo Comes declaratus. 712.A.
.... à quibus adiutus ibid.
.... quas regiones ſuæ ditioni adiecit.ibid.B.
.... Dux Athenar. factus. ibid.
.... Florentiæ dominatur, & ex illa ejectus. ibid.
.... in Græciam frequenter traiecit. ibid.
.... Roccam uberculam condit. ibid.B.
.... hanc lupienſium emporium facit. ibid.
.... in inſidias Turcar. incidit, atque cæſus eſt. 616.C.
.... illius Caput à qua redemptum, & ubi poſitum. ibid.
.... eius Teſtamentum ab Auctore lectum.ibid.
Gulielmus Sirletus Cardinalis.555.F.
Gundiſalvus Fernandez de Cordua Neapolit. Prorex. 717.C.
Gyraldus 1. 2. 3. Archiepiſcopi Tarentini. 663, 666.C.

H.

H *Adrianus* Imperator fuit II.Vir.830.D.
.... Aquaviva Comes Cuperſani. 668. A.
Halex fluvius.230.D.
Hegeſippus Tarentinus.432.D.
Helia pagus.264.F.
Helena Luxemburgia.711.B.
Helius (B) Divi Baſilii Monachus.200.F.
Hemitheon Sybarita Poeta.324.D.
Henricus cuius filius, & pater, & eius uxor. 611.F.
.... à quo, & quando Regno pulſi. ibid.
.... quando Regnum rurſus obtinuerunt. ibid.

Digitized by Google

.... fœdus init cum Turcis.153.F.
.... Turcas accersivit in Calabriam.ibid.
Heracleis mulier Tarentina.463.E.
Heraclea urbs ubi.586.D.
.... quid experta est.603.D.
Heraclides Musicus.ubi natus.593.D.
.... Tarentinus ab Athæneo Proclides appellatur. 453.D.
.... literas aliquas interpretatus.387.E.
Heraclitus Tarentinus librum scripsit.[illegible]C.
Heracleopolis nunc Amigdalaria oppidum.[illegible].E.
Herbæ Tarentinæ.452.D.
Hercules Tarentinos bello domuit.397.D.
.... eius statua.443.F.554.C.
.... lusus.420.F.
.... eius Simulacrum Tarento asportatum.513.F.
Herculis portus.195.A.
.... Insula cur Scombraria.[illegible].E.
Herinum oppidum.171.C.
Herodotus Thuriis historias scripsit.330.B.
Hesperia dicta Calabria.125.C.
.... unde ita dicta ibid.
Hetriculum oppidum.171.B.
Hiasiorum familia.97.F.
Hieracium Civitas Episcopalis.152.E.
.... sic locus ab Hierace sive Aquila dicta.252.C.
Hierardorum familia.94.E.
Hierordiorum familia.97.F.
Hierosolyma in quo climate.588.B.
.... à Christianis frequentata.687.A.
Hieronymus Faba Presbyter ingeniosis.211.F.,& seq.
.... I. Archiep. Tarentinus.570.A.
.... II. Archiepiep. 571.B.
Hilarius Cupersani Episcopus.743.E.
.... Romano Synodo interfuit.667.D.
Hipparchus qualis scriptor.592.B.
.... Philosophus clarus, & legumlator.224.C.
.... eius sapientia.ibid.
Hippias, seù Hippis Philos., & historicus. 236.D.
Hippocrates quid pronunciat de Europæ,& Asiæ Gentibus.590.A.
.... illius patria, & qualis.588.F.
.... ejus breviloquium.605.D.
.... illius libellus de Regionibus.588.D.
.... unde temperies,ac intemperies regionum agnosci dicit. 627.D.
Hippodamius Thurinus Philosophus celebris. 332.B.
.... Rempublicam divisit in tres ordines. ibid.C.
Hipponium oppidum dictum Vibo, & Valentia. 191.C.
Hipponiates Sinus.586.A. 616.E.
Hipporum pagus 201.D.
Hirundinis Cor palpitans deglutitum conducit memoriæ. 418.B.
Hirpini montes.771.E.
Hispani quam urbem capiunt.604.F.
.... inter illos, & Gallos bellum.ibid.
Horti Tarentini.452.D.
Hospitale Amalphitanum à quo conditum.912.A.
Hycla Civitas.168.C.
Hydruntum Urbs quæ, & ubi.597.A.B.
.... quibus aliis nominibus insignita. ibid.F.
.... à qua regione videtur abscissa.598.A.
.... eius portus qualis.ibid. C.
.... à quo, & quando capta.595. D.599.B.
.... illius Cives ferè omnes trucidati.599.F.
.... à quo, & quando recuperata.600.D.
.... quis illam illustravit.624.F.
.... quid de illa scripsit Guido.600.F.
.... non procul ab ea lacus qualis ibid.
.... illius Civium laus.595.E.F.
.... divisit Jonium,& Adriaticum mare. 258.A.
.... à quibus conditum.391.D.
.... à Turcis captum, & ab Alphonso II. reparatum.538.F.& seq.
Hylas alyptes Agesidami.252.B.
Hylias nunc Triontum fluvius.309.C.
Hyppotion Tarentinus Statuarius.432.F.
Hyria à Cretensibus condita.468.E.
.... quanto apparatu cum Tarentinis, & Rhegini bellum gessit ibid.F.
.... totius Japygiæ imperium consequuta est. ibid.

I.

Jacobum pagus.170.E.
Jacoba lutzemburgia.711. B.
Jacobus Simoneta Cardinalis.306.C.
.... Caldora Joannæ Reginæ Dux. 604.F.
.... Comes Cupersani.713.F.
.... quam Urbem capit, ac diripuit. 604.F.
.... contra quem missus cum ingenti exercitu.612.E.
.... Japygiam populatur.618.A.
.... ejus mors.ibid.B.
.... Antonius Carozza Episcopus Cupersan. 750.A.
.... de Tarsia Eques Rhodius.696.F.
.... Delecampius Apulos injustè carpit.693.D.
.... (B) Dalmata virtutibus floruit,ac in estasim rapiebatur.719.A.B.
.... ejus lacrymæ in ollam fabarum cadentes. ibid.
.... Tarentinus Princeps.630.F.
.... Pandolphum Alopum interfecit.533.A.
.... Reginam Uxorem suam à Gallis custodiri jubet.ibid.B.
.... Regnum Consilio, & armis Gallorum administrat.ibid.
.... Sfortiam in Arcem Beneventanam conjicit.532.F.
.... Tarentum profugit.533.E.
.... ejus epitaphium 531.A.
.... Rex salutatur.533.A.
.... moritur Tarenti,& ibi conditur.530.F.
Jacersum pagus.188.F.
Janus pro Noe Cupersano nomen dedit.678.E.
Jani Parrhasii laudes.177.F.
Januariorum familia.93.E.
Japyges Populi antiqui.771.C.,& 609.D.
.... à quo subacti. ibid.
.... quando clari extitere.623.C.
.... quibus literis usi, ignoratur.ibid.
.... unde pulsi, & à quo.592.D.
.... victoria potiuntur, & Urbe Rheginor. 469.D.
.... luxoriosi more muliebri comebantur. 676. D.
Japygia pars quota Calabriæ.126.C.D.
.... Sinus Thurinus.270.C.
.... Peninsula qualis olim fuerit.589.B.
.... quis ei nomen dedit.598.E.
.... illius varia nomina.589.B.C.
.... illius ambitus.586.A.E.
.... ejus Urbes præcipuæ.585.D.624.A.B.
.... quæ disciplinæ, & mores ibi viguerunt.585. D. E.
.... quæ animalia noxia gignit.590.D.
.... in cuius potestatem pervenit.618.B.
.... Chersonesus est.589.B.
.... Cretensium Colonia 589.D. 609.E.
.... cui signo Cœlesti subiiciatur.687.C.
.... Italiæ similis.586.E.
.... illius terminus.586.E.598.D.E.
.... à quo vastata. 618.A.623.D.
.... quid de illa cæcinit Horatius.689.A.
.... quid de ea scripsit Strabo.ibid.C.
Japygium Promontorium ubi.586.D.593.C.275.A.
.... quomodo aliàs dictum.586.D.
.... quodnam templum ibi est.596.D.

Digitized by Google

Japyx cujus filius.598.E.
.... cui regioni nomen dedit. ibid.
Jaharra olim oppidum.744.A.
Jatrinonum pagus.205.F.
Iberus amnis ex Ibero Jubalis filio sic appellatur. 682.B.
Ibyci grues. 228.A.
Ibycus Rheginus ingenio Romanis contra Gallos magno adjumento fuit.144.D.
.... Poeta, Historicus, & musicus.227.B.
Icarus Tarentinus Athleta unde ortus.593.D.
.... Venere abstinuit. 430.A.
.... Tarentinus medicus celeberrimus.ibid.
Idomeneus quid magis noverat.609.C.
.... quos Campos milite obsedit.X.1160.D.
.... quos Populos subegit. 609.D.
.... quam linguam, & quas literas invenit. ibid.
Idola in sepulchro reperta Cupersani.671.A.
Idus semper infaustæ Italiæ.599.E.
Imagines in speculis concavis quomodo videntur. 622.B.
Imbrices quando capiuntur. 453.E.
Imberlinia familia Cupersanensis extincta. 702.B.
Inevitabilia omnia, esse Philolai sententia fuit. 290.B.
.... item Ecphanti.292.B.
Infantes recenter nati humi deponuntur.690.F.
Infantiorum familia.97. C.
Insulæ albæ quorum insigne.671.E.
Innocentius II. ad Pisanos confugit.912.D.
.... opera divi Bernardi Abbatis Clarovallensis adjutus.953.A.
.... Pisis in Galliam proficiscitur.ibid.C.
.... in itinere inducias peregit inter Pisanos,& Genuenses. ibid.D.
.... Concilium celebrat in Claromonte contra Rogerium, & Anacletum.955.A.
.... à Rege Angliæ non recipitur. ibid.G.
.... in Germaniam profectus, fœdus init cum Lothario Imperatore.955.& 956.per tot.
.... ejus perfidia adversus Rainulfum suum affinem.958.D.E.
.... superatus à Rainulpho Salernum confugit, & inde in Siciliam.959.B.
.... ab eo Lotharius in Basilica Lateranensi imperiali diademate coronatur.962.A.
.... revertitur Pisas.ibid.C.
.... prō Neapolitanis obsessis Lotharium obsecrat. 974. D.
.... ejusdem cum Lothario de creando Duce Calabriæ contentio.980.C.
.... Divi Bernardi opera ab omnibus Pontifex agnoscitur.982.E.983.A.
Insulana Virginis inventio.732.C.
Insulæ Diomedeæ.772.B.
.... duæ prope Tarentum. 412.E.
De *Invidia* Hippiæ sapiens dictum.226.F.
Joachimus Abbas monasterii apud Thebas. 319.A.
Joanna Ladislao in Regnum Apuliæ succedit.532.C.
.... Neptis Roberti virum suum Andream laqueo suspendi jubet.529.C.
.... nubit Jacobo Borbonio.532.D.
.... Regno viva spoliata,& palvillo ori adjecto necata.530.E.
.... tertio, & quarto viro nubit. ibid.B.
.... altera Regina vide.601.C.D.612.E.618.A.B.
.... Andegavensis.612.F.
.... Antonius Princeps Tarenti cujus filius. 609.F.
.... quam Urbem fidelem vocabat. 601.D.
.... cujus portus ostium obstruxit, & cur. 603.A.
.... quorum partes secutus est. 612. D.
.... quæ regio in ejus potestatem pervenit.618.A.
.... illius mors.612.F.
.... Castriota unde ortus.596.C.615.E.
.... qualis vir, & Dux.ibid.F.
.... quam Urbem defendit,ac servat.596.B.
.... quibus oppidis dominatur.615.F.
Joannes XVI., vel XVII. Pontifex Rom. Calaber homo.150.C.
.... Abbas Coratiensis.181.C.
.... Antonius Cæsarius literis eruditus.179.C.
.... Baptista Carafa ob scelera patrata Neapoli obtruncatus.257.A.
.... Chrisostomus Archiepiscopus Dyrrachinus spectatæ vitæ vir impensè eruditus.205.E.
.... Crassus literis eruditus.182.F.
.... Jacobus Parisius Philosophus.266.C.D.
.... Parrhasius in literis eruditus.177.F.
.... Paulus Cæsarius literis eruditus.179.C.
.... Simoneta vir magni ingenii.306.C.
.... Abbas B.Nili coevus.305 A.
.... Antonius Pandosius Episcopus.178.F.
.... Baptista Amicius.179.A.
.... Lutzemburgius Lignii Comes.710.C.
.... Agutus miles strenuus.712.B.
.... Episcopus Cupersani.745.B.
.... Borbonius Cupersani Comes.711.C.
.... Cistercienses Abbas de Delphino.739.A.
.... de Tarsia Jacobi filius.696.F.
.... Antonius Ursinus Cupersani Comes.713.F.
.... Antonius Aquaviva Aragonius.720.D.
.... Vincentius Aquaviva S.R.E. Cardinalis.724.E.
.... Bernardinus Aquaviva Aragonius contra Gallos pugnat.717.F.
.... Antonius de Tarsia.698.C.
.... Franciscus Aquaviva Aragonius. 728.F.
.... Antonius de Baucio Tarenti Princeps.712.C.
.... Ciaconius Pontius Castellæ Consilii Senator. 722.B.
.... Hieronymus Aquaviva Aragonius.720.D.
.... alter Julii filius Cupersani Comes. ibid.
.... ejus laudes, merita, & mota persecutio ibid.E.
.... alter hodiernus Comes, & ejus merita, & servitia erga Philippum IV. Regem.727.E.F.
.... Antonius Tarentinus Episcopus Nolanus. 438.E.
.... Ursinus Princeps Tarentinorum.533.F.
.... Gevarra Comes Potentianus.547.A.
.... Perellus. 438.C.
.... Pontanus.536.E.
Joannum pagus.194.E.
.... pagus adhuc alius.273.F.
Joanum pagus, & fluvius.253.E.
.... pagus alius.267.D.
Jonadum pagus.198.D.
Jonium Mare.598.E.F.599.A.609.B.
.... quousq. dicatur.258.A.
Jopolis Castellum. 195.D.
Jordanorum familia.90.C.
Josephorum familia. 97.C.
Joseph Pellicerius Regius Chronographus.728.B.
Josias Aquaviva contra Franciscum Sfortiam prælia-tur.728.C.
.... à Januensibus captus, & divexatus.ibid.D.
Jovinum flumen.179.D.
Jovis Simulacrum Cupressinum.679.C.
Jovi mactatur agnus albus.113.B.
Ipoletum fluvius.188.D.
Isabella Alphonsi filia.540.B.
.... Ferdinandi primi uxor.536.D.
.... cujus neptis.612.F.
.... quò se recepit.604.A.
Isaurus fluvius. 167.C.
.... ubi cum Sybari se miscet. 320. C.
Isca pagus. 258.F.
Iscomachus Crotoniata Athleta celebris.301.A.
Ispica fluvius. 182.F.
Ismus quis. 150.D.

Digitized by Google

Ysula Civitas Episcopalis. 274.C.
Italia variis nominibus dicta. 391.B.
.... primùm sola Calabria dicta. 126 F.
.... magna Græcia. 535.A.B.
.... à quibus primò habitata. 390.C.
.... ab Italo Rege nuncupata. 536.B.
.... à quibus montibus divisa. 616.D.
.... ejus limites. 535.A.
.... Umbelicus Græciæ dictus. ibid.C.
.... illius olim nobilissimæ Urbes. ibid. D.
.... quando, & quomodo periisse dicatur. 616.C.
.... alienigenis sponte servit. ibid.
.... illius antiqui Populi. 536.B.
.... eius incolæ hodierni quales. 539.F.
.... ejus descriptio brevis. 536.A.B.
.... illius peninsulæ quæ, & quales. 535. B. 536. A. B.
.... à variis Nationibus Barbaris occupata. 946. B. & seq.
.... ejus figura. 403.B.
Italica Philosophia à quo fluxit. 535.E. 283.B.
Italianus (Joannes) unde & cuius familiaris, ejus laudes, & mors. 627.A. & seq.
Ithacusæ Insulæ. 193.E.
Judæi fœnore evasere ditissimi. 99.C.
.... omnes à Gallis sunt spoliati. ibid.E.
.... aliquando Nolam incoluerunt. 99.A.
.... cogebantur in Liberi honorem circuire. 685.A.
Judicensium familia. 95.A.
Jugosum Promontorium. 183.
Julii Solini verba de Sinu Tarentino. 404.A.
Julius Antonius Aquaviva Aragonius Dux Atriæ, & Cupersani Comes. 713.F. 714.A.
.... contra Turcas præliatur, & alia multa dignè operatur. ibid.D.
.... in Regiam Aragonum familiam à Rege Ferdinando allectus. ibid.E.
.... ejus mors, & quantùm Regi displicuerit. 716.D.
.... alter Aquaviva Aragonius Cupersani Comes. 720.F.
.... in Regno Neapolitano status à Consiliis. ibid.
.... Aquaviva Aragonius S.R.E. Cardinalis. ibid.B.
.... Aquaviva Aragonius Hyspaniarum Regis Cortinarius. 722.D.
.... Tarentinus Juris Consultus. 435.F. 535.B.
Julia nova à Julio Aquaviva condita. 682.A.
Julianus Stylita triticum multiplicat. 747.E.
Juno moneta. 485.E.
.... à Cupersanensibus cur coleretur. 673.E.
Junonis Laciniæ templum. 274.C.D.
.... à Q. Fulvio Flacco violatum. 275.F.
.... ejus celebritas. 276.A.
Jus Quiritum quid. 781.E.
.... Latii, sive Latium quid. ibid.
.... Sufragiorum. 782.A.
.... Magistratuum Romæ petendorum. ibid.
.... Caldariæ in Castris tribuebatur Comitibus. 705.D.
.... vexilli in bello tribuebatur Comitibus. ibid.

L.

Labronum familia. 96. D.
Lac Caprarum Oræ Vesuvianæ salubre. 31.A.
Lacanetum fluvius. 308.E.
Lacania Castellum. 188.F.
Lacedæmon qualis. 603.E.
Lacedæmonii cur urbem suam muris claudi non passi sunt. 605.B.
.... jure non scripto utebantur. ibid.
.... ab uxoribus admoniti. 392.E.
.... eorum mores. ibid.D.
.... per decem annos Messenen obsedunt. 393.B.
.... qui Populi. 392.C.
Lacedæmoniarum Matronarum ritus circa filios in bello occisos. ibid.D.
Lacinium sinistrum cornu Calabriæ. 124.D.
.... Promontorium. 274.C.
Laconismus à quibus sic dicitur. 392.E.
Lachrymatoria cum cineribus in urna. 668.C.
Lachrymæ Amicorum cum cineribus defuncti condebantur. ibid. & 677.A.
Lactantius plus elocutioni, quam eruditioni studuit. 621.C.
Lactarenuli. 455.E.
Lacum Castellum. 184.C.
Lacus piscosus ubi, & quomodo adhuc nominatur. 600. F.
.... illius ambitus, & divisio. 601.A.
Ladislaus Rex. 607.B.
.... ejus gesta, & privilegia. 531.F.
.... in ipso actu venereo occubuit. 532.B.
.... Mariam Principem Tarentinam ducit uxorem. ibid.
Lælius Brancatius Archiepiscopus Tarentinorum. 409.E.
.... Vallem Fornesum suo ære claudendam curavit. ibid.
Lagaria Civitas. 342.C.
Laginus quotannis excavatur à Paganis. 25.F.
Lagnus, vel Laginus quid Nolanis significat. ibid.
Lametia oppidum. 187.F.
Lametum flumen. ibid.
.... Vicus. 188.D.
Lameticus Sinus. 536.A.
Lamiæ quæ. 620.D.
Lampetra. 454.F.
Lampetia oppidum. 170.F.
.... ibi navale est. ibid.
Lamponis Equi præstantia. 663.D.
Lampetes Promontorium. 168.D.
Lampeticus sinus. 170.F.
Lanæ Tarentinæ. 499.A.
.... Apulæ laudatissima. 662.D. 674.F.
Landorum familia. 90.F.
Lapanum pagus. 179.D.
Lapathonum pagus. 195.D.
Lapides varii Tarenti inventi. 587.C.F.
Lapidis Lupiensis natura. 611.D.
Lataracum oppidum. 171.B.
.... Vicus. 174.D.
Latinus de Ursinis Archiepiscopus. 569.B.
Laura Civitas. 185.A.
Laura Terracina literis floruit. 725.D.
Laurentia amnis. 309.A.
Laurentum oppidum. 230.C.
.... Castrum. 320.C.
.... flumen. 310.B.
Laurete Urbs à Laura Lacinii filia dicta. 277.D.
Lauriana pagus. 200.D.
Laurus sola nomen ominibus facit. 682.D.
Lauriniana via etiam supereſt. 23.A.
Laurinium oppidum in agro Nolano. 10.C.
Laus amnis Calabriæ. 124.D.
.... fluvius. 162.F.
.... oppidum. 163.A.
Legati antiquitùs Comites. 703.C.
Legatorum Romanorum Constantia. 647.B.
Leges scriptæ ubi contentæ. 605.C.
.... non delectationis, sed Reipublicæ causa ferendæ. 243.D.
Legislatorum officium. 334.A.
.... bonitas. 341.A.
Leo Junior P. Rom. ex Rhegina Regione oriundus. 223.F.
.... IX. Pont. Rom. dedit Normannis omnia, quæ in Italia suo tempore obtinebant. 309.F.

Digitized by Google

.... II. R. Pont. Calaber. 150. C.
.... Martyr. 340. D.
Leo nomen Urbis in Ægypto. 680. C.
Leonii Urbis vestigia. 304. E.
Leonum pagus. 205. E.
.... familia. 98. A.
Leonysmus Crotoniata exercitus Dux ad Sagram, 303. F.
Leones Scythiæ. 592. A.
Leos amnis. 308. F.
Leonardus Alesius. 547. B.
Leonatus, 482. D.
Leonidæ Tarentini Epigrammata græca. 436. C.
Lesa fluvius. 306. D.
Lesbii imperium maris tenuere. 31. E.
Lesbizire quid significat, ibid.
Levana Dea quæ. 690. F.
Leuca quænam Urbecula. 596. D.
Leucopetra Urbs, & ubi. 586. E. 598. F.
.... dexterum cornu Calabriæ. 124. D.
.... Portus, & Græcum oppidum. 229. E.
.... Promontorium, ibid. F.
Leudus fluvius. 173. A.
Levidonia oppidum. 343. D.
Leum pagus. 194. A.
Lentarnia modo Levidonia oppidum. 343. D.
Leæ XII. Tabularum à Cupersanensibus servata, 670. D.
.... contra impedientes canem transeuntem in Scotia. 688. D.
Liarum familia. 92. B.
Libadum pagus. 196. F.
Liberalia quænam Festa. 685. A.
Libitina, eademque venus. 677. A.
Ligures quales. 143. A. 146. C.
.... eorum pœna. 144. B.
Lingulacæ probantur in conviviis. 60. A.
Linguæ B. Hieronymi. 563. F.
.... Ægyptia. 614. D.
.... Etrusca. ibid.
.... Messapia. 602. F. 614. D.
.... Osca, Peucetia, Punica, Volsca. ibid.
Linum Promontorium. 184. A.
Liparensium Insulæ. 196. E.
Lipuda fluvius. 307. D.
Litteræ Dalmaticæ, Messapiæ, Saracenicæ. 614. A. & seq.
Lobritum pagus. 206. C.
Locanus flumen. 253. C.
Locium vicus. 170. F.
Locrenses Respublica in Calabria. 309. E.
Locrensium res gestæ cum Dionysiis. 237. C. D. E.
.... ditio quæ fuit. 238. F. & seq.
.... gesta cum Carthaginensibus, & Romanis. 241. B.
.... Nummismata. 252. G.
Locus sepulturæ eorum, qui ultima Sacra à Sacerdote non acceperunt. 86. D.
Locrus, sive Hieracium Civitas Episcopalis. 236. C. E. 238. F.
Longobargum vicus. 183. F.
.... pagus. 193. D.
.... oppidum. 310. B.
Longobardi Italiam tenent. 623. D.
.... illam Regionem infestant. 604. D.
.... cur sic dicerentur. 686. B.
.... pueros sacrificabant. 676. B.
.... leges Romanorum novis legibus abolere conati. ibid.
.... Dæmoni caput Capræ immolabant. 683. B.
Longobardorum jus perseverat in Apulia. 686. B.
Longum collum Cephali species. 458. B.
Lonesettæ, vel Scenulæ descriptio. 77. D.
Lotharius Imperator, ejusque historia, 956. E, & 957. A., & seq.
.... Romam proficiscitur ope Pisanæ, & Genuensis classis. 960. & seq.
.... imperiali diademate ab Innocentio coronatus in Lateranensi Ecclesia, Anacleto Vaticanum insidente. 962. A.
.... redit in Germaniam. ibid. C.
.... eidem Conradus imperium renunciat. 973. E.
.... Secunda ejus in Italiam expeditio. 977. C.
.... multis in Regno Civitatibus potitur. 978. A.
.... inter eum, & Innocentium contentio. 980. C.
.... cum Pisanis iterum conciliatus. 979. E.
.... moritur in Valle Tridentina, in Germaniam proficiscens. 981. C.
.... illius virtutes. ibid. D.
Lubo amnis. 213. B.
Lubonum amnis. 212. C.
Lucania pars quota Calabriæ. 126. E. 135. A.
Lucani populi. 771. E.
Lucanorum juvenes se virgis cædunt, & quare. 474. B.
.... & aliorum copiæ post victoriam ad Pyrrhum veniunt. 484. F.
.... liberorum educatio. 135. E.
.... audacia adversùs Romanos. 143. C. F.
.... eorum pœna. 144. F.
Lucas frater Phantini fratri mortuo suffectus 204. F.
.... Scriba Joannis Joachimi Abbatis, postea Episcopus Consentinus. 181. C.
B. Lucas Abbas apud Thebas, & inde Episcopus Consentinus. 319. A.
Lucæ Consentini Præsulis laudes. 177. F.
Lucedanum pagus. 264. F.
Luceria Urbs nobilis. 695. A.
.... civitas. 771. E.
Lucii vicus. 174. D.
.... olim Thebe oppidum. 318. F.
.... pronomen fuit Rosciorum familiæ proprium. 819. E.
Lucinus fluvius. ibid. G.
Lucius Romæ Tribunus plebis. 229. C.
Lucretia Sandalaria Francisci Jacobi de Tarsia uxor, 698. C.
Luctus, & vestitus lugubris Nolanorum. 87. C.
Ludi Sæculares Diti, & Proserpinæ celebrati, Tarentini dicti. 490. D.
Ludovicus de Montealto Syracusanus. 606. E.
.... qualis vir prædicatur. ibid.
.... quid narrat Auctori. ibid. F.
.... de Enghineo Comes Cupersani. 711. F.
.... Aquaviva Cupersani Comes Franciscum de Laucio è Regno ejecit. 728. A.
.... Lutzemburgius. 710. E.
.... capite plectitur a Rege. 711. A.
.... Indellus Antonii Cardinalis S. Severinæ Vicarius Generalis. 750. A.
.... Chereus Iureconsultus. 229. C.
.... Beatus Divi Francisci Assisinatis Monachus. 223. E.
.... Sforzia. 540. F.
.... Andreæ frater contra Ioannem. 529. F.
.... Ioannæ maritus. ibid. E.
.... Archiepiscus. 568. G.
Lugendi mortuos ritus in Calabria. 153. C.
Lumen perenne in Sepulchro Cupersano repertum. 677. E.
.... vidit puella supra cryptam insulanam. 733. C.
.... perenne in urna apud oppidum Atestinum inventum. 677. F.
.... perenne in Neside insula repertum. 686. A.
.... perenne in sepulchro Diomedis. 677. F.
Lupas Trœcasinæ Urbis Episcopus. 749. A.
.... nomen Urbis in Egypto. 680. C.
Lupiæ Urbs ubi posita. 609. B.
.... illius varia nomina. 608. E.
.... illius varia fortuna. 609. F.

.... quan-

.... quando, & à quo condita. 610.C. 391.D.
.... illius horti, Oliveta, & alia quamplurima notatione digna. ibid.
.... ubi a Ptolomeo locata. 601.B. 610.B.
.... quid illam decorat. 624.B.
.... quid de ea scripsit Guido. 624.C.
.... illius Domini, & Comites. 611.F.
.... cui Principi ultro se dedidit. 612.F.
Lusitania à Luso fio dicitur. 681.F.
Lusitani cujusdam pro vitanda morte sagacitas. 677.D
Lustrum quinque annorum tempus. 859.F.
Luternæ lingua exerta ignea serenis noctibus lucent, 455.B.
Luxeriosi una nocte senescunt. 679.F.
Lycus Philosophus Pythagoricus. 226.C.
Lydiorum cum Medis bellum. 440.B.
Lympidum pagus. 199.D.
Lysias Thurius Rhetor. 338.B.
Lysiorum familia. 96.B.
Lysis Tarentinus Epaminondæ præceptor. 434.C.
.... ejus Epistola ad Hipparchum. ibid.

M.

Macalla, sive Macælla nunc Strongilis, 305.D.
Macceorum familia. 91.A. 97.C.
Machora oppidum. 164.A.
Machia pagus. 318.F.
Machometis mors. 600.E.
Mada amnis. 205.F.
Madavadenum pagus. 194.A.
Madavanum pagus. 196.F.
Magiarum genera olim apud Cupersanenses, 687.D.
Magisanum pagus. 267.D.
Magistratuum officium. 334.A.
Magistratus amalphitani antiquitas, qui, & quot. 926, D. & 927. per tot.
.... Tarentini. 441.F.
Magistrorum familia unde. 619.A.
Mago Dux Carthaginensium ad Pyrrhum divertit: 496.F.
Magonum pagus. 183.A.
Maida oppidum. 188.E.
Majuria, & Minuria oppidum unde dicta. 935.B.
Malania oppidum. 188.F.
Maletum pagus. 183.B.
Mallenius Salentinorum Dux cujus filius. 110. D. 624.C.
.... quam Urbem condidit. 609.D.
Mallius Thurinus Romæ Prætor. 338.B.
Mamercus Pythagoræ filius Philosophus, & ab humanitate Æmilius dictus. 289.B.
Mamertinorum numismata. 185.F.
Mamertum Civitas Episcopalis. ibid.B.
Mamertini viri bellicosi. ibid.
.... Pyrrhum per Calabriam insequuntur. 492. E.
Manamola pagus. 253.E.
Mandutium Urbs ubi, & quomodo alias dicta. 605.E.
Maneria familia Cupersanensis nobilis. 696.E.
Manilianus amnis. 171.F.
Manfredus (*Conradi*) testamentum supprimit. 526.D.
.... (*Conradum Frederici*) ex Jola filium veneno sustulit. ibid.
.... (*Frederici*) spurius Patrem suffocat. ibid.A.
.... legatos in Germaniam ad Conradum veneno tollendum mittit. ibid.
.... se regem salutari mandat. ibid.
à quo victus, & occisus. 612.A.
Manfredonia Urbs ubi. 598.D. 695.A.
Manna S. Nicolai. 664.A.
.... in agro Tarentino. 452.C.
.... in Calabria. 345.D.
.... Promontorium, 275.A.
Mantineum pagus. 193.F.
.... scopulus. 195.C.
Marancia familia nobilis. 702.D.
Maranisum pagus. 267.D.
Marcellus occurrit Annibali Nolam invadenti. 20.F.
.... Vicus. 308.D.
Marcinara vicus. 188.D.
.... *Marcellum* festum. 839.B.
Marcelli Patroni Syracusanorum, & Siciliæ. ibid.
Maria Lupiarum Comes cujus Regis uxor. 607. B. 612. C.
.... Subaudiæ Ducis filia uxor Ludovici Lutzemburgii. 711.A.
Marconaria vicus. 265.D.
Marcum Civitas Episcopalis. 170.C.
.... Vicus. 174.D.
.... pagus. 194.A.
Marcus Candiotus. 199.B.
.... Antonius Columna Archiepiscopus Tarentinus. 570.C.
.... ejus judicium de Tarento. 412.D.
.... Citræus Venetus. 542.F.
.... Evangelista Tarentum cum Petro appulit. 553. A. & 731.B.
.... Antonius Princeps à quo orginem ducit. 110.C
Margherita ultima domus Philippi Principis Tarentini. 528.F.
.... de Bau[illegible] Comitissa Cupersani. 710.F.
.... Sarrochia literis floruit. 725.D.
L. *Marius* Maximus II., & L. Roscius Ælianus Consules. 814.E.
Marmora, quæ inveniuntur in agro Nolano incisis nominibus Ducum quæ. 40.C.
.... unde convecta ad ædificandum amphiteatrum, 22.B.
Marsus fluvius. 205.C.
Marsilius quis, & unde. 607.B.
Martinora familia. 97.C.
Martina oppidum. 407.A.
Martinalia apud Tarentinos. 458.B.
Martini Besidianensis sepultura. 184.E.
Martinum pagus. 170.E.
.... ejus nomine duo alii pagi. 205.F.
Martiranum Civitas Episcopalis. 185.B.
Martuccia familia nobilis Cupersanensis. 702.D.
Massafra oppidum. 407.C.
Masaniello vide *Thomas Agnellus*.
Masseorum familia. 91.F.
Mastrillorum familia. 92.C. 98.A.
Matheratum pagus. 189.E.
Matheſi an credendum. 110.D.
Matrensium familia. 90.F.
Matrimonia Nolanorum. 108.D.
Matrimonii vaticinia, quæ ex farina, cera, & tomice. 687.E.
Matthæus Aquaviva Magnus Regni Camerlanus. 124.F.
.... Abbas Floriacensis, postea Episcopus Gerentinus. 181.C.
.... Collacius literis eruditus. 188.D.
Matthæi (S.) Evangelium ubi primò repertum. 673.C.
Maurum Civitas interiit. 339.E.
.... Pagus. 273.F.
Medama fluvius. 190.D. 198.E.
Urbs, & fons. 196.B.
Medica familia nobilis. 702.D.
Medicus Pirrhi promittit Fabricio se Regem veneno necaturum. 488.D.
.... quid maximè nosse debet. 588.D.
.... bonus quis. 635.D.
Medici cur Roma ejecti dicuntur. 632.D.

Digitized by Google

Megara qualis Urbs. 603.E.
Megaldorum familia. 97.D.
Mel Tarentinus. 452. B.
Mela quid dicit de Urbe Rhudiorum. 608.B.
Melanda fluvius. 199.F.
Melanurus undenam dictus. 455.C.
Melianum pagus. 199. D.
Melichia pagus. ibid. F.
.... oppidum. 206.E.
Meliſſa vetuſtum oppidum. 306.A.
Melitenſis ordo ab Amalphitanis inſtitutus. 911.A. & 944. B.
Melitus fons. 259.D.
Melivitum Civitas. 168. D.
Mella in Calabria paſſim, atque affatim fiunt, 345.D.
Melphis ubi ſita, & quare confuſa cum Amalphi. 906.B. & 907. per tot.
.... olim dicta Melfia, & Melfa. ibid.C.
Melus Barii Dux. 661. C.
.... ultimus Longobardorum Princeps in Apulia. 706. E.
.... Græcos vicit, & vincitur ab iiſdem viciſſim. ibid.
.... ad Henricum Imperatorem confugit, & moritur. ibid. F.
Menander Sybarita poeta Comicus. 304.F. 337. E.
Menecina vicus. 174.D.
.... oppidum. 183.D.
Mennatorum familia. 90.C. 96.F.
Mens quando decipitur, ac delirat. 621.B.C.
.... humana cur res prodigioſa cenſetur. 638.F.
Menſula in agro Nolano illuvioni obnoxia. 10.A.
Mephitis unde dictus, & unde ſitus. 5. C.
Mercatus Nolanus. 63.E.
Mericum amnis. 236.C.
Merimagnum oppidum. 163.C.
Meſianum oppidum. 194.B.
Meſinadum pagus. 206.A.
Meſonum pagus. 193.F.
Meſſapia, & Meſſapigia antiqua Peucetiæ nomina. 661.D. 662.A.
.... lingua tota interiit. 614.D.
Meſſapiæ litteræ quæ. ibid.
Meſſena quando fuit expugnata. 393.E.
.... vigeſimo ab initio belli anno a Spartanis expugnata. 394.B.
Meſſenii quare Epicureos expulerunt. 392. F.
.... qui fuerunt. ibid.
Meſſurga oppidum. 270.E.
Meſſurgacenſes Joannem Andream Caracciolum Regulum ſuum cum Conjuge, & liberis jugularunt. ibid. F. 271.A.
Metapontus qualis Urbs. 585.D. 603.A. 345.B.
Metapontini ad Annibalem deficiunt. 509.B.
Meton quid fecit, ne Pyrrhus a Tarentinis accerſeretur. 477.E.
Metauria oppidum. 201.E.
Mataurus amnis. 196.F. 199.E.
Metipaonum oppidum. 259.D.
Micopetum pagus. 201.A.
Miletus Civitas. 197.B.
.... Hipponiati, & Tauriano Epiſcopatibus ſuffecta. ibid. F.
Milo Romanis Tarentum tradit. 496.C.
Minerva olei exprimendi, & lanæ tondendi rationem invenit. 674.E.
.... portarum Urbium Præfecta. 674.F. 675.A.
Minos Cretenſem Rempublicam conſtituit. 391.F.
Minuſculum ſacrum quid. 685.A.
Miſoripha pagus. 219.E.
Miſtra flumen. 253.F.
Mocata fluvius. 188.F.
Moladum pagus. 194.C.
Molochium pagi duo ejuſdem nominis. 205.F.
Moloſa fluvius. 170 D.
Monardum oppidum. 189.B.
Monaſteracum Caſtellum. 257. B.
Monopolis expugnatur. 542.B. & 695.A.
Monruſſum Caſtellum. 189.E.
Monſaltum vicus. 174.D.
Monſaurum Caſtellum. ibid.B.
Montaltum Civitas Epiſcopalis. 171.E.
Montia familia Cuperſanenſis extincta. 702.B.
Montibellum Caſtellum. 230.C.
Montileonum oppidum dictum Hipponium. 191. C. 193.C.
Montipaonum oppidum. 259.D.
Monumenta quædam in agro Nolano extant. 19. F.
Morganorum familia. 96. A.
Morgetia nomen Calabriæ. 126.D.
Morrarum familia. 96.B.
Mortis deſcriptio. 394.C.
Moſa fluvius. 173. B.
Moſaurum pagus. 190. F.
Moſcius mons, & Promontorium. 264.F.
Mota pagus. 186.B.
.... pagus alius. 214.C.
.... vicus. 235. A.
Motonum familia. 93.F.
Motoriorum familia. 95.C.
Mucrajanum pagus. 170. E.
Mugiles piſces. 456.B.
Mula mons in Appennino. 166. E.
Muli Japygiæ, quales. 589.F.
.... Carrucarii. 774.A.
Mulieres Calabræ abſtemiæ. 153.D.
.... Apulæ aureis Cicadis capillos ornabant. 691. A.B.
Mulierum celebritas, & officium in quibus conſiſtatur ex mente Theano uxoris Pythagoræ. 288.E F.
.... ſuperſtitio. 687.D.
Mulieribus in via fuſos torquere prohibebatur. 690.E.
Mullus piſcis. 458.C.
Mulonius fluvius. 318.E.
Munciolarum familia. 96.E.
Municipes qui fuerint. 813.D.
Municipium quid. ibid.
Murina piſcis. 455.D.
Muſa amnis. 255.D.
Muſarum templum Crotonis Concordiæ ſimulacrum. 285.E.
Muſcæ quam ob cauſam Ægyptias frequentent Pyramides. 691.D.
.... in Apulia infeſtæ. ibid.
Muſæum Tarentinum. 502.D.
Mutarjum pagus. 198.F.
Myrrhinus Urbs unde ſic dicta. 682.C.
Mytuli parvuli, ſed ſaluberrimi Tarentini. 494.B.

N

Nais pagus. 198. D.
Namurtium inter, & Conſalvum oritur contentio de finibus regionum. 49.C.
Naſcarus fluvius. 268.D.
Naſetum pagus. 214.D.
Natura nil fruſtra facit, & à Deo dirigitur. 591. F.
.... quid ei magis conſentaneum. 590.A.B.
.... ejus excellentia, & perfectio virtus eſt. 335.F.
Navale prælium inter Romanos, & Tarentinos. 510.E.F.
Navis quæ pars domus appellatur. 78.A.
Nautica Pixis à quo inventa Amalphi, & quando. 924.B. & ſeq.
Naum promontorium. 275.A.
Neapolis ſe Rogerio ſubmittit. 952.A.

Digitized by Google

.... denuò ab eodem obsessa. 974.C.D.
Neapolitanum Regnum olim Apulia dicebatur. 695.B.
.... Diploma in gratiam Amalphitanorum. 921. C.
Neapolitani duo Reginam in libertate vindicant. 533.B
.... suppetias habuerunt ab Apulis, & Calabris. 665.D.
Neæthus fluvius. 273.E.
Necessitas bonarum legum, & vitæ conformitatis. 337. A. B.
Necrocorinthii quid. 669.F.
Negotiatores, qui propriè sint. 922.E.
Neja fluvius. 171.D.
Neocastrum Civitas Episcopalis. 188.B.
Neritonensis Prioratus in Episcopali dignitate mutatus. 707.F.
Neritum Urbs ubi sita, & quomodo aliter nominata. 619.C.
.... quantùm distat à Lupiis, & Tarento. ibid. D.
.... illius Gymnasium litterarum. 622.E.
.... illius Emporium ubi. 595. A.
.... qui ibi dominatur. 623.A.
Nepetia, & Nepetinus sinus. 184.B.
Neptuni filii qui, & quare dicti. 389.D.
Neptunos fuisse varios. 390.B.
Neptunus Tarenti colitur devotiùs, quàm alibi. 443.E.
Nerva Tarentum relegatur. 466.E.
Nicephorus Imperator. 522.C.
.... Architectus. ibid.
Nicetum oppidum. 173. A.
Nicola statio in mari juxta Briaticum. 193.E.
Nico, & Philomenus Tarentini. 500.C.
.... & Demoorates Tarentini Duces fortiter pugnantes cadunt. 523.A.
Nicodes Tarentinus Cytharedus. 431.A.
Nicolaus Aloysius Baronius. 198. F.
.... Cœnobita Floriacensis. 181. C.
.... Divi Francisci Paulitani socius. 173.B.
.... Martyr. 340.D.
.... Hydrontinus Philosophus. 597.B.
.... de Cursitio Episcopus Cupersani. 748.C.
.... Domini Nardi Castri Lupiorum Præfectus. 700. A.
Nicolaum pagus. 190.C.
.... pagus alius. 195.C.
.... & adhuc pagus alius. 196.F.
Nicolum pagus. 253.B.
Nicolus portus Calabriæ. 162. D.
Nicomachus Tarentinus Mathematicus clarissimus 36. B.
.... unde ortus. 593.D.
Nicon, & Trapisius Juvenes Tarentini. 502. E.
Nilus (B)nobilibus parentibus Rossanensibus est ortus, ejus vita, & celebritas. 311.E.
Nilus flumen non semper fluxit. 606.D.
.... fœcundat Ægyptum. 602.D.
Ninæa olim, nunc Ninetum oppidum, nunc Dunatum. 166.E.
Niphorum familia. 195.F.
Nisyrus Insula cur sic appellata. 681.E.
Noa oppidum. 344.F.
Nobilis Curialis. 812.C.
.... Decurio. ibid.
Nobiles viri in propriis agris sepelichantur. 670.E.
.... ac Prætorii viri in Cannensi pugna interfecti. 678.F.
Noe quibus nominibus ab aliis dictus. 387.B.
Nola adhuc in iisdem sedibus est in quibus fuit. 43. A.
.... antiqua frequenter habitata fuit. 46.B.
.... quoties capta ab hostibus. 35.E.
.... tempore Beati Paulini à Mauris, Vandalisque vastata est. 19.E.
.... unde ita dicta. 16.B.
.... Urbs quomodo in illuvionibus servata. 15.B.
Nolæ antiquæ diameter. 20.E.
.... præsentis figura est undecim angulorum. 44. B.
.... quasdam cæremonias Jovi faciebant contermini Populi. 113.A.
.... Urbis situs. 14. F.
Nolana res quam ampla fuerit bello secundo punico. 18. D.
.... gens unde originem sumpsit, ambiguum. 14.F.
Nolani addolescentuli, & puellæ sertulam affabrè contextam capiti imponunt. 34.A.
.... bello secundo punico fidem Romanis servarunt. 34.E.
.... cum Samnitibus arma consociarunt. 17.E.
.... cur dicunt aquas filiare. 9.E.
.... cur extra mœnia domus non ædificant. 18.C.
.... Duce Marcello totum Samnium vastant. 19. A.
.... etiam nunc latinas voces exactè proferunt. 42.E
.... fidem, & amicitiam semel incœptam semper servant. 34. D.
.... fœdus cum Samnitibus servarunt. ibid.
.... Gallis militibus obstitere, ne captos Duces Nola abducerent. 36.B.
.... invenerunt usum Campanarum. 34.A.
.... Magistratus. 103.F.
.... magna cura rem rusticam, & agros excoluerunt. 40.F.
.... ab Athenienſibus oriundi. 15. F.
.... opulenti, & elegantes fuerunt. 42.A.
.... quo tempore maxime armis viguerunt. 40. B.
.... summè oderunt homines, qui fidem frangunt. 36. D.
.... Templum Victoriæ dedicarunt. 17.F.
.... utpotè mediterranei populi non facilè se mari credunt. 100.E.
.... eorum numerus supra quinquaginta millia fuit. 19.D.
.... eorum mores, & sermo non fuerunt barbari. 42. C.
.... eorum varii pagi, & villæ à Romanis emptæ paulatim crevere in populi formam. 28.B.
.... eorum vestes, & ornatus. 101.E.
Nolanus ager à crebris pagis, & villis occupatus. 40.F.
.... caret omni flumine, & fonte. 10.B.
.... inter optimos à Virgilio recensetur. 12.C
.... quare fertilis. 11. C.
.... caret arena, & saxis. 11.A.
.... populus in quam potentiam auctus, 17.G.
Nomenclationis Cupersani ratio. 678. C.D.
Nomina urbium ex arboribus. 682.C.
.... Pontificum quare mutantur. 749. B.
Nenæ Capnotinæ. 889.A.
Normanni unde, & quando à Græcis accersiti ad pellendos Saracenos ex Italia. 945.B. & seq.
.... Japygiam invadunt. 611.E.
.... pro recuperatione Apuliæ duodecim Comites elegerunt, 766. A.B.
Notariorum familia. 98.C.
Nucara oppidum. 344.E.
Nuceria oppidum. 186.B.
Nuceriæ campi inundati. 606.D.
Nuces Tarentinæ unde dictæ. 450.A.
Nucum pagus. 267.D.
Numa Pythagoræ discipulus. 284.A.
Nummi varii Tarentinorum. 442.E.
Nundinæ Cupersanenses. 684. A.
.... Insulanæ à quo institutæ. ibid.
Nux græca quomodo fit Tarentina. 450.B.
Nymphæum quinam locus, & ubi. 615.B.

O. Ob-

Digitized by Google

O.

Obsides retracti virgis cæsi de saxo deiiciuntur 499.F.
.... Tarentini, 549.B.
Ocinarus flumen.185.B.
Octavius Augustus Thuriis in Calabria ostiundus. 144.E.148.
.... Thurius origine.338.C.
.... Aquaviva Aragonius Cardinalis Archiep. Neapolitanus.720.C.
Octavianum oppidum intra terminos Nolani agri. 27.C.
Oebalia una ex peræciis.466.F.
Oenotria dicta Calabria.125.C.& seq.
.... unde ita dicta ibid.
Oenotrii ante res Trojanas in Calabriam Colonias deduxere.130.E.F.
.... primi Italiæ habitatores.390.F.
Oenotrius Dux.402.D.
Oggia sive Calipsus insula.175.A.
Olea in Calabria passim, atque affatim sunt. 345. D.
Olei gratia Apuli colebant Minervam.674.E.
Oligarchia quodnam politiæ genus.593.E. 631.B.
Oligarchiæ Civitatibus nullus est usus.334.E.
Oliva flumen.184.C.
Olivadum pagus.264.F.
Olympionicorum gloria apud Græcos.300.B.
Olysippo sur olim Ulysipolis.681.F.
Onesimus Macedo.414.C.
Opedum Civitas Episcopalis.205.F.
Oppida varia jure Pontificio, & Civili à Nolanis gubernantur.28.F.
.... Episcopo Cupersani subiecta.742.A.
.... & Castella Amalphi olim subiecta.934.D.
.... fœderata multa ante bellum Italicum, & post. 776.B.
Orator qui bonus dicitur. 635.D.
Oratores Græci, & Romani quales.633.A.
.... Tarentinorum ad Pyrrhum missi.477.F.
Orcidolum pagus.195.C.
Orcilladum pagus.194.C.
Ordo Æquestris, Melitensis dictus ab Amalphitanis institutus.931.A.
.... Senatorius, Patricius, Plebeius.855.per tot.
Orestis portius.202.F.
Oria Urbs ubi sita, & unde sic dicta.604.E.
.... eius Colles, Campi, arx &c.ibid.
.... à quo capta, & direpta.ibid.
Orpheus Crotoniata Poeta celebris.295.D.
Orthium pagus.214.C.
Ossa defunctorum extra Urbem adiiciuntur.87.A.
.... pro Patria mortuorum in artis Cupersanis condebantur.679.C.
Ostrea interdum deficiunt, interdum in magna quantitate capiuntur.454.D.
Othinus Caracciolus.533.B.
Otho Joannæ Primæ quartus maritus.530.
.... II. Agarenos ex Calabria ejecit.151.E.
.... postea Benedicti tempore apud Basentum à Græcis superatus.176.B.
.... III. Joannem XVI. sive XVII. oculis, lingua, & naso mutilavit.314.C.
.... apud B.Nilum divertit. ibid.
Ovatorica.457.C.
Oves Tarentinæ.448.E.

P.

Pabula sunt affatim in Calabria.345.D.
Pæanica oppidum.257.A.
Pacanitum flumen.ibid.B.
Paccarum familia.91.D.
Paccollinus sive Metaurus amnis.201.E.
Pacurius Hydrunti præfectus.518.D.
Pacuvii Poetæ monumentum interiit.388.F.
.... Sepulchrum apud Tarentinos.465.A.
Pacuvius Brundisinus historicus nobilis.435.D.
.... adversus Ragnerium armatur. ibid.
Pagi varii in agro Nolano 53.B.
Pagri.455.F.
Palæcastrum veteris oppidi Calabriæ vestigii locus. 162.B.
Palea in ampulla vitrea sanguine Sancti Januarii semiplena quid significet.670.C.
Palermitum pagus.264.F.
Palitium Castellum.234.A.
Palludum pagus.311.D.
Palmæ planum quis locus appellatus.48.D.
Palmensium familia.94.E.
Panagia Castellum.190.B.
.... pagus.195.D.
Pandectarum volumina quo tempore Amalphi inventa.913.C.919.C.944.D.& 968.A.
Pandosia oppidum.173.C.
.... vicus.174.D.
Panis conficiendi ars à quo inventa primum.672.C.
Pannicella familia nobilis.702.E.
Panopetus fluvius.188.E.
Papelontum pagus.194.B.
Papesiderum oppidum.163.E.
.... fluvius. ibid.
Papponum familia.94.B.
Paraconum pagus.193.F.
Paradisonum pagus.ibid.
Paralia pagus.194.F.
Paravatum pagus.198.D.
Parecciæ Tarentinæ.466.F.
Parma oppidum.207.B.
Partileola pagus.183.C.
Partheniæ unde dictæ.394.A.
.... qua conditione urbe excedunt.10.F.
Pasanum, & Allanum oppida diruta.406.E.
Pasitani oppidum unde dictum.936.C.
Pastinaca piscis.454.A.
Patavium à Pado flumine sic dictum.681.E.
Paternum pagus.183.C.
.... sive Crimissa nunc Cirum fuit sedes Episcopalis.308.A.
.... vastatum à Pœnis Cretensibus, & Mauris. ibid.
Patianum pagus.257.F.
Patricii, & Plebei.338.C.
.... à Patribus nati.ibid.
Patricius ordo, & plebeius.771.C.
Patrocles Thurius Poeta.338.A.
Patroclus Crotoniata Statuarius celebris. 300.A.
Patroni, & Clientes. 838.E.
Patroni Romæ, & in Provinciis. ibid.
.... majores Romæ Clientibus subministrabant. 840.B.
.... Bononienses Antonii.839.C.
.... Puteolanorum Cassii.ibid.
.... Siciliæ Marcelli, & Læntuli Marc. ibid.
.... Syracusanorum Marcelli.ibid.B.
.... Coloniæ ex Consulibus Romanis.845. C.
.... inferiores Coloniæ, seu Municipii.840. C.
.... ordinis, & Coloniæ.844.D.
.... Patriæ.ibid.
.... qui eligebantur.841.C.

Digitized by Google

.... Decuriones CC.VV. erant in Colonia, seù Municipio primarii. ibid.
.... CC.VV. aliquando Romanum majorem gesserant magistratum. ibid.
.... CC.VV. plures in Tabula positi explicantur 842.
.... fuere sæpiùs Decuriones. ibid.
.... aliquando Defensores Reipublicæ. 843. A.
.... Collegiorum, seù Corporum, Arualium, Fabrum, Centonariorum, Dendrophorum. 839. E.
.... & Curatores Reipublicæ. 843. A.
Patronis erigebantur Statuæ. 839. E.
Patronorum origo à Romulo inducta. 838. C.
.... munus erga Clientes. ibid. E. F.
.... jus habere multas clientelas hæreditarias. 839. A.
.... defensorum munus aliquando quinquennale. 843. A.
Patronus Campaniæ T. Antonius Marcellinus. 839. D.
.... Capuæ M. Tullius Cicero electus. ibid. C.
.... unus aliquando factus est plurium Civitatum. ibid. F.
.... C.V. Appius Claudius Julianus Cos. primus inter Patronos Tabulæ. 842. A.
Patycos Civitas. 171. F.
Paula oppidum. ibid.
.... alterum. 309. B.
Paulus Diaconus. 19. F.
.... Prædicatorum ordinis Cœnobita militensis primus Prædicatorum ordinem in Calabriam duxit. 198. C.
.... De Turculis Episcopus Cupersani, ejus sanctitas, & merita. 748. D. E.
.... antea Turcus vocabatur, eique nomen à Pontifice mutatur, & ejus sepulchrum. ibid.
.... Regius Episcopus. 556. B.
Paulinus quo tempore vixit. 66. E.
.... servus, & olitor in Aphrica omnes Nolanos Aphricana servitute liberavit. 71. B.
.... sua libenter pauperibus largiebatur. 74. F.
Paulini Beati cæremoniæ. 105. D.
.... Carmende ligno Crucis. 69. C.
.... Divi epistola ad Servum Sulpitium. 65. F.
.... varia carmina in arcubus Basilicæ. 67. E.
Paupertas plurimum virtutis adversus insolentes divitas habet. 282. B.
Pavilianum pagus. 214. D.
Pax inter Bohemundum, & Rogerium firmata. 524. E.
.... inter Ludovicum Hungarium, & Joannam facta. 529. F.
.... quibus conditionibus inter Bohemundum, & Rogerium facta. 523. C.
Pedani Decuriones, Pedarii Senatores. 101. 102.
Pedatium pagus, sive prætura. 182. F.
Pedaulum pagus. 206. B.
Pediculi populi. 771. C.
.... qui, & Peucetii. 662. A.
Pedis Romani mensura cum digitis, & semidigitis. 791. A.
Pelamides pisces. 455. F.
Peloponnesus qualis olim Regio. 623. E.
.... cur hodie incolis pene vacua. ibid.
Pelusio Ægipti unde nomen. 680. F.
Pentedactylum Castellum. 230. A.
Pentonum pagus. 267. D.
Perariorum familia. 94. A.
Peratum pagus. 214. D.
Perca pisces. 455. B.
Perditium Rumen. 171. D.
Peregrinus Monachus Florlacensis. 181. B.
Perelli Joannis Tarentini historia.
Perfectio duplicem causam habet. 335. E.
.... naturæ est virtus. ibid. F.
.... quomodo absolvatur. 337. A.
Perfectorum discrimina duo. 335. E.
Perfectum per se non est, quod opis externæ [illegible] ibid.
Perilliorum familia. 91. B.
Perioannitorum familia. 95. F.
Peripolis oppidum. 231. A.
Perlupum pagus. 214. D.
Pernocarium pagus. 194. C.
Perricarium pagus. ibid.
Peruani cum dominorum cadaveribus servos combusrunt. 677. C.
Perusinorum familia. 97. C.
Pasipum fluvius. 188. D.
Pestanus scriptor antiquus. 192. E.
Pestifentia toties Nolanis expectanda, quoties pluviæ valles Gecalanas compleverint. 26. C.
Pestis tempore cadavera extra civitatem sepeliuntur. 670. A.
Petelia Civitas. 271. A.
.... ab Hannibale vi capta. 141. C.
.... à Philoctete condita. 142. A.
Petileni sibimet ipsis à Romanis Consuli jussi. 141. E.
Petilinorum numismata. 272. D.
Petrafitta vicus. 182. F.
Petralata monasterium. 180. D.
Petramola castellum. 184. E.
Petrarca Diaconus Cupersanæ Ecclesiæ 742. D.
Petrona locus agri Synopolitani. 212. E.
Petreium vicus. 184. C.
.... pagus. 267. D.
.... pagus alter. 188. F.
Petritium Castellum. 259. C.
Petrus Cœnobita Floriacensis. 181. C.
.... Cryptæ ferratæ abbas eruditus. 230. A.
.... Vianeus medicus, & chirurgus. 104. E.
.... Longobardus Canusinus Archiepiscopus. 804. A.
.... Aragonum Rex quam regionem Regnis suis adjecit. 595. C.
.... Divus ex Oriente profectus ubi primùm atti git. 594. F.
.... quid ibi feciſſe narratur. ibid.
.... quid ei præcepit Dominus. 590. C.
.... illum accusarunt falsi testes. 634. E.
.... per Apuliam transit. 731. B.
.... Tarentum venit. 553. C.
.... accedit ad puteum, ubi Solis stabat imago, & quid ibi fecit. 554. A.
.... à Christo institutus Vicarius, & Apostolorum Princeps. 553. A.
.... & Marcus Evangelium Tarentinis prædicant. 554. F.
.... Marcum Tarenti ad prædicationem Evangelii reliquit. 555. B.
.... de Migolla Episcopus Cupersani. 748. C.
.... de Manerijs archidiaconus Cupersani. 749. F.
.... Lutzemburgius Cupersani Comes. 710. F.
.... Capullius Episcopus Cupersani scripsit super sententias S. Bonaventuræ. 751. B.
.... Aragonius. 527. A.
.... Nicasia. 550. D.
Petuantia finis pernicies est. 229. C. F.
Peucetia pars orientalis Calabriæ. 126. B. 127. D.
.... unde ita dicta. ibid.
.... oleo, & lanis abundat. 674. E.
.... ejus fertilitas. 662. D.
.... Apuliæ dignitas, & latus. ibid.
Peucetii pro Diis mulieres colebant. 671. B.
.... populi 771. C.
Peucetius Dux nomen Peucetiæ fecit. 662. A.
Phantinus (B.) homo Calaber. 149. E.
.... Abbas Monachus D. Basilii Monachus. 204. A.
Phalangii morsu totum corpus obturpescit. 465. F.
Phalanthi insidiæ quomodo detectæ. 394. F.
Phalanthus à Brundisinis benignè excipitur. 396. A.
.... à Spuriis Lacedemoniis Dux eligitur. 394. D.

Digitized by Google

.... à Tarentinis in exilium missus. 396. A.
.... post naufragium a Delphino ad litus deductum, 395. B.
Phanodemus Tarentinus. 435.F.
Phari in quem usum extructi. 412.D.
Phayllus Crotoniata Olympionicus celebris, 300.C.
Phigalenses Cererem coluerunt. 673.A.
Phileas cum obsidibus Tarentinis Roma profugit. 499.E.
Philetæ gracilitas, ejusdemque plumbeæ soleæ. 674.B.
Philippi Principis privilegia. 538.E.
.... literæ executoriales in favorem fratrum Dominicanorum. ibid.B.
Philippus II. Rex Hispaniarum Canusium Nicolao Grimaldo Principi Salerni in feudum dedit. 810. F.
.... Tarentinorum Princeps tres habuit uxores. 528.D.
.... Neapoli moritur. ibid.B.C.
.... Roberti frater in Regno ei succedit. 116.F. ibi.D.
Philippinæ Insulæ cur sic dictæ. 682.A.
Philippidis exilitas in proverbium abiit. 674.C.
Philocasa Castellum. 190.A.
Philocastrum oppidum. 197.A.
Philagatus Episcopus Placentinus Pontifex Rom. vocatus Joannes XVI., sive XVII. 314.B.
.... ab Othone III. oculis, lingua, & naso mutilatus. ibid.C.
Philolaus Pythagoræ discipulus, & Architæ Tarentini præceptor. 290.A.
.... ejus opinio de mundi principiis. ibid.B.
.... ejus elegans monitio de suspicione cavenda. 291.A.
Philomeni dolus. 504.B.
.... Corpus nunquam inventum. 513.B.
Philosophia cur dicta peregrina. 423.D.
.... Italica à quo fluxit. 585.E.
.... morborum animi medicina. 635.B.
.... antiqua à solis Poetis tractabatur. 39.B.
Philtys, sive Phryntis Crotoniata Pythagoræ discipula. 298.D.
.... ejus egregia ratiocinatio de mulierum virtutibus. ibid.
Phocensium portus. & Coloniæ. 163.F.
Phormio Crotoniata Dux rei militaris peritus. 303.D.
Phulatianum quænam Urbs, vel arx, & ubi sita. 616.A.
.... à qua superata atque solo æquata. ibid.
Phytalis pagus. 194.F.
Picinum pagus. ibid.
Pilaca fluvius. 274.B.
Pilumni unde sic dicti. 682.E.
Pinguadum pagus. 198.F.
Pinna. 455.F.
Pintia olim nunc Valli soletam. 681.F.
Piscatio in sinu Tarentino variis temporibus 455., & 456. per tot.
Piscopium pagus. 193.D.
Pisitonum pagus. 194.A.
Pisones unde. 682.E.
Pigonum pagus. 194.A.
Pyxis Nautica à quo, & quando inventa Amalphi. 924.B. 925. & seq.
.... est insigne Civitatis Amalphis. ibid. & 944.D.
.... ejusdem descriptio. ibid.B.
Plato qualis vir prædicatur. 630.F.
.... quid de voluptate dixit. 692.A.
.... suam urbem quantam esse voluit. 603.E.
.... quid de Democratia affirmat. 593.E.
.... à Piratis captus, & ab Archyta Tarentino redemptus. 423.E.
.... quid de geniis asserit. 627.E.
.... eius Epistolæ ad Archytam. 424.E.F. & seq.
.... ejus responsum ad Dionisii interrogationem, quid de se diceret sociis. ibid.
Plauti sententia de Apulis explicatur. 694.
Plebii qui. 855.E.
Plebius ordo, & Patricius. 854.F.
Plinius citatus. 15.B.
.... semper recto navigavit versus Vesuvium. 30.D.
.... suffugatus incendio Vesuvii. 7.G.
.... ubi dicit Italiam esse angustiorem. 586.B.
.... quid de Incolis montis Gasii ait. 590.F.
.... ubi urbem Gallipolim posuit. 595.B.
.... Italiam Græciæ ubi pontibus jungi posse asserit. 598.D.
.... quid de Japyge testatur. ibid.E.
.... quid de Situ Hydrunti affirmat. 599.A.
.... quid de fontibus quibusdam narrat. 606.E.
.... quid de nonnullis rebus judicat. 617.D.
.... quid tradit de Anima Hermotimi. 611.A.
.... ubi habitare Gallos Senones asserit. 625.B.
.... quid dicit de Medicis. 632.F.
Pluvia cineris subrubri ex Vesuvii. 7.B.
Polia Castellum. 189.E.
Polycastrum oppidum. 271.A.
Politiarum genera quot. 593.D.
Pollinus mons. 164.E.
Polycarpum pagus. 194.A.
Polycastrellum oppidum. 166.F.
Polystina oppidum. 201.B.
Polypi. 455.F. 458.D.
Pomarium Convallis quæ, & ubi. 597.A.
Pompa quæ in matrimoniis celebratur. 108.F.
Pompæ funebris Nolanorum descriptio. 85.C.
Pomponius Lætus eruditus vir. 343.F.
.... ejus tumulus ornatus Pontani epigrammate. 344.B.
Porcia Febonia Cardinalis Baronii mater. 748.A.
.... ejus sanctitudo, & tritici multiplicatio. ibid.
Porta Cortefellana Nolæ à quibus dicta. 54.B.
.... Samuelis unde dicta. ibid.
Porticus Nolana describitur. 58.B.
Portus Herculis dictus Farmicula. 195.A.
Orestis. 202.F.
.... tres in orbe qui. 602.F.
Prætopum pagus. 206.E.
Præfectura quid significet. 813.
Præfectus Arcis à regulo constituitur in Arce Nolana. 105.C. 56 F.
.... Tarentini præsidii capitur amore mulieris Tarentinæ. 512.B.C.
Praxiteles Statuarius, & Pictor celeberrimus. 231.C.
Prætexta unde dicta, & quibus propria. 887.B.
.... ejus origo. ibid.
Prætextatæ puellæ. 888.B.
.... mulieres Nonis Caprotinis. 889.A.
Prætextati pueri. 888. A.B.
.... filii libertinorum, Sacerdotes, Senatores, Magistri Collegiorum, Decuriones, in Coloniis, & Municipiis. ibid.
Preticanum Castellum. 200.D.
Principatus Animalium cui dandus. 590.A.
Principum cadavera cum eorum familiaribus cremebantur. 672.D.
Privilegium concessum Tarentinis à Philippo Chalonio. 552.C.
.... Regis Ferdinandi de aggregatione familiæ Aquavivæ in domum Aragonium. 729.B.
Proclides Tarentinus, 433.D.
Processus Magistri Nundinarum descriptio. 105.E.
Proclus (B) Ecsidianensis B. Nili discipulus. 319.F.
Prælia varia circa Nolam commissa. 17.A.
Præmia quæ postremo Nundinarum die proponuntur. 106.D.
Prælium diù anceps inter Pyrrhum, & Romanos. 483. B.
.... secundum quibus Consulibus commissum. 489.D
.... ultimum inter Pyrrhum, & Marcum Curium Dentatum. 493.D.

Digitized by Google

Progenies claræ, quæ ex plantis nomen accepere 682.D.E.
Proletarii milites qui. 647.D.
Promontoria quæ dicuntur à recentioribus Navigantibus. 596.D.
Promontorium Japygium ubi. 586.D. 593.C.
.... Lacinium ubi. 587.A. 593.C.
.... Zephyrium ubi. 598.F.
Prosperi Rendellæ laudes, & Tumulus. 664.B.
Proteriatum flumen. 253.C.
Protonotariorum origo in præfat. Ant. de Tarsia.
Provinciarum nomina quæ, & à quibus occupatæ post diluvium. 300.D.
Pryetonum pagus. 196.F.
Prytaneum apud Tarentinos. 464.C.
Ptolomeus sub quo signo Japigiam, vel Apuliam ponit. 587.B.C.
.... ubi principium, vel finem quarti Climatis statuit. 588.E.
.... quid vocat Jonium mare. 598.F.
.... ubi Lupias urbem locat. 610.F.
Publicola in Ulbe sepultus. 669.D.
Puerorum divinatio. 688.E.
.... immolatio apud Barbaros. 686.C.
Pugnæ adolescentium Nolanorum qua hora. 116. E.
Pullarius Coloniæ. 778.F.
Punica classis ob annonæ defectum à Tarentinis dimissa. 510.B.
Putea familia nobilis. 702.E.
Putei pro sepulchris. 668.F.
Puticuli quis locus Romæ, & unde sic dicti. ibid.E.
Puteneanum oppidum. 742.A.
Pyramides Egyptiæ musçis innumerabilibus circumdatæ. 691.E.
Pira Tarentina 450. C.
Pyrrhi genus. 647.F.
.... naufragium in mari Jonio. 77. E.
Pyrrhus Rex Epirota. 74.F. & 775.C.
.... à Tarentinis electus Dux. 74.E.
.... habuit colloquium cum Cynea de Bello Italico. 76.E.
.... caduceatorem ad Romanos mittit. 79.A.
.... captivos Romanos sine pretio restituit. 84.D.
.... constantiam, & mentem Fabricii admiratus magis pacem, quàm bellum cum Romanis optat 488.A.
.... Consulem Romanum in fugam convertit. 80.B.
.... Cyneam legatum mittit Romam cum donis. 81. E.
.... frustra sperat Romanos imperatos invadere. 78. C.
.... in Siciliam avocatur legatione Syracusanorum, & aliorum. 86.B.
.... inter Pandosiam, & Heracleam castra ponit. 79.A.
.... Medicum sceleris convictum laqueo suspendi jussit. 84.D.
.... oraculo Apollinis inductus Tarentinis auxilio contra Romanos venit. 75.B.
.... post acceptam cladem Italia decedit. 88.F.
.... proficiens apud Tarentinos præsidium cum filio suo reliquit. 86.C.
.... post victoriam trementem Italiam depopulatur 81.B.
.... Provocatus Barbarum prosternit. 492.E.F.
.... quare plus gloriæ, quàm lætitiæ accepit ex victoria. 80.C.
.... quomodo se ad bellum cum Romanis instruxit. 77.C.
.... quomodo Siciliam reliquit. 87.B.
.... sese ex Navi in mare dejicit. 78. B.
.... sperat bellum contra Romanos ipsi cessurum feliciter. 76.A.
.... Tarentinorum gymnasia, & deambulatoria claudit. 78.D.
.... victoria elatus de populari factus Tyrannus. 87.A.
.... ejus clades. 775. C.
Pytagoras quando in Italia. 426.
Pythagoræ doctrina, uxor, & liberi. ibid.& seq.
.... mortis descriptio. ibid.
.... ejus doctrina circa abstinentiam ab esu fabarum. 463.F.
.... principium instituendorum discipulorum. 285.C
.... egregia responsa de imitatione Dei, & debita gestione erga Patriam. 286.B.
.... opinio de cibo inflationem habente. 287.B.
.... Pater Timesarchus. 285.G.
.... Statua Romæ erecta. 287.D.
.... uxor Theano, Brontini Crotoniatæ filia. ibid.E.
.... ejus mors Tarenti. 426.F.
Pythagoræorum Philosophia famosissimum Italicum studium. 283.B.
Python Rheginus. 223.F.

Q.

Querquarium oppidum. 343.A.
Quæstor Nolanus à Publicanis pecuniam exigit. 104.F.
.... reguli quis. ibid.
Quæstores qui. 879.
.... quando inceperint. ibid.
.... Urbani. ibid.
.... Parricidii, Provinciales, Ærarii. ibid.
.... Forenses, seu Coloniæ, & Municipii. 882. E.F.
.... Forenses Ærarii. 883.D.
Quæstoricii, Quæstorii qui. ibid.
Quæstura. 879.
Q. Crispinus de Tarento sollicitus. 515.E.
Q. Fabius Maximus. 511.F. & seq.
Quintius Romanæ Classis præfectus à Milone occiditur, & ejus Navis capitur. ibid.B.
Quinque Viri mensarii, mensorii, cis, & ultra Tiberim-Turribus, murisque reficiendis, Coloniæ, deducendæ &c. 860.A.B.
Quinquennales Pontifices, Flamines, Decuriones, Bidentales, Augures, & Præfecti, Augustales, Magistri Juvenum, Magistri variorum Collegiorum, seu Corporum, Defensores Civitatis, II. Viri in Colonia, ac Municipio, Decuriones, Ædiles, Quæstores. ibid. & seq.
Quinquennalicii varii. 865.A.
.... qui dicendi. 866.A.
.... sunt II. Viri. ibid.
Quinquennalia Neronis. 860.B.
Quintus numerus mysticus. ibid.

R.

Rabellum, seù Ravellum, & Rivellum Civitas quæ, & ubi. 934.F.& seq.
Raditina pagus. 205.F.
Ragnerius Totilæ præfectus. 518.B.
Raimundus de Ossau. 728.B.
.... Jacobi filius Princeps Tarentinus. 531.B.
Ranæ in Apulia infestæ, & ubi mutæ. 691.B.
Rannulfus Dux Normanorum. 706.F.
Ravagosus portus. 202.F.
Reatium pagus. 257.F.
amnis, & oppidum. 270.E.
Reges Siciliæ, Duces Apuliæ. 810.B.
.... varii circa Nolam veniebant aucupatum. 48.E.
.... olim cur oleo ex Cornu pastoritio inungerentur. 689.B.

Digitized by Google

.... Aragonenſes quantum Aquavivis Prōceribus debeant.716.D.
Regia ab Urſo incæpta cur perfici non potuerit.57.F.
.... ſive Regulorum domus intra muros Nolæ eſt. 56.F.
Regina oppidum.171.C.
.... vicus.174.D.
Regna quomodo ſervantur, ac defenduntur.605.A.
Regnum per excellentiam vocant Itali illud Neapolitanum.921.A.
Rebarum familia.92.A.
Renatus Andegavenſis.612.D.
Reſpublica amalphitana antiqua cum Veneta comparata.931.per tot.
.... utque potens quandoque temporibus ſervire debet.331.B.
.... in tres ordines, ſive principia conſtituitur.334. E.F.& 332.C.
Rhamnus Urbs quare ſic appellata.682.C.
Regina Regio Sicilia dicta eſt.222.F.223.C.
.... Reſpublica in Calabria.309.E.
Reginorum perpeſſæ calamitates.216.F.
.... numiſmata 220.E.
.... & Tarentinorum fœdus.469.B.
.... Præſul interfuit Nicenæ primæ Synodo.151.D.
.... Metropolitanus eſt Calabriæ.ibid.E.
Rhegii Conditores.215.D.216.A.
.... varia nomina.216.B.C.,& ſeq.
.... nomen ab Aſchenarum Pronepote Noe Conditore ſumptum.124.F.
.... deſcriptio, & denominatio.213.F.215.F.
.... Civitas Romanorum Colonia, & municipium nobiliſſimum.219.B.
.... fuiſſe Urbs Siciliæ dicitur.222.F.
Rhetores quinam intelligendi.632.D.
Rhinthonicæ Comediæ à Rhinthone dictæ.431.F.
Rhudia Civitas.771.D.
ſive *Rhudiæ* non Rugæ Urbs mediterranea.607.C. 610.F.
.... illius nomina varia.607.C.
.... quantum diſtat ab Urbe Iupiarum.ibid.
.... illas duas Urbes idem Populus habitabat, & inter eas fuerunt ſpecus ſubterraneæ.ibid.
.... in ea natus Poeta Ennius.608.C.
.... nunc tota ſeritur, aut oleis conſita eſt. ibid.D.
Ribera Provinciis præfectus.411.D.
Richardus Andriæ Comes.708.A.
Rigadum pagus.195.C.
Rigiconum pagus.205.E.
Rigudum pagus.231.B.
Rinalda familia nobilis.702.D.
Riolum oppidum.344.E.
Riſiorum familia.94.F.
Robertus Capuæ Princeps, ejuſque hiſtoria.964., & ſeq.
.... Guiſcardus Calabriæ Dux. & Apuliæ.809.F. & 611.F.
.... præſtitit homagium utriuſque Ducatus ibid.,& 810.A.
.... Tarentum capit.522.E.
.... Aquaviva eruditione conſpicuus, & eius operum Catalogus.725.A.
.... de Vaſuille Cuperſani Comes.708.D.
.... de Angia.708.A.
.... lupienſis celeberrimus declamator.622.F.
Rocca ubercula ubi ſita, & à quo condita 601.A. 110.D.
.... à quo condita, & ſic nominata.601.E.
.... lupienſium emporium.ibid.
Roccanellus fluvius.342.C.
Rodericus Pontius Prorex Neapolitanus. 721.F. & ſeq.
Rogerius Boſſus Roberti Guiſcardi filius, & eius bella, & Dux Apuliæ.810.A.B.611.F., & 112.B.
.... Comes Siciliæ, ejuſque indoles.947.A.& ſeq.
.... Apuliam, & Calabriam Gulielmo aufert.ibid., & 948.A.
.... ſe Regem Siciliæ facit.948.E.
.... occupat Ducatum Amalphitanum.951.B.
.... eidem Neapolis ſe ſubmittit.952.A.
.... ab Anacleto Pontifice confirmatur Rex Siciliæ, Dux Apuliæ, & Calabriæ, atque Capuæ Princeps.954.A.B.
.... hoſtis Eccleſiæ declaratus ab Innocentio II. 955.A.
.... cruentas victorias contra Civitates rebelles habet.963.A.
.... deleta Averſa, obſidet Neapolim.966.E.
.... filium Anfuſum Capuæ Principem conſtituit, & Neapolim obſidet.972.D.
.... fugit in Siciliam.978.A.
.... Averſam, & Capuam occupat.982.A.,& ſeq.
.... omnia tandem recuperat.983.C., & 984.& ſeq.
Rogianum oppidum.170.B.
.... vicus.174.D.
Roma Terrarum caput quænam Urbs, & unde nomen.603.E.681.A.
Romani in ſubactis Civitatibus Colonias conſtituebant. 777.C.
.... Patroni Coloniarum,& municipiorum.839.A.B
.... Patroni Sociarum Civitatum.ibid.
.... rerum domini in omni genere luxuriæ volutantur.594.A.
.... illorum inopia quo tempore.593.F.
.... Italiam repoſcunt.623.D.
.... ad quam Regionem, & Urbem frequenter trajiciebant.604.A.624.A.
.... eorum pars nobilior in Cannenſi clade extincta.678.F.
.... non cum Samnitibus Solis, ſed cum Nolanis bellum Samniticum geſſerunt.17.F.
.... quare non paucas Villas in agro Nolano extruxerunt.41.C.
.... eorum Coloniæ in Calabriam deductæ.146.E.
.... adventum Pyrrhi in Italiam non animadvertere ante commiſſum cum Tarentinis prælium. 481.C.
.... legatos ad Pyrrhum mittunt pro redimendis captivis.487.B.
.... Pœnorum ſtructuras ad arcem oppugnandam deſtruunt.507.C.
.... quomodo Elephantes ſuperarunt.494.A.
.... Senatus reſponſum Cineæ.486.F.
.... bello egregii.479.A.
Romanorum familia.97.A.
.... legatio ad Pyrrhum.487.A.
.... victoria de Tarentinis, & Pyrrho unde. 493. E.F.
.... claſſis à Tarentinis ſuperatur.510.C.
.... Coloniæ in Calabriam deductæ.146.E.
Rombiolum pagus.194.C.
Romoaldus Beneventanorum Princeps.604.C.
.... quas urbes cæpit, ac diruit. ibid.
.... Tarentum,& totam Apuliam occupavit.519.F.
Roſa amnis.167.A.
.... vicus.174.D.
Roſarnum oppidum.201.C.
.... pagus.194.
Roſcii plures indigitantur.818.F.
Roſetum oppidum.344.C.
Roſſanum Civitas vetuſta.310.D.
.... à vaſtitate Saracinorum immune fuit. 311.A.
.... quænam ibi Reliquiæ.ibid.C.
Roſſia promontorium. ibid.D.
Rotundula vicus.345.A.
Rubetum pagus.179.D.
Rubiuna familia Cuperſanenſis nobilis.696.C.702.B.
Rublanum pagus.183.A.
Rubus Urbs Apuliæ, fidem Chriſti ſuſcepit ab Apoſtolo

Digitized by Google

stolo Petro. 664.C. 731.B.
Ruffa familia una ex septem Regni præcipuis.723.F.
Rufforum familia.91.E.

S.

Sabba audito Venetæ Classis adventu obsidionem Tarenti solvit.520.C.
Sabaudia unde nomen acceperit.681.B.
Sabatelum pagus.214.C.
Sabatium oppidum, & flumen.185.A.
Sabatum flumen.183.A.
Sabronum promontorium.194.B.
.... pagus.ibid.F.
Sabutinum pagus.267.D.
Sacella subterranea in Urbe Nola quomodo effecta. 74.C.
Sacellum Divi Paulini in Urbe Nola.71.A.
.... ibidem Divo Felici dicatum.63.A.
.... Incarnati Verbi in Cathedrali Cupersanensi à quo extructum.714.C.
Sacerdotes Greci doctissimi ubi; & eorum mores.619. A.B.
.... Nolani describuntur.81.C.
Sagra fluvius.253.C.
Sala unde Nolanis dicta.77.A.
Salapia Civitas.771.C.
Salatia quæ.662.A.
Salentina pars quota Calabriæ.126.D.132.C.
Salentina eadem, ac Japygia.589.C.
Salentinum promontorium in Scyllitico Sinu.133.D.
.... stalatum appellatur ab accolis.ibid.
Salethus Crotoniata legislator.295.D.
Salentini Colonia Cretensium fuisse dicuntur.589. D.
.... agri, vel Campi felices.591.A.
.... illos populantur bruchi.ibid.
.... a quo igne, ferroq. vastati.612.E.
Salentum, vel Soletum quænam Urbs, & ubi posita, & qualis olim fuerit.613.C.624.B.
Salerna familia Cupersanensis extincta.702.B.
Salernitatorum bellum cum Amalphitanis 912.E.F.
Salinæ duæ olim erant apud Tarentinos.451.E.
Salmiscus repetit à Dionysio Platonem.424.D.
Salpæ pisces.456.D.
Samnites adversus Tarentinos.471.D.
.... in aciem quare nolebant descendere.475.A.
.... cur non omnes à Romanis cæsi.ibid.
.... eorum perfidia, & ignominia.143.C.144.A.
.... apud Beneventum eorum clades.680.E.
Samuel martyr.340.D.
Samus Calabriæ Urbs fuit.283.F.
Sancti Andreæ Corpus Amalphi colitur, & quando eo translatum.923.E.& seq.
.... Templum describitur.938.C.
Sanctorum familia.91.C.
Sanctucia familia Nobilis.702.E.
Sanseverini illustris prosapia.319.E.
Sansonum familia.95.C., & 723.F.
.... & quando Nidi Sedili aggregata.ibid.
Sanctocrucium amnis.309.A.
Sapanum oppidum.79.D.
Sapho insula ubi.600.D.
.... quis apud eam victus, ac fugatus.ibid.
Sapinorum familia.98.A.
Saraceni aliquando expugnarunt Tarentum. 520. A.
.... Romæ finibus expulsi Italiam vexant.521. D.
.... Italia à Normannis pulsi.945.C.
.... bellum gerunt cum Amalphitanis. 910. D. 946. B.
Sardæ pisces.456.C.
.... & Sargi Brundusini ab Ennio laudati.458.D.
Sardinia cur Ichnusa.681.F.
Sardorum familia.91.D.
Sargonadum pagus.205.A.
Sarinorum familia.90.C.
Satrianum oppidum.258.F.
Saturcia urbs ubi sita fuit.385.E.
Saturum quinam locus, & ubi.594.E.
.... quantum à Tarento distat.ibid.
Saturus calor quid significat.93.C.
Satyri unde dicti.398.B.
Saxo Gramaticus historicus.666.E.
Saxonum familia.93.D.
Scala oppidum Amalphi vicinum, variè appellatum. 935.A.B.
.... Castellum.308.D.
Scalea olim Talus oppidum.162.D.
Scaletum pagus.194.B.
Scaligeri epigramma de Pyrrho.495.F.
Scavalium pagus.273.F.
Scavetorum familia.97.E.
Schisma circa annum.1130.sub Innocentio, & Anacleto.952.C.
.... opera Divi Bernardi extinctum.983.A.
Sciras Tarentinus Commediæ Italiæ auctor.432.A.
Sclavorum familia.94.B.
Scombrus piscis.455.A.
Scorpiones, & Scorpenæ pisces.456.B.C.
Scorpionis signum Tarentinis à Rege Pyrrho datum. 445.D.
.... symbolum lasciviæ Tarentinæ.ibid.
.... Africæ Terræ symbolum.ibid.F.
.... Tarentinis datum, quia Urbs eius formam refert.446.D.
Scotorum, Gallorumque ritus ad furem deprehendendum.688.C.D.
Scrignarii familia.93.D.97.F.
Scriptores deliderati qui.592.B.607.E.623.E.
Scrophonium pagus. 205.F.
Scrufudonium pagus. 311.D.
Scyllaceum Civitas nobilis. 259. D.
Scyllæ figmenti explanatio. 208.D.
Scyllaticus sinus in Jonio mari. 133.D.
.... ejus fines. 258.A.
Scylleum oppidum. & promontorium. 207.E.& seq.
Scymnus Tarentinus. 429.F.
Scythiæ tigres. 592.A.
.... illius paludes, & pruinæ. 591.F.
Sebeti fluvii ortus in Vesuvio. 8.A.& B.
Seminaria Civitas. 206. E.
Seminarium Tarentinum à quo erectum. 570.F.
Seminis amnis, & oppidum. 267.F.
Sena Urbs celeberrima in gratiam Senum ædificata. 680.C.
Senatores. 812.B.
Senatus, & ordo Senatorius. ibid.C.
.... Præfecti olim Comites. 703. B.
.... & primarii Urbis propriæ Civitatem constituunt. 35.B.
Seleucides aves ubi, & quales. 591.A.
Senex Capularii juvenis factus apud Tarentinos. 463. D.
Senitum flumen. 320.C.
Senum labor qui. 630.B.
Septimius amnis. 171.F.
Seracena olim Sestium oppidum. 165.A.
Sepulchra cur olim extra Urbem. 669.B.
.... olim perenni lumine illustrata. 677.F.
.... Pauperum ubi Romæ. 668.F.
.... nobilium propriis in prædiis. 670.E.
.... quibus intra Urbem concedebantur. 669.D.
Sepulchralis Clementiorum inscriptio. 701.E.
Serica in Calabria passim, atque affatim fiunt. 345.D.
Serpentes Libyæ quales. 590.A.
Serra vicus. 182.F.
Serrata pagus. 200.C.
Serratum, & Serra vici. 184.E.

Digitized by Google

Seffula celebre quondam oppidum. 5.C.
Seftium nunc Caracena oppidum. 167.A.
Seftum pagus. 259.B.
Setæa regio circa Sybarim. 340.B.
S. *Severus* Urbs nobilis. 695. B.
Sexanum olim oppidum. 740.A.
Siberena Civitas Archiepiſcopalis. 273.B.
Siberenacium numiſmata. ibid.C.
Sibylla Cumanæ hiſtoria. 321.F.
.... Delphicæ patria. 42.D.
Sicilia a Sicilicndo dicta. 681.B.
.... cur Trinacria dicatur. ibid. & 149.F.
.... populi Romani horreum. 662. D.
.... dicta pars quota Calabriæ. 126.D.132.C.148.F.
.... Tyrannorum ferax ac nutrix. 238.D.
.... terræmotu ab Italiæ continente avulſa. 410.E.
Sicilæ duæ quare. ibid.
.... Regnum ci[illegible] Pharum. 148.F. & ſeq.
Sicoranſarum familia. 91.E.
Siculi locum circa Rhegium inhabitaverunt. 131.A.
.... ab Oenotriis ejecti in Trinacriam trajecerunt. ib.B.
.... eorum conſpiratio in Carolum Secundum. 727.B
.... & Apuli cur Cere rem venerarentur. 671.B.
Siculum mare quouſque dicatur. 257.F.
Sideronum vicus. 253.C.
Sidum pagus. 206.C.
Sigonius diverſus ab Onufrio de Pyrrhi in Italiam adventu, & ab ea receſſu. 496.A.
Sila Sylva in Coſentino agro. 176.E.F.
Silarus mons. 343.B.
Silius Italicus citatus. 15.C. 16.D.
Sillax pictor celebris. 228.C.
Simarelum fluvius. 309.C.
Simiatonum pagus. 199.D.
Simonetarum familia Cacurii oriunda. 306.C.
Sinus Tarentini deſcriptio. 401.E.F.
Sipus, Sipontius Civitas. 771.C.
Sirtis pars Calabriæ à Chaonibus inhabitata. 129.F.
Sitigianum vicus. 265.D.
Sitizanum pagus. 206.C.
Smicrines Tarentinus victor in ſtadio. 434.C.
Smyndirides Sybarita, & ejus luxuria. 323.E.
Socratis luxus cum Lamprode. 421.A.
Solearum diverſa nomina. 457.F.
Soleum flumen. 168.A.
.... amnis. 271.A.
Solis ſtatua opus Lyſippi inter Coloſſos recenſetur. 554.B.C.
.... ſtatua quomodo à Petro Apoſtolo fracta. ibid.
Solinus citatus. 31.E.
Sophadum pagus. 194.A.
Sorbum pagus. 267. D.
Soretum oppidum. 199.E.
Sorianum oppidum. 191.B.
Spari pilces. 458.D.
Spartanæ fœminæ ab obſidione Meſſeniorum maritos conantur abducere. 393.C.D.
Spaſmus, & ſacer morbus tollitur aqua pota ex cornu aſini ſylveſtris. 689.F.& ſequ.
Spatha piſcis. 458.F.
Spatarellorum familia. 97.F.
Spatianum: ejus nominis duo pagi, & Præturæ. 182.E.
Spatula pagus. 191.A.
Spectacula quæ Nolæ redduntur. 109.D.
Spectula concava quomodo reddunt imagines. 622.A.
Spegula, ſive lapi piſces. 455.A.
.... eorum ovata richa. 457.E.
Spilinga pagus. 195.D.
Spina ex Corona JESU CHRISTI Cuperſani aſſervatur. 739.D.
Spinellum pagus. 306.F.
Spinetus ventura celebris. 604.B.
Spira marmorea, & trabs, in qua varia menſurarum genera ſunt excavata. 80.C.
Spongiæ. 454.E.
Stabiæ Emporium Nolanorum fuit. 4[illegible].
.... ubi ſitæ fuerunt. 29.B.
Stalaſſa amnis. 207.D.
Stalatum vocatur Salentinum promontorium. 133.D.
Stancionia familia nobilis Cuperſanenſis extincta. 702.C.
Stelliones, & Cicadæ in Apulia infeſtæ. 691. A.B.
Stemianum pagus. 257.F.
Stenidas Pythagoricus Legislator, & ejus egregium judicium de Rege. 246. A.
Stephanatulum vicus. 190.B.
Stephani (Sancti) templum in Civitate Monopolis erectum à Goffrido Comite Cuperſani. 707. D.E.
.... Archiepiſcopi Rhegini Primi vita. 221.C.& 149.A
.... Archiepiſcopi Hydruntini mors orrenda. 599.F.
Stephanus Aquaviva Cardinalis. 724.A.
.... Philomarinus Archiepiſc. Tarentinus. 565.D.
.... (Beatus) B. Nili alumnus. 315.F.
.... Alexii filius Sybarita Poeta Comicus. 324.F. 337.E.
.... Byzantinus citatus. 15.D.
Sterapodonum pagus. 194.A.
Steſichorus Poeta Calaber. 149.D.
.... & muſicus eximius. 201.F.
Stomachi dolentis antidotus Pythagoræ. 287.C.
Storthingum Promontorium. 275.A.
Strabo citatus. 15.B.
.... quid de regione Japygiæ refert. 559.C.
.... quid ſentiat de ſinu Tarentino. 402.D.
Strato Tarentinus. 435.A.
Stridanum pagus. 200.D.
Strongilis Civitas Sedes Epiſcopalis. 305.C.
Stylarum fluvius. 257.B.
Stylum oppidum. ibid.
Suberum promontorium. 187.F.
Suberatum Caſtellum. 259.C.
Subſicinum oppidum. 190.D.
Suburbia ubi condita fuere à Gentilibus pro Sepulchretis. 668.B.
Summuranum oppidum. 164.C.
Suſſolanorum familia. 92.A.
Sybaris Urbs vetuſta, & potentiſſima fuit. 320.E.
.... Crotoniatis everſa. 321.A.
.... luxuriæ, & deliciis dedita. 322.A.B.
.... oppidum. 555.F.
.... fl[illegible]us. 164.F. 325.E.F.
.... & Iſaurus fluvii ſubtus Laurentum miſcentur. 300.C.
Sybaritarum numiſmata. 325.B.
Syconum pagus. 193.F.
Syllanum pagus. 183.B.
Symptomata Tarantulis demorſorum. 466.B.
Synopolis oppidum. 206.D.
.... græcus pagus. ibid.
Syphei oppidi veſtigia 164.F.
Syracuſanorum Patroni Marcelli. 339.B.
Syri: amnis Calabriæ. 134.D. 345.A.
Syrus fluvius. 268.D.

T.

Taberna Civitas nobilis. 226.E.
Tabernarum ordo prope Epiſcopium. 64.F.
Tabula Canuſina erecta Maximo, & Æliano Conſulibus. 758.A.
.... quare fuerit erecta. ibid.
.... erecta a II. Viris Quinquennalibus. ib.B.
.... in excidio Canuſii deperdita. 804.F.
.... inventa in agro à Colono, & ad D. Octavium Affaitatum Canuſii Baronem translata. 811.C.D. & 808.C.
.... inde Venetias translata. ibid.
.... cognoſcitur eſſe antiqua. 790.A.
.... continet Conſules, qui non continentur in Faſtis. 814.F.
.... continet II. Viros Quinquennales M. Antonium

Digitized by Google

nium Priſcum, & Lucium Annium Secundum. 782.B.
.... defenditur eſſe antiqua, & ad Alexandri Cæſaris ætatem defertur. 847.B.C.
.... qualis ejus materia, forma, altitudo, latitudo, &c. 790.B. 791.E.
.... quem ordinem ſcripturæ contineat. 796. C. 792.F.
.... ſignum cordis in inferiore parte poſitum continet, & indicat ſignum ſcribæ. 795.E.
.... Amalphitana quæ fuerit antiquitùs. 921.A.
.... erat eis vice legum Rhodiarum. 944.B.
.... Chronologica Amalphitana. 985., & ſeq. per tot.
Tagus fluvius a Tago Rege dictus. 682.B.
Tagonia familia nobilis Paviæ, & Cuperſani. 702.E.
Talaus amnis Calabriæ. 124.D.
.... Calabriam à Lucania dirimit. 162.A.
.... nunc Scalea oppidum. ibid.D.
Tancillorum familia. 91.E. 95.E.
Tancredi filii Comites Normannorum. 707.A.
Tancredus Normannus cujus filius, ac Nepos. 607.B. 611.F.
.... quos Regno Apuliæ pellit. ibid. & 809.D.
.... Saracenos è Sicilia expulit. 945.C.
tutor Bohemundi Junioris, & Adminiſtrator principatuum. 525.B.
Tangorum familia. 90.F.
Tara primus conditor Tarenti. 384. vide Taras.
Tarantaſienſis Urbs Sabaudiorum. 399.F.
Tarantati qui dicuntur. 465.E.
Tarantinidion. 459.E.
Tarantula, ejuſque mira proprietas. 663.F.
.... invidiæ ſymbolum. 465.C.
.... quomodo ejus venenum curatur. 466.A.
Tarantum Lucaniæ oppidum. 399.F.
Taras quibus nomen commune. 592.D.
.... cujus filius. ibid.
.... cur Neptuni filius dictus. 6.B.
.... filium ex Satureja ſuſcepit Tarentum. 3.C.
.... in quo genere uſurpatur ab auctoribus. 2.C.
.... nomen Civitatis, & fluminis. ibid.
.... non ille, de quo in Sac. Scriptura fit mentio. 3.E.
.... Tarentum condidit. 3.B.
.... quando obiit. 49.A.
.... fluvius qua ratione à Tara Heroe appellatus. 21.C.
Tarenti forma antiqua. 23.A.
.... Senex decrepitus factus juvenis. 64.C.
.... Diœceſis quinque habet Abbatias. 152.C.
.... delitiæ. 61.B.
Tarentini agri deſcriptio, & extenſio. 19.A. 20.E.
.... agri fertilitas. 51.B.
.... antiqui quot ducebant uxores. 63.D.
.... inter ſe diſcordes. 97.F.
.... ichthyophagi. 56.B.
.... Romanis tributarii. 108.A.
.... à Brutiis, & Lucanis infeſtantur. 71.B.
.... claſſem Romanam invadunt. 74.B.
.... Romanorum legatos injuria afficiunt. ibid.
.... Gallis ſe dedunt. 127.B.
.... Venetiis ſe dedere conſulunt. 129.D.
.... cum Federico Rege conveniunt. 130.A.
.... ad Hiſpanos tranſeunt. 133.C.
.... quid in Hydrunti reparatione fecerint. 125. B.
.... milites quidam de Cœlo tacti. 63.C.
.... claſſem Romanam in portum trahunt. 74.B.
.... cum quibus à Romanis defecerunt ad Pœnos. 91.E.
.... cur mortuos intra mœnia ſepeliunt. 96.D.
.... deliberantan ſe dedunt Aragoniis an aliis. 129.C
.... de Venetis Claſſiariis victoriam reportant. 128.C
.... equites quales. 49.C.
.... gaviſi ob adventum Pyrrhi. 78.C.
.... inimicas Naves obruunt. 129.A.
.... Juvenes promittunt Annibali ſocietatem ſui Populi. 92.C.
.... navibus rotis ſuppoſitis ex uno mari in alterum deducunt. 100.A.
.... ob quam victoriam æneos equos, & fœminas captivas Delum miſerunt. 69.C.
.... poſt Pyrrhi diſceſſum ad Carthaginenſes confugiunt. 91.A.
.... qua fraude Lucanos à Romanis avocarunt. 72.D
.... quare bellum ſuſcepere contra Meſſapios. 67.E.
.... quo anno ad Annibalem à Romanis defecerunt. 100.B.
.... reges poſt Phalantum uſque ad Archytam Tarentinum ignorantur. 27.A.
.... ſemper cum Rheginis arma junxerunt. 68. E.
.... ſeſe certis conditionibus Frederico dediderunt. 130.C.
.... ſeſe Venetis Senatoribus ſubjicere decernunt. 544. D.
.... ſingulis menſibus Epulum inſtituebant publicum. 460.B.
.... variis piſcandi artibus ſemper uſi. 443.C.
.... qua politia utebantur. 593.E.
.... quo exprobati propter molitiem. ibid.
.... adverſus Romanos, & eorum pœna. 143.F. & ſeq.
Tarentinorum Imperatores. 386. per tot. pietas. 389.
.... emporium. 402. Democratia. 439.C.
.... legatio ad Samnites, & Romanos. 474.C.
.... luxuria, & deliciæ. 459.D.
.... militum facinus. 461.F.
.... ritus circa novos ſponſos. 463.D.
.... modus circa camas. 445.C.
Tarentum, vel Tereutum. 400.F.
.... an Calabriæ Urbs. 405.E.F.
.... an Siciliæ. 410.B.
.... à Romanis militibus ſpoliatur. 513.C.D.
.... antiquam pyramidem exprimebat. 411.B.
.... à piſcium copia potuiſſet dici Sidon. 453.A.
.... dirutum, & à quibus reſtauratum. 517.E.F.
.... dictum Phalantheum. 396.E.
.... dictum Saturum. 398.B.
.... habet portum, & ſtationem tutam navibus. 411.F.
.... quare, & à quibus dictum imbelle. 459. F., & 460.A.
.... ſub qua Cœli plaga ſitum. 401.E.
.... varia apud Poetas habuit epitheta. 398.C.
.... unde Lacedæmoniorum opus dictum. 395.E.
.... olim Aduliæ caput. 661.B.
.... à Sancto Petro Apoſtolo fidem ſuſcepit. 731.B.
.... Urbs qualis, & ubi. 592.D.
.... à quo occupata, & lacedæmoniorum Colonia facta ibid.
.... inter duo Maria ſedet, & eſt munitiſſima. 593.A.B
.... quid de illa prædicarunt Turcæ, & Galli. ibid.
.... quid de illa ſcripſit Guido. 594.C.
Tavara familia Cuperſanenſis extincta. 702.C.
Teanum Apulum Civitas. 771.D.
Tebenna veſtis unde dicta. 647.C.
Teleclum Regem Spartanorum Meſſenii interfecerunt. 393. A.
Tellinæ quando capiantur. 454.B.
Temenetida porta perſpicua olim apud Tarentinos. 413.A.
Temeſa ſive Tempſa Civitas. 169.D.E.F.
Templa varia Nolæ erecta. 37.A. 38.F.
Templum Apollinis Nolæ quod nunc cæmeterium vocatur. ibid.
.... Divo Angelo dicatum in jugo Gecalæ. 53.B.
.... Divæ Mariæ Epiſcopium vocant. 60.F.
.... Felicis in platea ubi erectum. 59.D.
.... Jovi ſervatori dicatum hodie Servator dicitur. 37.E.
.... nobile aliquod fuit in vico prope portam Cortefellanam. ibid.C.
.... Nolæ mercurio dicatum. 24.B.
Templorum circuitio apud Gentiles. 684.F. 687.A.
.... circuitio in Imperatorum coronatione. 684. F.

Digitized by Google

.... circuitio apud Christianos. 687.A.
Tempsa, sive Temesa Civitas. 168.D.
.... de ea proverbium. ibid.E.
.... fuit Sedes Episcopalis. 169.E.
Tenesinus Campus. 164.D.
Terenon Sabinorum lingua molle significat 449.F.
Teringa ab Agarenis oruta. 186.C.
.... ejus vestigia. ibid.
Terinæorum numismata. 187.D.
Taxinus scopulus à nautis navis dictus. 186.D.
.... sinus in Tyrrheno pelago. 133.D.
Terni numeri consideratio Hippodami. 332. B. C. & seq.
Terra nova duo vici. 174.D.
.... oppidum nobile. 205.C.
.... Batiana. 662.A.
Terra sigillatæ virtutes. 692.F.
Terræmotus Apuliæ. 666.D.
Testudo piscis. 458.E.
Tethiorum familia. 94.C.
Thare cur ex Caldea recessit.
.... de quo in sacris fit mentio quis fuerit. ibid.
Thano mulier poetrix. 249.E.
.... Pythagoræ uxor docta, & sapiens. 287.E.
.... ejus elegans scriptum de pueris educandis. ibid.F.
.... ex ejus mente quænam mulierum celebritas, &
.... officium. 283.E.F.
.... ejus sententia de scelerata vita, & morte, & Animæ immortalitate. 189.A.B.
.... altera filia Leophronis uxor Caristi mulier docta. 337.D.
Theagenes Poeta clarus. 227.A.
Thebani è Cereris simulacro omnia hauriebant. 672.E.
.... pingues, & valentes. 627.F.
Thebæ qualis urbs. 603.E. 627.F.
.... nunc Lucii oppidum. 318.F.
Thelauges, sive Theoges Pythagoræ filius eximius Philosophus, & Mathematicus. 289.A.
Themistoclis in Patriam pietas in præfat. Antonii de Tarsia.
Theodorici Regis epistola ad Cassiodorum. 260.B.
Theodoricus Rex Italiæ legem 12. tabularum restituit. 669.C.
Theodosius classem sexagintarum Navium à Venetis impetrat. 520.C.
Theolophori origo, vita, & laudes. 177.D.E.
Theræna familia nobilis. 702.E.
Theseus cur filius Neptuni dictus. 389.C.
Thesinophoria Cereris in honorem instituta. 671.F.
.... non nisi ab honestis mulieribus celebrari poterant. 672.A.
Thessalum fuisse Neptunum nonnulli contendunt. 390.B.
Thessanum pagus. 183.C.
Thomas Aquaviva Aragonius Episcopus Rhodiu[s]. 722.E.
.... Aquinus Calaber homo. 149.D. & Doctor eximius. 268.E.F.
.... Agnellus, vulgò *Masaniello* seditionis Neapolitanæ auctor memorandus. 941.C.
Thersus Insula ubi. 587.B.
Thuria fons urbi Thurio nomen dedit. 328.A.
Thurina Respublica in Calabria Sybaris successit. 309.F.
.... Sedes Episcopalis Rossanum translata. 339.D.
.... Sybaris Urbis reliquiæ. 320.D.
Thurini ira moti ad Annibalem defecere. 509.B
Thurinus sinus Japygia etiam dicta. 274.F.
Thurinorum numismata. 331.B.
Thurium Urbs, & ejus potentia, & situs. 326.D.
.... unde nomen mutuavit. 671.D.
.... Romanis fœdere conjuncta fuit. 330.D.
.... semel tantum à Romanis defecit. ibid.F.
Thurus Sybarita fabularum auctor. 324.D.
Thyella Urbs. 167.F.
Thyetum oppidum. ibid.
Thymnorum piscatio. 455.D.
Tiberius Rosellus Philosophus. 265.A.
.... Cæsar Templum Augusto Nolæ erexit. 78.E.
Tigres Scythiæ. 592.A.
Timares optimus Legislator. 246.D.
Timæus Philosophus celeberrimus. ibid.
Timasitheus Crotoniata athleta celebris. 302.C.
Timesarchus pater Pythagoræ. 283.E.
Tiretum pagus. 214.D.
Tirus fluvius. 166.D.
Tisicrates Crotoniata athleta celebris. 301.A.
Tituli dignitatis, qui in Tabula Canusina leguntur, explanantur. 847. F.
Toccorum familia. 94.E.
Todonum familia. 90.C.
Toga Prætexta signum honoris pro vivis, & mortuis 889.C.
.... sub Augusto quasi derelicta. 886.F.
.... sub Hadriano vix in usu. ibid.
Togæ variæ species, Prætexta, Candida, Pura, Pulla, Sordida, Picta, Purpurea, Palmata. 887.A.
Tophinum à Topho altissimo in agro Nolano appellatum. 11 E.
Toranum oppidum. 171.C.
.... vicus. 174.D.
Torrecusæ Marchio Hispaniarum Primas. 722.E.
Torrentes quomodo ab agro Nolano divertuntur. 5.D.E.
Tortamana familia Cupersanensis extincta. 702.C.
Totilas Tarentum à se captum muris circumsepsit. 518.B.
Trajanus profluvio ventris extinctus, intra Urbem sepultus, ejus ossa in urna aurea. 669.E.
Tranum Urbs nobilissima. 604.C. 695.B.
Trassans canis qui dicatur. 688.D.
Trebisatium oppidum. 343.C.
Trecotium amnis. 205.F.
Treparvum pagus. 193.B.
Trephilicium pagus. 206.A.
Tres Tabernæ. 267.B.
Trezenum pagus. 214.D.
Tribunus Plebis, quis. 873.F.
Triontum flumen. 266.A.
Trinacria Sicilia dicta. 681.B.
Triptolemus an thesmophoria instituerit. 671.F.
Trischene fuit Civitas nobilis. 267.A.
Tritantum pagus. 201.A.
Triventum antiquum oppidum Amalphitan. 936.A.
Triumphorum familia. 95.C.
Triumphus de Tarentinis qualis. 494.B.E.
Troja Urbs nobilis. 695.B.
Tropæja Civitas antiqua. 194.E.
Trombetta familia nobilis. 702.E.
.... ejus Episcoporum præsentia in Conciliis. ibid.
Turbidum flumen. 184.C.
Turbidus fluvius. 171.C.
Tumulorum antiquorum descriptio. 23.A.
Tumulus Jo. Borbonii dirutus. 711.D.
Turcæ inita societate cum Gallis Calabriam diruunt. 153.E.F. 213.E.
.... Hydruntum obsident, atque oppugnant. 599.B.
.... urbem capiunt, & nemini parcunt. ibi.F.
.... municionibus tingentibus. eam reparant. 600.C.
.... à quibus, & ubi victi, & fugati. ibid.D.
.... quam regionem invadunt, ac vastant. 613.A. 618.F.
.... quid censent de Regione Japygiæ. 589.E.
.... quid de Urbe Tarento. 593.B.
Turrecula Insula Ithacusa juxta Nicolam. 193.E.
Turris Cupersanensis celeberrima. 683.A.
.... Divi Isidori, ubi. 595.A.
.... Jopparellorum ubi sita. 17.D.
.... Nunciatæ oppidulum cum Villis, & emporiis Nolanorum. 30.B.

.... Nun-

.... Nunciatæ ubi sita.29.F.
Turricella oppidum Sanctorum.406.D.
Turrucidæ scopulus 413.A.
Turrudda Turris.553.F.
Turtora oppidum Calabriæ. 162.A.
Tyresium promontorium, & oppidum. 184.C.
Tymnaria fluvius.173.A.
Tyrium oppidum.265.B.
Tyrrenum mare, inferum fretum Calabriæ. 124.C.

V.

Vadiscus portus, qualis & ubi.597.A.
Valentia Civitas illustris. 391.D., & seq.
Valerius Maximus citatus.27.A.
Valgi amnis.308.F.
Valle Lucion Monasterium. 114.E.
Valle Soletum olim Pintia. 681.F.
Vallis dicta Fornesum. 409.C.
.... sacræ descriptio in agro Tarentino. ibid.F.
Vallonga Castellum.190.B.
Varapodum pagus.206.A.
Vardia Castellum. 171.A.
Vasta qualis Urbs, & ubi sita, & quomodo aliàs nominata. 613.F.
Vaticanum promontorium. 195.B. 196.B.
Vatonum pagus. 205.F.
Vatinium pagus. 196.F.
Vectigal pro umbra Platani solutum.692.C.
Vectigalia Nolanorum. 107.E.
Velamedum pagus, & fluvius. 214.D.
Vena ejus nominis duo pagi.193.D.
Venarum familia. 96.F.
Venenum Tarantulæ perdurat quousque illa vivit. 663.F.
.... lethale in Cryseo monte.472.B.
Veneti totius ferè Japygiæ potiuntur.613.B.
.... Callopolim capiunt, ac diripiunt.595.E.613.B.
.... non Christiani illimi appellati. 629.D.
.... inter eos & Alphonsum bellum. 603.A.
.... admonentur ne se in Tarentinorum causam immiscent. 545.A.
.... Senatores unum ex suis mittere Tarentum decernunt.544.F.
Ventorum veneratio apud Apulos.673.F.
Venus senescendo virescit. 679.E.
.... armata.394.A.
Vergianum oppidum olim Vergæ. 170.B.
Vergonia, & pœna, & locus, in quo puniuntur, dicitur. 80.E.
Verillorum familia.97.E.
Vernauda oppidum.293.B.
Vernicarium oppidum.164.B.
Verres fluvius, & promontorium. 184.A.
Verteraimorum familia.97.B.
Vertinæ oppidum. 268.C.
Vescianum oppidum a quibus extructum.52.A.
Vespillones prorsus prophani sunt. 87.D.
.... quid agant, & qui ità vocantur. 64.F.
Vespillonum vestes quales sunt.65.B.
Vesta eadem quæ Terra dicitur quasi vistet.675.A.
.... pro igne fumebatur. ibid.C.
.... in cineribus cadaverum condebatur. ibid.
Vestales illustres viri, & optimè de Republica meriti in urbe sepeliebantur.669.D.
Vesuviani incendii descriptio.6.C.
Vesuvius, & Abella celsitudine ferè pares. 5.B.
.... à nonnullis dictus à favillis, quas eructare solet. 32.B.
.... infestus cinerum eructatione.6.C.
.... mons dictus Lesbius.31.D.
.... non conjungitur cum agro Castelli ad mare.30.A
Vexisus quis locus in Vesuvio.7.E.
Uffugum Civitas ad Romanos rediit.171.E.
Ugo Cupersani Comes, & Dux Athenarum.709.F.
Ugolinus martyr.340.D.
Via Trajana ubi cernitur .606.C.
.... à quo instaurata. ibid.
Via Nolanæ.58.F. 52.D.
Vibo Civitas illustris. 191.E. 192.B.
.... ab Agarenis eruta. 193.C.
Vibonienſium numismata.192.E.
.... Episcoporum præsentia in Conciliis. 193.B.C.
Vicentius nomen portæ, unde sic dictus.53.F.
Vicarienſium familia.94.C.
Vicensimum sive Trebisatium oppidum.343.C.
Victoria Colonna literis floruit.725.D.
Vidernum Civitas.771.D.
Vincentinum vicus. 171.E.
Vindemiatores Nolani, & eorum obscœna exclamatio. 117.B.& 118.A.
Vinum Apuliæ laudatissimum.662.D.
.... Tarentinum.450.F,
.... ochræ quale, & ubi.611.A.
Virdivallis pagus.257.F.
Virgaris amnis.270.E.
Virgilius Cicadas ex Urbe Neapolitana ejecit.691.A.
.... ejus sepulchrum.65.D.
Visardum mons. 273.B.
Vitalianorum familia.97.D.
Viterbienſis qualis Historicus. 594.C.610.C.
Umbra piscis.456.A.
Umbræ vectigal. 692.C.
Umbri olim commessationibus dediti obæsi, ut porci. 694.E.
Ungues quando capiuntur.453.E.
Voragines ubi, & quales.619.F.& seq.
Volscorum pœna. 144.A.
Urbanus Pontifex Concilio habito ter centum millia hominum exitat, ut signum Crucis suscipiant pro recuperanda Hierosolyma. 524.B.
Urbium variæ nomenclationes.680.A.
Urbs murus dicta, & cur.613.F.
S. Petri qualis, & ubi. ibid.C.
Uretus Urbs, qualis, & ubi, & quomodo aliter dicta. 615.A.
Uria Urbs, qualis & ubi. 604.E.& 771.D.
.... à quibus condita. 391.E.F.
.... oppidum.236.A.
.... oppidum alterum.453.D.
Urnæ, & vasa antiquissima Cupersani reperta.668.A.
.... & vasa antiquorum in Musæo Farsianæ familiæ asservantur. 678.B.
Ursinarsum oppidum.163.C.
Ursina familia una ex septem Regni.723.F.89.E.
Ursus Ursinus regulus cœpit regiam instaurare.57.B.
.... ad fidem Ferdinandi Regis revocatur à Julio Antonio Aquaviva Aragonio.727.C.
Walleranus Lutzemburgius. 710.C.
Wandalitia à Wandalis sic appellata.681.E.
Wffridus montis Rabiosi Dominus.708.B.
Uxentum Urbs qualis, & ubi sita.615.A.
.... ejus nomina alia. ibid.

X.

Xenocrates à nativitate cœcus poeta illustris.249.C
Xiphiarum captura.208.F.
Xosius vicus.171.F.

Z.

Zeuſis Pictor Tarentinus. 430.F.
.... Tarentinus Medicus. ibid.
Zyrruli.456.A.

FINIS.

Digitized by Google

AMBROSII LEONIS
DE NOLA
Patria,

AD HENRICUM URSINUM

Principem justissimum

PRÆFATIO.

OMnes homines, Enrice Princeps, vehementer optant, mirificeque nituntur, ut patriam tam ope summa juvent, quam omni officio, veneratione, ac pietate prosequantur. Cari namque sunt filii, cari parentes, cari quinetiam, atque nihilominus amici: omnium tamen patria una longe carissima est. Non solum enim patria parentum esse parens, atque munera, quæ à parentibus proficiscuntur, omnia contulisse videtur; verum etiam complura nobis alia comperitur præstitisse, veluti solem, æthera, humum, orationem, documenta, mores, nomen, societates, domos, atque alimenta. Quibus muneribus simul se benignam, atque suavem ostendit: simul etiam nos usque adeo secum conjunxit, ut si quid facto, dictove, sive alii, sive nos fuerimus, de ea benemerentes, id omne æque, ac nobis ipsis accesserit, existimemus, atque summopere gaudeamus. Eam ob rem, combustam, dirutamque à Gallis Romam Fu. Camillus ardenti animo, cura, solicitudine ab interitu vendicavit, instauravit, adauxit. Alfonsus item Rex Aragonæus secundus, Enrici avi tui frater, Parthenopen patriam, quæ jam pridem aperta prope, atque angusta fuerat, tum plurimum amplificavit, tum mœnibus quam præstantissimis circumdedit. Athenæ quoque alioquin inter urbes illustres facile clarissimas, Isocratem, ac Aristidem inter primos laudibus magnis juvit extollere: idque dicatis Panathenaicis orationibus luculentissimis. Innumeri quinetiam comperti sunt viri, qui se, corporaque pro vallo ausi sunt hostibus obiicere, eligentes mortem cum vita commutare potius, quam sinere patriam vinci, aut vastari, aut lædi. Alii insuper aliter operam egregiam navavere pro patria: quos recensere opus foret immensum. Ipse vero patriam quoque studio prosecuturus, ut horum omnium benefaciendi cupiditatem videor imitari: ita modo quodam sum dispar munere ipso reddendo. Illi enim patriam opere magno redintegravere, vel effecere majorem: ipse imagine atque aspectus proprii similitudine tanta produxi in medium, adiutus opera Hieronymi Moceti pictoris, ut oculis omnium, atque ubique terrarum per quam facile possit esse conspicua. Quinetiam illi patriam concinne affatimque laudaverunt, ac evexerunt ad astra: ipse contra copia dicendi seposita, relictisque floribus, & orationum lenociniis sola sum historiæ simplicitate complexus. Imagine namque pura, atque historia defæcata in hoc opusculo decrevi patriam venerari, Imaginis enim vis, atque actio divina nimirum est: quippe quæ veram, suamque rei cuiusque faciem agit, & offert: atque absentem tam exacte præsentem ostendit, ac si foret in conspectu. In historia vero non ipsa res solum universa, & vires ipsius, & mores, & honor, & dignitas, & gesta lucent: verum etiam eius inesse comperitur promissio magna quædam æternitatis. Videor quinimmò interim operæ pretium facturus tam civibus Nolanis, quam hominibus exteris; hi enim nomen Nola audientes in quadam inani, fictaque cogitatione tanquam in somnio vagantur; spectantes vero hæc nostra, urbem, situmque eius, atque plurima alia, quæ sunt cognitione digna, æque ac si præsentia forent, infallaci, certaque de-


prehensione nouisse valebunt. Cives verò qui hac tempestate sunt, præsertim qui non multa callent, ut hodiernam tuentur, ita veterem Nolam persentiscere nequeunt, etiamsi nomen, & gesta multa urbis audiant: simul atque hæc ipsa, quæ nunc edidimus, didicerint, antiqua cum præsentibus conjungentes, rem integram exquisite norint. Posteris vero civibus non modo utilitas memorata provenerit: sed etiam præsentem urbem luculenter descriptam capient à nobis: quam nos ne tenebricoso quidem verbo significatam ab aliquo eorum, qui ante nos fuere, accepimus. Illo quoque posteri Nolani juvabuntur; siquidem cernere poterunt, quo pacto cum iis, qui nunc sunt in urbe, se habeant; ut novi aut recepticiine, & ex collecta illuvie cives, an indigenæ sint: ac ex obscuris ne ad claras familias surrexerint, an ab optimatum genere ad ignobiles, abiectosque degenerarint. Et præsentis urbis tam figuram, quam vires, ac morum ordines, item tam urbanica quam agrestia conferre quam facillime poterunt cum eis, quæ suæ cuiusque tempestatis fuerint: num eadem ipsa manserint, an deleta, mutatave tum extiterint. Non enim esse solet idem rerum vultus hoc atque altero curriculo temporis. Utrisque præterea plurimum conducet hæc tractatio; æstimantes enim sese, atque patriæ dignitatem, liberiore sane animo consuetudinem iniverint cum externis: conscientia enim obscuræ patriæ magno impedimento loquendi libertati esse videtur. Contra vero extetni homines, quum Nolam non ignorarint magnã dignamque, ac illius antiquæ, avitæq; virtutis prolem, ac hæredem extare: ut ratione, locoque majore excipiant, ac habeant Nolanos, fas est, animum inducant; in urbe enim digna æque cives egregie libereque educari, ac emendatis moribus & præceptis institui, reputantur. Indubitatum etiam est, nobilitatem patriæ quam maximam fore civibus dehortationem, atque cohortationem. Qui enim antiquam patriæ dignitatem, honoremque agendis in rebus animo servant; ii tam turpia & patriæ indecora patrare perhorrescunt, quam ad honesta gerenda, ac suis dignamunicipibus accenduntur. Verum enimvero, magnanime Princeps, quod ab avis ataviisque tantæ urbis imperium suscepisti, quodque urbs civitasque ipsa ob singulares, ac regias virtutes tuas intenta erga te est, teque amat, atque colit: nefas est, ut urbis imago hæc, quam modo descripsimus, vel aliorum sit, vel aliter quam urbs ipsa se gerat. Proinde eam cape vel ut tuam, vel ut tibi nuncupatam à nobis, proq; Nola una duas habe: alteram quam regas; alteram, quam legas. Divisum autem opusculum est in libellos tres, in quorum postremo præsentis urbis, ac nostri temporis cives, eorumque mores, & consuetudines explicantur. In secundo verò ager, atque ea, quæ ad structuram præsentis urbis spectant, continentur. At in primo de eis, quæ ad urbem antiquam referuntur, disputatur: qui ab agro hoc pacto auspicium sumpsit.



DE

Digitized by Google

THE NEW YORK
PUBLIC LIBRARY
ASTOR, LENOX AND
TILDEN FOUNDATIONS



Digitized by Google

DE AGRO NOLANO
DEQUE MONTIBUS VESUVIO, ET ABELLA, cæteriſque agri limitibus,

CAPUT I.



Olanus Ager in extremo, ac orientali receſſu Campaniæ patet, atque à meridie *Veſuvio* monte clauditur, Gauranoſque colles proſpectat, contra ab Arcto ſepitur *Abella* monte. Quinetiam ab Ortu monte Sarno, ac Gecalæ, Veſcianique collibus terminatur. At vero ab Occaſu campi, planitieſque ſunt dumtaxat: quæ uſque ad Vulturni oſtia, mareque Thyrrhenum æquo ſolo porriguntur, in quibus Clanius fluvius de tranſverſo incurrens, ſe tanquam agri Nolani terminum ſtatuit occidentalem: Idem ager habet ab Ortu Hirpinos populos confines: à quibus per interiectos colles Veſcianos, Gecalanoſque diſcriminantur Campani; ab Arcto vero Samnitibus hæret: quos à Campania mons Abella diſiungit. Eo ſitu quinetiam ſub Abella Veſuvioque Nolanus jacet ager: ut ſicuti Nolani coloni proſpiciunt occidentem ſolem hybernum in ſiniſtro Veſuvii cornu: ita æſtivum in dextro cornu Abellæ occidere videant. Sunt autem Veſuvius atque Abella celſitudine, ac mole fere pares, longitudine vero multo ſuperior evaſit mons Abella. Quinetiam quô magnæ conflagrationes, ac vaſta incendia effecerunt Veſuvium celebriorem: eô Abella quaſi frigeſcens jacuit obſcurior; non enim eſt aliquo præcellenti redimitus bono, neque, ut ille, inſigni malo infamatus: quamvis injuriis quibuſdam, & ipſe afficiat accolas, quarum una eſt hæc. Nam à radicibus dextri cornu, quâ ſpectat agrum noſtrum, aquæ ſulphure putentes emanant: unde ab earum putore nomen loco inditum eſt: Mephitim enim appellant; haud item procul à Mephiti ſunt fontes Clanii fluvii, qui de eiſdem radicibus erumpentes, totos fere campos eos, quos Nola ab occaſu præſertim æſtivo ſpectat, implent, adeout parte maxima paludes jam effectæ ſint. Quamobrem Seſſulam celebre quondam oppidum Clanio vicinam, reliquerunt Seſſulani, cuius veſtigia quædam murorum, fanorumque ſola nunc apparent. A ſiniſtro vero cornu ejuſdem Abellæ non parvus ſolet exoriri pavor; ſiquidem ab eius jugis ſubitus torrens, vel aere ſereno defluere, atque fluendo divellere arbores ingentes innumeraſque, ipſaſque divulſas, atque etiam ſaxa maxima de monte abſciſſa, devolvere ſæpe viſus eſt. In quo ni quaſi à natura, vel potius a Deo cautum eſſet, qui ad eas montis radices colliculos quoſdam objecit, ut in vallem primum torrentes influerent: profecto uſque ad Veſuvium profuſi, & arboreta, & pagos, & oppida, ac Nolam ipſam obruiſſent. Quamobrem torrentes corruendo in eam vallem, infringuntur, atque à campo Nolano divertuntur: perque eam rapti ſecundum montem occaſum verſus (Abella enim ab ortu æſtivo ad æſtivum occaſum recta porrigitur) fluere coguntur. Neque interea mites: ſed evellentes quoque, & arbores, & cæmenta quotcunque per vallem occurrerint, demum mitiore raptu, curſuque in paludes, quæ ſub altero cornu ſtagnant, recepti deliteſcunt. Noſtra tempeſtate torrens is ſemel erupit magno cum murmure, atque rerum ſtrage, rapuit aliquot ædes, quæ erant prope alveum, quem vallis facit: fluxit maximus nocte, atque die; namque nocte media prorupit; vaſtitas enim ſua, & vallis obliquitas, atque complicata terra, & ſaxa, & ligna cum aquis, curſum tardabant: ne cunctus, ut una hora in vallem cecidit, ita totus hora una tranſiret. Quamobrem deinde triduo magnus viguit, atque per aliquot dies decreſcens deſivit; reliquit in alveo ſaxa quamplurima, & arborum truncos innumeros, ac maximos: qui videntem in ſtuporem inducebant. Veſuvius autem, quô inferior eſt in profundendo torrentes (nam aliquot, & ipſe demittit tum ſolummodo, quum nimiæ in eum pluviæ turbinantur: qui nec moles illas Abellanas trahunt, neque ingentium arborum ſtrages rapiunt, atque plurimum à ſiniſtro cornu montis non verſus urbem Nolam, ſed in hybernum occaſum deſluunt; namque Veſuvius ab occaſu hyberno ad hybernum ortum aliquanto protenſus extat) eô veluti contraria rerum conditione compenſata infeſtior fuit copioſa cinerum eructatione, ac miris incendiis: quibus ſæpe tota vicina Veſevo ora jugo fœdata, combuſtaque eſt; unde magna ſcribentibus materia orta dataque eſt. De eis namque Veſuvii mirandis iniuriis plerique viri illuſtres, tum Græci, tum Latini, ſcripſere. Quorum *Dio* tanquam pro cæteris ſcribens, meminit hoc pacto: *In Campania horrenda quædam, atque miranda forte viſa ſunt; ingens enim ignis autumni tempore de repente exarſit. Veſuvius enim mons mari imminens, prope Neapolim extat, fonteſque habet perennes. Is vero quondam ſimili undique clivo exurgebat in verticem: à cuius medio cacumine ignis erupit, hac in parte ſolummodo incenſus eſt, partes vero externæ, atque juga, ut igne fuere vacantia, ita nunc etiam vacant. Montis igitur juga, cum ſemper abſque igne fuerint, mediæ vero partes combuſtæ, ac in cinerem verſæ, factum eſt, ut cacumina undique antiquam altitudinem ad hoc tempus ſervarint. At vero quodcumque igne correptum conſumptumque eſt, id tempore longo cavum evaſit deſidente ſemper materia, itaut mons totus (ut parva magnis comparemus) ſimilis theatro venatorio videatur. Ejuſque extrema, & arboribus, & vitibus abundantia ſunt: circus vero igne conſumitur, atque interdiu fumum efflat, noctu vero flammas*

uſque adeò, ut in eo multa videantur ac varia A *ſuffimenta tractari; efflatus autem ejuſmodi ſemper efficitur: quanquam interdum major, interdum minor. Sæpe numero vero cineres ejicit: atque ubi quicquam inverſum cohæſerit, tum lapides rejectat. Si quando vero vis aliqua venti congerit, immurmurat, atque reboat, perinde ac ſi non arctas, ſed laxas, profundaſque reſpirationes haberet; talis eſt Veſuvius: atque hæc ipſa ſpectacula in eo frequentiſſime quotannis producuntur. Verumtamen, quæ aliis temporibus apparuere, &* B *ſi ingentia viſa ſint iis, quorum quiſque ſua tempeſtate ſpectavit: comparata tamen cum eis, quæ autumno memorato viſa ſunt, per quam parva procul dubio habita fuerint: etiamſi omnia veluti in unum collata ſimul erupiſſent.* Et paulo inferius ſecutus *Dio* ait: *Cinis immenſus proflatus eſt, qui terram, mare, aeremque omnem occupavit, multoſque perdidit homines, & armenta, & agros: ubi ſua quemque fata pati, acciderat. Piſces quinetiam, & aves omnes interemit, oppida tota præterea duo Herculaneum, &* C *Pompejos, etiam populo in Theatro eorum ſedente, operuit. Et tanta fuit cineris magnitudo: ut ab ea regione facile penetrarit in Aphricam, Syriam, & Aegyptum, tranſvecta quoque eſt aduſque Romam: aetemque illic omnem replevit, ſolemque abſcondidit.* Fuere hæc magna incendia, quæ Dio ſcripſit ſub imperio Titi: quibus Plinius ſuffocatus etiam eſt ad Stabias. De cuius obitu ſcribens ad Tacitum Plinius Nepos, etiam miranda refert de eadem Veſuvii conflagratione. Ea vero quæ alii ſuper hac re ſcripſe- D runt, reliquimus: tum quia cum Dione conſentiunt, tùm etiam quod omnibus ſunt notiſſima. Noſtra vero tempeſtate id oſtendit Veſuvii caminus. Triduo enim aerem terrimum vidimus, uſque adeo, ut cuncti mirantes compaveſcere cœperint; deinde ubi deferbuit æſtus, qui materiam extollendo omnia texerat, pluit cinere ſubrufo quamplurimo: quo cuncta veluti nive tenui obrutâ videbantur. Neque ignis illic extinctus E adhuc prorſus eſt; in vertice enim montis eius loca multa excavantur in rupibus, ut vaporaria fiant, quo plerique male valentes Auguſto menſe aſcendunt: ut per deſudationes nimias ſolutis, exuctiſque articulorum humoribus curentur, quem locum *Vevium* per *eu* dipthongum, & *i* conſonantem dictione facta dyſſillaba vocant: debentes *Veſuvium* proferre. Differunt quinetiam Veſuvius, & Abella; is n. habet marmora atque lapides albos: Veſuvii vero ſaxa omnia nigra ſunt. Quinetiam hic nives nullas uſquam tolerat, F niſi pauculas, atque tum, cum hyems ſæviſſima eſt. Abella vero ſtatim tempore ab Octobre, & Vergiliarum occaſu caneſcere nivibus incipit, atque per valles nivem altam excipit, eamque perpetuam ſervat: qua uti ſolebat in menſis æſtivis Ferdinandus Aragonæus Neapolitanorum Rex primus, matris tuæ avus. Veſuvius item undique aridus ſiccuſque eſt: exceptis paucis (ut quidam opinantur) laticibus, qui ſub extremis radicibus lævi cornus funduntur verſus agrum Neapolitanum. Quorum pars per ſubterraneum aquæductum puteis paſſim ſuper eo factis diſtinctum excepta, coactaque prope Pauſilypi montis radices, Neapolim uſque deducitur, ac vicatim diffunditur per urbem, idque per altos ad id factos cuniculos. Quamobrem fontes, & puteos paſſim in urbe gignit: cui flumini nomen eſt *Sebetus*. Pars vero altera ſoluta rivulum detectum quendam producit: qui loco inferiore, quam Sebeti aquæductus eſt, defluit; veruntamen tanquam illius aquæductus curriculi ſocia procedens (ab hoc n. ille parum abeſt) trecentiſque paſſibus citra Neapolim mare tranquille fluens, ingreditur. Sunt qui arbitrantur, eos latices, Sebetumve non à Veſuvii concava, ſed de paludibus, quæ ſub Abella congeruntur, exortos eſſe. Palus enim, & ſi ſtagnat, ſuapte tamen natura aditus quæribunda eſt. Quamobrem per ſubterraneas inanitates ſecus Veſuvii radices creditur penetraſſe: quouſque illic detecta, ac in rivos coacta eſt. Non enim Sebetus tantus eſſe poſſet, nec adeo perennis, ni à fœcunda palude, veluti ab ubere pleno profluëret nutritus. Eadem ratione cenſent paludes Neapolitanas à palude Abellana, Sueſſulanave genitas, & alitas eſſe. Hæc n. mare indagans per profundiora loca, quam quibus Sebeti latices ſcatent, deſcendit, prorumpitque in agrum Neapolitanum, qui vergit ad arctum ac æſtivum ortum; demum cum rivulo detecto, qui dictus eſt, confluens, in mare eodem alveo devolvitur. Ah hæc rivulus continue fluens prope Herculaneum apparet, atque per eam Veſuvii oram auſtralem aliquot ſcaturigines erumpunt. Quartum aquarum pænus non ipſe mons eſt, ſed campi tractus, qui inter maris oram atque montis radices interiectus eſt; is enim univerſas pluvias colligens tum ſuas, tum à jugis deſcendentes, ac in imo imbibitas ſervans, in rivulum, ſcaturigineſque eas digeſſit. Et hi ſoli poſſunt eſſe fontes perennes, quos Veſuvium profundere, paulo ſuperius *Dio* memoravit. Abella vero non modo Clanium paritt ſed etiam pleroſque magnos alios fontes prope Clanium, eoſque non adeo ſuperiores, ut de alto colle ac vallibus caderent. Nam ſub radicibus ſcatent, quibus plurimùm perpetuumque paludes, quæ ſunt, augeſcunt. A lævo quoque cornu rivulos plures demittit: quorum unus cæteris major per extremum agrum Nolanum, qua vergit ad arctum hyberno, vernoque duntaxat tempore aduſque paludes fluens, pertendit. Eodem modo de eis jugis Abellæ, quæ ſpectant ſeptentriones, rivuli crebriores in Samnitium agros profunduntur. Veſuvius inſuper ventos nullos generat: Abella Aquilonem ingentem, qui boatu tam magno, & murmure ſpirat, ut pavorem interdum incutiat audientibus: idque à ſiniſtro, orientalique cornu. Idem quinimo adeo ſævit, ac æſtuare ſolet, ut tecta detrudat, arboretaque tum frangat, tum divellat, præſertim ea, quæ ad radices montis adjacent. Quamobrem Abellani, & eorum locorum accolæ ſaxis iniectis tegulas tecto ſiſtunt adverſus impetum, & vim venti. Vites item inſerunt, quæ Auguſto menſe præcoquant: ut pridie exortum venti vindemiam colligant. Namque ſi priuſquam

Digitized by Google

usquam vindemiam faciant, cœperit flare ventus, omnes fructus etiam, non modo uvas concutiendo destruit; proinde ea vitis ab incolis *Ingannaventum* appellata est, quod præcocitate sua vindemiam præstans tempestiviorem videtur ventum decipere: *ingannare* n. decipere est. Solet etiam frigidissimus atque nimius flare, interdum n. vel x. vel xii. vel etiam xv. dies perpetuus flat: à qua re oppido, quod intra montem, ac in eo sinistro cornu extructum est, nomen factum esse videtur a priscis illis Grecis, qui loca ea primùm incoluere; διὰ enim dicta est aut à venti vertigine, aut ab eius nimietate: quarum utramque διὰς Greci vocant, atque earum utraque tum in eo cornu, tum vel maxime sub oppido ipso viget: posteri vero ac Latini homines *b*, literam inter vocales inserentes de *Aella* fecerunt *Abella*, quæ vox usu servata est; atque ab oppido eo nomen idem monti inditum est, Vesuvius quoque vina optima, & fructus pulcherrimos gignit. Abella in hisce utrisque ineptus est. Et Vesuvius cicadas nescit: Abella vero plurimas producit, & alit, hoc itaque pacto se habent Vesuvius atque Abella: qui è regione, alter ab Austro, Abella ab Arcto se spectant, novem fere millibus passuum uterque ab altero distantes. Colles autem Gecalæ, & Vesciani, qui placide ab oriente exurgunt, nihil horum malorum pariunt mortalibus, Veruntamen non usque quaque nota carent. Plures enim convalles à tergo, quaque ad Hirpinos vergunt, faciunt: quæ pluvias, nivesque omnes congregant, atque in imum paulatim exorbent: illa vero loca, quod arenosa, pumicosaque sunt non cretacea, etiam in imis collium sedibus aquam collectam sustinere nequeunt, proinde quæ pluviæ per totam hyemem in eis vallibus ingurgitantur, eædem per campos Nolanos circiter xv. cubitos subterraneæ, ac versus occasum ad paludes usque penetrant: idque Februario, Martio, atque Aprili. Unde putei omnes urbis, ac meridionalis præsertim regionis altiores tum aquas continent, atque dulciores, quod Nolani sentientes ajunt, *aquas filare*: quasi ut equum equus: ita filias aquas aqua pareret; interdum verò quumque pluviæ majores crebrioresque sunt, aqua campos superat, præsertim eos, qui depressiores habent sedes, atque fluenta plurima paulatim diriguntur versus occasum item, & paludes. Quæ vero stagnant, atque in lacunis manent, eæ æstate accedente putrescunt, atque aerem vitiant, morbosque afferunt gravissimos, sicuti tempestate nostra contigit. Vidimus enim multos campos aqua obrutos, ut lacus altos, amplosque crederes: & flumina plura Februario adusque Augustum continue defluentia, multos insuper fontes sub radicibus Gecalæ collis exortos: qui lacus, & fluenta producebant, ac augebant facta. In quibus pisces lacustres, & cancri, & ranæ, & anguillæ, pluraque alia ejusdem generis animalia ingenita sunt. Julio vero febris invasit omnes incolas: à qua perpauci evasere. In urbe Nola, & pagis Nolanis ad octo millia hominum capita ea æstate interiere. Fiunt ejusmodi illuviones non per omnes campos, sed per mensulam solam quandam, quæ à radicibus Gecalæ incœpta usque ad paludes protenditur: media vero versus Vesuvium parum recurvatur. Huius mensulæ latitudo est ad trecentos passus, obnoxia his malis sola ea mensula est, quod eius tractus cætero campo pauxillo humilior, ac depressior jacet, Neque crebræ prorumpunt ejusmodi vastæ illuviones, sed rarissimæ, tanquam maxima etiam mala quoad fieri potest, propelleret, aut differret ipsa natura; audivimus n. a senioribus septnagesimo anno eas iterum erupisse, atque secutam esse pestilentiam, ac interitum plurimorum hominum. Hoc itaque pacto se habent ea, quæ veluti senticosæ sepes Nolanum agrum concludunt. Ager autem ipse caret flumine omnis generis atque rivulo, & fonte. Solus unus rivulus (ut dictum est) secundum Nolanum campum à sinistro cornu Abellæ defluit hyberno, vernoque tempore: æstate vero arescit adeo, ut vix in suprema valle atque etiam tenuissimus inveniatur. Quinetiam extant vestigia quædam paryi aquæductus in ea via, quæ Laurinium fert. Est autem *Laurinium* oppidum in ima valle extructum, ab ortu verno sex millibus passuum ab urbe Nola distans, in qua valle tenues quidam rivuli scatent; horum igitur aliquis eo aquæductu ad voluptatem, ornatumque potius, quam ad usum in urbem Nolam inductus esse videtur. Campus item Nolanus æquabilis est, in quo putei tum si mediocriter, tum si altius descenderint, facile ubique locorum fodiuntur, aqua vero eorum optima est; ea sola Nolani in quavis necessitate abunde, summaque cum commoditate utuntur. Bonitatem magnam aquæ huius dum ex aliis signis, tum ex pane ea ipsa confecto judicavere; iidem enim pistores ex eadem farina, & Neapoli, & Capuæ, & Sarni, atque compluribus locis panem edidere, sed eo, quem Nolæ pinserant, longe inferiorem. Panis enim Nolanus pulpa, candore, sapore, levitate cæteros longe antecellit, quamobrem in Italia, orbeque toto laudatissimus habetur.

DE FERACITATE, ET GRATIIS Nolani agri: Deque Virgiliano Carmine:

Vicina Vesevo Ora jugo:
Atque altero carmine:
Despectant mœnia Abellæ:
& eorum interpretatione.

CAP. II.

Quantum Nolanus ager multis montium ipsum sepientium injuriis videtur affectus: tantum suapte amœnitate atque bonitate præcellit; ut dicere recte posses, eo pacto illum habere se cum ambientibus asperis montibus, quo suavissima rosa florens inter molestissimas vepres, aut nucleus mollis intra cortices duriores inclusus. Neque mirum; solet enim natura conditionum optima

tima distributrix res multo digniores, præstantioresque in eis, quæ per quam noxia, ac deteriora sunt, tum apte inserere, tum occultare prudenter. Nullam enim eius agri partem arena sterilem effecit, aut saxa, aut tophi inutilem reddunt; vacat enim arena, saxisque prorsus Nolanus ager. Tophus vero altissimus dumtaxat unus inventus est; ac in eo agri angulo, qui ad ortum æstivum excurrit. Veruntamen is non extat, extuberatve usque adeo, ut verruculas aliquas supra solum exertet. Siquidem infra pressus dorsum æquum cæteris campis præstat, atque terrenum: quod nihilominus facile vomere scinditur, ac ferax est; idem vero nomen pago dedit, quod *Tophinum* appellatur. In hoc item loco, tophoque lapidicinæ altæ fiunt in usum universæ fabricæ Nolanorum. Carens ergo arena is ager, & saxis, tophisque, manet videlicet totus mollis, insulsus, ac pinguis: totus herbidus, ac vomere, vel altè descendente perquam facile proscissilis, res grata colonis: bobus gratissima. Est insuper totus apricus; omnes enim eius sinus, seceſſusve meridiem spectant, apertique sunt ab occasu; unde Favonios omnes fructuum, ac segetis altores excipiunt; paluſtres vero nebulæ, quanquam suapte natura mites sunt, semper tamen ab auris moderate repelluntur, tenuanturque: quæ exurgunt à vallibus, & Abellæ, & Gecalæ; humor quinimo paluſtris ab ariditate radicum montium circumjacentium temperatur, & si genuina suaque terræ siccitas, ob magnum paludis dulcemque succum furtim continuequ subeuntem, lentescit, ac madet. Quinetiam rigores Aquilonios, Arcticosque mollit maris tepor. Nolanus enim ager sedibus solis Vesuvii montis distat à mari. Contra vero fervorem australem non etiam patitur ager. Vesuvius enim illi objectus intercipit, ac avertit auræ quinetiam Abellanæ assidue æstate spirantes veluti Etesiæ, eundem perquam facile molliunt, atque temperant. Quamobrem mediocritate quadam ingenium, visque agri constitit, quæ stirpibus amicissima est, atque tanquam certa parens præparatur. Hinc ejus feracitas, fœcunditasque ampla promittitur, atque vis potentissima ad omnia stirpium genera ferenda; omnia enim quam facillime in agro nostro veniunt, ut laurus, ut cupressus, ut pinus, ut quercus, ut castanea, ut olea, ut vites, ut citreorum, & fructuum arbores omne genus, sic frutices, sic herbæ cunctæ. Quidque triticum, hordeum, semen, avena, siligo, quod *germanum* nunc vocant Campani, item milium, panicum, ac leguminum omnia genera sane quam in eo agro luxuriare, comperiuntur? Plerosque agros passim nanciscaris, qui ob quasdam stirpes, quæ in eis optimæ fiunt, feliçes existimantur; ad alias vero alendas ineptissimi offenduntur. Ager vero contra Nolanus omnes quasvis plantas optime alere posse comperitur. Antonellus Campobassius de Pelignis multa crocisemina Nolam advexit, eaque in agri parte, quem ad paludes possidebat, consevit, de quibus crocus optimus atque abunde collectus est. In hortis quoque Pacelli Claramontii palma orta est, quæ ad altitudinem turris jam excrevit: quæ caryotas, sive palmulas, ut Celso placet, dicas, quotannis fert ad quantitatem naturalem, coloreque citreo, atque paulo citra maturitatem concoquit, quos fructus etiam dactylos vocant. Item piper solo, cœloque duntaxat Arabico gaudens, Nolæ aliquando satum germinavit, excrevitque aliquantum. Ipse in hortis siliquam, quam casiam fistularem appellant, sevi: quæ perpulcrè germinavit, ac ad magnam altitudinem excrevit. Illud quinetiam soli nostri magnam, ac omnipotentem vim arguit; si quando idem ager eodem tempore vicem gerit arboreti, atque arvi (consitus enim populis, & ulmis, & quercubus, atque hisce vitibus junctis, item malis, pyris, sorbis, cæterisque ejus generis) fructus quidem alto in hisce arboribus plurimos atque pulcherrimos fert: in solo vero sub eisdem arboribus patente, si facta sit sementis frumentum omne genus abunde producit, idque quotannis: nedum tertio, quartove quoque anno. His, quæ diximus, etiam testis egregius est Virgilius Maro, optimum n. agrum exemplo monstraturus, hunc Nolanum inter primos cecinit hisce versibus.

Quæ tenuem exhalat nebulam, fumoſque volucres
Et bibit humorem: & quū vult ex ſe ipſa remittit,
Quæq; ſuo viridi ſemper ſe gramine veſtit;
Nec ſcabie & ſalſa lædit rubigine ferrum.
Illa tibi lætis intexet vitibus ulmos:
Illa ferax oleæ eſt: illam experiere colendo,
Et facilem pecori, & patientem vomeris unci.
Talem Dives arat Capua: & vicina Veſevo
Ora jugo, & vacuis Clanius non æquus Acerris.

In quo *A Gellius* ait à Poeta mutatum fuisse verbum, & pro *Nola* scriptum esse *Ora*, vel ob negatum à Nolanis beneficium petitæ aquæ: vel, quod ipsi potius placet, ob suavitatem concursus vocalium finientis carminis atque incipientis alterius. Verum enim vero illud, quod prius refert Gellius, hominis est prorsus nugas commentantis, eiusque qui nusquam agrum Nolanum novit, visitve. Ait Gellius, se legisse in quodam commentario, Virgilium petiisse à Nolanis aquam, ut duceret in propinquum rus. Nolanos beneficium petitum non feciſſe, Poetam offensum nomen urbis eorum quasi ex hominum memoria, sic ex carmine suo derasisse, oraque pro Nola mutasse: atque ita reliquisse scriptum. *Et vicina Veſevo Ora jugo*. Ego vero velim diceret ille vir optimus quicunque fuit: Quamnam aquam ducendam in ruſculum ſuum petierit Maro? cum nulla alia esset ducenda, nisi Abellana: aut illa, quæ aquæductus est à Laurinio venientis. Abellana non esset negata: quandoquidem usque ad hæc tempora vulgaris est, communisque omnibus ruribus, ac pagis, qui propinqui sunt; quisque enim (ut lubet) ducto rivulo in agrum, in hortos, in cisternas derivat aquam: idque absque incommodo vicinorum; neque suspicandum est, Nolanos feciſſe eam aquam vectigalem, quod usus eius rivuli non esse potuisset tantus, ut summulam dignam exactione præstitisset,

par-

Digitized by Google

parvus enim agri tractus est, cui rivus usui esse posset. Quod si etiam vectigalis illa fuisset, compertum est, pro derivanda aqua parem fuisse exactionem à Marone, atque à quovis rustico, villicoque rivuli accola; hosce autem obolos dono petiisse à Nolanis Maronem, non modo ridiculum est dicere: sed esset magna Vergilium ignominia prosequi: qui adeo cuminisector (ut ajunt) visus fuisset, ut obolos pauculos contendisset petere a Nolanis. Rivulus insuper is, quum per extremum agrum Nolanum transit, continue per planiciem repit usque ad paludes; quamobrem ad aquandum duntaxat utilis esse potest: ad molendum vero, aliasve moles agitandas inutilis reperitur. Maro itaque potuisset minimo aquari, ut cæteri omnes: minima autem non petunt magni viri. Eam vero aquam, quæ aquæductu ferebatur, quod pauculà erat, atque in ornatum urbis magis, quam ad usum ducebatur: Maro si non benigno, quo erat ingenio, sed morosо potius, ac puerili, ut hic fingit, fuisset, non petiisset. Namque si tantillam in agrum aliquem deflexissent, in urbem nulla fluxisset aqua; quam tenuissimi enim sunt rivuli, qui prope Laurinium scatent. Nulla itaque negari potuit aqua à Nolanis. Nam Abellana non erat negata: Lauriniana non erat petita. Adde Servium super eo carmine Æneidos, *Et quos maliferæ despectant mœnia Abellæ*, scriptum reliquisse hoc pacto: *Multi Nolam volunt intelligi, & dicunt iratum Vergilium nomen eius mutasse propter sibi negatum hospitium, & id aperte noluisse dicere: sed ostendere per periphrasin (nam illic Punica vel plurima mala nascuntur) ut nunc pro Nola Abellam posuerit*, hæc Servius. Tu vero, Princeps vide, quæso, cui potius fidem adhibeas: illi ne male cogitanti Gelliano, an hisce multis somniantibus Servianis? In quo primum mirum illud est, hos utrosque cum legisse, tum sciyisse factum Nolanorum, atque iram Vergilii. Servium vero atque Gellium non legisse, id neque novisse nisi ab eis. Quis item crederet in homine suapte natura tacito, prudentique, atque semper cum musis summulsitabundo, ira cadere potuisse, cogitationemve sumendi pœnas tam minimarum rerum negationis, non solum offensionis, aut repulsæ? Quod si magni viri gravesque, aut nihil petant, aut tradenda petant: contra vero senatus illustris longe plus magni faciat rem bene locasse, quam possedisse: profecto nugæ sunt hæ, quas isti viri tam diligenter sunt commenti, à Vergilioque neque hospitium, neque rivos petitos esse, neque negatos à Nolanis. Veruntamen seius yerbi mutationem, si modo unquam mutatum est, alia causa feciſse Maronem, censeo. Namque carmen cum verbo *Ora* præterquam quod suavius fertur, etiam plenio re, & honestiore significatu præcellit, plura enim dicit: neque vicinos, similesque agros afficit injuria; affeciſſet enim tacendo illos, atque solummodo nominando Nolanum. Vesuvius namque singularis mons est, atque à meridie mari propinquus, ac imminens extat, à cæteris verò plagis agris perpetuis ambitur, qui Neapoli procedentes tenduntur sub siniſtro, occiduoque cornu ipsius ad usque Abellam montem: ab Abella vero conversi, interque Sarnum montem, & cornu dextrum, orientaleque ejusdem Vesuvii verruca facta, quæ *Altorella* nunc vocatur, protenduntur: deinde æquo solo usque ad Nuceriam, & Gauranum, & Pompeios, & hostia Sarni ac Stabias contendentes finiunt. Stabiæ vero ubi locorum fuerint, monstrabitur inferius. Ea itaque ora, quæ Vesuvium ambit, eique vicina est, agrum Neapolitanum continet, & Sarnatem, & Nucerianum, & Stabianum, & Pompeianum, omnes pari bonitate præstantes. Suavius itaque (ut Gellio placuit) & plenius, atque absque offensione cuiusquam vicini ceciniſſe videtur Poeta dicens *Ora* pro *Nola*: Eandem rationem in VII. Æneidos servaſſe Maro videtur. Quandoquidem sub monte Abella, qua Campaniam spectat, est Bovianum, est Abella oppidum, est Nola: Item Suessula erat, sunt Acerræ, est Atella, atque Neapolis, Quorum populi omnes eo carmine una significatione continentur; siquidem Abella oppidum, quod intra montem esse ipsum dictum est, ab alto aperte despectat cæteros omnes eos populos, qui in planicie jacent, veluti ipse Poeta expressit, quorum nemo reliquos ita spectare potest; significantius itaque, cumque locorum proprietate, quam Maro callebat multos annos Neapoli immoratus, carmen fertur cum dictione *Abellæ*, quantum nullo pacto, neque vere significare potuisset cum dictione *Nolæ* seu *Bellæ*. Ager quoque Nolanus, & si gratiis hisce illustris est: illa tamen peculiaris eundem nobilitavit; apud antiquos enim Græciæ medicos laudata est sertula Campana in Italia: quam *meliloton* appellant, ea, quæ in Campo Nolano nascitur. Dioscorides libro tertio de materia medica ita scriptum reliquit: μελίλωτος κράτιστος ὁ ἀττικὸς, καὶ ὁ ἐν κυζίκῳ, καὶ ὁ ἐν καρχηδόνι γεγεώμενος χροιζων, καὶ ἐυώδης. φύεται δὲ καὶ ἐν καμπανίᾳ περὶ Νώλαν μελίζων, καὶ ἄφυος καὶ τὴν ἐυωδίαν sertula Campana optima est, quæ in Attica, & quæ Cyzico, & quæ in Carthagine nascitur, croçea ac odora; nascitur quoque in Campania circa Nolam, sed lutea, atque odore remissiore.

DE POSITU URBIS: DEQUE Nolana natione, urbisque conditionibus.

CAP. III.

IN hoc tam pulcro, atque utili solo urbs Nola fundata surrexit: quæ à Vesuvio quinque millibus passuum abest, ab Abella quatuor, à Clanio fluvio octo, à Gecalæ, Vescianique collibus stadiis tum sex, tum octo, tum decem, tum etiam duodecim. Gens autem Nolana, quæ fuerit, & unde terrarum originem traxerit, ambiguum esse videtur; varia enim, atque inter se dissentanea auctores etiam clarissimi de ea scripserunt. In Epitomis namque T. Livii colonia Romanorum

norum fuisse legitur hisce verbis : *L. Cæsar Cos. male adversus Samnites pugnavit. Nola colonia in potestatem Samnitium cum L. Postumio prætore venit, qui interemptus est.* Idem autor lib. 7. tertiæ decadis : *Hæc acta in consiliis. XXX. tum coloniæ pop. Romani erant, ex his XII. quum omnium legationes essent Romæ, negaverunt consulibus esse, unde milites pecuniamque darent.* Et paulo post : *pro duodeviginti coloniis M. Sextilius Fregellanus respondit, & milites paratos ex formula esse: & si pluribus opus esset, plures daturos, & quicquid aliud imperaret, velletque po. Romanus, enixe facturos, ad id sibi neque opes deesse, animum etiam superesse*, & paulo post ait, *Segnini fuere, & Norbani*, ac cæteri. Plinius. III. na. hist. coloniam Romanorum Nolam esse docet, scribens : *Intus coloniæ Capua, Aquinum, Suessa, Venafrum, Sora, Theanum, Sidicinum cognomine, Nola : oppida, Abellinum, Aritia, Albalonga*, & cæteræ. Strabo vero lib. 5. Campaniæ urbes Græcas fuisse docet his verbis : *Res Campanorum initio Græcas fuisse, deinde Græcis permistas*, indicio sunt præfectorum urbis nomina ; ritus, & educationis Græcorum hoc in loco plurima servantur adhuc vestigia. Silius lib. 12. de Nola sic cecinit ;

Hinc ad Chalcidicâ transfert citus agmina Nolâ;
Campo Nola sedet crebris circumdata in orbem
Turribus : & celso facilem tutatur adiri
Planiciem vallo.

Justinus quoque lib. 10. Chalcidicam Nolam fuisse, docet, quid inquiens *Cerem urbem ? quid Latinos populos, qui ab Aenea conditi videntur ?* Jam Falisci, Japygii, Nolani, Abellani, nonne Chalcidensium coloni sunt ? In quo sciendum est, plures fuisse Chalcides, ut Stephanus testatus est, quarum præstantissima ea habita est, quæ in Euboea sita est : atque ab hac sola profectas esse tum ad alias provincias, tum in Italiam colonias. Quamobrem quum superiores autores Nolam Chalcidicam esse scripserunt : ex ea Chalcide, quæ in Euboea est, originem traxisse, audiendum est. Quod T. Livius quoque lib. 8. decadis primæ memorasse videtur, scribens : *Palæpolis fuit haud procul inde, ubi nunc Neapolis sita est : duabus urbibus populus idem habitabat, Cumis erant oriundi : Cumani Chalcide Euboïca originem trahunt, classe, qua advecti ab domo fuerant, multum in ora maris eius, quid accolunt potuere : primo insulas Aenariam, & Pithecusas aggressi : deinde in continentem ausi sedes transferre* : Illud quoque non est prætereundum, quod docuit Libanius dicendi magister in argumentis orationum demosthenicarum hisce verbis : ὁλυνθος ἐν πόλις ἐστὶ θρᾴκης, ἑλληνικὸν δὲ φωνὴν τῶν ἐνοικούντων γένος. ἀπὸ χαλκίδος τῆς ἐν εὐβοίᾳ. ἥδε χαλκὶς ἀποικία ἐστὶν ἀθηναίων. *Olynthus urbs est mediterranea Thraciæ, In qua incolarum genus Græcum est : atque à Chalcide, quæ in Euboea est deductum, Chalcis vero Atheniensium colonia est.* Quamobrem ubi hæc ita se habent, quis est, qui non videat, censeatque, Nolanos etiam Athenienses esse, atque ab Athenis oriundos ? sunt itaque Nolani tùm Romani, tum Athenienses : utravis gens sub sole præstantissima. Veruntamen, sicuti monuit Strabo, prima ac antiqua Nolanorum origo Græca, & Attica fuit : deinde miscella facta Græcorum Latinorumque hominum, Romana quoque habita est ; antea vero quam cum Romanis tractaretur, tumque cum urbs Nola condita est, natio Nolanorum Græca, & Chalcidica, & Attica fuisse comperitur iidem conditores fuere urbis. Duces vero qui nam fuissent Romanorum Chalcidensiumve coloniæ, nullibi scriptum esse novimus.

UNDE URBS APPELLATA est Nola.

CAP. IV.

Hujc vero nomen Nola inditum fuit, neutiquam (ut arbitror) à conditore, duce, regulove aliquo. Nec à natione ipsa quidem incolentium, sed potius sumptum est à suopte agri ingenio, in quo urbs ipsa fundata est, sedesque jam dictas occupavit. *Nola* enim verbum Græcum est : atque per o magnum scribitur, ut Νώλα, hoc vero compositum est ex νὴ particula privativa, & nomine λᾶς λᾶ : quod significare Græcis volunt lapidem, atque fluvium : hoc est locus absque lapidibus, & fluvio. Campus enim Nolanus neque lapides habet ullos, neque flumine aliquo rigatur : ut monstratum est superius. Quamobrem T. Livius, ut eam nominis compositionem, atque proprietatem interpretatus exprimeret, fecit exclamare ad suos Annibalem hisce verbis : *Expugnate Nolam campestrem urbem, non flumine non mari septam.* Eodem quinetiam obtutu, & animi spectro, Silius illa ceciniſſe videtur carmina :

Campo Nola sedet crebris circumdata in orbem
Turribus, & celso facilem tutatur adiri
Planiciem vallo.

Eo nimirum veriora sunt hæc, quæ de nominis Nolani structura differuimus, quo minus in historia Græca, & Latina reperire valueris nomen gentis alicuius, aut principis, à quo appellationem hanc ipsam urbis aptiùs attendisse, ausis asseverare.

DE CONDITIONE SITUS urbis Nolæ.

CAP. V.

Magni momenti fuit urbem Nolam in eo situ fundatam esse, cum ad hominum consuetudinem, tum ad occasiones belli ; Lucanis n., Oenotriisque populis omnibus atque Siculis Romam, Ethruriamve aptius accessuris, Nola transeant, opus est. Eodem modo quibus ab urbe Roma, ad harum gentium plagas proficiscendum est, eadem transire coguntur ; contra vero à Campania, Neapolique in Apuliam, atque illinc ad hæc loca transituris, via per Nolam commodissima est. In medio itaque horum se concidentium itinerum sedere, maximum refert ad hominum consuetudinem ; ad belli vero

occa-

Digitized by Google

occasiones urbem in eo loco extare plurimum referre, duorum (ut cæteros taceam) prudentissimorum imperatorum conscientia, atque contentio patefecit in secundo bello Punico; namque quanto studio Annibal, atque Pœni duces Nola potiri conati sunt: tanto nisu Marcellus, atque Romani tueri, ac retinere Nolam studuerunt. Proinde tum hoc ipso bello, tum aliis, quamplurima prælia circa Nolam commissa sunt: atque urbs ipsa sæpissime capta ac vastata est; sicuti victoriæ causa plurimum fuit iis, quibuscum urbs ipsa in societate mansit. Quinetiam ubi tanta huius loci conditio est, fit nobis magna fides, in eo urbem sæculis innumeris stetisse, speseque futurum, nunquam urbem deletum iri posse.

DE INCREMENTO, AC potentia Nolanorum

CAP. VI.

HAnc veluti infantiam Nolæ urbis legimus excrevisse usque ad Samniticum bellum, quod cum Romanis gestum est ante Augustum ducentesimo ac septuagesimo anno. Ea n. tempestate populus Nolanus in tantam potentiam, & dignitatem auctus est, ut cum Samnitibus non subditicia, sed consocia arma ferre, atque bella gerere potuisset; ut T. Livi. testatur: *Publilius duomillia Nolanorum militum*, inquit, *& quatuor Samnitium, magis Nolanis cogentibus quam voluntate Græcorum, recepta Palæpoli miserat: fuisseque Palæpolin haud procul inde, ubi nunc Neapolis sita est*, atque urbibus his duabus eundem populum habitasse, idem autor est. Hæc quantum ex historicis licet conjectari, videtur fuisse ea, quæ nunc *Turris Jopparellorum* appellatur; est n. locus is prope Neapolin ad tria millia passuum: quinetiam prope mare, prope montem Vesuvium, & in ipsa via, quæ Neapoli Nolam fert, atque tum conterminus Nolano agro; quam Palæpolin eo bello Nolani subigere contendisse videntur potius, quam Samnites; tum n. Nolani erant duces atque cogebant; Samnites vero stipendia faciebant: consocia quoque arma cum Samnitibus Nolanos fecisse, testatur marmor quoddam antiquum: in quo inciso legitur exercitus Samnitium, Nolanorumque victoria illustri potitos; nec plura legi queunt, literis ob antiquitatem interlitis. Est autem hoc ipsum marmor in oppido quodam Hirpinorum, quod *Mirabella* nuncupatur, atque in lævis antis portæ australis fundatum; quam autem ea victoria fuerit illustris, atque grandes exercitus, indicat nomen facti, quod etiam loco pugnæ inditum est; illic n. bella mira fuere gesta, in quibus Samnis imperator anteiisse videtur; quæ quum ita se habeant: compertum est, Romanos bellum illud Samniticum, tam atrocissimum, longissimumque non cum Samnitibus solum gessisse, sed etiam cum Nolanis, quorum tum præstantes erant vires in Campania. Illud quoque illustrem populum Nolanum testatur; namque templum Victoriæ Nolanos dicasse, A constat: quod non modo exercitum ingentem, sed etiam victoriam partam ostendit fuisse gloriosam; parva n. facinora non eò probe attollunt, ut pro eis templa erigi dignum, decorumque esse videatur. Idem autor ait: *Dictator Cla. Pœtelius quum audivisset, arcem Fregellanam ab Samnitibus captam, omisso Boviano, ad Fregellas pergit, unde nocturna Samnitium fuga sine certamine receptis Fregellis, præsidioque valido impositio, in Campaniam reditum fecit: maxime ad Nolam armis repetendam; eò se intra mœnia sub adventum dictatoris, & Samnitium omnis multitudo, & Nolani agrestes contulerant. Dictator urbis situ circumspecto, quo apertior aditus ad mœnia esset, omnia ædificia (& frequenter ibi habitabatur) circumjecta muris incendit. Nec ita multo post sive à Pœtelio dictatore, sive ab C. Iunio consule, (nam uterque traditur) Nola capta est; qui captæ decus Nolæ ad consulem trahunt, adiiciunt Atinam, & Calatiam ab eodem captas.* Ex quibus clarum fit, tum à frequenti habitatione, quæ circa urbem, tum a societate cum Samnitibus, tum ab exercitibus Palæpolim, Mirabellamque missis, tum à gloria Consulis ob expugnatam Nolam, rem Nolanam ea tempestate extitisse non humilem, sed potentem atque superbam; in quo illud spectare nos licet, Nolanos damno doctos non etiam posteris sæculis extra muros ædificia condere consuevisse; usque n. ad secundum bellum Punicum aditus liber remansit accedere volentibus undequaque ad muros: indicio illo. Nam Annibal Nolam aggressurus, scalas statim muris summittendas paravit: non etiam impeditus in delendis suburbiis; quod etiam usque ad nostra tempora servatum est; nulla n. circa urbem præsentem ædificia videntur extitisse, nec etiam extant. Secundo autem bello Punico, quod gestum est anno centesimo decimo post Samniticum, quanto fuerit amplior, & dignior Nolana res, ostendit cum Livianus Annibal hortando suos: *hinc vos ex tam opulenta urbe præda, spoliis onustos vel ducam, quo voletis, vel sequar*, tum Herennius Bassus Nolanus vir primarius hisce Annibalis verbis respondens patefecit: *multos annos jam inter Romanum, Nolanumque po. amicitiam esse, cujus neutros ad eam diem pœniteret: & sibi, si cum fortuna mutanda fides fuerat, sero jam esse mutare eam; dedituris se Annibali, non fuisse accersendum Romanum præsidium; cum iis, qui ad se tuendos venissent, omnia sibi & esse consociata, & ad ultimum fore.* Hæc non sunt populi societatis specie subditi, sed potius liberi, ac magnifici, & per se ipsum constantis. Magnas item vires Nolanas eodem bello excrevisse, indicare potest pugna illa illustris; qua Annibal Nolæ vertere terga coactus est, atque usque ad castra fugere; non n. verisimile est, Marcellum cum expedita manu, præsidiarioque milite valuisse tantum ducem, tantum exercitum in fugam vincendo vertere, nisi Nolanorum copiæ additæ illius copias justas, æquasque Pœnis fecissent. Magnam etiam Nolanorum potentiam eodem bello viguisse, testatur illud, Samnitibus namque, atque Campanis hostibus po-


Romani, Nolanique inter Romam, Nolamque sedentibus cum Punicis etiam præsidiis, potuere Nolani duce Marcello totum Samnium vastare, incendereque, atque Samnites cogere, ut auxilio revocarent ex Apulia Annibalem: Samnites inquam, qui tot annos bellum gessere cum po. Romano; Nolanarum magnarum virium, quæ per ea tempora fuere, magnum argumentum est, Namque senatus, si plebs aliquantum non inclinata fuisset ad Annibalem, neque quoque Marcellum è Suessula auxilio vocari fuisset opus, potuisset fretus propriis armis, Annibalem accedentem arcere ab urbe, atque agro Nolano. Rem quoque Nolanam extitisse longe grandiorem, atque potentiorem etiam post bella Punica, apertissime constat, Extant n. reliquiæ quædam duorum amphitheatrorum; quorum alterum erat ad occasum æstivum, alterum ad ortum hybernum: illud antiquius: hoc posterius extructum fuisse videtur: illud latericium, quæ *Murara* nunc dicitur; hoc marmoreum ac lapide quadrato compactum, quod *Castellum rutum* hodie nuncupatur; siquidem consilium ædificandi, & sumptus immensi, atque eorum usus, non esse possunt arcti, humilis, obscurive populi: sed sua potius sunt opera ampli, magnifici, atque splendidi senatus. Compertum est plurimum etiam auctam esse Nolanam rem post secundum bellum Punicum, quod in eo nihil detrimenti fecit, atque charissima po. Romano evasit: par est itaque si in bello se magnam servavit, etiam benivolentia po. Romano maximam se reddidisse in pace, quæ longissima secuta est. Namque in Campania ab eo bello usque ad Syllam, nullum unquam bellum gestum est. Quam magna fuerit res Nolana, conjectari quoque est, cum ab ambitu urbis, tum à numero civium; siquidem, ut inferius monstrabitur, ambitus excreverat adusque bis mille passus; civium vero capitum supra quinquaginta millia censa. Illud quoque rem Nolanam arguit fuisse excelsam, siquidem multa post bella, quæ Romani gessere in Italia, non modo cum invadentibus barbaris, sed etiam cum Latinis, cum Samnitibus, cum servis, cum sociis, atque post eorum intestina bella, in quibus Nola sæpe periclitata, captaque est, potuit vel magna remanere, vel brevi instaurare sese, atque magnam ac divitem extollere; tempestate n. Beati Paulini à Mauris, Vandalisque Nola vastata est, atque bonis cunctis spoliata, per quæ tempora ditissima tot malis supererat; quarum divitiarum, magnitudinisque populi Nolani testes sunt tum ipse Paulinus in epistola ad Severum Sulpitium, tum Paulus diaconus de gestis Romanorum li. xv. Indicio nimirum magnificentiæ Nolanæ sunt quoque monumenta, quorum aliqua etiam nunc extant, partim in via antiquæ urbis, quæ Neapolim ferebat; partim ad viam, quæ ab Abella per agrum Nolanum sub Gecala colle fert ad Stabias; hæc n. sunt eleganter ædificata: nec mediocres ponentium sumptus ostentant. Multa quoque marmora passim inveniuntur in urbe, atque circa urbem præsentem, in quis incisa nomina sunt eorum, qui monumenta sibi suisque posuere, tum oratione tum scriptura eleganti: quæ humilibus parvisque nulla ratione quadrare, congruereque valent. Adde templa multa urbis, de quibus inferius dicetur, quæ in quavis urbe erecta non possunt nisi potentiam, magnanimitatemque civium testari.

DE AMBITU URBIS, ATque portarum numero.

CAP. VII.

SIcuti ea, quæ dicta sunt, demonstravere Nolanos potentes, & magnos, atque illustres: ita valent ambitum, areamque urbis ipsam non angustam, ac hiantem, sed amplam, ac sane quam refertam extitisse, consentaneè significare; magna n. magnos decent. Quinetiam licet certa ratione, atque mensura colligere ab eis fragmentis, reliquiisque antiquæ urbis, quæ adusque nostra tempora duravere, extantque, quantum areæ urbs ipsa occuparit, quaque fuerit figura, & quanto sit ambitu circumducta; videre nunc namque est, duo memorata amphitheatra inter se distare circiter trecentis sexaginta passibus; passum esse audiendum est, spacium VIII. pedum. Quinetiam singulorum amphitheatrum diametrum passuum esse quinquagenum; præterque ea spectare licet, extra utraque amphitheatra per eamdem rectitudinem, in qua illa sita distant, alia vestigia, ac fundamenta magnorum ædificiorum; ut extra latericium, versus occasum æstivum, circiter centum passus, extra vero marmoreum, versus ortum hybernum, tantundem; amphiteatra n. extra urbem, aut intra, sed juncta muris, aut muris vicina non poterant erigi; tempore n. belli plurimum potuissent officere, ac impedimento esse. Quamobrem collectis in eadem longitudine mensuris quinque, ut quæ est inter amphitheatra, quæque sunt duarum diametrorum ipsorum, atque præter eas duabus aliis, quibus utrinque amphitheatra erant secreta a muris urbis, compertum est, diametrum urbis sexcentis sexaginta passibus patuisse. Quod si Nola rotunda erat figura, & crebris circumdata in orbem turribus, ut *Silius* cecinit, utque vestigia, & relicta fundamenta quoque nunc indicant, orbem undique, quo continebantur, monstrantia; fuit nimirum maximus urbis ambitus duum millium ac septingenti quatuor passus. Sexangulam vero urbem si in orbem circumdatam saltem intellexeris, singula ejus latera trecentenum tricenum passuum excurrisse oportet; fuisse itaque minimum urbis ambitum duum millium passuum demptis xx. compertum est; sin vero duo decangulam mansisse urbem velles, ambitum patuisse oportet medium inter utrosque mensus hosce: hoc est duum millium ac xx. septem passuum fere. Tantum ambitum continuisse urbem, illud quoque indicio est, Namque autore *Livio*, Marcellus ex tribus portis occurrisse scitur Annibali urbem Nolam invadenti, quas portas

tres


23
23
21
N

Digitized by Google

THE NEW YORK
PUBLIC LIBRARY

tres in eadem urbis plaga patuisse oportet, atque intervallo vicinas : ut milites sibi propinquiores erumpentes, densius, ac tutius in adversos hostes incurrissent. Quod si illæ tres portæ non à se invicem aversæ, sed ex ordine, atque vicinæ, manifestum est, ab hisce ternas alteras aversas fuisse, atque inter utrasque à dextera ternas, à læva item ternas, omnesque fuisse XII. ; verum quatuor earum præstitisse principales : reliquas vero commodatarias arbitrandum est. Tot autem portas campestris, rotundæque urbis tantum circuitum, quantum diximus, exposcere, consentaneum est ; porta enim altera ab altera illarum distare minore tractu non poterat, quam centenorum sexagenorum quinum passuum ; majorem vero portarum numerum in eo circuitu, ambituque desiderare, est tempore pacis supervacaneum, belli vero non totum ; minorem vero numerum utroque quidem tempore & pacis, & belli minus commodum : pacis vero potius ineptum est.

DE EIS ANTIQUÆ NOLÆ reliquiis, quæ nunc apparent.

CAPUT VIII.

QUatuor sunt, quæ nobis hactenus reliqua fecit urbs antiqua Nola, ut amphitheatrorum duorum partes quasdam, ut tumulos, ut pavimenta quædam templorum, ut fundamenta etiam terra tecta multorum ædificiorum ; verum inter omnia hæc, certa & clara melius sunt amphitheatra, & tumuli. Amphitheatrorum igitur duorum, quæ dicta sunt, latericium adhuc servat ambitum, atque parietem exteriorem etiam supra fornices & arcus infimos : superiora vero corruerunt, videturque habuisse duos ordines fornicum. Namque paries exterior non usque adeo solidus validusque est, ut etiam tertium supremumque ordinem testudinum sustinere valuisset. Quare latericium amphitheatrum, etsi cum marmoreo arce pari & æquo ambitu consentiat : eo tamen minus, & humilius fuit uno ordine ; marmoreum vero, quod nobis pueris magis corruptum atque dirutum erat, quam latericium, etiam paulo post fere funditus extirpatum est ab Ursо Ursino, Nolæ tum regulo, Nicolæ avi tui patruele. Is enim quum reficere, amplificareque regiam constituisset, omnia fere amphitheatri fundamenta fodiendo exhausit, totque quadrata marmora effodit, quot non solum primorem parietem regiæ, qui Arcum spectat, construere potuerunt & extollere, sed etiam ad magnum usum reliquæ ædificationis sufficere, inque multorum civium commoditatem concedere ; atque præter ea vel quam plurima alia supereſſe, fundamenta ejus jacta adusque viginti pedes, ac è lapidibus quadratis, maximisque compacta ostendunt ; antea vero quam ab Ursо excavarentur, extare nos vidimus duos arcus solos quadratis lapidibus compositos : quorum alter occasum hybernum, æstivum alter spectabat ; & horum fundamenta fundamentis aliorum arcuum certo intervallo atque in eodem circuitu respondebant. Ex quo ordine, ambituque, atque arcubus clare scire licet, eo in loco amphitheatrum stetisse, idque altissimum : simul quia fundamenta erant amplissima, validissimaque tolerare superinjecti operis altitudinem : simul quod ejusmodi marmorea amphitheatra non minoribus ternis ordinibus arcuum erigi solent. Ea autem marmora quanquam innumera, tamen asperiora erant ; non item pellucida, non peregrina ; quamobrem in subditicio opere jacta, atque alia pulcriora, effigiataque adjecta crustationi esse oportuit, veluti etiam multa crustationis fragmenta reperta indicant, quorum & materia est pulcrior, & ars, quæ in eis videtur, diligentior. Hoc opus nobilissimum extitisse, indubitatum est, ac maximo animo, ingenio, labore, sumptuque editum : sive ea marmora fuerint erate convecta Stabias, & Stabiis plaustro Nolam, sive illa asperiora excisa fuerint de monte Gecala : peregrina vero de Liguria Circæisve advecta. Quam maximum extitisse hoc opus, ruina etiam testatur ; dirutum enim ædificium verrucam grandem, quasi naturalem extuberavit. In eo etiam opere certasse videntur Nolani cum Campanis ; namque huic operi simile ab eis extructum fuisse manifestum est, duobus millibus passuum citra Vulturnum amnem, ubi tum Capua sita erat. Verumtamen Nolanis opus longe difficilius extitit ; illi enim per Vulturnum atque scaphis : Nolani vero Stabiis plaustro domum camenta devexere. In quo nemini velim mirum sit, si videat in medio amphitheatro hoc marmoreo quædam ædificiorum vestigia : ut scalas singulas fornice tectas, ac duas alias fornices, quæ in amphitheatro locum habere nequeunt, cujus medium vacuum erat & subdium ; namque à posteris illa ædificata sunt : structura enim earum fornicum multo vilior est. Quin etiam eadem adjecta ædificia quadrata figura fuisse, indicant tum duo fornicum latera in angulum concurrentia : tum scalæ, quæ à cavædio ascendentes videntur tertio lateri hæsisse. Quamobrem speciem arcis præ se ferunt, quam aspicientes ii, qui posteris sæculis fuere, appellaverunt eam ruinam verrucamque, *Castellum ruptum*, censentes, arcem fuisse, non amphitheatrum ; sed amphitheatrum fuit non arx. Arces enim primorem murum solidissimum, continuumque maxime volunt, non super arcubus pilisque erectum : sicuti suum est amphitheatri super pilis, arcubus, atque testudinibus in ambitu ductis extare ; his enim sedilia attolluntur. Potuit autem hoc amphitheatrum supra triginta millia hominum spectatum excipere ; singula enim sedilia in tanto ambitu ad septies centena capita facile capere, quorum ordines ab imo ad summum scandentes ad quadragenos, atque quinos deinceps subjecisse sibi convenit. Extra autem amphitheatrum latericium via ampla etiam nunc est, quæ recta tenditur versus occasum vernum, fertque Neapolim, quæ antiquæ urbis fuisse indicatur : partim quia locus is videtur semper appellatus fuisse *porta*, & sacellum quoddam quod illi adjacet, vocatum est *Sanctus*

betrus ad portam ; partim quia eidem viæ
haerent tumuli quidam antiquissimi, idque
è regione illius sacelli ; sunt ejusmodi tu-
muli eleganter conditi, non etiam multum
extantes ; sunt ampliatque rotundi, corona-
tique, tectum quorum ab orbe exurgens pe-
detentim fastigiatur turbinaturque in apicem
medium ; structura intericia est, ac tam apte
compacta, ut materia solida esse videatur ;
ab aversa autem latere urbis, quod ad or-
tum vergit vernum, via Lauriniana etiam
nunc exit ampla, recta, oblongaque, quæ por-
tam aliam urbis antiquam indicat, quæ a-
versa erat a porta Neapolitana. Item parvo
tractu ab amphitheatro marmoreo recedens
versus Arctum fanulum est : quod humi de-
pressum est, atque pavimentum tessalatum in
eo cernitur, figuramque basilicæ habet : quæ
nunc *sancta Victoria* nuncupatur. Quod tem-
plum Victoriæ priscis temporibus fuisse vi-
detur ; est autem hoc sacellum inter amphi-
theatrum & arcem præsentis urbis. In ea-
dem parte arctica, atque majore recessu facto
amphitheatro est *Episcopium*, in quo pavi-
mentum antiqui templi, quod Jovi dicatum
erat, detegitur, quod nunc subterraneum
sacellum est *beati Felicis* ; atque prope ipsum
alter locus etiam humi depressus comperitur,
qui nunc vocatur *sanctus Apostolus* ; sed
antiquos hosce locos depressos ejusdem templi
Jovis extitisse partes, notum est, ut infe-
rius dicetur. Adhæc parvo intervallo versus
æstivum occasum secedens ab Episcopio, lo-
cus est etiam humi depressus : in quo erectis
quibusdam pilis basilica constructa est, quæ
nunc appellatur *Sanctus Felix in platea* ;
quod antiquum templum extitisse creditur ;
alterum enim templum super eo erectum est :
sed ignoratur cujusnam numinis illud anti-
quum fuerit. Veruntamen hæc tria pavimen-
ta antiqua in eodem curriculo tractuve con-
stituunt, qui ab occasu æstivo in ortum hyber-
num distenditur : in quo, *Apostolus* est ab
hyberno, *Felix in episcopio* est in medio,
Felix in platea est ab æstivo latere. Nec a-
lia pavimenta, quæ humi sint depressa, ap-
parent intra metas ambitumque antiquæ ur-
bis. Veruntamen in eo jam memorato trac-
tu, si quis episcopio per centum passus
versus hybernum ortum recta processerit,
obvius fit locus, in quo templum fuit Ser-
vatoris ; nunc vero appellatur *sanctus Ser-
vator* ; neque locus depressus est humi, ut
illi ; sed naturali solo est altior ; præsens e-
nim sacellum videtur esse erectum super fa-
bricam atque ruinam antiqui ; nam omnis
ejus viciniæ solum extumescit ob antiqua-
rum ædium ruinam ; est autem hoc præsens
Servatoris sacellum sub turre Megaldina præ-
sentis urbis : idem adjacet muro cuidam, in
quo porta urbis patuisse videtur, sed non
antiquæ, sed ejus, quæ post casum antiquæ
resarcta modo quodam fuit. Præter hæc in
media duorum amphitheatrorum distantia e-
tiam inventa sunt marmora aliquot quadra-
ta, inter quæ, unum erat incisum litte-
ris dicentibus : TEMPLUM AVGUSTI, cæ-
teræ deletæ erant ; quæ certo argumento
sunt, illic extitisse Augusti templum : ab
hoc vero loco si quis recta inter austrum, &
occasum hybernum ad ducentos passus pro-
cesserit, incurret fragmenta quædam, locum-
que, ubi quam plurima marmora quadrata
effossa sunt tempestate etiam nostra, eaque
Neapolim plaustris transvecta fuere a Carolo
Carrassa, ex quibus constructæ sunt omnes
partes imæ ædium, quas ille edidit prope
porticum, quod *segium Nidi* vocant ; hic
igitur, ubi effossa sunt marmora, templum
antiquæ urbis videtur extructum fuisse, quod
fundamenta, quæ erant facta domibus, la-
tericia reperiuntur ; non autem tanta con-
gerie quadratorum lapidum stabilita. Atque
illud templum credendum est, dicatum fuis-
se Mercurio ; siquidem in quodam marmore
inciso legimus L. Sattium fuisse magistrum
& Mercurialem & Augustalem in urbe No-
la ; eundem vero virum magistrumque duo-
rum vicinorum templorum mansisse, verisi-
milius est. Quinetiam ab Augusti templo
recta in austrum proficiscenti trecentos pas-
sus, fit obvius locus quidam extumescens
ob antiquæ fabricæ fragmenta ; quas reliquias
murorum antiquæ urbis fuisse, mensus at-
que rotunditas urbis ipsius ostendunt. Quin-
etiam illic portam cum turribus patuisse,
qua Vesuvium versus ferebat, sicuti nunc
via eodem ducens patet. Ab amphitheatro
præterea marmoreo recta eunti versus Vul-
turnum ventum ad centum passus, locus
extumescens alter occurrit : ubi murus ur-
bis stetisse, eadem ratione creditur : atque
similiter porta cum turribus, quæ Sarnum,
Nuceriamque euntibus iter præbebat. At ve-
ro, quod Annibal primum Nuceria via hac
ipsa ad Nolam expugnandam venit, verisi-
mile est ante hanc portam esse castra meta-
tum, atque cum eo sub hac eadem urbis
plaga illa illustri pugnatum esse pugna, in
qua victor Annibalem docuit posse vinci.
Inter autem Mercurii templum, atque por-
tam Sarni, amphitheatrumque marmoreum,
ac portam Vesuvii, passim effodiuntur æ-
dium antiquarum fragmenta : item antiqua,
oblongaque fornix inibi extat, quod nunc
balneum Caecii vocant. Quin etiam in o-
mni ea plaga, quæ patet inter templum Au-
gusti, atque portam Neapolitanam, lateri-
ciumque amphitheatrum, atque Mercurii
templum, effodientibus antiqua fundamen-
ta crebro passimque deteguntur. Regio de-
mum septentrionalis, quæ est ab amphi-
theatro, temploque Jovis versus arctum, at-
que portam Abellæ, referta est fragmentis
antiquarum fabricarum, usque adeo, ut ter-
ra cum intrito, lapillisque, ac frustulis mista
sit, non modo altius tegantur ubique loco-
rum fundamenta parietum, Aliquantulum
quinimo parietis magni & solidi in eadem
plaga extat ; qui aut magnarum ædium fuit,
aut templi magni, aut murus urbis, ut
dictum est ; resarcta, postquam antiqua pes-
sumivit, cecidit que aut bellis, aut pestilen-
tia afflictata. Is vero paries distat à templo
Jovis quadraginta passus, qua vergit ad Ar-
ctum ; cui nunc parieti hærent ædes *Cæsa-
rinorum*, & *Maccoorum*, & *Fricciarum*, &
Tangorum. Hæ sunt igitur reliquiæ anti-
quæ Nolæ, quas area, urbisque sedes po-
tuerunt ab injuriis temporum omnia consu-
men-

Digitized by Google

mentium vendicare, nobisque usque ad hanc tempestatem servando transducere : Amphitheatra diruta, pauci tumuli, templorum magnorum pavimenta arctissima, atque deletarum aedium rudia, atque solo tecta quamplurima fundamenta.

QUOMODO URBS SERVATA sit illuvionibus, quæ in eam influxerint.

CAP. IX.

HOc in loco aliquantisper sistere gradum nos cogit ambiguitas quædam : siquidem tempestate nostra vidimus, illuviones magnas inundasse, superasseque quandam Nolani agri partem ; veluti eam, quæ incipit abusque radicibus Gecalæ, ubi colles ejus in angulum protensi conjunguntur, procedensque circa amphitheatrum marmoreum, ac ante portam Vicanicium urbis præsentis, item circa templum Augusti, atque secus ambitum australem amphitheatri latericii, prolabitur adusque paludes ; a principio scilicet usque ad finem veluti arcum laxum faciens, cujus convexitas versus Vesuvium vergit, estque longitudine duum millium atque quingentorum passuum latitudine vero trecentorum, Quamobrem non paryam antiquæ urbis partem in hoc ipso arcu, plagave illuvionibus obnoxiam mansisse, compertum est ; omnis enim australis urbis regio in mediis illuvionibus constitit. Qui igitur factum est, ut illuviones nullas urbs, agerve senserit, optimeque & in tota urbe, & in agro, & ædificatum, & habitatum, & cultum sit ? præsertim si illuviones natura ferente statis siderum curriculis fuissent eruptyræ. Quam dubitationem statim delet mentio inductæ fossæ ; siquidem via, quæ Laurinium fert, a dextra etiam nunc retinet vestigium altæ fossæ : quæ secundum eam protenditur ab aggere, qui sub Megaldina turræ præsentis urbis est, quousque subiverit prope angulum, quem Gecalæ colles claudunt. Contra vero alterius fossæ vestigium apparet : quæ ab aggere, qui sub turre rotunda exurgit, incipiens versus occasum recta excurrit secundum viam, quæ à porta, quæ nunc clausa est, exibat ; hæ duæ utrinque fossæ in eodem recto tractu manent, quas intercedere oportebat fossam aliam subterraneam, veluti magnum aquæductum per urbem veterem ductam, utrasque utrinque contingentem : quæ nunc est præsentis urbis meridionalis fossa, à Megaldina per Vicanicium ad Rotundam turrem excurrens ; fossa vero, quam versus occasum descendere diximus, ad paludes declinat ; quamvis non appareat, quo progressu in paludes evadebat ; est enim magna ex parte æquata solo ; in paludis vero parte, quæ vicina Nolæ est, iterum fossa alta edita est ; quæ recta usque ad Clanium fluvium producitur, quem *Lagnum* corrupto verbo Græco vocant Nolani : quod dicere debent lagynum ; λάγυνος enim Græcis significat non modo vas, sed etiam receptaculum quodcunque, in quod aqua liquoresve excolantur & influunt ; nam in eam fossam omnis fere aqua palustris, quæ prope Nolam stagnat, furtim penetrat. Quamobrem à radicibus Gecalæ adusque Lagynum fossa alta ducta erat ; in quam omnis aqua, quam Gecalanæ valles atque radices imæ in campum Nolanum profudissent, excipiebatur : atque per eam in Lagynum, Claniumque amnem defluebat. Quamobrem ubi non impedita aqua alveum curriculumque inveniebat, tum stagna lacusve nullus in agros urbemque exurgere quibat ; servabatur quoque ea fossa, sicuti Lagynus hucusque servatus est. Augusto enim mense, quum aquæ funditus ab æstu fervoreque solis exustæ sunt, Lagynus quotannis expurgatur excavaturque (sicubi ripæ corruerint) ut hyberno atque verno tempore expeditus alveus aquis in Lagynum fluxuris paretur ; cavatur autem à cunctis paganis in agro Nolano colentibus, jussu ac more antiquo coactis. Hoc itaque ingenio & ager, & urbs vetus ab illuvionibus vendicata est, Quod si ea fossa nostra tempestate, atque septuagesimo ante anno servata fuisset, non tantam civium suorum stragem semel atque iterum Nola vidisset, Nique futurum eadem excavetur, toties pestilentiam expectare urbem necesse est, quoties longa pluvia valles Gecalanas complerit, ac in agrum Nolanum illuviones erumpentes profuderit.

QUOUSQUE PROTENSUS sit Nolanus ager.

CAP. X.

SI quæ dicta sunt, vera sunt : videtur, ut eò Nolanorum agrorum fines fuerint ampliores, quò cives censi sunt plures : quoque urbs ipsa grandiori area fuit dilatata ; idem vero exquisitius quisque atque facillime dignoscere ex his, quæ dicemus, poterit ; a Nolanis enim vel ad hæc tempora ager possessus est is, qui si non Clanium usque fluvium, aut ejus fontes, tamen ad usque Mephitim, putidarumque aquarum conchas protenditur, ab urbe Nola initium sumens ; fontes autem Clanii ad occasum æstivum vergere, dictum est. Itidem recta progredientes ab urbe per octo milliaria versus occasum hybernum, assidue suum agrum calcabant Nolani ; quousque veniissent ad confines agros Neapolitanorum. Erat autem finis is intra radices sinistri occidentalisque cornu Vesuvii montis ; quo in loco, quum lis de finibus agrorum cum Neapolitanis orta esset, & ad eam arbitrandam missus esset à Senatu Rom. Q. Fabius Labeo, judicium vafrum ab eo latum est de agrorum terminis, Siquidem is, quum ad locum veniisset, cum utrisque separatim locutus, ne cupide quid agerent, ne quid appeterent, atque ut regredi quam progredi mallent, Id quum utrique fecissent, aliquantum agri in medio relictum est. Itaque illorum fines sic, ut ipsi dixerant, terminavit. In medio relictum quod erat, po-

Rom.

Rom. adiudicavit : qui vel usque ad nostra tempora *Campus Romanus* appellatus est ; cujus meminit Cicero, atque Val. Maximus. Si quis igitur limitem ducat à fontibus Clanii, vel a Mephiti adusque Romanum hunc campum ; certo novit confinia Nolana, quæ tum in occidentem plagam protendebantur; quod eo præsertim credere est, quod intra hosce terminos nullum oppidum alicujus nominis extitisse constat. Nostra quinetiam tempestate Nolanum solum fere porrigitur abusque urbe adusque radices dextri, ac orientalis Vesuvii cornu ; videlicet ad terminum, qui inter verrucam, quam nunc *Altorellam* appellant, & dextras Vesuvii radices interiacet. Si ergo intellexeris duos terminos, alterum ab urbe adusque Campum Romanum, alterum item ab urbe versus Vulturnum ventum, protensum adusque Altorellæ metam, clauseris intra eos omnem australem sortem Nolanæ possessionis ; in qua Vesuvii montis juga, quæ vergunt ad arctum, concepta sunt ; compertumque cum sit, nullum oppidum clari nominis tum, quum Nolani florerent, inter Vesuvium, urbemque Nolam stetisse : etiam manifestum est, omne id Nolæ possessionis fuisse, quod claudit limes ductus à Campo Ro. ad verticem Vesuvii montis, ac à vertice ipso ad Altorellæ terminum. At vero quod intra hos terminos cadit Octavianum oppidum, cujus nunc etiam possessiones extenduntur usque eo, quo dextrum cornu Vesuvii declinat, ac ubi sunt agrorum confinia Pompejorum, qui hodie *sanctus Petrus Scaphatæ* nuncupatur ; iccirco eodem usque promotos Nolanos agros fuisse, par est. Namque quæ Octavianorum sunt, quum ipsi fuerint prius Nolani pagani, posterius vero Octavii Augusti, à quo nomen id sibi traxisse videntur, ea omnia Nolanorum dominatu subjecta fuisse oportet ; à vertice itaque Vesuvino, per orientale ejus cornu, ad Pompeiorum confinia deductus limes, atque per lævum adusque Campum Romanum porrectus, clausit omnem meridionalem Nolanorum agrorum possessionem. Adhæc versus ortum vernum via, quæ ab urbe Laurinium oppidum fert, nunc etiam euntes campum Nolanum calcant : quousque ad fossam quandam, turremque pervenerint, quæ sub colle australi Gecalæ erecta est, quæque *Martiani Turris* appellatur ; hic enim sunt confinia Nolanorum & Laurinienssium ; ducatur itaque linea à cornu lævo, orientalique Vesuvii, confinia usque Pompejorum, ac scindat de monte Sarno omne id cornu, quod versum est ad occasum, protendaturque usque ad hanc Martiani turrim, ipsa terminabat Nolanum campum ea parte, qua est ortus hybernus; ab urbe quinetiam versus æstivum ortum recta euntibus finis Nolani agri etiam nunc occurrit illic, quo declinans finit collis Vesciani : in eo enim angulo jacent campi Tophinensium, & Gallensium. Tophinum enim, & Gallum pagi sunt Nolani. Proinde limes ductus à turre Martiani super colles, adusque declinationem, cornuque collis Vesciani, clausit Nolanum agrum, qui vergebat ad ortum vernum & æstivum. Ab hoc demum ipso cornu ductus limes adusque Clanii fontes, Mephitimve, unde profecti fueramus, etiam nostra tempestate terminat agrum Nolanum : qua spectat septentriones. Hos fuisse agros Nolanorum, exactiore ratione ausim asseverare. Quod si nostra tempestate in eo agro sunt in occasu Marianum, vel ut ajunt, *Marilianum*, & Pompejanum, quod *Pomilianum* nunc appellant ; ad meridiem vero *Sancta Anastasis*, ac *Summa* oppidum, & *Octavianum*, quæ intra radices Vesuvii existunt : item ab oriente *Palma* oppidum, & *Domocella*, quæ ad radices Sarni montis est, qua is vergit in occasum: atque postremo à septentrione Titianum, quod *Cicianum* vocant : nihil inquam hæc turbant eos, qui dicti sunt agrorum fines. Omnia enim ea oppida fuere pagi, & villæ, ruraque Nolanorum ; quæ à Romanis empta (ut fit) aut rapta cœpere primum seorsum, atque per se agere, deinde paulatim crescere in speciem oppidi. Demum declinante Nolana potentia, partem Nolani agri veluti proprio jure, quam nunc possident occupavere ; licet hoc ipsum discere à T. Livio. *Sylla*, inquit, *Nolam à Samnio recepit, & legiones in agros captos deduxit, eosque illis divisit*. A Cicerone quoque libro decimo tertio epistolarum est cognoscere, hæc fuisse Nolanorum ; scribit enim hoc pacto : *& alicui des negocium, qui quærat, Q. Faberii fundus nunquis in Pompejano Nolano venalis sit*. Est autem Pompejanum Nolanum, quod *Pomilianum* hodie vocant. In quo Cicero addidit verbum *Nolano* : ne si scripsisset in Pompejano solum, intellectum fuisset in Pompejanorum agro. Fuisse autem aliquos agrestes Nolanos, etiam Livius docet : *Dictator*, inquit, *Cl. Potelius in Campaniam reditum fecit : maxime ad Nolam armis repetendam ; eo se intra mœnia sub adventum dictatoris, & Samnitium omnis multitudo, & Nolani agrestes contulerant*. Vera quinimo esse ea, quæ diximus de agris, ex hisce, qui velit, conjectari valuerit ; labefactatam n. multis temporum injuriis Nolanam rem excepit posteritas, atque recordata Nolani nominis, tum pudore, tum reverentia superioris urbis excita est, atque testificata quodammodo Nolanorum jus & dominationem in hæc ipsa omnia loca, quæ ausa sunt, tanquam fugitivi à dominis, atque membra à corpore abducere se. Nolæ namque urbi vel maximè afflictæ cum omnia hæc, tum alia quoque plura oppida obnoxia fecit, ut non modo jure civili, sed etiam pontificio regerentur ab ea ; quod usque ad nostra tempora servatum est : quanquam aliqua eorum nunc jura civilia non capiunt ab urbe, cuncta tamen dicto parent, ac pontificio jure à Nolanis gubernantur. Marianum n., Pompejanum, Sancta Anastasis, Vallis, Summa oppidum, jure pontificio urbis sunt Nolæ. Octavianum vero, & Palma utroque jure gubernantur ab urbe. Laurinium vero, Bovianum, ac Abella oppidum, quæ extra agri Nolani fines erant, etiam utroque jure ab urbe Nola reguntur ; at Montefortium, quod intra valles, & confinia Hirpinorum extructum oppi-

Digitized by Google

pidum est, jure communi solummodo ab urbe nostra moderatur. Ticianum autem in causis solis criminalibus Nolano judici paret; à Stabiis demum quotannis magnus atque albus agnus cum cornibus auratis Nolam ad præsulem mittitur.

UBI LOCORUM STABIÆ fuerint, & unde Nomenclatura Vesuvii montis.

CAP. XI.

EA, quæ ante dicta sunt, jam postulant, ne amplius differamus, docere, ubi nam loci antiquæ Stabiæ steterint, sitæve fuerint. Namque clari viri sunt, qui scribunt, Stabias esse, quod *Castellum maritimum*, aut *Castellum ad mare* hodie vocant: quod verum non est. In quo, ut ea res apertius intelligatur, audire oportet ea, quæ *Galen.* lib. 5. curatoriæ artis de Stabiis scripsit; solus enim is rem omnem explicuit quam enucleatissime; cujus verba hæc sunt: *Stabiarum sedes ad mare adjacent, atque ad imum littus Surentini sinus, qui Surentum Neapolimque interfluit: & si Stabiæ potius à Surentino latere sint. Est autem in toto hoc latere magnus collis, atque oblongus, excurrens in mare Tyrrhenum, atque sensim declinans occasum versus; non in, recta in meridiem protenditur, Idem mons tanquam tutum vallum objectus orientalibus ventis Vulturno, Subsolano, atque Aquiloni, ipsum sinum tuetur, Quinetiam eisdem Stabianis sedibus conjungitur mons alter excelsus, qui prope imum littus ipsius sinus est; quem montem antiqui Romani scriptores, atque qui nostra tempestate sunt elegantiores, appellant Vesuvium. Veruntamen celebre atque novum nomen monti Lesbius est; omnibus notus est quod à profundis sedibus ignem exeitum cacumine hiante eructat, qui (ut arbitror) plurimum confert ad deficcandum aerem, qui ea loca circundat; quanquam etiam absque eo igne idem aer suapte natura siccior est, quando neque lacus aliquis, neque paludes fluviusve alicujus momenti residunt, fluitve aliqua in parte sinus: ventis vero cunctis, qui ab arcto occasuve æstivo perflant, Vesuvius is ut provallum obest, inter imum sinum atque arctum excurrens versus vernum occasum; sæpe quoque numero cinis ab eo ejectus, adusque mare devenit; quæ sunt reliquiæ combustæ jam materiæ, atque ejus, quæ nunc etiam comburitur; hæc omnia aerem illum sane quam siccum reddunt.* Hæc *Galenus*; quæ sicuti nullo pacto congruunt Castello maritimo, ita exactissime consentiunt cum eo loco, qui *Turris Nunciatæ* nunc appellatur, Castellum n. maritimum non est in imo sinu, sed in latere, atque intra montem Gaurum, qui in Tyrrhenum mare protenditur, ac parum distat à Gaurano oppido, quod corrupte dicunt *Granianum*; parum etiam abest à Surento. Turris vero Nunciatæ in ipso imo sinu est; quanquam limite dirimente sinum, atque ejus imum littus in duo latera, hinc Surentinum, hinc Neapolitanum, ipsa Turris magis est à latere Surentino, sicuti Vesuvius à latere potius est Neapolitano. Quinetiam agri Castelli sub Gauro monte patent, atque citra hosce sedet ager Pompejorum, quos Sarnus fluvius alluit. Vesuvius vero multo occidentalior, ac citerior Sarno fluvio jacet. Quamobrem Vesuvius non conjungitur cum Agro Castelli interjacentibus Pompeiis; contra vero ager Turris in eadem ora continetur, quæ citra Sarnum fluvium est, atque dextrum orientaleque cornu attingit Vesuvii; is enim ager inter Vesuvii dextrum cornu, atque ostia Sarni extenditur. Quinetiam ignis, & cinis igneſcens, qui à Vesuvio ad mare devolvitur, per agrum Turris, non autem per agrum Castelli descendit. Quare aer Turris magis, quam Castelli ab eo desiccatur. Quinetiam Galeni dictis consentiunt, quæ *Plinius Nepos* ad Tacitum scripsit. *Rectum*, inquit, *ipse cursum, rectaque gubernacula in periculum tenet, adeo solutus metu, ut omnes illius mali motus, omnes figuras, ut deprehenderat oculis, dictaret, enotaretque. Jam navibus cinis inciderat; quo propius accederet calidior & densior; jam pumices etiam nigrique, & combusti, & fracti igne lapides: Jam vadum subitum ruinaque montis littora obstantia, cunctatusque paullum, an retro flecteret, mox gubernatori, ut ita faceret, monenti; fortes inquit, fortuna juvat, Pomponianum pete. Stabiis erat; diremtus sinu medio.* Hæc *Plinius*, quæ naviganti versus Vesuvium, Turremque Nunciatæ contingere necesse est: ei vero, qui ad Castellum maritimum tenderet, non possunt; semper recta navigavit Plinius Vesuvium versus, nec usquam reversus est, aut aliquo pacto divertit, petens namque Castellum, diverti sset iter. Quare Stabiæ in ea regione erant, in qua Turris Nunciatæ nunc est. Est autem hæc Turris oppidulum cum villis, & emporiis, quæ Nolanorum quoque erant, in quas abiere antiquæ Stabiæ, ut *Plinius* testatur. Verum hoc oppidulum paryo tractu distat à mari: Stabiæ vero maiore interyallo à mari aberant, atque magis versus montem secedebant. Jacet hoc oppidulum ad imum littus Surentini sinus, atque ab Arcto cornu orientale Vesuvii; ab occasu vero Heracleam, vel ut alii dicunt, Herculaneum, quam nunc *Turrem Græci* vocant; ab ortu Sarnum fluvium, & Pompejos confines habent. Verum enim vero his, quæ dicta sunt, constare videtur Columella canens; *Fontibus & Stabiæ celebres, & Vesuvia rura.* Namque circa turrem Nunciatæ nulli sunt fontes, propter quos illa tantopere celebraretur; ni fontes pro puteis, qui parum illic alti sunt, usurparit, à quibus aquæ illimes hauriuntur. Nec desunt, qui in ea sententia sunt, Columellæ tempestate plures fuisse fontium scaturigines, quæ nunc exeso littore teguntur à mari, in quo etiam se vidisse ajunt, dulces aquas ab ima salsa veluti bullientes: idque crebris in locis exurgere. Aut legendum est non *fontibus*, sed *flatibus*; flatus enim Favonii, Aphriciique illic perpetui, atque placidissimi increbrescunt: à mari enim ejusmodi flatus, &

auræ

turæ excurrentes Heracleam, atque Stabias perflant, ac nullo impediente montis jugo transeunt in campos Pompeianorum, atque Nucerianorum. Quamobrem omni ei oræ, in qua Stabiæ sunt, atque Heracleæ, summam eum amœnitatem, tum salubritatem pariunt, ut etiam *Strabo*, & *Galenus* testantur; neque silentio prætereundum est caprarum lac huius Vesuvianæ oræ, quod Stabias quoque indicat; non quidem inquam, quia Galenus primus id summopere laudavit, eoque plurimos curavit, verum etiam quod à salubritate laudatum erat (ut idem autor scriptum reliquit) atque idcirco in usu magno prius habitum fuerat, Galenus deinde commendavit, factum est, ut magnopere homines uterentur: quod usque ad nostra tempora servant Stabiani, atque Heracleenses; pascunt enim per radices, jugaque meridionalia Vesuvii montis plurimos caprarum greges, idque ad usum solummodo lactis: quod perparum coactum tenerrimumque ficedulis planis excipientes, ad circumpositas urbes convehunt cotidie, ad quas statim tempore matutino facile pervenire possunt; proinde Neapoli, Nolæ, Sarni, Nuceriæ, cæterisque in locis vicinis haud pluribus XII. passuum millibus magna pressi lactis copia Stabiani divenditur. Quanquam hoc ipsum potius Heracleenses, quàm Stabiani nunc faciunt; hi enim perpauci sunt, Heracleensium verò populus multo major. Illud insuper minus prætermittendum est, quod Galenus superioribus monstravit inter scribendum: *Monti*, ait, *Vesuvio nomen esse Lesbium insigne atque novum*. Namque mutata litera *L.* in *B.* atque *V.* vocali interposita, fit de verbo *Lesbius* Besubius: ac deinde *Vesuvius*. Latina enim oratio non facile patitur literam *S.* ante *B.* sicuti *S.* cum *P.* frequentissimè conjungit. *Lesbius* itaque appellatus mons est, quod in eo Lesbii patria exeuntes aliquando incoluere; quod verisimillimum est: siquidem legitur apud *Solinum*, Lesbios imperium maris aliquando tenuisse, ipsumque amissuros multo antea Sybillam Erythræam præmonuisse, aut quoniam Lesbii ob quandam orationis turpitudinem infamantur à scriptoribus: unde *Lesbizire*, proverbium factum est, quod est inquinare cum os, tum alia, aut iniustis aut obscœnis dictis; & alterum proverbium: *Lesbiis digna*: quum fœda, inquinata, turpia, injustaque significare quisquam velit. Vesuvius enim cacumine hiante tanquam ore aperto cineres, igneſque eructans fœdat omnem oram, quæ ei subiecta est. Nec ignoramus in quibusdam codicibus etiam antiquis scriptum esse Besbium, atque plerosque dixisse *Besbium*, non *Lesbium*. In quo si qui sint, qui magis ament legere Besbium quam Lesbium, ne crebro acceptam dictionem mutent, nihil moror: modo videant per quam facile dilucideque verbum Besbius etiam deductum esse à verbo Lesbius, ratione atque modo, quem diximus. Nec erit abre arbitrari Besbium dictum esse non à Lesbiis, sed ab duce aliquo Pelasgo, qui in eo monte damnatus aliquando, fecit loco nomen. Pelasgorum enim nomen *Besbicos* unum ex propriis est, ut *Stephanus* scribit: à quo nomine litera *C.* exempta, besbius remansit. Neque quinetiam veri dissimile est, Besbium dictum esse à gigantis nomine *Besbicos*, qui nomen indidit insulæ parvæ, quæ prope Cyzicum extat, ut idem autor refert; mons enim Vesuvius, quum usque ad imum pertusus, cavernosusque sit, videtur etiam excavatus esse, quæ opera sola gigantum esse creditur; gigantes enim, quorum princeps fuit Besbicus, leguntur excavasse littora, atque per maria devolviſſe saxa: ut ostia Rhyndaci fluvii clauderent. Ex quo nomine litera utraque *B.* mutata in *V.* consonam, atque altera vocali *V.* iniecta, effectum est verbum *Vesuvius*. Quod si prisci favillas nuncupavere *vesuvias*, ut quidam arbitratur Latinus Grammaticus, erit *Vesuvius* Latinum verbum: dictusque Vesuvius, quasi favillosus ob crebras favillas, quas eructare olim solebat, cui addita litera altera *V.* fit Vesuvius: & mutata utraque litera *V.* in *B.* fit Besbius. Ad hæc licet homini Latino verbum idipsum exquisite monstrare, Latinum esse, compositumque ex tribus, ut *ve* particula adauctrice, & *ſus* dictione, quæ motum ad superiora ostendit, & *via*, nomine, quod iter vult significare; hoc est, mons, in quo perquàm arduum sursum iter fit, siquando cacumina Vesuvii ascendere volentibus ardua adscandendum juga deinceps occurrunt: veluti Joannes Antonius Dondus Cremonensis vir omni literarum genere redimitus interpretatus est. Quare à loci proprietate factum nomen est *Vesuvius*, à quo & per mutationem, & per exemptionem literarum & *Besbius*, & *Vesuvius* attendere quam facillimè potest. Veruptamen quòd gens Campana antiquior fuit Græca, quàm Latina, placet locorum nomina antiquissima Græca potius, quam Latina esse reputare, atque rationibus Græcis magis, quàm Latinis interpretari.

DE STUDIO, ET BENEvolentia Divina erga Nolam.

CAP. XII.

QUis, rogo, non asseverare fuerit ausus, illud favore Divino quodam contigisse laribus, genioque, ac sedibus Nolanis? Secundo n. bello Punico tum præsertim, quum res Romana ubique terrarum afflictata esset, maxime clade ad lacum Thrasumenum, & illa omnium truculentissima, quæ ad Cannas susceptа est, extaretque Annibal cunctis tum terribilis, tum omnibus appareret invictus: Nolæ duntaxat concessum fuit à Deo optimo maximo, ut in eius conspectu Annibal primum Romanis, Nolanisque terga verteret, vincique posse monstraretur; atque deinde sæpius apud Nolam relictus, victus, atque in castra fugiens recluſus sit: qui nullis unquam antea in tot quæ gessit bellis, vertisse terga hosti legitur. Quæ nota tanta fuit, ut cæteris illius belli temporibus non solum superior nusquam evaserit Annibal, verum etiam

Digitized by Google

etiam longe inferior habitus sit, ac veluti pedetentim consenescens tandem, propulsus sit Italia. Apud Nolam quoque minimo abfuit Annibal, ut à Marcello obtruncaretur: iterumque illi arma ferenda Feretrio Jovi darentur, Veruntamen interim ipse periculum evadens reliquit puerum dilectissimum Cynipa, deliciasque suas, cui cassidem L. Pauli dono dederat: quo obtruncato ab illustri juvene Pediano Patavino, insignis illa galea Romanis restituta est. Quis non etiam nutu divino illud urbi Nolæ eveniſſe affirmaverit, Cæsarem Augustum in ea diem claudere? quo in obitu (ait *Dio*) stellas comatas, atque sanguinolentas visas esse. Qua pro re a Tyberio templum Augusto erectum, atque dedicatum est Nolæ: ut idem autor, atque *Svetonius* scribunt, nosque eius sedes, & vestigia vidimus. Quis etiam non ad deos referat, rem Nolanam spectantes? vasta illa incendia Vesuvii montis accidisse tempestate, & imperio potius Titi, qui liberalitate, & bonitate sua pessundatam ab illa conflagratione Campaniam restituit: ut *Svetonius* autor est. Quorum malorum non parvam partem Nola sortita est. Namque tametsi in urbe nihil damni susceptum est: in pagis tamen, qui circa Vesuvium erant, detrimenta multa subivit. Ni illud multo benignius existimandum sit, Nolam ipsam non eis, aliisve Vesuvinis incendiis deletam esse, veluti Heraclea, & Pompeii fuere consumpti. Agrum quoque, urbemque Nolam à torrente Abellano defensam esse, quum illi ruenti quasi obex collis oppositus sit, sola benignitate, & voluntate divina actum esse impium est ire inficias. Magna quinetiam benevolentia Nolam, agrumque Nolanum dii prosecuti sunt, ubi profusione quadam non solum liberalitate tot gratiarum hunc adornavere, quas tum quis à deo optimo profectas esse, evidentissime viderit, quum innumeras urbes agrosve compererit omnibus, aut plurimis eiusmodi gratiis privatos. Demum quis non asseverare ausit etiam illud studio, atque decreto quodam divino esse Nolæ tributum: Neminem in Italica terra tempestate prisca regem aut ducem insigniri ornarique excellenti corona potuisse, nisi illam illi Nola misisset? Siquidem melilotos, quam *sertulam Campanam* nomine vocant, herba florida est; ac in Italia laudatissima ea est, quæ in Campania nascitur; coronas ex hac antiquitus factitatas, indicio est nomen sertulæ: quod occupavit, ut *Plinius* testatur de coronis scribens. Veruntamen *Campana* appellata est, quæ circa Nolam pulcherrima Italicarum omnium oritur, ut *Dioscoridem* docuisse memoravimus. Arabes autem secuti potius usus, nomenclaturamque Italorum, quam Græcorum etymologiam, herbam appellaverunt *Elcilelmelicum*: quæ vox quadrat cum Latina voce, quæ corona regia est, ut interpretatus est *Symo* vir Arabicæ linguæ peritissimus. Quamobrem ex herba ea coronæ regum, vel serta contexebantur, sed laudatissima: quam solummodo Nolanum agrum ferre, benignitati divinæ placitum est. Neque mos coronandi ille vetustissimus apud Nolanos deletus, oblivionive traditus est. Vere n. adolescentuli, puellæque ex ea herba florentissima concinne affabreque intexere corollas, illisque capiti apte impositis cantando tripudiare solent. Illud quoque ad benignitatem divinam referendum: quod Nolæ urbi non modo alia multa, sed etiam vim campanas inveniendi largita est: ut opera Nolana ubique terrarum sacrificiis atque cærimoniis, quæ cum divis, tum ipsius erga majestatem agerentur & ornamento, & adiumento forent; atque ut parum dignæ reputabantur regum coronationes, nisi sertula Campana fuisset intexta, ita divina officia ut occulta transigerentur, ni campanæ illustrarent vocalitate. Nam ut sertula nuncupata est Campana, quod Nolæ optima oritur: ita id semivivum instrumentum campana nuncupatum est, quod Nolæ inventum; atque eam ob rem Nola sibi insigne solam campanæ figuram assumpsit, atque prætulit: quod usque ad nostra tempora in faciendis signis usu servatum est. Quas ob res Nolam, sedesque Nolanas magnas, sacrasque esse ausim affirmare, si sacra, magnaque solum, aut ante alia dii & spectant, & colunt, & amant.

DE NOLANORUM FIDE, semelque incœpta amicitia, ac semper servata.

CAP. XIII.

ILlud insitum esse Nolanis ingeniis, compertum est, fidem datam atque semel incœptam amicitiam semper servare: idque ad ultimum, vel incidentibus, imminentibusve periculis maximis, patriæque ipsius expugnatione, ac interitu; bello namque Samnitico Nolani fœdere, & amicitia cum Samnitibus conjuncti, non eam prius frangere solvereve voluere, quam incursiones in agrum passi sint suum: multitudinem Samnitium in urbem, ut municipes proprios receperint: incendia omnium suburbiorum spectarint: demum urbem ipsam expugnari atque capi viderint; tulere Nolani hæc omnia, quum à Cl. Pœtelio dictatore urbs Nola capta est, ut autor est T. *Livius*; secundo deinde bello Punico quantam fidem Romanis Nolani servarint, monstravit tum Herennius Bassus, quum respondit multa promittenti, ut se darent Annibali, hisce amici veri verbis: *Multos annos iam inter Romanum, Nolanumque po. amicitiam esse, cuius neutros ad eam diem pœniteret: & sibi, si cum fortuna mutanda fides fuerit, sero jam esse mutare eam, dedituris se Annibali non fuisse accersendum Romanum præsidium, cum iis, qui ad se tuendos venissent, omnia sibi & esse consociata, & ad ultimum fore*; hæc ille. Quæ omnia facto comprobata ostensaque sunt; namque postquam Nola capta fuit à Cl. Pœtelio, cum Romanis amicitia usque adeò magna stabilisque facta fuit, ut nusquam ab eis aliqua fieri potuerit alienatio. Et in eodem bello in fide manentes Nolani, sæpe se, patriamque summo

periculo expoſuere ; ter enim Annibal Nolam ſummo conatu aggreſſus eſt. In quo nemo magnitudinem Nolanæ conſtantiæ æſtimare certo quiverit, niſi qui ſenſerit, paveſcere Romanos, Romamque totam contremiſcere tum, quum Annibalem caſtra adverſus urbem Romam moviſſe nunciatum eſt. Quinetiam Capua, Samniumque Annibali jam dedita excluſam Nolam à Romanis (quum ipſa interjacerent) propè fecerunt : atque eam ferè undique hoſtilibus circumdedere ; nec ob hæc ipſa unquam à fide diſcedere placitum eſt Nolanis, ſed potius in fide manentes totum ferè Samnium incurſionibus devaſtavere. Neque ſi plebs Nolana ſpe effugiendi incommoda, quæ obſeſſi ferre ſolent (Annibali n. favebat) ideo. Nolana res infida eſt habenda ; urbs enim civitaſque propriè illud eſt, quod caput eſt, atque melior pars, qui Senatus, & primarii urbis exiſtunt; ſicuti enim in exercitu omnes milites imperatorem ducemve ſequuntur ; qualiſque hic fuerit, talis exercitus æſtimatur, (quanquam plerique milites averſi ſint animo ;) ſimiliter habet res in urbe atque populo. Qualis videlicet fuerint ſenatus, primariique, talis cunctus populus eſt habendus, vel ſi ab illis averſa fuerit plebs ignara atque timidula. Num majora polliceri, offerreve Damoni Phintias valuiſſet iis, quæ po. Romano Nolani obtulere, & milites paratos ex formula eſſe, & ſi pluribus opus eſſet, plures daturos, & quicquid aliud imperaret, velletque po. Romanus, enixe facturos : ad id ſibi neque opes deeſſe, animum etiam ſupereſſe ? Privatæ verò conditionis hominis fides, & conſtantia quanam inferior fuit illa L. Bantii ? qui po. Romano ne fidem ſolveret, datumque locum in ea pugna, quæ ad Cannas commiſſa eſt, linqueret, maluit ab hoſtibus obtruncari ; quare vulneribus prope confoſsus inter occiſos ſemianimis inventus eſt. Idem deinde recordatus veteris amicitiæ Romanæ monente Marcello adeò cæterum egregiè ſe geſſit, ut nemo ſociorum rem Romanam fortius, ac fidelius juverit : teſtis eſt T. *Livius*. Fideî demum ſervandæ Nolanis inſitum ingenium cauſæ potiſſimum fuit, ut ſæpius urbs capta expugnataque ſit, deſciverit nunquam. Ita ergo ſe habens, primum à Cl. Fœtelio magno cum damno capta eſt, tum, quum bellum Samniticum geſtum eſt. Deinde bello ſociali, quum L. Cæſar coſ. male adverſus Samnites pugnavit ; tum enim Nola colonia in poteſtatem Samnitium cum L. Poſthumio prætore venit, qui interemptus eſt. Tertiùm Civili bello, in quo Marianis partibus hæſiſſe videntur Nolani ; tum enim Sylla Nolam à Samnio recepit, & legiones in agros captos deducens, eos illis diviſit. Quarto à Mauris Vandaliſque anno poſt Auguſtum quatercenteſimo, ac quinquageſimo, quo tempore Paulinus Nolæ Epiſcopus erat, urbs omnis direpta atque vaſtata eſt. Anno quoque ferè milleſimo quadringenteſimo poſt Aug. decem & octo menſes obſidionem regiarum copiarum pertulit Nolana Civitas, ne Nicolam Urſinum regulum ſuum proderet. Paucis annis poſt illud facinus præteritis, Blaſius quidam, qui cum turA mis militum aliquot mane ſummo capta clanculum urbis porta, Nolam intravit, regiamque militibus circumſepſit, ut Raimundum Urſinum Pyrrhi filium manu caperet (erat enim is tum puer, ac Nolæ regulus) eo enim capto ſperabat Blaſius urbe potiri. Nolani verò id ſentientes, facto civium armatorum cuneo, ſtatim tempore Blaſium aggreſſi ſunt, eumque urbe pepulere, ac regulum ſervavere. Porro noſtra tempeſtate quum Carolus VIII. Gallorum rex dejeciſſet de regno Ferdinandum Neapolis regem, fractæq., potius extinctæ eſsent regiæ vires, atque confugiſsent Nolam Verginius, atque Nicola Urſini genere, atque Ferdinandi duces illuſtres : quorum Nicola avus tuus Nolæ regulus tum erat : pauloque poſt huc adventaſſent turmæ aliquot equitum Gallorum, qui recepti ſunt à ducibus hiſce in urbem, poſteraque die duces ipſi à Gallis capti eſsent; dicentibus eos jure belli capi debere, atque idcirco volentibus illos ab urbe abducere, Nolani obſtiterunt ; poſtulantes, ne regulos ſuos extra urbem abducerent, quouſque ab eorum Rege decretum eſset, an duces jure capti eſsent, nec ne ; de hoc enim ipſo lis contentioque erat ; quibus Galli, ut eorum animum, qualis eſset, explorarent, dixere: an dum id à Rege judicatum ſit, vos ſolvere velitis militibus noſtris cunctis expenſas? namque ſi velletis, nos eos fortè non abduxerimus. Nolani ſe id, quod propoſuerant Galli, facturos animo per quam libenti, reſponderunt ; at verò Galli metuentes ſibi, duces eos ab urbe Nola abduxere, minitando Nolanis, quod tantum pro eis regulis adverſum Gallos auderent. Duces verò paucos poſt dies ſoluti evaſere. Quantum ament fidem Nolani homines, indicat quoque odium ſummum atque convicium omnium in eos, qui fregiſſe fidem comperiuntur ; ſiquidem ubi quiſquam non ſervaſſe fidem infamatur, ſtatim tempore à cunctis maximo odio habetur, digitoque monſtratur, atque illum tanquam ſcopulum quiſque vitat, ac fugit. Quumque fortè cum ejuſmodi fidei corruptore aliquo rixari acciderit, tum populi convicio proditionis tanquam vehementiſſimo ictu eum extemplo laceſſunt : Ad hæc non facile in aliis locis tot paria amicorum offenderis, quot Nola ſemper ſcatens producit, & alit. Neque cùm civibus Nolanis ſolis amicitia percrebeſcit ; verum etiam cum externis plurimum ſolet coaleſcere. Quod non ſpe lucri quidem Nolani agere uſquam ſunt comperti, veluti quamplurimi idipſum de induſtria, & arte quadam factitavere, ſed idea, & amicitia ipſa ſola gaudentes.

DE STUDIIS NOLANORUM.

CAP. XV.

IN omni rectè conſtituta atque ordine fundata Republica quinque ſtudiorum genera ſemper antecelluiſſe, compertum eſt. Divinorum cultum, philoſophiam, artem militarem, agriculturam, atque

Digitized by Google

que mercaturam; hæc omnia, vel non parva Nolanis tractare placuisse, apertissime demonstratur. Divino namque cultui enixè navatam à Nolanis operam priscis illis seculis testantur nobilia complura templa, quæ in urbe erecta fuerunt: veluti templum Mercurii, & templum Augusti. In marmore enim antiquo hisce literis inciso legimus, L. SATTIO. LL. PHILEROTI. MAGISTRO. MERCURIALI. ET. AUGUSTALI. NOLÆ. *Tranquillus*, & *Dio* scripsere Augusto templum erectum esse Nolæ. Nos quoque, ut dictum est, marmor quoddam Nolæ effossum vidimus, quod erat incisum hisce literis. TEMPLUM. AUGUSTI. Cætera vero verba deciderant. Templum quinetiam Victoriæ erectum fuisse Nolæ, illud sacellum indicat, quod hodie *sanctam Victoriam* vocant. Quinetiam in angulo urbis præsentis, qui Vulturno vento occurrit, in quo turris Megaldorum extat, sacellum *sancti Servatoris* nunc erectum est, ad decem passus distans à muris. In hoc ipso, ubi sacellum memoratum est, loco, atque in tota vicinia, quæ septentrionem versus extenditur, quousque via sese erigens, portam Cortesellam ostendit, terra ipsa eminentior cætero solo extat, ac tanquam verruca exurgit: non quidem naturalis, sed factitia, cæmentitiaque; ex quibus conjectare licet, illic fuisse non arcem, sed templum potius aliquod nobile: simulque sacellum antiquiusculum superstructum est; consuetudo n. fuit super vetera, etiam nova sacra ædificandi, statuendique; simul etiam quia extra eum locum, vel tractu magno alia complura vestigia antiquorum ædificiorum inventa sunt, quod circa templum ædificari potuissent; circa vero arcem non potuissent. Neque dubitarim affirmare apud veteres Nolanos priscos id templum dicatum fuisse Jovi Servatori, appellatumque esse templum Servatoris: quemadmodum apud alios populos, tum Græcos, tum Latinos Jovi Servatori fana erigi consueviſſe; favet nobis eo pacto rem censentibus loci huius nomenclatura hodierna, vulgarisque: nuncupatus n. vulgo semper fuit is locus, ut à senioribus audivimus, sicuti nunc appellatur etiam, *Servator*: non autem *sanctus Servator*; retinens vetustiorem, non autem sacelli recentioris appellationem. Extat præter hæc, vel tempestate nostra templum quoddam extra urbem ad primum lapidem, qua spectat arctum, quod *Cœmeterium* appellant Nolani, quanquam nomen hoc ipsum Græcum Κοιμητήριον significat locum in quo complures dormire solent: quod dormitorium ajunt, non templum. In templo vero ipso medio ara magna, quadrataque est, quam ambiunt, secundum quatuor eius latera aliquanto secedentes quatuor columnarum ordines: quarum singulæ binis insidentibus arcubus subjacent, atque super curvaturas omnium arcuum æqua, atque terminata continuitas est, non exurgens in parietem; triangula vero, quæ acciderunt inter binos quosque arcus, repleta sunt fabrica lateritia; totum itaque hoc opus, quod per arcus columnis insidet, crustationibus vitreis opertum est; tesserulæ n. vitreæ, quarum versicolores aliæ, aliæ vero atque quam plurimæ deauratæ sunt, graphice compositæ compactæque varias rerum picturas repræsentant; quanquam à plusculis locis cecidit ejusmodi crustatilis pictura, longitudine temporis dissoluta. Præter hoc vermiculatum, antiquumque opus basilica grandis recentiorum more ædificata est, ambiens tegensque memoratum opus antiquum; atque inter antiqui operis columnas, aliqua sunt marmorea sepulchra ad quatuor pedes supra pavimentum extantia, cum inscriptionibus multorum divorum in eis tumulatorum. Extra vero basilicam novam multæ competæ sunt reliquiæ ædificiorum, ac marmora: quæ significant magnitudinem, ac dignitatem antiquæ loci eius fabricæ. Quinetiam circa eandem basilicam parvo interiecto spacio sacella quædam extant, novissimo ædificandi more erecta viliaque, quanquam eorum aliqua sunt aliquantum humi depressa; quæ res antiquitatem præ se ferre videtur. Omnia igitur ea indicantia sunt illius sacri, sanctique loci dignitatem: licetque spectantibus certo coniectari, illic stetisse fanum pulcherrimum, atque ditissimum, cum sacerdotum assidue deum orantium cœnobio, ac (ut ajunt) dormitorio. Viris n. rectè sacris initiatis duo loca satis esse, alterum in quo faciant sacra, alterum ubi corpora curent; structura autem illa antiquæ aræ videtur esse ætatis sexcentorum annorum: siquando compertum est opera eo modo tressellata per ea increbuisse tempora; nomen autem loci Græcum vult antiquiores cærimonias significare, atque eas, quæ tum fiebant, quum urbs Nola cives Græcos alebat; solita sunt namque, & Romæ, & in plerisque aliis locis templa, atque loca sacra servari: atque ut fuerant dicata antiquis quibusvis mysteriis, ita in usum meliorem recentium, posterarumque cærimoniarum admitti. Quoniam vero legitur in historia divi Felicis Junioris de templo Apollinis quodam, quod prope urbem Nolam erectum erat, ubi responsa Apollinis per verba vatum dabantur, quos, ubi ad eos venit Felix, rogando mendaces arguit: quamobrem spreto Apolline, imago eius dejecta est etiam à sacerdotibus templi ipsius, censentibus vitam, ac verba Felicis à deo vero proficisci, inque eo oratorium constitutum est, quod à posteris Felici dicatum est: atque nomine eius quotannis celebratum, idque servatum adusque nostram tempestatem. Non ab re igitur credere ex hisce quisque potest, templum hoc Apollinis fuisse, quod nunc cœmeterium vocant. Ad hæc templum Jovis in urbe Nola extitisse compertum est; tum quod eorum princeps Jupiter erat, tum quia repræsentatur etiam nunc bellum giganteum in eo templo, quod Nolanum nunc est episcopium, atque basilica princeps. Alia plura extitisse Nolæ egregia fana, credere est. Namque si à Nolanis duo nobilissima amphitheatra constructa sunt ad studia, cultumque, atque voluptatem; longe liberius, & templa multa, atque magna, superbaque ab eisdem erecta, dicataque diis fuisse, consentaneum est: quæ injuria temporum deleta sunt, monumentisque

tisque literarum carent. Verum hæc, quæ dicta sunt, monstrare satis possunt, quantum operæ à Nolanis hominib. perpetuamque divino cultui navatum sit. Philosophiæ vero Nolanos magnam operam dedisse, ex hisce cognoscere est; civitas n. in duas divisa erat partes, senatum, atque plebem; hæc paret; ille regit, regere vero qui usquam quisquam potest senatus absque legum peritia? absque historiarum cognitione? absque arte dicendi? accusatur n., defenditur, suadetur, disuadetur, laudatur, reprehenditur: in quibus omnibus insita est philosophiæ pars princeps, quæ prudentia est. Quinetiam Nolæ duo amphitheatra fuisse, in quibus fabulæ præter cætera recitabantur, & poemata; poeticam vero cum philosophia unà incolere monet *Synesius* scribens ad Nicandrum. Et *Aristoteles* censuit poetam philosophum esse; proinde omnis antiqua philosophia solis poetis tractabatur Homero, Hesiodo, Orpheo, Empedocle, Parmenide, Melisso, Arato, Comicis, Tragicisque. Quamobrem *Plutarchus* præcepit, philosophaturos adolescentes à Poetis incipere; sive enim Comœdiam, sive Tragœdiam, sive quod velis poema antiquum spectes, maximam philosophiam inveneris, & rerum humanarum atque divinarum scientiam. Humano autem generi insitum esse inabstrusum est: ut eorum, quibus quisque audiendo fuerit delectatus, idem author esse percupiat, ut alios delectet. Qua pro re fit, ut quum rem gratam miramque (namque quod mirum est, id gratum est) audiverimus, quæramus alios, quos eadem voluptate referendo afficiamus; delectati igitur homines audiendo fabulas, easdem componere, ac edere, referreque, ut alios oblectent, amant, & gaudent; volunt itaque facere fabulas, quos juvat, illas audire; & qui volunt, idem student, idem philosophantur. Sicuti in omnibus hominum actionibus compertum est: quæ earum apud quoscunque honore præstiterint, eas multos magistros nactos esse, aluisse, auxisseque; Poesim igitur, quum magno honori, summoque loco apud Nolanos habita est, aliquot ex eis reddidisse poetas necesse est, plurimumque apud eos esse philosophatum. Quod si Atella, quæ hodie *Aversa* dicitur, (ut autore *Stephano* cognoscere est) quæque distat ab urbe Nola sexdecim millia passuum, potuit nomen Comœdiis quibusdam facere; (namque comœdiæ Atellanæ fuisse leguntur, risum ex jocis, saltationibusque aptissimis commoventes) cur Nolam multo illustriorem quam Atellam non huiusmodi histrionicis, sed honestioribus studiis indulgere minus juverit, atque poetis, & philosophiæ incumbere? Adde Nolanos genere Græcos, ut dictum est, fuisse, monstrabimusque cum elegantia vixisse; quare ex hisce opinandum, ita à natura constitutos fuisse, ut scientiarum omnium studia exercuissent; sicuti de Neapolitanis idem, atque eadem de causa censuit *Philostratus*. Artem autem militarem enixe, minusque inglorie tractavisse Nolanos, testatur primum templum, quod Victoriæ in ipsa urbe Nola erectum dicatumque est: testatur societas cum Samnitibus; testantur exercitus extra urbem missi: item incursiones in hostes; Samnium enim semiustum est à Nolanis incursantibus duce Marcello. Quinetiam extollunt Historici L. Bancium Nolanum, erat vir acer, & sociorum ea tempestate nobilissimus eques, quo nemo rem Romanam fortius, ac fidelius juvit. Is igitur unus cæteorum Nolanorum ingenia martialia fuisse, facile indicare potest; tantus enim vir accendere reliquos, vel timidos valuit, cui sua ipsius gloria, tum plurimos peperisse æmulos, tum multos sectatores imitatoresque credendum est: si modo inter Nolanos nusquam quisquam alius exercuisset arma. Simile enim, & in aliis artibus fieri solet, vel in eadem familia, vel Civitate; à magno enim unius fulgore cæteri quodammodò illustrantur, ac eriguntur. Verum enim vero quum aliàs, tum præsertim ea tempestate Nolani ferociores armis viguere, cum auxere usque adeo copias Marcelli, ut coactus sit in pugna Annibal sæpius apud Nolam terga dare vincentibus. Qui enim potuisset usquam prætorius exercitus cum Annibale totis castris pugnare, eumque in fugam vertere, ni maximum Nolanorum robur acies Romanas auxisset, ac æquas Pœnis reddidisset? Si non verius fuerit victum esse Annibalem à Nolanis auditore atque duce Marcello. Marmora quinetiam martios Nolanos fuisse testantur, quæ passim cum incisis Ducum nominibus, dignitatibusque comperiuntur in agro Nolano, ac in ipsis urbis sedibus, ut illud. P. SEXTILIUS. P. F. FAL. RUFUS. AID. ITERUM. II. VIR. QUINQ. POMPEI. DECURIO. ADLECTUS. EX. VETERIB. NOLA. AUFIDIÆ. ST. F. MAXIMÆ. MATRI. L. PETRONIO. L. F. FALVERO. VITRICO. DECURIONI. NOLA. EX. TESTAMENTO. HS. CULDD, ARBITRATU. FIDI. L. extat alterum in hæc verba; CURIATIO. L. F. FLAMINI. DIVI. AUGUSTI. PRIMI. PIL. TRIB. MILIT. II. PRÆPE. CASTR. PRÆ. FABR. ARBITRATU. HYACINTHI. LIB. hic Nolanus fuisse monstratur eo, quod flamen Augusti fuit, cuius templum Nolæ solummodo erectum fuisse constat, non etiam in cætera Campania; in qua dignitate Nolanos esse prælectos intelligendum est, nisi certa proprietas cognomenti addita vetuisset. Idem & illud: T. RUTILIO. VARO. TRIB. MIL. LEG. V. MACEDONIC. PRÆF. ALAE. BOS. Q. DIVI. VESPASIANI. AED. CUR. COM. IMPERATO. PATRONO. D.D. hunc quoque fuisse Nolanum ex eo licet conjectari, Namque marmor magnum est, atque Nolæ inciſum. Quare præsentia sua nomen patriæ significatur, addique ipsum non oportuit. Quinetiam locus datus est à Decurionibus Nolanis, His similia quamplurima alia comperta leguntur. Demum certamina, quæ inter pueros Nolanos fieri solent, atque cursus, & magistratus quidam testantur militarem artem placuisse summopere Nolanis, de quibus inferius suis in locis amplius disputabitur. Magnam curam nimirum agrorum quoque atque rei rusticæ inivisse Nolanos clarum est; omnis enim Nolanus ager à crebris villis, pagisque fuit

oc-

Digitized by Google

occupatos, atque eo modo ad nostra usque tempora divisus permansit. Quod eò factum est, quò coloni prope agros colendos forent, ac jumenta, boves, porci, capræ, oves, gallinæ, columbi, examina melius curarentur, & alerentur: messes quoque atque vindemiæ opportunè domum transportarentur. Non enim eodem tempore magna res commode, & colligi, & advectari via multa potest. Quinetiam fœcunditas agri suapte natura ad agriculturam colendam, ut nunc allicit, ita tum homines allexisse creditur; utilitas enim magna accedit iis, qui agros colunt fœcundos; idque summa cum voluptate honesta. In agro item Nolano multam rerum culturam viguisse ostendunt Stabiæ; ad has enim omnes fructus Nolanorum venales, ut nunc devehuntur, devehebantur: atque illinc Romam aliove navibus transferebantur. Quamobrem Romani erant allecti fœcunditate, felicitateque agri Nolani, & facilitate transferendi Romam agrorum fructus, & proventus, villas non paucas in agro Nolano fecisse videntur; aliquæ n. villæ in agro nostro à Romanis nominibus apparent appellationem accepisse: veluti *Pompejanum*, *Marianum*, *Octavianum*, *Fabianum*. Quinetiam tanto gratior agricultura Nolanis fuit, ut non opere solummodo eam tractarint, exercuitque sint: sed etiam libros de re rustica placitum sit aliquando edere; eosdem nimirum docte factos, non modo Romani doctiores deinde minus sprevere, sed etiam summo studio secuti, & edocti sunt. Præsertim M. *Cato*, qui in libro de re rustica sæpius legitur citasse *Memium Percenium* Nolanum; is n. præter alia primus visus est docuisse quo pacto seri cupressetа oporteret; diligentis quoque agriculationis Nolanæ indicio sunt instrumenta concinne fabrefacta. Namque præter cætera Italia tota laudabantur agricolarum quædam instrumenta Nolana; idem *Cato* autor est. Mercaturam demum exercuisse Nolanos, agricultura coegit, & docuit præter innatam lucri facilitatem. Namque collecti fructus emptorem expectant, ac optant; emptio vero fit, aut compensatione nummorum, aut rerum aliarum commutatione. Evehentes itaque Nolani suos fructus interdum commutationem facere cogebantur cum iis mercimoniis, quæ Nolam, aliove revecta lucrum majus parere valuissent. Quinetiam Stabiæ monstrant mercaturam Nolanam; illic n. extitisse Nolanorum emporium, scribit *Strabo*: quod usque ad nostra tempora, tum ipsum, tum usus servatus est. Ex quibus aperte jam patet, & divinum cultum, & philosophiam, & militarem artem, & agriculturam, ac mercaturam inter Nolanos excelluisse: quibus studiis, ingeniisque recte structa constansque fuit respub. Nolana.

DE ELEGANTIA, VITÆQUE cultu, atque felicitate Nolanorum.

CAP. XVI.

Dictum est in agro Nolano plurimas villas mansisse dilectas, in quibus omnia Bacchi, atque Cereris arma ac instrumenta servabantur; hoc ipsum omni rusticana sorde liberasse urbem, necessum est; hac autem amota reliquæ solæ politiæ, & urbanitates solæ in urbe ipsa manebant ac retinebantur; accedebat quinetiam opulentia magna, cum ex agricultura, mercaturaque, tum ex arte militari adaucta: quæ sociata cum mundiciis, atque moribus à philosophia temperatis, nonnisi summam ac æmulandam elegantiam, vivendique cultum civibus cunctis parere valebat. Proinde certo conjectari, atque nosse quisque potest: sicuti amphitheatra tum duo, tum illustria erecta erant; ita & muri, & turres, & viæ stratæ, & templa, & exedræ, & ædes ornatu & decore magno ædificata, extructaque cernebantur; vestimenta quinetiam elegantia, & domicilia ornata, item dapes opiparæ, & politæ mensæ. Quinetiam servi, & equi, & canes, & arma egregia; idque eo libentius, quo Nolanus pop. amicitia Romana tuebatur, fovebatur, gaudebat. Neque nisi consequens his est, orationem Nolanorum, atque mores non barbaricos, difficilesve, aut rusticitate pollutos, sed urbanos, mitesque, atque quales vel Athenis, vel Romæ oriundos decebat, cujus vel illud indicio esse potest. Namque populus Nolanus adusque nostra tempora illam priscam bonitatem, ac orationem retinuit; mitis n. est, vocesque Latias tam exacte profert, ut Italorum, barbarorumque Latina verba melius quam Nolani pronunciet nemo. Quod vir aure solerti, ac nostra tempestate doctissimus *Laurentius Valla* excipiens, sentiensque, referre solebat atque admirari magnopere. Eo itaque pacto Nolani educati cum concordia & amicitia transegisse creduntur, libereque caveas, amphitheatraque spectatum, auditumque ascendisse, atque musicis, & honestæ voluptati statis suisque temporibus indulsisse; per quæ deprehendere quisque potest, nusquam seditiones, atque civilia odia aluisse Nolanos: sicuti nostra etiam tempestate hujuscemodi hominum insanias ignorat, nescitque popu. Nolanus. Quinetiam ubi natura ità constitutum est, ut homo antequam nascatur, non solum postquam natus fuerit, elegantiam & vitæ diligentiam, atque cultum expostulet, ut omni ex parte completus evadat: videtur fortunatus ille vir esse, cui nasci, educari, instituique in urbe vitæ cultus, ac elegantiæ amatrice contingit. Nam omnino pulcher erit. Deformitas n. semper errorem arguit atque defectum. Ea pro re inter homines rusticos, in quibus nullum est elegantiæ, vitæque studium, turpitudo vehementer abundat. In urbibus vero illustribus homines maxima ex parte pulcherrimi producuntur. Quod si Nolani quaque in re sinere elegantiæ sectatores æquum est, pulcherrimos evasisse. Quibus ex locis compertum est, Nolanos aliquando fuisse tribus præditos generibus bonorum: animi, corporis, atque rerum externarum dominæ, atque idcirco nobilissimos atque felices.

DE

DE NOLA

LIBER SECUNDUS.

IN EISDEM IN QUIBUS PRIus erat ſedibus Nolam præſentem ſtare.

CAP. I.

URBS Nola quo in agro fundata, quamque magna, atque quibus moribus Nolani fuerint, idque abuſque origine aduſque tempeſtatem noſtram, iis, quæ memorata ſunt ſuperiore libello, explicatum eſt. Quonam autem modo nunc ſe habeat, hoc eſt Anno M. D. XII. poſt Jeſum Dominum, conſequens eſt, enarremus. Nola igitur præſens in eodem agro, atque ſedibus eisdem jacet, in quibus olim ſtabilita extiterat. Quo ex loco illud conjectari licet, nunquam bello deletam urbem funditus fuiſſe, uſque adeove afflictatam, ut civium reliquiæ fugere coactæ ad aliquam villam vicinam venerint, coluerint, auxerint, Nolamque illam nominarint: ſicuti pleriſque accidit populis bello, aliove caſu de patrio ſolo propulſis, qui de monte in planiciem, aut de planicie ad montem, aut de urbe ad pagum, ſedeſque, atque lares mutando tranſmigravere: ſed ſedes antiquas, quaſque primum dantibus diis occuparant, ſemper coluere Nolani: neque mutando tantillo locum à latibus genioque ſuis degeneravere, ſeque cum paganis miſcuere, hoſpiteſve apud populos alienos uſquam manſere. In eisdem autem ſedibus, in quibus prius erat, urbem præſentem ſtare, evidentiſſimum eſt. Pars enim hodiernæ urbis, quæ ad occaſum hybernum. vergit, quæque vocatur *Turris rotunda*, inter duo amphitheatra prope procurrit; qua vero ſpectat arctum ad portam Samuelis, parietis partem laterici antiqui validique habet, quem vel templi vel magnæ domus fuiſſe, neceſſum eſt; is nunc intra urbem eſt, diſtatque à muro arctico, Samuelinaque porta circiter decem paſſus. Eidem parieti videlicet domus Tangorum, Friccianum, Macceorum, atque Cæſarinorum inhærent, atque via, quæ per Samuelinam portam intrat urbem, ſcindit hunc eundem inter Macceas, & Cæſarinas domos. In media vero urbe præſente epiſcopium eſt, quod erat in antiqua Nola templum Jovis. Quinetiam in angulo urbis, in quo turris Megaſdorum extat, fundamenta templi Servatoris antiquæ urbis à muro præſentis claduntur; relinquo alia plura veſtigia ædificiorum, quæ paſſim per urbem inventa apparent, continueque ab effodientibus reperiuntur: quod ea, quæ retulimus, ſatis fidei luciſque præſtare facereve poſſunt ad oſtendendas antiquæ, atque hodiernæ Nolæ eaſdem ſedes eſſe.

DE FIGURA, ET AMBITU præſentis urbis: & quanto minor ſit hæc quam antiqua: deque numero ædium atque civium urbis utriuſque.

CAP. II.


FIgura præſentis urbis quanquam undecim eſt angulorum, aliquanto tamen eſt longior; longior n. eſt, qua ab ortu occaſum verſus protenditur. Quinetiam qua ad occaſum vergit paulo arctior: qua vero ad ortum., latior. Latus quoque quod occaſum ſpectat, rectum eſt: id vero quod orientem ſolem excipit, anguloſa rotunditate curvatur. Proinde dimidio humani calcis veſtigiive, quod à talo eſt, urbs hæc ſpectatur perſimilis: menſus vero ambitus nongentorum ac xx. quatuor paſſuum inventus eſt. Area vero tanta eſt., quanta capere poteſt duo quadrata, quorum ſingula latera ſunt centenum quinquagenum quaternum paſſuum. Ea quinetiam duo quadrata in unum collecta efficiunt quadratum magnum, cujus ſingula latera ſunt ducentenum ſeptenumque denum paſſuum cum ternis quintis paſſus unius: ejusdem vero ambitus eſt octingentorum ſeptuaginta paſſuum, cum ternis duabus quintis. Diametrus vero ipſius trecentorum ac octo paſſuum fere. Id ipſum autem quadratum etiam tantum continet, quantum ſunt duo minora quam illa duo, quæ prius dicta ſunt quadrata, atque dimidium alterius. Quorum minorum quadratorum latera ſingula ſunt centenum tricenum ſeptenum paſſ. cum ternis quartis. Eadem vero duo quadrata cum dimidio ſimul conjuncta redduntur æqualia ſexangulo ſpacio, cujus ſingula latera ſunt æqualia lateribus ſingulis eorum duorum quadratorum. Sexangulum n. ſpacium, quod æquilaterum fuerit alicui quadrato, eſt etiam eidem quadrato duplo ſes quialterum. Quamobrem quadratum illud magnum æquum eſt huic ſexangulo. Areæ itaque Nolanæ, quæ ad quadrilateram ſpeciem redacta fuerit, ambitus oræ erit octingentorum ac ſeptuaginta paſſuum fere. Diametrus vero trecentorum & octo fere; redactæ vero in ſpeciem ſexangulam erit ambitus octingentorum viginti ſex cum ſemiſſe; diametrus vero ducentorum ſeptuaginta quinque cum ſemiſſe. Item ſi circuitus ſexangulæ areæ reddatur orbis, erit ejus diametrus minor diametro ſexangulæ. Eſt n. diametrus rotundæ areæ ducentorum ſexaginta quatuor paſſ. fere. Atque hac ratione non arcta, brevive, ſed ampla, & tanquam paſſim progreſſa certam diametri quantitatem invenimus, atque comparabilem cum diametro antiquæ urbis; oportebat n. urbis præſentis aream cum antiquæ embado comparaturos invenire diametrum rotundæ areæ præſentis, ſicuti factum eſt; primum n. redegimus præſentis urbis aream in duo quadrata æqualia inter ſe, ſecundo hæc duo conjunximus in unum quadratum magnum, tertio magnum hoc diviſimus in duo qua-


dra-


Digitized by Google


AMBITVS 924 PASS


FIGVRA PRAESENTIS VRBIS NOLAE












Digitized by Google



Digitized by Google

drata & dimidium alterius, quarto hæc duo cum dimidio congregavimus in ſexangulum, poſtremo ſexangulum in orbem transformavimus ; ut hujus inveniremus diametrum certam comparabilemque, diametro antiquæ. Qua inventa manifeſtum eſt, quanto præſens urbs arctior minorque eſt antiqua ; ambitus n. orbis antiquæ urbis erat duum millium ſeptuaginta quatuor paſſuum, diametrus vero ſexcentorum ſexaginta ; præſentis vero urbis circuitus orbis eſt octingentorum viginti ſex cum ſemiſſe ; diametrus vero ducentorum ſexaginta quatuor. Quare area antiquæ urbis eſt ſexſcupla ſesquiquarta præſentis urbis embadi capit ; n. hoc illa vetus ſexies & quadrantem. Namque duorum orbium, circulorumve alter ad alterum ea ratione refertur qua quadratum diametri hujus orbis ad quadratum diametri illius : ut ſi diametrus hujus menſura fuerit quatuor pedum, illius vero duum, illius orbis, ac circulus ad hujus circulum ita ſe habebit comparatus, ſicuti quadratum diametri quatuor pedum ad quadratum diametri duum: eſt autem quadratum illius ſexdecim pedum, hujus vero quadratum quatuor, quadruplus ille igitur hujus eſt. Quamobrem quum diametrus antiquæ urbis ſit ſexcentorum ſexaginta paſſ. præſentis vero ducentorum ſexaginta quatuor : eſtque illa ad hanc dupla ſesquialtera, non etiam area illius eſt dupla ſesquialtera præſentis, ſed ſeſcupla ſeſquiquarta ; quadratum n. illius ad quadratum hujus ita ſe habet : quod hoc modo facile eſt videre, pone diametrum præſentis eſſe quatuor pedum ; pones etiam diametrum antiquum eſſe pedum decem (eſt n. dupla ſeſquialtera) conſtituaſque ambas diametros in eadem linea, quæ ſit decem pedum A.D. hanc diviſeris in duobus locis B. & C. itaut linea A. B. ſit quantitate quatuor pedum. Item B. C. totidem, C. D. vero remaneat duum pedum, deinde conſtituas quadratum ſupra lineam A. D. erectis lineis D. G. & A. K. atque ducta linea K. G. Item dividas lineam erectam D. G. duob. punctis E. & F. pari menſu quo diviſa eſt linea A. D. eodem modo dividas lineam è regione erectam A. K. in punctis M. L. ſimiliter quoque dividas lineam K. G. ex tranſverſo deſcriptam videlicet in punctis I. H. ducaſque deinde lineas medias M. E. & L. F. item B. I. & C. H. feciſti jam quadratum ſuper lineam A. D. quod capit quadratum lineæ A. B. ſexies cum quarta. Namque A. C, O. L. ſunt quatuor quadrata ſibi æqualia. Item columna D. N. & altera columna N. F. ſociatæ, junctæque ſunt æquales quadrato lineæ A. B. ſunt enim dimidia quadrati ; ſimiliter ſe habent columna L. I. & I. O. ſunt n. æquales quadrato lineæ A. B. ſunt igitur ſex quadrata lineæ A. B. quadratum vero parvum H. F. eſt quarta pars quadrati linea A. B. eſt enim productum ex dimidia lineæ A. B. Quare quadratum lineæ A. D. eſt ſeſcupulum ſeſquiquartum quadrato lineæ A. B. Idem eſt videre in numeris. Namque ſi latus A. D. ſit decem ejus quadratum erit centum : & ſi A. B. latus ſit quatuor, ejus quadratum erit ſexdecim. Centenarius verò capit ſedenarium ſexies atque quartam ejus, ſicuti in his figuris ſpectare apertiſſimè licet. Sin autem areas urbium antiquæ & præſentis non rotundas, ſed ſexangulas feceris : eamdem habere rationem neceſſe eſt ; ſin vero duo decangulas utraſque redegeris : proportione atque comparatione eadem habere ſe oportet, qua quadrata diametrorum ſe habere dictum eſt ; hanc itaque rationem habet area præſentis urbis ad aream antiquæ.

Quod ſi voluerimus veriore comparatione rem Nolanam dignoſcere, oportet etiam harum ambarum urbium non ſolum embada, ſed etiam habitandi modum, & rationem recenſere æſtimareque. Ita igitur compertum eſt, antiquæ Nolæ adeo frequenter habitatum eſſe, ut priuſquam à Pœtelio Dictatore caperetur, plurima ſuburbia oportuiſſet ædificari. In hac vero hodierna Nola tum ſuburbia nulla manent, tum etiam intra muros areæ multæ, amplæque, & horti quamplurimi atque ampliſſimi reperiuntur. Quinetiam in ædibus ſingulis fere cavædia ſingula multo quam par eſt dilatata : quas *cortinas*, *cortesque* vocant: horum omnium ſuperfluam amplitudinem ſi conjunxerimus, alteram ſaltem urbis partem inanem eſſe nimirum cognoverimus ; reliquum vero ſi ad decentem habitandi in urbe modum conſtrinxeris, inveneris præſentem urbem non ſextam partem antiquæ, ſed duodecimam remaniſſe ; præſens itaque pars duodecima eſt antiquæ, undecim vero reliquæ deletæ ſunt. Quinetiam ubi hæc ita ſe habere novimus, compertum quoque eſt, ſi noſtra tempeſtate in urbe fuerint civium ad quatuor millia, in antiqua cenſa fuiſſe ad quinquaginta millia ; ſunt enim in urbe præſente haud pauciores quam ſeptingentæ ædes, in ædibus verò ſingulis plurimum ſena civium capita colunt, idque ſervis a connumeratione ſemotis. Quinetiam ex hiſce rationibus videtur in antiqua urbe extitiſſe ad octo millia ædium. Verum hoc ipſum non eſt uſquequaque aſſeverandum. Nam in urbe majore etiam ædes majores aliquanto ſtetiſſe decet, ad ſex millia verò excreviſſe, probabilius eſt, reputanti tantum continuiſſe domum antiquam, quantam nunc occupat domus una cum quincunce. Numerum verò civium, potius fuiſſe majorem, quàm qui paulo ante prolatus eſt. Nam quo domus eſt illuſtrior majorque, eo etiam familiam numeroſiorem habere par eſt ; cenſus itaque civium fuit congruentior, qui ad ſexaginta millia capitum excrevit. Niſi quoque tantus fuiſſet populus Nolanus, nec amphitheatra nobilia condere, neque Annibalem arcere, ac vincere, idque ter valuiſſet. Eſt autem Nola præſens reliquum quoddam ejus partis antiquæ, quæ tum arctum, tum ortum ſpectabat ; namque præſens urbs à meridie ſpectat amphitheatrum marmoreum, ab occaſu vero latericium ; quæ intra urbem veterem extitiſſe dictum, compertumque eſt.

DE FI-

Digitized by Google

DE FINIBUS, ATQUE FIGURA Nolani agri præsentis.

CAP. III.

QUo urbis ambitus arctior nunc est quàm prior, eo minor quoque nostra tempestate in agris ora, & possessio redacta est. Quam hoc nunc pacto se habere intelliges, si ab urbe protendas lineam versus occasum vernum ad mille & quingentos passus, in cujus fine metam ponas. Item altera educta versus occasum hybernum linea ad duo millia pass. metam alteram in calce figas: deinde à Mephiti rectam ducas ad metam vernam antepositam: atque ab hac iterum alteram extendas adusque metam hybernam, quam fundaras, terminatus erit prope ab occidentali plaga Nolanus ager. Rursum ab urbe educta linea versus meridiem, interque austrum, & libonotum ad duo passuum millia & quingentos metam constituas. Iterum ab urbe altera ducta versus meridiem, ipsumque austrum ad tria millia passuum, alteram metam statuas. Insuper ab urbe rectà tertia protracta inter Notum, & Vulturnum ventum, atque versus dextrum cornu Vesuvii ad quinque millia passuum tertiam metam signes: quibus metis positis ductus sit limes à meta hyberna per cæteras metas, omnis ora Nolani agri, qui sub Vesuvio est ad meridiem vergens, terminata est. Quinetiam ab urbe extensa linea versus ortum hybernum, atque sub cornu Sarni montis, ubi Palma oppidum extat, ad quatuor millia passuum, positaque illic meta: ad quam limite tracto à meta Vulturni memorata, atque ab hac ad turrem Martiani, quæ meta antiqua nobis posita erat: concluſa est ad ortum vernum ea orientalis pars: à turre vero Martiani procedens linea super collem Gecalæ meridionalem, descendensque per vallem, quam facit collis Gecalæ occidentalis, atque Vesciani collis, usque ad pagum Nolanum, quæ *Casamarciana* vocatur, & quæ sub ipso colle Vesciani jacet, atque ab hoc pago proficiscens secundum radices ejusdem collis usque ad exitum cornuve ipsius, scilicet metam antiquam, quæ erat versus ortum æstivum, terminat Nolanam possessionem reliquam, quæ vergit ad ortum; ab hoc vero cornu tracta linea occasum æstivum versus, aliquanto citra Titianum oppidum reprimens se, atque deinde procedens secundum radices Abellæ usque ad Mephitim, claudit omnem Nolani agri septentrionalem plagam. Intra hosce limites, metasque Nolanorum agri tempestate nostra continentur; iidem limites, metæque dictæ figuram describunt, præsentantque prope quadrangulam: cujus duo anguli oppositi longe plus inter se distant, quam reliqui inter se duo. Angulus enim qui ad Mephitim est, oppositus est illi, qui vergit ad Vulturnum ventum, distatque ab eodem decem prope milia passuum. Qui verò angulus ad ortum æstivum incurrit, opponitur ei, qui ad metam hybernam cogitur; atque ab eo quinque ferè milliaribus abest.

QUÆ PARTES SINT NOLANI agri, qui planus est, & earum quis usus, atque quorum possessio, & de aucupio Regio, atque vini varietate.

CAP. IV.

ACcedenti à Mephiti versus urbem Nolam per duo millia & quingentos passus, duæ partes agri, qui in eo angulo est, obviæ fiunt: quarum altera vergit ad Abellam montem: altera ab occasu hyberno est. Illa vacat arboribus omne genus, atque arva sola sunt, ac interdum palustria, eadem vero frumentorum ac leguminum omnium feracissima tum, quum palus aquis non exundarit, ac vomeri copiam sulcandi fecerit: altera pars omnis nemorosa est, quercis præsertim densissimè exurgentibus, quæ plurimum palustris est, maxime hyberno, vernoque tempore. Contra verò si quis ab angulo Vulturni venti, qui huic oppositus est, ut antea diximus, per tantundem tractus accesserit versus urbem, campum quoque utrinque arboribus vacantem viderit, non lapidosum, sed terrenum vomerique aptissimum, non palustrem, sed siccum adeo, ut fodientibus etiam puteos aqua non facile occurrat, nisi ad viginti passus descenderint excavando. Omnis ea plaga quoque, ut luto hyeme, ita æstate pulvere caret; herbida quinetiam semper est, pabulique ac omnis generis frumenti fœcunda; nobis vero pueris is angulus duas quoque habebat partes, alteram, quæ spectat Vesuvium, quæque perpetuum nemus, atque quercetum erat densissimum: alteram, quæ spectat cornu Sarni montis occidentale, quæ campestris erat, ut dictum est; idem verò angulus tam hisce quam superioribus temporibus *planum Palmæ* appellatus est; non eo, quod ager sit possessio Palmæ oppidi, quod in monte Sarno extat, sed quod oppidi illius prospectu subjaceat. Hoc ipso campo primum delectatus est Alfonsus Aragonum primus, qui Neapolitanis imperitavit, idem abavus tuus: deinde ejus Filius rex Ferdinandus in eodem regno primus: item hujus filius Federicus rex, quotannisque verno tempore eorum quisque aucupatum eo veniebat; nam cæteris anni temporibus campus concedebatur ovibus, bobus, equisque solis ad pabulandum. Aucupium erat milviorum, aquilarumque, quod hoc pacto agebatur in medio campo. Milvium, aquilamve aliquam alto volantem per carnes humi sparsas, aut etiam ustarum nidores prius alliciebant, ut aliquanto propius terram devolaret. Nam ubi ad quinquaginta passus abesse humo aquilam, aut milvium vidissent, tum hieraces, quos *falcones*, *sacrosque* vocant, ad id edoctos, solvebant, ternos scilicet adversum singulos milvios; sacri vero diversum primo volitabant ascendendo ita, ut crederes aversos à milvio abituros, atque à domino fugituros: deinde invertebantur ad milvium, & sursum summo nisu petentem: sed non redi-

Digitized by Google

dibant, nisi superiores illo se esse vidissent. At ubi supra rediissent, tum ab alto impetum faciebant in milvium, inque ipsum subjectum involantes alter post alterum, ea cursus temporisque mensura se regentes, ut secundus nondum percussum descenderet, ni qui prior percusserat, cœpisset revolando ascendere, milvius contra interdum subvolando vitabat involatum superioris hostis, interdum feriebatur: qui etsi aliquando dexteritate quadam & volandi vi post longissimam altissimamque pugnam evadebat, frequentius tamen non potens tribus hostibus deinceps invadentibus obsistere, tandem capiebatur ab uno atque altero sacro, ac ex tribus ipsis, duobusve, aliquando omnibus veluti globus factus devolvebatur humum versus, quibus cadentibus statim auxiliabantur equites celerrimi ad idipsum parati, atque assidue subtercurrentes avibus pugnantibus; hi itaque milvium capiebant, ac fractis ejus alis, collo, & tibiis raptandum liberius aliquantisper sacris exponebant, sinebantque deinde sciisso illius pectore cor extractum cum sanguine etiam dissultante alteri sacro vorandum præbebant, cerebrum alteri, tertio medullas. Hac pugna rapacium avium adeò delectatus est quisque regum, quos diximus, ut sæpe numero in eo spectaculo diem totam insumpserit: atque ut creberrima deinceps pugna spectaretur, usque ad trecentos sacros domi aluit. Quinetiam ut campus foret amplior, ad cursumque æquitum liberior (nam longum tractum sæpe prætervolant aves pugnando) totum vicinum campo nemus Ferdinandus extirpavit atque consumpsit, idque usque ad radices Vesuvii, ita ut nemus in similem campum abiverit. Nunc verò ubi aucupia ea summota sunt, omnis campus arvum est, & aratro facile scinditur, frumentique omne genus ferax. Idem quinetiam angulus atque alter, qui è regione est, non est possessio Nolanorum civium; Regulorum enim est: quanquam usus per solutam partem fructuum quartam concessus est civibus; reliqua vero campi pars, quæ inter hosce angulos patet, in qua media urbs ipsa sedet, consita est arboribus: quæ quoquo angulorum versus protenditur ab urbe ad bina millia passuum, atque tam ejus diametri, quæ ab ortu æstivo ad occasum hybernum, quam quæ ab ortu hyberno ad occasum æstivum porrigitur, mensus quatuor prope millium passuum est. Consiti igitur agri hujusmodi pars altera coryleta continet, hæc ad meridiem occasumque in extimo agro sita est, ac ab occasu verno incipiens procedit adusque occasum hybernum, atque ab hoc discedens per meridianam agri oram ambit arboreta, quoad ortum hybernum pervenit. Est ea corylorum pars longitudinis quidem quatuor millium passuum, latitudinis vero ad mille: sed in ejusmodi coryletis nec sementis quidem aliqua fit, neque vites seri recte possunt. Avellana namque hastatim crescit, quasi ex eadem radice aut cespite eodem complures hastæ in orbem exeant, quæ ad vicenos quinos pedes crescendo extendi solent, harum mediæ erectæ stant: quæ vero in ambitu oriuntur, terram propius sese demittunt. Proinde sub eis magnam jactant umbram, quæ sementem perdit: vitem contra tolerare nequeunt, quæ inclinantur: quæ vero in medio cespite eriguntur, densitate sua cultum vindemiamque supprimunt. Altera vero pars, quod reliquum agri est, arboreta continet: sunt autem hæc loca, quæ etiam Nolani *arbusta* vocant, parte maxima populis, minore ulmis, minima quercis in quincuncem distincta; omnes tamen hæ arbores in magnam altitudinem grandescunt: quibus adjunctæ ac maritæ vites scandunt quoad cacumina illarum superarint, atque exuperantes ab ramis pendeant. Quamobrem racemi alte pendentes melius sole coquuntur, atque vindemiæ tempore scalis longissimis adhibitis commodius colliguntur arboreta: quinimmo præter arbores vitium sustentatrices etiam inter antes habent malos, sorbos, mespilos, cydonios, piros, juglandes, atque hisce similes. Solum præterea horum arboretorum quotannis vomere scinditur, atque sementem recipit cujusque generis, acceptamque cumulatius reddit: quamvis ab umbra arborum imminentium aliquantum lædatur. Eorundem item arboretorum quæ jacent ad meridiem, inter urbem atque coryleta, debile ac tenue, sed odorum vinum ferunt: quæ vero ad ortum hybernum versus Sarnum montem subtilia atque aliquanto austeriora: ad septentrionem autem vergentia, præsertim quæ à radicibus collis Vesciani per Tophinum pagum Cœmeteriumque procedentia usque ad paludes, vina odora, plena, validaque gignunt. Ea vero quæ sunt ad ortum vernum inter collem Gecalam atque urbem: item ea, quæ ad occasum vernum jacent, vina ferunt mollia atque aquea. Sunt item vina Nolana, etiam colore variantissima: alia enim sunt nigra: alia rubra: alia rosea: alia hyacinthina: alia aurea: quædam lutea: nonnulla pomea: quædam ut aqua candida. Sunt demum hæc arboreta coryletaque omnia possessa à Nolanis atque paganis: exceptis perpaucis, quæ regulorum sunt; veluti privatos cives decentibus.

DE COLLIBUS GECALÆ, deque nomine ipso, atque Vesciano.

CAP. V.

JAm de planis agri partibus dictum est, superest ut colles recenseamus, qui nulli alii sunt in agro Nolano nisi Gecalani. Hi igitur duo sunt occidentalis, & remeridianus, coalescentes tanquam ad angulum uncumque, quem jacentem ad ortum vernum Nola spectat: is vero angulus secedit ab urbe mille ferè passibus. Duorum autem collium eorum meridianus, recta procedit ab ipso angulo per sex millia passuum versus ortum vernum, quousque Sarno monti connectitur. Veruntamen finis Nolanæ possessionis in eo statutus est ad Marciani turrem ita, ut pars quæ à Nolanis possessa est, præstantior sit;


non enim hæc pars vallem claudit cum Sarno monte, veluti reliquus collis: quamobrem dextera ejus juga soli post ortum, meridianoque, atque post meridiano patefacit. Alter vero Gecalanus collis ab eodem angulo proficiscens, inter occasum æstivum & arctum, ad mille & quingentos passus, ad usque pagum Casamarcianum excurrit: juga ejus læva antemeridiano soli, meridianoque, atque in occasum inclinanti; dextera vero orienti, atque post meridiano pandens. Proinde angulus, ipsaque collium curvitas hybernum occasum spectat. Collis item occidentalis maxima parte, atque qua ad arctum vergit, terrenus est: vix n. marmora in eo vides, idque vel in cacumine, vel in jugis: meridianus vero quique in ortum excurrit, atque ipse uncus marmoreus est, præsertim circa verticem: rarius terrenus, idque per juga atque radices; & ille placide exurgit, raroque ad quingentos passus: hic vero meridianus frequentius ad mille passus ascendit; est arduus atque circa verticem non facile cultum suscipit. Hi itaque Gecalæ colles parvi quidem, ac perbreves sunt: verum quo minores, eo gratiosiores atque præstantiores, feracitate tanta, quanta ne ullis orbis partibus sive colles, sive campi, sive verrucæ sint, cedant. In his enim Bacchi vis maxima est, vina n. dulcissima suavissimaque gignuntur: alia item austera: alia *Muscatella* vocata: atque præter hæc vina *Græca* (ut ajunt) quæ omnia alba sunt, cætera rubra, pellucida, & odoratissima, cuncta preciosa habentur. Oleæ nusquam generosior liquor: pomorum ut omnia genera, ita nullis secunda; sunt specus, sunt speculæ, sunt prospectus gratissimi: æstate auras perpetuas, hyeme apricitatem magnam invenis, nives, aut gelu, aut pruinas nesciunt hi colles. Quamobrem fructus & flores præcoces quam plurimi in eis veniunt: alli contra serotini usque ad hyemem in arboribus integerrimi pulcherrimique servantur. Citreorum item omnis varietas, prunus, cupressus, myrtus, rosmarinus, atque complures frutices nusquam frondem linquentes, medicarum herbarum ingens numerus. Apibus certa atque optata mansio: lusciniarum, aliarumque avicularum vocalitate gaudentium civitas in eis collibus esse creditur. Et ne aliquando aures offendat Gecala dulcis, cicadas nullas gignit, admittitque, veluti omnis ager Nolanus etiam ea molestia caret. Demum colles hi non inferioribus gratiis afficiunt incolas, quam quibus stirpes, & aves prosequuntur; salubres enim usque adeo sunt, ut plerique Macrobii, & adusque centenos annos in eis vixisse comperti sint; ob has itaque partes gratiasque, omnis ea collium regio a Græcis illis, priscisque Nolanis appellata est γηκαλαί, Gecala, hoc est, *terra bona pulcraque*: qualibet enim in parte tum bona, tum pulcra, tum feracitate sua utilissima, tum aspectu prospectuque iucundissima. Oppidum vero, quod in concursu duorum ipsorum collium anguloque extructum est, terræ cognomine est. Gecala enim ei quoque nomen est: quamquam posteritas mutatis literis, & *Cecalam*, & *Cicalam* appellaverit, sicuti hodierni Nolani appellant. Horum autem colliuin pars a Regulo urbis, pars à Nolanis, pars à Gecalanis civibus possessa est; oppidum vero ipsum solius reguli est. Legitur autem apud *Stephanum* Vescia urbs fuisse antiquæ Ausoniæ: & ut quidam arbitrantur in Samnio: à qua, quum esset deleta, videntur quædam reliquiæ civium transmigrasse in eam vallem, quam ad ortum facit collis Vescianus, qui à Gecala proficiscens versus Abellam extenditur, atque in ea oppidum struxisse, ipsumque feciſſe oppidanis cognomine, *Vescianum* appellantes. Est autem hoc oppidum in confinibus Hirpinorum, & Campanorum; Collis vero Vesciani fere gratias omnes concessit collibus Gecalæ, est enim obscurus, & umbratilis: quippe qui eo prope vertitur, unde vix occiduum, & inclinantem solem excipiat. Nam qua Gecalam attingit, aliquam parit utilitatem, oleas præsertim per saxa producens atque fovens.

DE OPPIDO, PAGISQUE, atque cæteris, quæ in agro Nolano erecta sunt.

CAP. VI.

Oppidum unum ac pagi complures, qui nunc in agro Nolano extant, hi sunt. Namque in collium unco Gecala oppidum circunspectatur; hoc primum à Nolanis ædificatum esse, credere licet: simul propter belli occasiones (imminet n. urbi Nolæ locus is) simul etiam propter commodiorem eorum collium cultum. Nolanos vero aliquos eo habitatum ascendisse veluti in coloniam quandam, indicio est illud, quod ab antiquo tempore ad nostram usque tempestatem in usu Nolanis est. Quum n. matrimonia nuptiæve sanciuntur, pactaque, & dotes spondentur, illa more antiquo Nolæ atque Gecalæ rata servari oportere exprimuntur, quod proprium est suumque coloniarum. Hoc autem oppidum superioribus temporibus grandius fuisse, reliquiæ ædificiorum ac murorum ostendunt: nunc vero pauculas casas circa arcem retinet etiam muro septas, solitudinem oppidi videntur feciſſe oppidani, qui alta loca relinquentes ad juga, radicesque collium habitatum devenere: idque ob meliorem locorum conditionem, præsertim, quum etiam campos colere placitum est; commodius enim, & colles, & campos colunt, qui inter utrosque habitant. Quamobrem sub unco ipso, atque colle meridiano per radices passim incolunt Gecalani pagos multos jungentes. Quorum primus sub unco ipso est *Sanctus Paulus* nuncupatus: deinde *Liber*: ac *Liberi*: ulterius vero *Bardi*. Nam ut eorum nomina plurativa ostendunt, plures villæ fuere: atque eorum, qui aliqua ratione liberi, atque egregii, item qui bardi atque rusticani eo tempore habebantur. In ipso autem campo planicieve, qua Vesuvium meridiemque spectat, est pagus appellatus *Sanctus*

Digitized by Google



Digitized by Google

THE NEW YORK
PUBLIC LIBRARY
ASTOR, LENOX AND
TILDEN FOUNDATIONS

Digitized by Google

tius Eximus ab urbe distans ad octingentos passus, deinde pauco tractu interjecto Syricum est, & Sabinianum. Quorum uti priores incolatu minores, ita Sabinianum maxime excellit. Quinetiam prope Syricum ac ab occasu hyberno vestigia sunt magni pagi jam deleti, quæ *Centuria* appellabatur, quæque nomen loco, atque vestigia pauca ædium reliquit, ab occasu vero pagus nullus extat. Ea vero pars agri, quæ vergit ad arctum complures pagos continet: ut Cœmeterium, templum jam memoratum, atque cognominem pagum: ulterius vero Campasanum, Fabianum, ac versus Vesciani collem Tophinum, Vineolam, Gallum, Comitianum, Cotinianum, Resinianum, Ponticulum. Sub colle vero ipso Pedemontium, quod prope deletum est: atque ad vallem Gecalæ, Casam marcianam. Præter hæc in jugo Gecalæ occidentali templum est divo Angelo dicatum, cum cœnobio sacerdotum præcepta divi Franciscî sectantium, atque inter hoc monasterium, & pagum Sanctum Paulum sub ipsum oppidum Gecalam ad ipsasque radices collis, fanum extructum est, ac Divo Joanni dicatum, cognomento *Cæscum* (cæscum enim Nolani saxum magnum vocant) quasi de monte cæsum: fanum n. super saxo erectum est; complura quinetiam sacella huic similia passim per omnem Nolani agri plagam licet videre. At vero inter Cæscum, ac memoratum Franciscî monasterium extat quasi subterranea porticus, antiquum opus, quam *cryptoporticum* archi-tecti quidam vocant; quæ ad voluptatem nunc tempore nunc frigore captandam extrui solebat: non publica modo publicoque ære, verum etiam ut quisque amabat, ære privato sibi ædificabat. Colle etiam sub ipso lapidicinæ marmorum videntur fuisse, unde abscissa creduntur cæmenta, quæ ad construendum advecta sunt amphitheatrum.

DE MURIS, POMOERIIS, promurali, fossa, portis, & aggere præsentis urbis.

CAP. VII.

Tuletur se nostra hac tempestate Nolana civitas muris, pomœriis, promurali, fossa, portis, atque aggere. Murus est latitudinis quinque fere pedum, altitudinis vero xx. idem distinctus est frequentibus turribus quadratis terna latera extra murum exerentibus, interque se distantibus per octogenos pedes; quas vero turres supra portas, aut in concursu murorum angulove, extrui contigit, hæ cæteris sunt excelsiores, atque nomine proprio sunt insignes. Quinetiam in hoc muro quatuor portæ patent binæ binis aversæ, atque singulæ singulas cœli plagas spectantes; ad meridiem n. Vesuviumque prima versa est, quæ *Vicuncius* appellatur, is n. locus in urbe veteri videtur fuisse vicus Anciorum: unde attendit vicus Ancius atque Vicancius. Altera porta spectat occasum vernum, cui nomen est *Portellum*. Nam in eodem muro occidentali erat porta antiquior, cui nomen erat *Ponta*; verum quod Regia aliquanto ab ipsa aberat, iccirco aliam parvam portam huic vicinam reguli aperuere: ne vero duæ manerent portæ tam vicinæ, veterem clausere muro, novam vero reddidere majorem, cui nomen minutum jam inditum remansit. Claudendi veterem portam etiam hoc causa fuit; namque via, quæ per eam ferebat, magna aqua ex urbis stillicidiis collecta defluebat, quæ adeo illam excavarat fluendo, ut in fossam prope descendere redacta sit: qua pro re portam ineptam transeuntibus redditam clausere. Tertia porta spectat arctum, ac montem Abellam Vicancio aversa; hæc appellata est *Samuelis* à custode, vel vicino id nomen assumens, est n. familia civium Samuelium. Quarta ad ortum vernum versa est, ac occidentalem Gecalæ collem conspicit: eadem Portello aversa; nominata autem est *Cortefella*; videlicet à malo. Namque *Cortem* Nolani vocant tum domus cavædium, tum magni viri domum, *fellum* vero hominem appellant, qui felleus pravus falsusque est; in quo itaque loco porta statuta est, domus aliqua egregia quidem, sed pravorum dominorum fuerat: quæ deleta, & loco, & portæ nomen idipsum reliquit, atque à posteris servatum simul ad infamiam facti, simul etiam ut qui infamari metuant, caveant malefacere. Murus item à Vicancio procedens versus occasum æstivum, perparum in urbem incurrit: primumque angulum ac foris cavum facit, in quo turris præstans est, appellata *Pinus*: quod intra urbem vicina ei pinus altissima stabat, quam etiam vidimus; ab hoc angulo exiens murus ad occasum vernum procedit quodam tractu usque ad angulum: quem claudit cum muro occidentali recta venienti ab arcto. In quo angulo turris extat appellata *Rotunda*, quod magna ac ea figura est; spectat hæc turris occasum hybernum, atque prope media est inter duo amphitheatra. Item murus occidentalis ab hac turre proficiscens usque ad portellum, in quo turrem habet nominatam *à Portello*: deinde recta procedit quousque facit angulum cum muro occurrente ab ortu. In quo angulo turris extat vocitata *Quinque pontarum*, quæ angulosa turris erat; *pontam* n. a pungendo angulum omnem appellant: arcticus vero murus ab hac turre exiens in ortum vernum usque ad portam Samuelitanam, in qua turrem habet altam nominatam turrem *Samuelis*: deinde paulo etiam recta procedens, angulum facit cum muro occurrente ab ortu fere hyberno, in quo angulo turris est appellata *Prioris*, quod ei subjacent ædes Prioris. Prior autem is intelligitur sacerdos, qui præfectus est monachorum Annunciatæ: cujus templum ac monasterium est in jugo collis Vesciani, quod Casæ marcianæ pago imminet; ab hac item turre murus excurrens in ortum fere hybernum recto atque longo tractu quousque facit angulum cum muro occurrente fere à Vulturno vento: in quo angulo turris est *Massiorum*, quod illorum domus ei turri subjacet; ab eo vero idem, qui occurrit, murus brevi tractu pro-

greſſus attingit murum venientem prope à meridie, atque in concurſu turrem habet *Ciminorum* appellatam ab ædibus illorum. Ab hac item exiens murus recto ac longo progreſſu uſque ad Cortefellam portam pervenit, in qua turrem habet nuncupatam à *porta*. Item ultra portam hanc ipſam exiens parum declinat, ab auſtro, atque brevi ſpacio, quouſque angulum facit cum muro veniente fere ab Aphrico, ac in eo turrem *Sancti Spiritus* habet, quod fanum huic dicatum ſubjacet; ab ea item turre murus progreſſus verſus Aphricum unde occurrerat, longo rectoque tractu obvius fit muro venienti ab occidente prope verno: & in eo concurſu turris eſt *Megaldorum*, quod omnes domus, quæ ſub eo ſunt angulo, eius familiæ ſunt: à Megaldina turre procedit is, qui dictus eſt murus ad occaſum vernum recto ac longo ſpacio, quoad ei ſit obvius murus ab occaſu prope æſtivo veniens, angulumque cum eo claudit, in quo turris eſt *Scrignariorum*, quod vicina eſt domus, quæ eius familiæ fuit; ab hac demum turre parvo tractu murus proficiſcitur ad foſſam uſque arcis: arx n. inter hunc murum atque portam Vicancium interjacet. Citra vero murum omnem urbis pomœrium eſt ad XV. pedes latum; quare nulla domus pacto aliquo attingit mœnia; ultra quoque mœnia alterum eſt pomœrium aliquanto arctius, quod inter murum, & promurale procurrit, promurale vero altitudinis eſt decem fere pedum, latitudinis duum, inter binas quasque pinnas habens intervalla ſingula: à fundamento etiam promuralis eriſma demittitur in foſſam uſque ad aquam, itaut tegat internum foſſæ latus, atque promurale ſuffulciat, quod eriſma cum promurali, verbo novo *Barbacanis* appellatur; in eo quinetiam promurali propugnacula quædam prominent; ſunt hæc ipſa turres veluti triſlateræ metæ inverſæ, namque angulum ſolum exertantes, conum uſque ad imam foſſam demittunt. Turrium autem harum triſlaterarum ſingulæ inter binas murorum turres reſpondent ſpectantque. In angulis vero hujus promuralis, turres ſunt rotundæ. Promurali quinetiam ſubjacet foſſa alta ad xx. pedes, lata ad quindecim, cujus latus externum terrenum eſt, non ulla anteride, quam *ſcarpam* vocant, munitum; ultra foſſam agger extat latitudine xx. pedum, altitudine ſupra naturale ſolum ſex pedum: ſuper quo via eſt, foſſam urbis omnem ambiens. Verum ultra aggerem occidentalem forum Boarium patet longitudine centum, latitudine vero quindecim paſſuum; ultra vero cæterum aggerem horti atque olitoris campi dilatantur, qui multo ſpacio patentes, amotis altis arboribus omne genus, ambiunt urbem, quaſi quam in foro Boario quod ante Portellum eſt, Tiliæ aliquot ordine digeſtæ extant, quæ ab Urſo ſunt ſatæ, ut ſub umbra poſſent mercatores paciſci; foſſa itaque urbem ambiens facit, ut ponte ſit opus ante portam unamquamque, ut in urbem fiat ingreſſus: ſtructura autem murorum, ac turrium non ex quadrato eſt lapide, ſed è ruderibus novis tophi atque intrito confecta.

DE ARCE NOLANA.

CAP. VIII.

ARx erecta eſt inter portam Vicancium atque murum extremum, qui ab ortus plaga aduſque foſſam arcis protenditur. Eſt inſula quædam quaeriquetra, cuius latera ſingula ad octogenos pedes longa ſunt, quamque undique circundat foſſa altitudinis xx. pedum, latitudinis paene totidem; excepta meridiana parte, quæ arctior quam cætera eſt, eriſmatis, & anteridibus utrinque firmata, quæ ab imo ad ſummum exurgentia terram, lateraque defendunt, ne foſſam ruendo compleant. In inſula vero ſunt quinque turres rotundæ, quarum una cæteris major in media inſula extat; ambitu CXX. pedum, altitudine totidem. Ferunt eam fuiſſe altiorem quadraginta pedibus cum pinnis mœnianis ſuper mutulis ſtantibus, ſed ab Urſo Urſino minutam ea celſitudine fuiſſe. In imo turris huius carcer eſt, in quem per oſtium, quod in prima eſt teſtudine, ſontes demittuntur, retinenturque quoad cauſam dicant, atque pœnas dent. Quatuor vero turres reliquæ minores ſunt hærentes ſingulæ ſingulis inſulæ angulis, exurgenteſque ab ima foſſa quouſque ſupra ſolum ad quadraginta pedes extent: circuitus vero earum ad LX. pedes eſt, harum quælibet ſuper mutulis pinnas mœnianas, ac propugnacula habet; inter binas vero angulares turres paries ductus eſt latitudinis quatuor pedum, altitudinis paulo minoris quam turres, à quo media turris abeſt quindecim fere pedes. Duo arcis oſtia ſunt, alterum ad meridiem, quo itur extra urbem; alterum vergit ad arctum, quod ab arce in urbem ducit, atque ponte erectili greſſus in arcem utrinque fit; ambo quinetiam oſtia veluti in ſemiturribus quadratis ſunt aperta: quarum ſummitas expoſitis mutulis propugnacula habet. Quinetiam ultra foſſam meridianam arcis, altera inſula parva eſt in ſpeciem hemicycli figurata, cuius curvatura, & umbo exterior eſt: frons vero e regione jacet oſtio arcis: hæc etiam circundatur à foſſa ſimili continuaque cæteris arcis foſſis, ab ima vero foſſa exurgit eriſma quouſque extet XVI. pedibus ſupra ſolum: idque in curvatura ipſa umbonis. Namque in fronte eriſma ſupra ſolum non exurgit: umbonis vero ambitus eſt ad LX. pedes. Eſt hæc veluti ſemiturris tanquam præmurale, quod ante oſtium arcis externum erectum eſt; ab arce itaque ad hoc præmurale ponte erectili tranſitur. In arce ſemper eſt præfectus à regulo, quem *caſtellanum* appellant. Ex quibus jam liquet urbis præſentis principem partem atque caput hoc in loco eſſe.

DE REGIA.

CAP. IX.

ANtiqua regulorum domus ad portam eam urbis erecta eſt, quod Portellum appellatur, ut dictum eſt. Verum ea principum domus, regiaque non ſcindit urbis murum al-

Digitized by Google

altera parte intra, altera extra urbem manens, veluti arces extare ancipites solent, sed universa intra urbem comprehendetur, tanto à muro portaque secedens, quantum internum pomœrium semel, atque iterum patet. Regia itaque ab occasu, pomœrio, ab arcto area longa, in quam Portello intrantes, recipiuntur; ab ortu atque meridie hortis cingitur. Hæc autem sub Raimundo Ursino, atque regulis superioribus, ita seculo ferente, abiecta erat; atque structuræ vilioris. Sub Urso vero Ursino, qui domi militiæque vir fuit illustrissimus, magnificentius ædificari cœpit: idque nostra tempestate. Ursus n. diruta fere cunctis ædificiis veteribus domum quatriquetram erigere aggressus est, cuius arcticum latus longitudinis est ad XXV. passus: orientale vero prope par est, sed opus inchoatum reliquit; ea autem latera, quæ finem sunt consecuta, altitudinis sunt fere duodenum passuum. Fabricæ autem cæteri parietes tophacei sunt; paries vero septentrionalis solus ex marmore quadrato est commissus, exceptis fundamento, ac parte eius interiore. Fundamentum enim totum est tophaceum: parietis vero facies exterior marmorea, interior vero tophacea constat: quod forte quadam evenit. Mens erat Urso fabricam omnem ex tophis conficere, ignoranti multitudinem marmorum, quæ in fundamentis amphitheatri latebant orientalis. Ergo jacta sunt regiæ fundamina ex tophis, auctaque quousque solo terræ æqua esse videbantur. Interea vero aliqua effossa sunt marmora in amphitheatro, ut illis regiæ anguli firmarentur, at effossa effodientibus alia subesse marmora patefecere: quamobrem tot effossa sunt, ut eius parietis tres ordines ex eis marmoribus, non modo anguli, erecti sint supra fundamenta. Res cœpit apparere magnifica usque adeo, ut Regulo auctus sit animus erigendi modo eo parietem, quoad marmora suppeterent. Cui amphitheatrum tot præstitit, quot non modo totam parietis altitudinem atque angulos regiæ pilasque multas, & bases, atque coronamenta omnia conficere, sed innumera quoque potuere superesse; at vero ubi visum est id opus expediri, omnes, qui fabricam eam ab initio norant, judicarunt illum parietem brevi decisurum; quod tophacea fundamenta nequirent diu tolerare tot immensa marmorum pondera, atque in tantam altitudinem evecta. In eodem pariete ostium marmoreum est, atque supra ostium statua ex marmore Pario Ursi reguli: in pariete vero meridiano alterum est è regione apertum ostium; quod in hortos ducit. Fabrica autem abusque medietate fere lateris occidentalis incipiens, ac procedens versus arctum, vertensque ante arctum, deinde vertens ante ortum usque ad medietatem orientalis lateris, finita est ita, ut tectum etiam sit indepta: sequens vero usque ad ostium meridianum jam dictum, inchoatum opus est; in hac enim inchoata parte solæ sunt cœnationes testudinibus altis validisque contectæ, quæ veluti primam contignationem præstitere; reliquus vero regiæ angulus, qui occasum hybernum spectat, vetusta illa ædificia etiam retinet; quod evenit, bello Hetrusco Ursum trahente. Rex Ferdinandus enim cum Florentinis bellaturus in Hetruriam misit Ursum ducem exercitus: is inibi contractis torminibus Viterbii ægrotans hominem exuit; nec fabricæ deinde quisquam unquam quicquam adiecit.

DE PORTICU NOLANA atque viis urbis.

CAP. X.

In media urbe tethraedra quædam extat, quod *Segium* vocant à sedendo; mihi verò non tethraedram hexedramve, sed *porticum* liceat appellare. Figura est quatriquetra: ac altera longitudinis est quinque passuum, altera latitudinis pedum XX., altitudinis vero ad tres passus; extenditur autem ab ostu versus occasum vernum. Hujus latus occiduum atque arcticum solidus paries est. Lateris vero meridiani sinistra pars paries quoque est, dextera vero arcu ducto adaperta est. Latus autem orientale est solus arcus: sed uterque arcus altero cornu super uno eodemque capitello columnæ firmatur, quæ in angulo, quem ipsi concurrentes arcus terminant, sola extat; hæc alta est ad X. pedes: tegitur autem porticus testudinibus duabus medio intercedente ac longitudinem porticus sequente: cacumen pluteis coronariis circumductis finitur. Quare ab ortu toto, & à dimidiato meridiano porticus aperitur, totaque intus videtur, cætera clauditur. Neque viis ambientibus æquum pavimentum habet: sed altius adeo, ut sex gradibus ascendendum in ipsum sit. Intus autem ambitu toto sedilia solummodo eriguntur, quæ dividuntur à duobus, qui in ipsa scandunt aditibus: altero sub medio arcu meridiano: altero sub medio arcu orientali: qui aditus sunt latitudinis ternorum pedum. Viarum autem urbis duæ sunt principes: altera à porta Vicancio ad portam Samuelinam extensa est: altera à Cortefella ad portam antiquam, quæ nunc clausa est, protenditur. Sed harum Vicanciana est nobilior; à capite n. principeque urbis parte, quæ Vicancius est, exoritur, atque omnis hospitum advenarum; viatorumque translitus hac ipsa fit; domus quinetiam meritoriæ fere omnes atque nobiliores viæ huic adjacent; hæ vero principes viæ duæ sese concidunt sub porticu eo modo, ut illius columnæ basis coronaque prematur ab angulo ipso viarum, qui ad occasum æstivum vergit. Neque rectæ procurrunt hæ viæ. Nam præsertim dextrorsum sinistrorsumque serpentes, partim recte procedunt. Ex quo licet conjectari, præsentem urbem, non ut divisa, sed ut rapta fuisset, ita ædificatam esse. Neque ædificiorum viarumve ratio, & ordo habitus est in ædificandi principio: sed lubentia, & propria cujusque commoditas antecelluit. Præter autem has vias celebrantur aliæ duæ, non ut principales, sed secundo loco præstantes, quæ à meridiano pomœrio exortæ versus arctum sulcando urbem protenduntur, &

& eadem secant viam principem, quæ porticu ad Cortesellam portam excurrit. Verum earum duarum altera, quæ orientalior est, paulo citra turrem Megaldinam exorta, inteque fanum Servatoris procedens, ad murum pomœriumque septentrionale pertingit ita, ut sinistrorsum, parumque distantem turrem prioris habeat; eadem item medio curriculo viam Cortesellanam incurrens de transverso secat: atque angulo, qui vergit ad ortum æstivum, sacellum sanctæ Mariæ Novæ concipit; ab hac vero sectione aduſque murum arcticum ipsa via ampla rectaque patet, quæ *Casale novum* appellatur. Altera vero hujus socia, ac non principalis via a turre Scrignariana, quæ prope arcem extat, incipit, principio parum obliqua: deinde ampla, & recta procurrit, ac viam Cortesellanam, etiam incidens, secat paulo inferius sectione antedicta, atque in angulo hujus sectionis, qui vergit ad occasum hybernum, erectum est fanum divo Paulino dicatum. Deinde versus arctum serpens per quinquaginta passus finitur, inque ejus fine monasterium obvium fit virginum, quod *Collegium* appellant. Est insuper tertia ac non principalis via, quæ non ab Austro ad Arctum ut illæ: sed ex transverso ab occasu versus ortum excurrens; hæc enim initium sumit à pomœrio, quod inter portellum, ac turrem quinque pontarum interjacet: primumque recta, deinde parum obliqua procedit, secatque viam Vicancianam, quæ inter Porticum est, & portam Samuelinam ita, ut absit ea sectio à porticu triginta quinque passus, habetque in angulo, qui vergit ad occasum æstivum, emporium extructum compluribus pilis arcubusque, tum in ambitu, tum in solo ipso, quod non fornice sed contignatione tectum est: quæ *docana*, hoc est susceptorium appellatur; in angulo vero, qui ad occasum hybernum vertitur, templum Felicis in platea erectum est: eadem deinde via XII. passus procedens paulum extumet, Macellumque inibi à sinistra ostendit; extumet autem quod fundamenta, & reliquiæ templi, ac basilicæ divi Felicis Junioris, quæ usque eo extendebatur, ut dicetur inferius, extuberant eo in loco solum. Superato vero hoc solo serpens procedit eadem Portellana via, incurritque in extremam viam, quæ ab austro, & à turre Scrignariana venire memorata est, atque angulum unum cum ea facit; non enim se scindunt, nec prætereunt. Cujus anguli e regione monasterium est Virginum, ut dictum est. Verum ab eo angulo viarumque earum concursu angiportus quidam derivatur, qui per anfractus perbreves versus ortum vernum procedens in Casale novum erumpit. Cæteræ autem urbis viæ veluti rivuli sunt ab hisce, quæ dictæ sunt, defluentes, atque insularum sectiones, & viciniæ sunt: excepto pomœrio interiore, quod sub mœnibus perpetuo procedens tanquam Oceanus cunctas urbis vias gignit, & ambit. Harum quinetiam viarum aliquæ stratæ marmore spectantur: quæ marmora Nolani vocant *silices*. Ea enim quæ à Vicancio ad Samuelis portam tenditur, strata tota est: quæ vero à Cortesella venit quousque scindit Vicancianam viam sub porticu, atque paulo ulteritus, ea omnis strata est; cætera vero, quæ aduſque portam clausam, quæque *Clara stella* vocatur, silice vacat. Quinetiam adjectivarum viarum, atque non principalium ea pars, quæ inter sacellum sanctæ Mariæ Novæ, atque fanum Servatoris interjacet, strata solummodo est. Item ea, quæ à sacello Servatoris versus Cortesellam vertitur, donec cum porta hujus via jungitur, silice contecta est. Contra vero quæ à Portello ascendit usque eo, ubi Vicancianam secat sub docana, strata perstat, cætera, silice caret; eadem via, quæ à Portello tenditur, antequam Vicancianam attingat, ramum sinistrorsum producit, qui docanam ab occasu terminans revertitur serpendo versus occasum æstivum, quoad in latum templi Franciſco dicati incurrit: is ramus silice stratus est. Item Vicanciana statim in urbem intrans ramum dextrorsum fundit viam Scrignarianam usque procurrentem, qui marmore tessellatus est, quique nostra vicinia est. Eadem insuper Vicanciana citra portam Samuelinam, ultra vero parietem antiquum, alterum ramum dextrorsum derivat pomœrium usque protensum, qui quoque stratus est: reliquæ vero viæ omnes silice, aque stramento marmoreo omni vacant.

DE BASILICA URBIS principe & Episcopio.

CAP. XI.

SIcuti viæ primariæ sese recta sectione concidentes in angulo, qui vergit ad occasum æstivum à duobus lateribus porticum ambjunt; ita in altero angulo, qui vertitur ad ortum æstivum insulam quandam claudunt ab occasu quidem Vicanciana, à meridie vero Cortesellana; sed tamen Vicanciana recta procurrens à Porticu ad usque alteram sectionem, quæ sub Docana fit curriculo XXXV. passuum: Cortesellana vero ab eadem porticu recta procedens usque ad sectionem fani Paulino dicati, tractu passuum quinque, & quadraginta. Eandem quinetiam insulam ab arcto claudit via Portelli, quæ à Docana usque ad angulum, cui Collegium monasterium hæret, procedit mensu quoque XXXXV. pas. ab ortu vero claudit via Scrignariana, quæ ab hoc angulo aduſque sectionem Divi Paulini protenditur, curriculo quadraginta fere passuum. In hac itaque insula templum urbis maximum primumque extat, Divæ Mariæ nunc dicatum, quod *Episcopium* vocant: aut quod ipsi templo Episcopium, hoc est Episcopi domus hæret: aut quod in eo sacra facit Episcopus; veruntamen verbum id diversa pronunciatione à Nolanis quam à cæteris Latinis profertur; hi n. episcopium cum accentu in antepenultima Latina facta dictione pronunciant. Nolani vero Græcam, & peculiarem loco vocem servantes cum flexo in penultima proferunt. Tempore autem Divi Paulini dedicatio tem-

pli

pli fuit *Dominedio*, deus n. tum *Domine-*
dius vocabatur : quod verbum in ore juran-
tium ac invocantium deum usque ad nostra
tempora servatum audimus. Præter hæc ædis
hujus si non figuram, sed sacrificia spectave-
ris, *templum* appellare convenit : sin vero fi-
guram non sacrificia, *basilicam* potius dices;
basilica enim ædes oblonga quadrangulaque
est, altera januam, altera e regione cellam,
vel dicas hemicyclum habet. Neque quoque
certa basilica est : nam inter ædem & cellam
transversa interiacet altera oblonga ædes, quam
titulum appellant. Quamobrem hæ duæ ædes
figuram T. literæ præsentant : cui si cellam
superaddideris, tunicam cum cucullo ac ex-
tentis manicis fixeris. Neque in hoc templo
hæc memorata solum reperiuntur : sed etiam
hæc ipsa tanquam cum capite tunica adhi-
tas continet duas alias basilicas, titulo eo-
dem discriminatas à cellis : quarum ædes,
mediam jam dictam majorem ædem utrinque
adjacentes continent : cellæ vero circa cellam
majorem locantur. Quoniam vero totum æ-
dificium templumve constat ex cellis ædibus-
que : quæ partes sunt basilicæ non templi :
basilica potius appellanda est, quam templum.
Sunt itaque hujus basilicæ septem partes, tres
quidem ædes pari longitudine, sed media am-
plior cæteris : quarum media appellatur me-
dia ædes, à recentioribus vero *Navis* : alteræ
laterales ædes, nunc *alæ* dicuntur : quarta
pars est ædes transversa his tribus, quibus &
ipsa aliquanto est brevior, vocaturque *trabs*
sive *titulus*. Quinta pars est Hemicyclum, si-
ve cella major, quam *tribunam* dicunt, de-
bentes dicere *tribunal*; quæ in altero tituli
latere est e regione mediæ ædi respondens. Se-
xta septimaque sunt duæ cellæ minores u-
tramque alam è regione spectantes, ac in eo-
dem latere tituli, in quo major cella est, po-
sita mediam cellam circunstant, si quando
titulus altero longiori latere ac occidentali
capita ædium trium terminat : in altero ve-
ro orientali huic æque distanti cellas tres ha-
bet, sive tribunalia dicat; basilicæ autem lon-
gitudo patet à pariete januarum adusque cur-
vaturas cellarum : latitudo vero ab externo
pariete dextræ alæ ad externum sinistræ; ca-
put basilicæ est titulus atque cellæ, præci-
pueque cella major : quod ab eis tanquam à
capite cætera initium habent; pes vero ejus,
paries est, in quo sunt januæ, ad eum n. ter-
minatur basilica : sicuti ad pedes desinit cor-
pus à capite originem sumens. Quod si pa-
rietem januarum frontem velis esse, eo quod
à fronte est, cellas basilicæ dices occiput at-
que recessum. Longitudo quoque basilicæ ab
ortu versus occasum tenditur : atque pes ba-
silicæ est prope mediam viam Vicancianam :
à qua per interjectam parvam aream distat :
caput vero in insulam penetrat. Est autem
tituli longitudo ad XV. latitudo ad quinque,
altitudo, ad XII. passus. Ejusdem paries oc-
ciduus, quo cum tribus ædibus conjungitur,
habet tres magnos arcus, quorum medius
est aliis major : per quos arcus non modo
transitus amplissimus fit de titulo in alas, &
navem : verum etiam idem aer, & eadem in-
nanitas omnium quatuor ædium redditur;
paries autem tituli orientalis cellas tres me-
moratas habet, singulas singulis arcubus præ-
dictis è regione jacentes : atque singulæ cel-
læ singulas continent aras, sed ara majoris
cellæ aliquot gradibus excellit. Quinetiam
tituli paries australis in angulo orientali par-
vo arcu aperitur : per quem transitus fit de-
scendentibus in templum Apostolorum, de
quo inferius dicetur. Media autem ædes in
longum porrigitur ad XX. passus : cujus lati-
tudo altitudoque pares sunt titulo. Ejus ve-
ro dexter atque lævus paries, quibus distin-
guitur ab aliis suprema in parte, fenestras
multas atque oblongas continet : in ima ve-
ro pilis ac interpilaribus & arcubus magnis
æqualibus apertus est : unde & mediæ ædis,
& alarum utrarumque inanitas & prospectus
idem redditur. Alarum vero parietes exterio-
res solidi sunt, raras solummodo fenestras ha-
bentes. Et in eorum, qui septentrionalis est,
medio ostium est, quo iter fit in parvam aream,
quæ ante fanum divi Joannis Baptistæ patet;
sunt iidem parietes longitudine pares parieti-
bus ædis mediæ, altitudine vero dimidio mino-
res. Eodem modo, & alæ ipsæ sunt longitudine
pares ædi mediæ : amplitudo vero earum alarum
est triente quam media minor. Demum media
ædes, atque alæ in pede basilicæ clauduntur
pariete uno, in quo tres sunt januæ, qua-
rum media multo aliis major; supra vero ma-
jorem januam sunt duæ fenestræ oblongæ, su-
pra quas est oculus, atque fastigium : at su-
pra majores januas singulæ sunt fenestræ, il-
lis, quas diximus minores, supra quas semi-
fastigium erigitur, tectum imbricatum, so-
lum vero lithostratum; media quinetiam æ-
des divisa est in duas partes : quarum major
vergit ad januam, minor à titulo est, pa-
rietibus parvulis distinguentibus, ac in me-
dio arcum, ut ostium continentibus, per quem
arcum de majore in minorem Navis partem
transitur; alti sunt hi parietuli ad X. pedes;
non solum ea minor pars hisce parietulis in
longitudine terminatur, sed etiam à lævo,
ac dextro latere clauditur. Quamobrem ab
occasu arcum, ab ortu vero interpilare ma-
gnum tituli habet : quæ expedita apertaque
sunt; ille quidem, ut ingredientibus pateat
aditus : interpilare vero, ut ara magna vi-
deatur. In hac ipsa parte sunt quatuor se-
dium ordines, quæ ex asseribus nuceis com-
pactæ sunt; bini à dextera, ac bini à sinistra,
qui ab antis ostii arcusve ad angulos dextrum
lævumque, & ab angulis adusque pilas tituli
porriguntur; eorum ordinum vero exteriores
duo sunt eminentiores, atque concamera-tione
ne una veluti fornice contecti : in quis sellæ
distinctæ sunt opere pulcherrimo segmentato,
ac virgulato; reliqui vero ordines duo sunt
inferiores, carentesque & tegmine camerato,
& ornamento segmentationis; quamobrem
qui in medio eo loco est, omnes undique
intuetur sellas. Quinetiam sub ordinibus in-
ferioribus sedilia quædam alia extenduntur,
non distincta in sellas, sed unam commune-
mque sedem facientia. Appellatus est lo-
cus is *Chorus*, dicitur quoque à recentiori-
bus *Chorhospita* numero plurativo; hoc est
loca, vel solia hemicyclave susciptientia cho-
rum, sunt qui dicunt *Chorhospitæ*; hoc est,
sellæ capientes chorum, hospitum n. id esse

vult

vuit, quod ſuſcipit cum amplexu, & chari-
tate quadam; chorus autem ordo canentium
eſt, hic n. ſacerdotes ſedentes quotidianas
rogationes, & hymnos divinos cantant. Re-
liqua vero ædis pars nomine caret; appelle-
tur ergo *prochorus*, ſeu *chori atrium*; ſub
choro autem hoc ipſo ſacellum eſt ſubterra-
neum, divo Felici dicatum: quod teſtudine
tegitur, quæ tribus columnarum ordinibus
fulcitur; huc deſcenſus duo per gradus ali-
quot fiunt: ſinguli de altera baſilicæ ala a-
deuntes. In occiduo vero ſacelli huius latere
ara extat: & ſupra aram menſa marmorea
erecta, ac pertuſa trajectaque canaliculo ar-
genteo, unde liquor quidam ſtiriatim fluens
decidit tum, cum maxime urget hyemale
gelu, quem liquorem *mannam* vocant, idem-
que *Divi ſudor eſſe* creditur, cuius corpus in
puteo jacet; hic nempe à tergo tabulæ marmo-
reæ patet, ac in imum deſcendit. Hoc quin-
etiam ſacellum antiqui partem templi fuiſſe,
arbitrandum eſt: quod ſubterraneum eſt humi,
& depreſſum; appellant hoc ſubterraneum ſa-
cellum *iuſum corpus*: juſum dicentes contrariũ
ſus, quod *ſus*, & *ſuſum* dicunt, hoc eſt, locus
corporis beati Felicis quod ſubterius eſt: ſed ba-
ſilica tempeſtate noſtra conſtructa eſt. Cujus
Fabricæ præfectus fuit etiam gratuitus patruus
noſter Leo, vir militiæ domique egregius,
patriæ amantiſſimus adeo, ut dum illius cu-
raret rem, negligeret frequentiſſimè ſuam:
modeſtia ac juſtitia tanta præditus, ut o-
mnia Reipub. præclara ei credita ſint munia,
non modo magnæ hujus fabricæ præfectura.
Gratus inſuper fuit populo, gratiſſimus re-
gulis, præſertim Raimundo Urſino Salerni
Nolæque Principi, atque Joanni Antonio
Urſino Tarenti regulo potentiſſimo: idem
malos conniventer præteribat: bonos ac do-
ctos colebat, obſervabat, ſectabatur. Polle-
bat oratione non quidem celeri, longave,
ſed brevi, ſevera, plena ac lucida; quam-
obrem in conſeſſu dicens ſemper laudatus
fuit; privatim quoque quam familiariter ſe
geſſerit, vita & vivendi ratio argumento
eſſe poteſt; cum Marino enim fratre tum
ſuperiore ætate, tum maximè ſeneſcens tri-
ginta annos in eadem domo amiciſſimè vi-
xit, in eademque menſa ſemper cum eo cœ-
navit; vixit annis octoginta. Longe demum
major digniorque fuit is Leo, quàm qui hoc
noſtro calamo repræſentari valeat. Sub ba-
ſilicæ autem fronte præter aream viamque,
area magna eſt in conſpectu, quem *Mer-
catum* appellant. Quinetiam lateri meridia-
næ alæ hæret turris, in cujus ſummo ver-
tice campanæ pendent: unde illam vocant
Campanarium. Hoc quadratum eſt, atque
celſitudine templo imminet, infima vero
pars amplior, ac è lapide quadrato compa-
cta, quæ marmorea pars altitudinis ſexagin-
ta ferè pedum exiſtit; in ambitu verò ejus
marmora quædam ordine locata ſculptaque
ſunt, tum poeſim, tum militarem artem
ætatis ſuæ teſtantia; opus idipſum ſculpti-
le a manu docta elaboratum, antiquiſſimum
eſt: atque non ut campanaria turri baſis
fundaretur, ſed ut ſuperbiori potius ædifi-
cio ſubjaceret. Quinetiam in eadem inſula
atque angulo baſilicæ, qui ad Vulturnum
ventum vertitur, baſilica alia parva anti-
quaque hæret, media æde aliſque atque cel-
lis tribus compoſita: titulus vero deeſt. Hu-
jus mediæ ædis parietes ſupra columnas ex
marmore peregrino tornatiles pulcherrimas-
que inſidentes erecti ſunt: quarum columna-
rum ſingulæ longitudinis ſunt ſenum denum
pedum. Sed in meridiano latere undecim ea-
rum erectæ ſunt, in arctico vero novem:
quod hujus lateris duas columnas occupavit
angulus tituli baſilicæ majoris, in quo an-
gulo, ut dictum eſt, tranſitus per arcum
apertum de altera in alteram harum amba-
rum baſilicarum fit, parietes vero tantun-
dem ſuper eis columnis exurgunt. Pavimen-
tum autem fani hujus depreſſius XII. pedi-
bus, quam vulgare ſolum eſt: alæ vero
fronsque atque cellæ, parietibus clauduntur:
tectum imbrice ſtructum. Ejusdem longitudo ab
ortu in occaſum tenditur ad decem paſſus.
Janua non in fronte, ſed in ala meridiona-
li patet. Ala enim eadem per aream XX.
pedum latam diſtat à via Cortefellana: ea
vero janua non ſtatim deſcenſum præbet in
templum: ſed ſecus eius frontem iter æqua-
le habet uſque latus meridianum, arcumque
illic apertum tituli magnæ baſilicæ. Quare
janua ſua utriuſque baſilicæ etiam alterius
eſt. Eſt a. hoc iter latum quindecim fere
pedum, longum autem quinquaginta: à quo
toto dextrorſum per multos gradus deſcendi-
tur in hanc minorem baſilicam: cui nunc
nomen eſt *ſanctus Apoſtolus*. Eadem item
in inſula, atque à plaga ſeptentrionali extat
altera baſilica minor ſimplexque hærens an-
gulo tituli, ac alæ arcticæ majoris baſilicæ,
appellaturque *divus Joannes Baptiſta*; eadem
verſus occaſum vernum ab angulo tituli pro-
currit, ſicuti baſilica Apoſtoli ab angulo op-
poſito in orientem extenditur; baſilica Joan-
nis tota tophacea fabrica conſtat: cuius ar-
cticum latus januaque viam attingit, quæ à
Portello exoritur, macellumque è regione
ſpectat. Duorum vero angulorum inſulæ, qui
circunſtant frontem baſilicæ magnæ, alter ad
emporium docanamque, ad Porticum alter
ſpectantes, officinis taberniſque diviſi occu-
pantur. Nam à janua meridianæ alæ Epiſco-
pii aduſque angulum ſiniſtrum inſulæ, qui
Porticum ſpectat; atque ab hoc aduſque ja-
nuam Apoſtoli tabernarum ordo diſtenditur;
eodem modo à janua arcticæ alæ Epiſcopii
aduſque angulum dextrum inſulæ, qui em-
porium ſpectat, atque ab hoc aduſque ja-
nuam Joannis Baptiſtæ, alter tabernarum or-
do protenditur. In eadem præterea inſula,
atque à tergo cellarum baſilicæ, domus ex-
tat Epiſcopi: cuius oſtium patet à tergo cel-
larum baſilicæ Apoſtoli, in Cortefellanam
viam exiens. Ab hoc vero oſtio uſque ad
angulum inſulæ, qui templum Paulini ſpe-
ctat, tabernæ ſunt. Cæterum autem inſu-
læ, quod ab angulo quarto continetur,
horti ſunt ampliſſimi epiſcopalis domus. To-
ta item inſula poſſidetur ab Epiſcopo exce-
pta baſilica Joannis Baptiſtæ: hæc enim a
veſpillonibus ſeu libitinariis poſſidetur, ma-
gna enim civium multitudo in veſpillonium
munus nunc conſpirata eſt, quam *fratra-
riam* appellant; hi enim præter alias luſtra-

tio-

Digitized by Google

tiones rerum sacrarum atque munia, ubi fuerit opus, saccos induti funus efferunt, ac longo ordine bini incedentes pompam, aut augent, aut soli faciunt: lustrandoque à domo defuncti proficiscuntur, atque usque ad locum sepulturæ procedunt. Namque primum perpauci abiectique homines esse solebant ejusmodi vespillones, qui solummodo funera efferebant: paupercula deinde eorum multitudo etiam per ingenuos viros conscriptos adaucta est, simul præ misericordia, simul etiam præ mutua pietate, atque proprio quodam divinorum cultu. Est autem saccus is, quem induunt, tunica talaris ex tela linea albaque, cui consutus est cucullus, qui & collum undique, & caput tegit. A cuculli vero fronte oritur buccula, quæ à fronte usque ad pectus descendens faciem omnem occulit adeo, ut induti hominis nihil cerni possit. In buccula vero tria sunt foramina, quorum duo præbent oculis visum, tertium ori spiritus viam pandit: Induti saccos fune cinguntur; idem saccus à tergo pedale foramen habet, ut nudum tergus appareat, atque à manica dextra scutica pendet, ut quum quis graviter commissorum pœnas sit Deo soluturus, non solum pœnitentia factorum, sed etiam corporis dolore, indutus solummodo eum saccum, vel ambulando ad fana complura, vel genib. flexis ante crucem domini rogando, scutica acrius percutiat tergus; idque ubi dextra sumptam scuticam, nunc super humerum lævum, nunc sub dextram axillam celeriter versando agitat. Hæc de insula deque basilica principe, atque Episcopio, quæ nostra sunt tempestate.

DE BASILICA, ET EPISCOPIO antiquo, deque reliquiis divorum, quæ inibi erant.

CAP. XII.

AT vero referre post hæc, quonam pacto basilica eodem hoc ipso in loco se habuerit tempore divi Paulini, operæ precium est. Licebit enim videre, tum, & insulam hanc ipsam, de qua superius aliqua sunt memorata, tanquam divino nutu semper fuisse dedicatam mysteriis, atque cæremoniis sacris: atque quantopere sit, vel veneranda, vel observanda, vel timenda; non solum ob tot millia millium tot annos factarum in ea rogationum, atque celebratorum sacrificiorum, sed etiam quod sub eius solo multa latent occultaque sunt, quæ ignorantur nostra hac tempestate, corpora divorum, & martyrum, & confessorum. Quam autem res ita se habeat, divus Paulinus ad Severum Sulpicium scribens enucleatissimè patefecit. In ea enim epistola docet Severum de basilica Fundana, atque Nolana. Namque Paulinus prius extitit Fundanus Episcopus; deinde Nolanus, quod ipse quoque hisce verbis monuit: *Egrediamur*, inquit, *jam Nolana hac basilica, & in Fundanam transeamus. Fundis nomen optido est, quod æque familiare mihi fuit, dum* A *maneret possessio, quam illic usitatiorem habui.* De Nolana verò hæc scripsit: *Basilica igitur illa, quæ ad Dominedium nostrum communem patronum in nomine Domini CHRISTI DEI jam dedicata, celebratur, quatuor ejus basilicis additis reliquiis Apostolorum, & martyrum intra absidem tricboraque sub altaria sacratis, non solo Beati Felicis honore venerabilis est. Absidem solo, & parietibus marmoratam camera musæo infusa clarificat.* Et paulo post ait: *totum vero extra concam ba-* B *silicæ spacium alto & lacunato culmine geminis utrinque porticibus dilatatur: quibus duplex per singulos arcus columnarum ordo dirigitur, cubicula intra porticus quaterna longis basilicæ lateribus inserta, secretis orantium, vel in lege domini meditantium, præterea memoriis religiosorum, ac familiarium accommodatos ad pacis æternæ requiem locos præbent.* Et paulò post subdidit: *prospectus vero basilicæ, non ut usitatior mos est, orientem spectat, sed ad domini mei Beati Felicis* C *basilicam pertinet; memoriam eius aspiciens: tamen cum duabus dextra lævaque conclusis intra spaciosum sui ambitum absidibus multis laxatur; una earum immolanti hostias jubilationis antistiti patet: aliæ post sacerdotem capaci sinu receptant orantes. Lætissimo vero conspectu tota simul hæc basilica memorati confessoris aperitur trinis arcubus paribus perlucente transenna, per quam vicissim sibi tecta, & spacia basilicæ utriusque junguntur. Nam quia novam à veteri paries absde cujusdam* D *monumenti interpositi obstructus excluderet; totidem januis patefactus à latere confessoris, quot à fronte ingressus sui foribus nova reserabatur: quasi diatritam speciem ab utraque in utramque spectantibus præbet.* Hæc *ille*, quibus aperte monstrare videtur, duas tum extitisse basilicas, quarum altera erat divi Felicis confessoris, hoc est Junioris: altera erat Episcopium suum Paulini, & illam fuisse antiquam, Paulini verò episcopium mansisse novum: atque alteram ab altera solius E fornicis pariete sequestratam, qui ubi pertusus fuit, atque per tres arcus apertus, veterem, & novam basilicam in unam conjunxit usque adeò, ut ambarum idem esset prospectus, & templi inanitas; vixit autem Paulinus post tempestatem Felicis Junioris anno centesimo, ac sexagesimo. At vero quum jam exploratam habeamus in præsente episcopio basilicam Felicis (nam ea est, quæ sub choro est) convenitque, ut illa protenderetur usque ad viam Portelli, super qua F erant tria ostia templi, veluti in eo loco solum extuberatum indicare nunc videtur, spectaretque arctum, ac extensa foret versus meridiem, consentaneum est: basilicam vero Paulini habuisse januas supra viam Cortesellanam, atque protensam fuisse versus arctum. Nam (ut ait) ea basilica non erat orientem spectans. Ex quo perspicere licet, aream tituli præsentis episcopii, atque eius trium cellarum omnem basim conceptas mansisse in area basilicæ Paulini. Neque id solum conceptum fuisse; sed etiam aream sacelli totius, quod nunc appellatur *Sanctus Apostolus*, atque omnem eam aream, quæ à tergo est trium cellarum, quousque dilata-

retur secundum longitudinem sacelli Sancti Apostoli. Namque longitudo basilicæ Paulini, quæ à meridie versus arctum porrigebatur, erat ad XXV. passus; tantundemque patebat in latera, ac divisa duobus columnarum ordinibus. Ergo dextrum, & orientale latus basilicæ Felicis conjunctum erat cum sinistro, ac occidentali latere basilicæ Paulini usque adeò, ut figuram repræsentarent duarum tesserarum: quum sibi ita hæserint, ut angulus alterius medium, alterius latus attigerit. Tam magnam autem patuisse Paulini basilicam conjectandum est ex ordine columnarum: ex alto lacunatoque tecto, ex marmoribus, ex opere musæo, quæ omnia arguunt multos sumptus; multi autem sumptus non possunt esse arcti paryique, ac humilis populi. Magnum verò magnificumque populum etiam magna nec minor, quam quæ dicta est, basilica decet, quæ quum verisimilia sunt, inducunt etiam nos credere, fanum, quod nunc *Sanctus Apostolus* vocatur, non tum temporis extitisse; sed post ruinas magni illius templi editum esse à pauperculo populo ex fragmentis reliquiisque magni templi, columnasque pulcherrimas, quæ in eo nunc sunt erectæ; fuisse etiam illius templi manifestum apparet. Quinetiam ex hisce perspicere licet, antiquum episcopium fuisse basilicam Felicis: quam declaravimus, ipsam superioribus priscisque temporibus extitisse templum Jovis. In quo mortuus est Felix Junior, ut etiam dicemus apertius: sepultus verò in latere orientali eius templi, atque idcirco de episcopio mutatam esse in basilicam Felicis; Episcopium verò translatum esse per nova ædificia, erectumque ubi erat basilica Paulini, quam monstravimus; itaùt utraque basilica esset secreta pariete ab altera, quem parietem Paulinus factis tribus arcubus magnis aperuit, atque ex utrisque basilicis vetere, & nova unam effecit, ut ipsemet docet; paries autem dividens utrasque basilicas erat, ubi nunc est paries occiduus tituli. Is enim habet ab occasu fanum subterraneum beati Felicis. Videtur quoque Paulinus adeo eo opere delectatus, ut in illis arcubus pluscululsque locis carmina depinxerit, decantantia, & conjunctionem basilicarum mansisse congruentissimam, & divinam, atque omnibus spectantibus jucundam atque commodam, quæ hæc sunt;

Ut medium nulli pax nostra resolvit Jesus,
Et cruce discidium perimens duo fecit in unũ:
Sic nova destructo veteris discrimine tecti
Culmina conspicimus portarum fœdere jungi.
Sancta nitens famulis interluit atria lympbis
Cantharus; intrantumque manusque lavante ministro.
Plebs gemina Christum Felicis adorat in aula
Paulus Apostolico quam temperatore sacerdos,
Attonitis nova lux oculis aperitur, & uno.
Lumine consistens geminas simul aspicit aulas

In altero:

Tergeminis geminæ patuerunt arcubus aulæ:
Mirantur quæ suos per mutua limina cultus.

In eisdem item arcubus à fronte, quæ ad basilicam divi Felicis patebat mediana, hi erant versus.

Quos devota fides densis celebrare beatum
Felicem populis diverso suadet ab ore;
Per triplices aditus laxos infundite cœtus.
Atria quamlibet innumeris spaciosa patebunt;
Quæ sociata sibi per apertos comminus arcus
Paulus in æternos antistes dedicat usus.

Super alios arcus hi bini:

Antiqua digressæ sacri Felicis ab aula
In nova Felicis culmina transgredere.

Item:

Una fides trino sub nomine, quæ colit unum,
Unanimes trino suscipit introitu.

Basilicam beati Paulini habuisse à fronte tres ingressus non solum idem ipse autor monuit, quum dixit: *Paries totidem januis patefactus à latere, quot à fronte ingressus sui foribus nova reserbatur*; verum etiam epigrammate, quod super januis erat, edito monstravit, quod hoc pacto habet:

Alma domus triplici parte ingredientibus arcũ
Testaturque piam janua trina fidem.

Basilicam vero Felicis per tres item januarum ingressus adiri non monuit Divus Paulinus; sed ex dictis eius facile est perspicere, Nam ubi dixit: *paries tribus januis patefactus, quasi diatritam speciem ab utraque in utramque spectantibus præbet*: docuit de trib. etiam januis basilicæ Felicis. Nam quum basilica Paulini tres contineret porticus, vel dicas ædes, vel aulas, duobus columnarum ordinibus discriminatas, factisque tribus arcubus in pariete medio per eos accidit, tres alias aulas conspici ita, ut qui fuisset in basilicæ novæ latere septentrionali, is spectasset versus meridianam partem, trinas aulas, quæ in ipsa basilica erant, & versus occasum alias trinas, quæ de nova in veterem basilicam per arcus protendebantur; Eodem modo qui mansisset in latere meridiano basilicæ veteris, idem spectasset versus arctum trinas aulas, quæ in ipsa basilica erant, atque trinas alias ab ortu, quæ de vetere in novam basilicam directe porrigebantur. Hoc enim pacto est species diatrita, vel diatritæa. Illud quoque ex ea Paulini descriptione basilicarum compertum est. Nam ubi de omnibus basilicæ partibus docuit, vel usque ad sacrarium, & secreta oratoria, nihil de campanaria turre, & campanis meminit, quod indicio est, illius Divi tempestate campanas, aut ullas, aut magnas inventas non esse. Nam apud Hieronymum legitur; *quousque campanula in claustro pulsabitur*. Præter hæc autem, quæ omnia sunt hominum opera, & copiarum potius vires; etiam aderant in eis basilicis plæraque alia multo cariora, & admirabiliora. Nam præter Paulini sanctissimi viri præsentiam, aderat corpus Beati Felicis Junioris, atque ut dicemus inferius alterius Felicis martyris: aderant etiam reliquiæ quædam apostolorum atque martyrum

ye-

Digitized by Google

veluti idem autor ſcribendo docuit, quamobrem ni fallor, altaria ea ſub quæ erant ſacratæ reliquiæ, in eo loco baſilicæ novæ extabant, ubi nunc eſt fanum *Sancti Apoſtoli*. Poſteritas enim ubi alia reficere nequiſset: eum ſaltem angulum baſilicæ novæ ut venerabiliorem erexit in formam, quæ nunc eſt; quæ res quum ita habere videatur, etiam expoſtulat, ut illa baſilica fuerit antiquitus appellata *ſanctorum Apoſtolorum*, & *ſancti Apoſtoli* numero plurativo: non autem unius Apoſtoli, ut nunc pronunciatur. Illic enim Apoſtolorum non autem Apoſtoli unius reliquiæ ſacratæ ſunt. Quinetiam aderat inter alia divina dona pars quædam è ligno crucis, quo munere ſolo impartita urbs Nola connumerari poteſt inter eas orbis partes, quæ vel fortunatiſſimæ fuere, vel Deo gratiſſimæ; lignum igitur illud ſanctiſſimum Nolam abſportatum eſſe à Judea Hieroſolymaque, & à quo viro delatum, & quo in loco ſervatum ſit, atque cum quibus ſociis, idem autor clarum carmen cantando docet, hoc pacto:

Hic pietas, hic alma fides, hic gloria Chriſti
Hic eſt martyribus crux ſociata ſuis.
Nam crucis è ligno magnum brevis haſtula pignus
Totaque in exiguo eſt ſemine vita crucis.
Hoc Melani ſanctæ delatum munere Nolam,
Summum Hieroſolymæ venit ab urbe bonum.
Sancta Deo geminum velant altaria honorem,
Cum cruce Apoſtolicos quæ ſociant cineres.
Quam bene junguntur ligno crucis oſſa piorum:
Pro cruce ut occiſis in cruce ſit requies.

Ergo in ſacello Apoſtolorum cum eorum reliquiis lignum crucis ſervatum fuit. Quamobrem ſi ejuſmodi reliquiæ in eo loco obrutæ ſunt, præſentia, & honore tantarum rerum locus is venerandiſſimus eſt, ſin verò illæ non ſunt diſperditæ obrutæque, ſed amotæ: nihilominus locus ſacer eſt, quod ſacrarium fuit non auri, ſed magnarum divinarumque rerum; utrum autem obrutæ maneant, an amotæ ſurreptæque fuerint, incertum eſt. Veruntamen ſi conjectura uti vellemus, dicere valeremus, eas ſervatas eſſe uſque ad noſtra tempora, nec furtò ſummotas raptaſve eſſe, aut obrutas latere. Namque in ſacrario præſentis epiſcopii cuſtoditur manus ex argento ad quantitatem naturalem effigiata, in qua multæ ſacræ reliquiæ ab antiquo diligentiſſime ſervantur: eas eſſe illas, de quibus Paulinus locutus eſt, veriſimillimum eſt. Fertur tamen in ea argentea manu incluſam eſſe manum beati Paulini; namque cæterum corpus, ubi nam ſit, ignoratur. Quamobrem pridiè feſtum eius Beati per urbem fertur à præſule, tum cum fit luſtratio ſacrorum. At nihil vetat manum Paulini poſteritatem conjunxiſſe cum illis reliquiis. Namque ſi ſanctitate animi cum illis una fuit Paulinus, & corpus cum corporibus ſociari dignum viſum eſt: manus autem argentea à cubito extat, habetque medium, atque indicem digitos erectos junctoſque, reliquos verò concluſos. Nam epiſcopus ea ſpecie manus ſignum benedictionis populo facit, ſignando in aere crucem; digiti enim illi duo erecti junctique indicant gratiam Dei cum animo hominum conjunctam; nihil enim aliud eſſe videtur benedictio, quàm cum homine Dei gratiæ, & benevolentiæ conjunctio.

DE RELIQUIS URbis baſilicis.

CAP. XIII.

Cæterarum baſilicarum egregiarum prima eſt ea, quæ dicata eſt *Divo Franciſco*: hæc erecta eſt in angulo urbis, qui ſpectat occaſum æſtivum ſub turre Quinquepontarum; ſimplex baſilica eſt, habet ædem & cellam: longitudinis, verò GI. fere pedum latitudinis XXXV. altitudinis LXX. eadem; à meridie arctum verſus extenditur frons meridiana, ſub qua area magna eſt, inter eam, & alteram aream, quæ ante regiam panditur, intercurrit via Portelli: hæret lateri baſilicæ occidentali campanaria turris, atque dormitorii pars, ſed hæc, quæ ab arcto, reliquaque pars, quæ ab occaſu eſt, ambiunt cavædium quadratum amplumque, atque præter hoc etiam alterum ſequitur parvum cavædium oblongumque, quod ad pomœrium urbis internum pertenditur; inter quæ cavædia altera pars dormitorii eaque major interiacet, eſt cavædium quadratum propriè ut antiquitus fuiſſe legitur, ſubdium n. quadratum circumcurrunt quatuor porticus teſtudinatæ: quarum latera; quæ ſubdium terminant, ordines columnarum ſunt baſibus coronis atque capitellis, & arcubus. Verum hoc non cavædium vocant, ſed *inclauſtrum*, & *incloſtrum*; dormitorium eſt ſupra primam contignationem, longus ampluſque locus tecto imbricato opertus: in quo medio curriculum eſt: cui utrinque ordo cubiculorum adiacet, ſingula n. cubicula ſingulis ſacerdotibus ad dormiendum manendumque delegata ſunt, tota vero horum ſacerdotum habitatio monaſterium *Sancti Franciſci* vocatur; ſub dormitorio vero atque à meridie horti ſunt pomœrio, & via Portelli atque area memorata ambiti; hic ſacra faciunt ſacerdotes, quos *divi Franciſci fratres* appellant, quod indumenta, & vivendi rationem Divi illius ſectantur. Altera quinetiam baſilica erecta eſt inter porticum, & portam clauſam, cujus latus arcticum attingit viam Cortefellanam, quæ via hac in parte *Claraſtella* vocatur, ut diximus, hæc autem baſilica antedictæ ſimillima eſt: præterquam quod cella, & tribunali caret. Hæret vero baſilicæ campanarium, & dormitorium cum cavædio quodam hortiſque amplis ab altis parietibus clauſis; dicata eſt hæc baſilica *divæ Claræ*, ſacerdotes ſunt virgines: quas *Monachas divæ Claræ* vocant. Angulo præterea, quem claudunt via Portelli, & via Scrignariorum, adiacet alterum cœnobium virginum: quod *collegium* vocant. Eſt hic dormitorium, & horti atque baſilica ſimplex cum quadam cella, & Cam-

ponario pavo; basilica vero *Annunciatæ Mariæ* sacra est; sub Angulo vero urbis in quo turris est Sancti Spiritus, sacellum ignobile superioribus temporibus erectum erat, cui nostra tempestate additum est cœnobium virginum; vetula n. dives coemptis aliquot vicinorum domibus monasterium mediocre confecit, in quo ipsa prima initiata cœpit incolere, atque locum aliis dare; sacellum vero *Divi Paulini* ubi nam sit, clarum est: ædes sola est absque cella; hæret illi magna domus, quæ nobis pueris hospitium mendicorum solummodo adventantium erat: *Hospitale* eam ob rem appellatum, & ab ipso tota vicinia cognominis facta est, nunc vero in cœnobium mutata est, in quo *Divi Augustini sacerdotes* inhabitant. In eo vero sacello quotannis cærimoniæ atque nundinæ aguntur, cum pompis, spectaculis, atque magistro nundinarum, ut inferius amplius dicetur: quod Divus is servitute solutus atque ab Aphrica rediens Nolam, secum omnes etiam Nolanos, nomine eius liberatos, transvexit, qui capti serviebant in Aphrica. Nam quum illic cuiusdam principis, olitor foret Paulinus, mira quædam prædixit suo domino; quamobrem solutus liberque factus est, atque omnibus Nolanis, qui tum in ea provincia servirent, (nam multi capta Campania à Mauris Vandalisque in Aphricam delati fuerant) petitis donatus est à principe; servus autem in Aphrica fuit, quod eo cum vidua quadam navigavit, ut sese dando redimeret illius filium, quum alias sua omnia petentibus fuisset libentissime largitus; redeuntem ergo tantum Nolanæ civitatis patrem, tantumque de Nolanis benemerentem, omni pompa lætitiaque excepere Nolani, atque deinde eundem diem statis pompis, festis, spectaculisque venerati sunt, atque usque ad nostram tempestatem veneraciones sunt frictitatæ; idque à XVI. kalen. Julias usque X. easdem. Quod si in cærimoniis sanctorum legitur memorata die celebrari natalis divi Paulini, hoc est eius obitus, (namque tum divi; & sancti nascuntur, quum obeunt) non cogimur audire, pompas, & spectacula agi ob natalem diem beati: quoniam pompas, ut reditus ab Aphrica longe prior fuerat obitu, & natali, ita multo prius inceptum erat quotannis agi, Quare potius natalis dies redactus, consuetusque fuit cum die reditus, ut huius diei pompis etiam natalis celebraretur, quum dies reditus promotus sit ad natalicium diem. Fanum quoque divo Felici dicatum, jam monstratum est extare ad sectionem, quæ sub Doçana est, vocatur autem *Felicis in platea*. Verum fanum ipsum duplex est: alterum n. est subterraneum in humumque depressum, alterum vero supra huius testudines erectum; in illud subterraneum alteris scalis descenditur, ad hoc alteris ascenditur. Et infernum rudis inanitas est: in qua pilæ quædam extant testudinem fulcientes. Supernum basilicæ figuram habet; hærent sacellis his habitacula pauca, ad quæ etiam mendici adventantes excipiebantur, atque idcirco appellatum est hospitale, idem à civibus vespillonibus regebatur: nunc vero ejectis vespillonibus prohibitisque medicis proventus, & usum capit sacerdos unus; huius autem fani depressæ sedes atque pavimenta indicant, in eis templum antiquum fuisse extructum. Verumenimvero hoc in loco scire oportet, plures Felices fuisse divinitate donatos. Fuere namque *duo Felices* fratres genere Romani, ambo sacerdotes, atque citra dignitatem episcopatus iidem sub Diocletiano, anno post dominum Jesum fere trecentesimo; horum major natu à Draco præfecto urbis Romæ capite mulctatus est, idque ad mille passus extra Romam, ac in fossa, quam forte illic evulsa arbor fecerat, atque cum Adaucto socio obrutus est. Junior vero ab eodem Draco verberibus cæsus est, ac missus ad Circeos, ut illic exilium agens vitam finiret. In quis tum forte locis præfectus erat quidam Probus genere Nolanus. Hic igitur Felix incolatum agens, præfecti filiam, quum furens esset, ac uxorem, quæ aqua intercute laborabat, solo nomine Jesu libravit. Probus igitur miris hisce commotus, Christianus factus est, atque exacto magistratu Nolam rediit, Felicemque secum duxit; is vero paucis Nolæ moratus primum ad templum Apollinis, quod propè urbem erat, quodque hodie *Cœmeterium* dicunt, accessit, vatemque Apollinis, qui illic vera responsare rogantibus profitebatur, mendacem arguit; quamobrem tanta cunctis suborta est indignatio, ut statim tempore imago Apollinis à populo sacerdotibusque dejecta sit, ac deinde illic oratorium Christicolarum constitutum est; XII. vero anno (tot n. annos post ejus adventum Nolæ vixit Felix) quum factis sacris populo dedisset pacem, idque in urbe, atque in templo, non discedens loco obiit; deo eum vocante, non autem martyrio aliquo, ac in eo templo tumulatus est. Anno verò post hunc quinquagesimo alius Felix illuxit pontifex atque martyr, qui Roma ejectus ad villam, quæ cum sacello erat, secessit; itaque illic capite truncatus est ab inimicis, ibidemque sepultus, idque XVII. Kal. Decembres. Legitur quartus micuisse Felix Aquileiensis, ac frater Fortunati etiam sub Diocletiano, amboque fratres hi capite truncati fuere, sed alter in Aquileia, alter Vincentiæ tumulati sunt. Per eadem tempora extitit quintus Felix genere Scyllitanus Cucufati concivis, & socius: qui in Gerunda Taraconensis Hispaniæ urbe martyr obiit: quinetiam per eadem tempora Diocletiani fuit Sextus Felix Tubizacensis episcopus; is Roma Nolam missus est omni interdictus cibo ab compede etiam vinctus (nave n. vectus est) qui quum primum Nolam deductus est, à præfecto urbis capite mulctatus est, idque XVIIII. Kal. Februarias. Horum itaque sex divorum duo corpora Nolæ habentur. Verum quum Junior ille in templo obierit, atque illic sepultus sit, antiquumque testimonium dicentium doceat in sacello subterraneo, quod sub choro basilicæ est, manere divi Felicis corpus; censendum est, Juniorem Felicem illic esse. Atque ea re basilicam Episcopi templum Jovis fuisse licet conjectari. Nanque ille pacem populo dedit factis sacris in tem-

Digitized by Google

templo, quod primum urbis fuisse consentaneum est; primum autem tum templum primo deorum, qui Jovis erat, sacrum fuisse, nemo ambigit. Corpus vero Felicis episcopi, ac martyris ignoratur ubi nam sit. In quo si conjecturali ratione rem liceat diiudicare, arbitrandum est, huius corpus in eodem sacello cum Felice Juniore tumulatum esse, vulgo n. & dicitur, & creditur Felix martyr illic esse. Quinetiam quoniam junior Felix in cœmeterio deturbarat vatem Apollinis, eratque hoc ipsum quoque facinus magnum cæremoniis illustrandum: Felix vero martyr XVIIII. K. Februarias obiverat; eadem dies quasi facta societate utrorumque festivitate celebratur in cœmeterio, illic n. ea die multæ cærimoniæ aguntur, accedentibus universo Nolano po, atque circumpositis oppidanis, diem testantibus, & in memoriam revocantibus concursum populorum, qui ea die factus est, qua diruta est Apollinis imago, Templum autem duplex, quod in sectione emporii est, duobus etiam divis videtur esse dicatum, Namque à cærimoniis, quæ XVII. Kal. Decembres aguntur illic, dicatio arguitur Felici pontifici, ac martyri; at vero quod eadem die etiam sacellum, quod sub choro magnæ basilicæ est, ornatur, ac in eo cæremoniæ facitantur, videtur esse templum Felicis Junioris, aut Episcopi martyris, qui sub choro tumulati sunt. Quod si non ob eandem martyrii rationem (nam in utrisque de martyribus dicitur) fit ut in duobus fanis eadem die eædem cæremoniæ habeantur: erit ut templi dupliçis pars subterranea sit sacellum Felicis Episcopi martyris, superna vero Felicis pontificis, ac martyris, cui à Nolanis etiam erectum est fanum atque dicatum; quanquam Nolæ non sit aut mortuus, aut sepultus (cum qua sententia concors esse videtur in epistola Paulinus, qui basilicam, quæ erat, ubi nunc est chorus episcopii, ad Felicem confessorem, id est, juniorem retulit) aut pars subterranea dicata est Felici sacerdoti martyri fratri majori natu Felicis junioris, superna vero Felici pontifici. Quæ sicuti compliçata sunt, ita quoque antiquula pictura, quæ in duobus parietibus atrii basilicæ superioris spectatur, composita est è facinoribus miris, atque suppliciis diversorum divorum, non unius Felicis. Illud quoque ex prædictis claret, neminem eorum divorum Nolanum genere fuisse; junior vero Felix Nolanus vocatus est, quod XII. annis Nolæ vixit, ac Nolæ obivit, Nolæque sepultus habetur, atque ob hunc unum tum ei, tum pluribus cognominibus divis cæremoniæ, ac sacella Nolæ increvere adeo, ut solorum Nolanorum videantur credanturque esse divi Felices. Est insuper fanum *domino Jesu* dicatum ædes; sola est sine cella, sed turrem campanariam habet. Idem spectat ab occasu verno aream eandem, quæ ante basilicam divi Francisci patet; regitur autem à vespillonibus multis, qui nunquam mendicis locum dedere: quosque imitati vespillones divi Joannis Baptistæ, mendicis ostia clauserunt; namque illos in quædam habitacula, quæ basiliçæ hærent, excipiebant. Hæc sunt clariora urbis sacella fanave: præter hæc etiam plura alia sunt ignobilia, quæ passim in urbe erecta sunt, quorum, & si aliquorum meminimus enarrando vias, cætera referre non opus est. Illud potius meminisse decet, multum in urbe numerum basilicarum atque sacellorum nonnisi multum studium Nolanorum erga divinas cæremonias testari: idque non modo orando, sacraque audiendo; sed etiam efferendo funera, mendiçosque domo, lecto, & alimentis excipiendo. Qui mores à Felice juniore atque Paulino urbis episcopo introducti esse videntur. Quippe quod Paulinus non solum sua pauperibus licenter, ac mendicis largiebatur, verumetiam pro liberando redimendoque vidue filio, sese in perpetua servitia intrusit, ac dedidit.

QUA RATIONE IN URBE præsente sint subterranea cavave sacella,

CAP. XIV.

IN superioribus sæpe numero dictum est, in basilica majore, atque sub choro sacellum esse subterraneum: item basilicam Apostolorum ad multos pedes depressam in humum: sacellum etiam infernum divi Felicis subterraneum spectari: id inquam, mirum quibusdam videri posset in urbe campestri, præsertim quum solum aliarum basilicarum, atque urbis ipsius, & agrorum æquum omne esse ubique lex comperiatur, sed miri nihil erit, si vetustati hoc ipsum referatur; qua hæc quoque in solo æqua erant cum urbe, & agris; referaturque fabricis urbicis, agrorumque incrementis, solum enim urbis altius redactum est ex fabricis, atque ruinis, multisque aliis, quæ in urbem ad continuum vitæ usum commodumque invecta sunt; hæc enim tantum illa loca pavimentaque templorum adaugere potuerunt, quantum vias, & domos implevernnt; si quando domus aliquæ etiam nunc demissius solum occupant, aliquæ quoque viæ sunt demissioribus sedibus prius fuisse, deinde ab ædificiis, & ruinis repletæ æquataeque sunt viarum solo, uti nos pleraque vidimus. Sed tamen nemo passus est, quoad fieri potuit, ut pavimenta templorum obruerentur omnia, aut ea, quæ magis videbantur populo veneranda. Quamobrem depressa, ut erant, semper servata sunt. Agros quoque altiores cotidiè redditos esse, necesse est, quod à tribus lateribus sunt circundati montibus, è quis multa materia devolvitur excussa depulsaque à pluviis, à ventis, à tonitribus, à terræmotibus. In quo illud nosse operæ precium est, non solum agros augeri, sed etiam aquas certis temporum intervallis in altiore, vel alveo fluere, vel strato fundove jacere; limo enim tenuissimo, vel confluente, vel incidente fundum aquæ, assiduè excrescit, tolliturque; quam rem apertè cernere licet in Padolimum fluxu multum trahente: qui non inter ripas, inter margines aggeresque fluit, inter quos alveus

fluvii

fluminis longe altior est, quàm agrorum solum utrinque adiacentium. Aquæductus quoque, & rivi omnes nisi expurgentur statis temporibus, aut à cursu, & impetu proprio, aut à manu hominum, obstruuntur, ac impediuntur. Proinde quo nunc solum urbis abest ab aqua puteorum (nam altius est plurimum XXV. pedibus) eo tum altius erat solum subterraneorum horum locorum quam puteorum aqua. Quod si solum aquæ auctum sit, horum verò sacellorum pavimenta aucta nusquam sint: nihil mirum etiam esse debet, si sacellorum pavimenta tam vicina aquæ nunc sint; aqua enim ipso inferior est octo fere pedibus: subter enim fundum aqua excrevit, solo sacellorum nihil super crescente; compertum itaque esse remur, ea sacra loca cæteris vetustate præstare, inque eis templa priscis extitisse temporibus.

QUÆ SIT FIGURA ÆDIUM præsentis urbis, & qualiter earum partes se habeant.

CAP. XV.

QUa figura quove modo antiquorum ædes se habuerint Nolanorum, nulla earum in præsentiarum extante, ignoramus. Ne igitur posteritas aliquando idem desideret, cognoscereque nequeat: placet hoc in loco illas illarumque partes scribendo repræsentare. Ædium itaque species aut quatriquetra conspicitur, aut, quod frequentissimum est, oblongior quam lata patet; ædium quinetiam ita habentium quædam ac perquam paucæ inveniuntur, quæ carent cavædio; quædam verò atque quàm plurimæ reperiuntur cavædium continentes. Quæ verò cavædium amplectuntur, illæ frequentius unum latus ejus attingunt: multæ tamen sunt, quæ binis illud lateribus ambiunt: quædam, quæ ternis: rarissimæ omnium offenduntur, quæ undequaque cavædium cingant. Domus autem partes, ædiumve, quæ magno interstitio separantur, sunt hæ: atrium, cella vinaria, equile, conclave, cubiculum, porticus superior, bibliotheca, penus, navis, turris, cavædium, atque horti. *Atrium* locus est in solo ipso sedibusque domus, in quem primum per januam de via excipiuntur intrantes, hoc sæpius protenditur adusque cavædium; ut lucidius sit, atque ad introducenda utensilia expeditius, idem latitudinis minimæ est decem pedum: maximæ vero XXV. altitudinis verò XVI. aut plurium, itaut usque ad XXXII. pedes interdum tollatur, quousque contignationem primam subierit; est autem latius quam janua, hæc enim ampla est pedibus quinque aut pluribus (nam usque ad XII. pedes dilatatur) alta verò tantundem cum semisse, aut triente, aut quadrante. Contignatio vero atrij frequentissime ex tignis constat, raro testudine tegitur, solum vero pavimento stratum est: quod ex calce & paruis pumicibus, quos *lapillos* vocant, ac pauca arena conficitur, quod lithostratum seu pumicistratum volentes dicere Nolani, *astracum* dicunt, verbum Græcum sequentes; pumiculi verò hi tum in agro Nolano fodiuntur, quum altius fuerit excavatum, tum in radicibus Gecalæ collis occiduis, ubi quoque arena præstantissima abundè comperitur; quæ argumento sunt, eorum collium imas sedes magna ex parte arenosas pumiculosasque esse, non argilleas, atque aquarum sustentatrices: atrium demum hoc *porticum* vulgò appellant. In eodem etiam solo *equile*, quam *stallam* vocant, ædificatur; locus oblongius porrectus est, in quo equi mulique ad equitandum vehendumque curantur. Est *cella vinaria* oblongior quoque, quod etiam *cellarium*, verbis illis corruptis in unum hoc ipsum, vocant; in ea servantur vina doliis ligneis recondita; sunt autem ejusmodi dolia vasa rotunda, duabusque partibus inter quas porriguntur, compressa, duploque longiora quam lata, longa verò sunt, quantum homo tendere potest brachia: media in parte parum extumida. Structura ex tabellis castaninis, interdum quernis, tantundem longis, palmo latis, digito altis ad unguem commissis, atque utrinque à plurimis circulis ligneis arctantibus perficitur. Quin utraque frons aut cornu dicas, orbe ex compactis asseribus tabulato clausa est, quem orbem *tympanum* appellant, quod speciem tympani præ se fert; in media vero dolii longitudine foramen ad amplitudinem mali terebratur, per quod impletur vas: illudque *cavonem* nuncupant, quod dolio fabricato cavatur. Quin etiam in altero cornu tympanove tria duove foramina parva faciunt, ut in uno eorum insito canaliculo vinum (ut lubet) hauriatur, hoc ipsum vas *bottem* vocant sectantes vocem Græcam, hoc est, magnum conceptaculum. *Βου* namque magnitudinem vult significare: *θηκη* verò id, quod rem impositam ambiendo capit, ex quibus compositum est *βουθηκη* butheca; à quo verbo abscissa ultima remansit *buthe*, & *bothe*, & *botte* mutatione literarum atque pronunciantis asperitate. Atrio autem frequentius equile hæret quam cella vinaria, hæc enim strepitus odit, qui & in atrio & in via fiunt sæpissime. Super his autem aulis inferioribus prima sternitur contignatio ex trabibus castaninis constructa: raro enim infernæ domus partes testudine operiuntur. Equile quinimmo caret pavimento: cella vero creberrimum pavimentatur: atque in quibusdam cellis etiam fovea ad magnitudinem dolij fit, quæ pavimento incrustatur; hisce vero partibus cavædium adiacet, in quo plurimum puteus coronatur: is pluviarum aquarum nihil suscipit, nam ad eam, quæ suapte natura ac subterranea scatet, descendit. Post cavædium patent horti paruo duntaxat pariete excluli à cavædio, interdum pars domus inter cavædium hortosque interiacet. In eodem quinetiam solo frequentius & furnus & lavacrum: quod *cantarum panorum* vocant, ædificatur. Ab atrio præterea cavædiove scalarum gradibus ascenditur supra primam contignationem, quod *solarium primum* nuncupant; in hac frequenter conclave & cubicula sociata struuntur: *conclave* autem

tem vel Græce dicas triclinium, *salam* Nolani vocant à saltando. Nam in ea saltare solent, vel quum nuptiæ fiunt, vel quum convivia parantur; locus est longior duplo, quàm latus: in altum vero tollitur, quantum est latus. Solet imminere viæ, atque ab eo latere fenestris duabus magnis aperiri, unde quæ fiant in via (ut lubet) spectarent; hærent conclavi cubicula, quas *cameras* appellant; hæc laudatissima sunt quæ exacte quadrata figura cernuntur; latera enim singula ad XXXII. pedes extendi solent, singula autem cubicula singulis alterisve fenestris illustrantur, fenestrarum altitudo est sex pedum, latitudo trium. Quarum podium non altius tollitur quàm ut ad cingulum nostrum pertingat; conclavis vero fenestræ multo sunt majores quam cubiculorum, interdum cubicula non omnia conclavi hærent, sed eorum unum solummodo: cui cætera deinceps sunt adiecta, ab eoque ad reliqua transit, quæ aut serie diriguntur, aut primo cuncta hærent cubiculo. Habet conclave caminum magnum cum foco; cubiculum verò hæc eadem, sed dimidio minora. Hæret quoque conclavi *bibliotheca*, locus est cubiculo minor; interdum æqualis: in eo libri in pluteis pendentibus, parietive affixis panduntur; hic contemplatur, literarijsque rebus incumbitur, tractaturque, quod *studium* vocant. Interdum etiam hæret conclavi *porticus superior*, hujus aut duo latera arcus sunt, duntaxat insidentes super pilis columellisve, aut unum latus adapertum est uno duobusve arcubus, quam *logiettam*, hoc est, *scenulam*, vocant: quod in ea sedentes sub umbra λόγον, id est, sermonem serere solent, & colloqui; tegi consuevit ea porticus contignatione laquearibus pulcris ornata: raro vero testudine picta. usus hujus etiam est ad captandum lucidiorem amplioremque aeris prospectum, atque auras excipiendas; ædificatur quoque in hac prima contignatione *cænuina*. Illud tamen referre oportet: nam in quibusdam ædibus sunt cœnationes solummodo, in plurimis vero cœnacula & cœnationes, ubi & amplitudo soli, & animus magnus, atque divitiæ consenserint, quemadmodum ab horum contrarijs contingit, ut in ædibus pleraque ex hisce desint. Vicina quinetiam conclavi manet *penuaria cella*; quæ sæpius in cœnatione statuitur, quam *dispensam* vocant. Prima autem contignatio orditur ex trabibus castaninis passim super duobus parietibus sitis, atque ex transverso asseribus coassatis confixisque, atque his injecto pavimento pumiciatato teguntur conclave, cubicula, cæteraque, quæ super contignatione erecta sunt, ab altera contignatione, quæ inferiori similis edi solet; interdum vero ex trabibus ac asseribus absque pavimentatione construitur: super qua plurimum unus atque indistinctus locus patet, qui super cœnaculis exurgentes etiam habet parietes cum crebris ac parvis fenestris; cooperitur vero hoc supremum spacium, à pectinato tecto: interdum à semifastigiato, ac imbricibus injurias cœli defendentibus. Usui autem hic locus Nolanis est ad stipandas servandasque maxime avellanas, quarum ingens nunc hisce copia nascitur; appellant hunc locum *navem* domus, à similitudine longæ navis, quæ pectinato tegmento solet operiri, à Nolanis verò nuncupatur verbo Græco *magacenum avellanarum*. μεγάκενον enim Latini interpretantur magnum vacuum, est enim hic locus magnus vacuusque ubi merces multæ stipari atque servari possunt. Turris autem rara in ædibus Nolanis extat: sicuti rara pavimenta subdialia, his enim aliqui cives loco tecti utuntur. At vero tertia contignatio omnium rarissima in ædibus Nolanis reperitur; fabricæ autem Nolanæ non latericiæ, tophaceæ sunt omnes, ex cœmentis enim topheis arena, calceque corrupta conficiuntur. Numerus ædium Nolanarum omnium, quæque in urbe nunc sunt, ad septies centum censetur, sunt insuper ædes ejusmodi semotæ à tabernarum locis; quod factum est honestioris vitæ causa; non enim decens esse dicunt, ut in eo loco & matronæ & puellæ inhabitent, in quo omnis est virorum consuetudo. Namque tabernæ ac meritoriæ domus sitæ sunt in media urbe circa porticum, circa emporium, circa forum frumentarium, circa insulam basilicæ; cæterum vero urbis solum ædes occupavere. Quamobrem virorum omnis congressus & exercitium interdiu agitur in tabernis, & in earum vijs: noctu vero quisque ubi serayit tabernam, suas ad ædes se confert. Ea vero loca, quæ supra tabernas manent aut megacena sunt, non hominum habitationes; aut diversoriarum domorum triclinia cubiculaque; atque prætoris est, noctu custodire tabernarum solitudinem, circa eas assiduas excubias faciens.

QUI FUERINT, QUI ædificando benemeriti sunt de urbe Nola.

CAP. XVI.

OPeræ pretium erit hoc postulante loco, ea referre, quæ a suis autoribus in urbe edita ac ædificata sunt; quique illi fuerint, declarare; idque quantum aut scriptores, aut inscriptiones, aut relatio, aut præsentia ipsa facti præstare docereque possunt. *Tiberius* igitur *Cæsar* templum Augusto erexisse legitur. *Nicola Vrsinus* Pyrrhi pater cœnobium divi Franciſci, atque divæ Claræ, atque Collegium virginum condidit: in media vero urbe porticum fundavit. Arcem alij ad *Ladislaum* regem, alij ad *Pyrrhum Vrsinum* Nicolæ filium referunt. *Raimundus Vrsinus* Pyrrhi filius promurale cum erismatis fecit; *idem* semiturrem, quem umbonem vocavimus, ante ostium arcis externum construxit; omnes quinetiam vias, quas silice stratas esse monstravimus, ab eo plantatas esse, atque extra urbem in clivo ipso collis Gecalæ occiduo, basilicam cum cœnobio erexit, Divoque Angelo dicavit. *Vrsus Vrsinus* nostra tempestate regiam instaurare magnificentius aggressus dimidiatum opus expedivit. Namque morte præreptus ædificium

Digitized by Google

cium imperfectum reliquit, *Idem* aream, quem *Mercatum* appellari monuimus, ampliorem apertioremque atque ſpecie quatriquetra reddidit. Carnarium quoque, quod ſuperioribus temporibus in hac area exercebatur, amovit, illudque incluſit in angiportu, qui à via Portelli divertitur, ut dictum eſt. Emporium quinetiam, quod antea arctiſſimum ac vetuſtate nutans erat, inſtaurans amplificavit. Baſilica Epiſcopij incepta eſt à *Raimundo Vrſino* memorato: finita vero eſt ab Vrſo atque Epiſcopo Nolano *Joanne Antonio Tarentino*. Chorhoſpitæ baſilicæ fabricatæ ſunt ab hoc ipſo *Joanne Antonio* Epiſcopo, à quo epiſcopale palatium etiam inſtauratum magna ex parte fuit, atque aptius diſtinctum. Palatium, quod in medio plano Palmæ extat, conditum eſt à *Nicola Vrſino* Petiliani Nolæque regulo avoque tuo, in quo Ferdinandus primum, deinde Federicus ejus filius reges incolebant, quum eo ad aucupium milviorum rapaciumque avium certamen ſpectandum ſe contuliſſent. *Gentilis Vrſinus* pater tuus columnas earumque coronas & ſpiras, item latera cuncta pavimentumque ac teſtudines omnes ſacelli Beati Felicis, quod ſub choro obſtruſum eſt, lævigatis aſſeribus quernis concinne contexit, ac ſacelli ejuſdem totum parietem, qui ſupra altare extat, ſigno marmoreo eleganti adornavit. In quo principe animus magnus erat illuſtrandi mire factis urbem Nolam adeo, ut frequens ab ejus ore verbum audiretur, ſe omnes de urbe benemeritos ſuperaturum, quod feciſſet profecto, ni ab inchoata juvenilitate febris iniquiſſima virum tantum evulliſſet. Baſilicam divi Joannis Baptiſtæ atque domini Jeſu ſui cujuſque *veſpillones* tum ære collato, tum legato extruxere. Idem cœnobium ſanumque divi Angeli, quod ut monitum eſt, in Gecalæ jugo erectum eſt, partim amplificavit, partim elegantius atque commodius reddidit induſtria, ſtudio, & auctoritate ſua *Joannes Infantius* concionator divinorum. Quinetiam omnem clivum, qui ante templum ipſum ac monaſterium aſſurgit, ductis arcubus atque teſtudinibus piliſque oportunis fundatis adeo affabre contexit, ut ab ima ejus collis radice gradus rectos longoſque exciperet deinceps exurgentes, quo uſque aream, quæ ante templum & monaſterium eſt, ſcanderent; opus magnum pulchrumque, atque aſcendentibus facillimum ſternens iter, atque veluti eriſma firmiſſimum jugo ſuppoſitum eſt, quo, ne fanum cœnobiumque labante clivo ruinam faciant, tutiſſimè ſuſtentantur.

QUAE FORA, ET QUIBUS in locis pateant, atque quæ res in eis tractentur.

CAP. XVII.

LOcus jam ab his datus eſt, ut pauca de *foris* referantur, fora namque complura exercentur: quorum unum eſt *boarium*, quod extra Portellum ampliſſime patet, in quo armenta, greges, & animalia omne genus venduntur: idque Mercurij quaque die, quæ octava quæque eſt. Namque pridie diem Mercurij illucet Martis dies: ac pridie Martis eſt Lunæ dies, pridie item Lunæ Solis dies illuceſcit, quæ etiam Dominica nuncupatur, eſtque ſemper dies feſtus nefaſtuſque; at dies poſtera Mercurij, Jovis dies eſt, & hujus poſtera eſt Veneris, atque poſt hanc eſt dies Saturni, quod Sabbatum vocant. Alterum autem forum eſt *farinarium*: quod emporium & docana eſt; verum in hoc ipſo non farina ſolum, ſed etiam caſeus, oleum, cera, lana, panni, coria, ac pleraque alia venduntur: idque non paulatim libratimque, ſed ſummatim; hæc omnia Mercuriana die præſertim à circumpoſitis oppidis apportantur, venduntur que, farina vero die Lunæ atque Veneris quoque invecta foro divenditur. Eſt tertium forum *frumentarium* in conſpectu baſilicæ, quem *Mercatum* appellant: in quo Mercurij die frumentum omne genus venditur, & legumina, & poma, & linum, & quæcunque à domo ruſtica ciſtis aſportare in urbem poſſunt paganæ mulieres. In hoc autem foro ſpira magna quædam marmorea ſita eſt, ſuper qua trabs etiam marmorea quadrilateraque tranſverſa jacet, qua in trabe excavata ſunt omnia menſurarum publicarum genera: ut vini, frumentorum, avellanarum, cæterorumque pomorum; ut omnes harum rerum menſuræ, quæ ex alia materia fabre fiunt, tum probarentur, cum hiſce illas æquas eſſe magiſtratus compererit, olei namque menſuræ à pondere non à vaſis capacitate accipiunt emendationem. Quinetiam ab alterutro trabis ejuſdem cornu magna catena pendet, qua collare ferreum ultimo ligatur; hic fontes quidam citra dolorem corporis dant pœnas, ſiquidem nudi atque eo vincti collari exponuntur conſpectui & maledictis omnium, qui ea die mercandi cauſa Nolam ſe conferunt: exacta vero vendendi hora, quæ ad inclinationem uſque ſolis prorogatur, fontes tamquam ſatis pœnarum eo pacto ſolviſſent, dimittuntur. Qui locus pœnaque *vergonia* vocatur, quod fontes aſſidue averſi faciem in humum vergunt. Eſt inſuper forum *aſſerum*, quod eadem die exercetur in area, quæ ſub baſilica patet Apoſtolorum, in quo trabes, aſſeres, ac ſimilia nova lignorum rudera venduntur. Forum quinetiam *cupedinis* patet, ſed quod in duobus urbis locis atque cotidie habetur, alterum n. ad ſacellum divi Paulini, quod Hoſpitale etiam, appellatum eſt: alterum prope emporium frequentatur; in his manent cupedinarij omnis generis, ac omnia, quæ eſu apta ſunt, venduntur, exceptis piſce ac viſcere. Eſt *laniena* eo in loco, quem diximus, atque in eodem forum *piſcarium* etiam ſtatutum eſt. Artes vero utenſilium in officinis taberniſque, quas *apothecas* appellant, exercentur, quæ circa ea fora paſſim adiacent, ut dictum eſt. Lupanari vero, quod tanquam proſtituentium puellarum forum eſt, locus nullus deſcriptus eſt, meretriculis n. conceſſum eſt, ut in diverſorijs domibus ſolummodo ſe proſtituant, ſuique corporis operam illic, ut lubet, divendant.

DE

DE NOLA

LIBER TERTIUS.

DE SACRIS, INITIATIS, ET dignitatibus; ac proventu eorum: item de Beginis, & Vespillonibus Nolanis.

CAP. I.

SUPERIORE Volumine præsentis urbis forma structuraque omnis atque locorum viarumque descriptio, quinetiam ages ac ejus partes explicatæ sunt exacte; In hoc autem tertio quem mox exaraturi sumus libello referentur cives; atque eorum mores & actiones: cives inquam tam profani, quam sacris initiati & addicti: item tam principes præsulesque quam qui hisce reguntur, hisque obnoxij sunt. Verum prius de sacris initiis: posterius de profanis enarrabimus. Sunt igitur sacerdotum Nolanorum alii episcopales, quos *clericos presbyterosque* vocant: alij cœnobitæ, quorum hosce *monachos & fratres*, fœminas vero *monachas* appellant, clericorum autem alij sunt conscripti statutique in officio quoad vixerint: nonnulli vero extraordinarij vagantur; statuti vero sacerdotes hi sunt, qui in chorhospitis sedent: quique omnes duo sunt atque xxx. Quorum xx. *canonici*: duodecim vero *numerales* appellantur; canonici sedent in chorhospitis superioribus, deni quidem in ordine dextro, ac deni in sinistro: numerales vero in sedibus inferioribus sessitant, seni in latere dextro, atque seni in latere lævo. Atque sicuti canonici sede excellunt numerales: ita quoque in quavis re participanda præferuntur. Quamobrem majores partes capiunt & proventuum & rerum cæterarum, quæ demunui conditione ad eos accesserint. Canonicorum quinetiam quatuor sunt dignitates. *Archidiaconus*, *Thesaurarius*, *Decanus*, & *Cantor*. Quorum Decanus & Cantor primi sedent in ordine sedium dextrarum: Archidiaconus vero ac Thesaurarius a latere Episcopi in ordine lævo; harum dignitatum quælibet semel concessa nunquam tollitur, nisi possessor renunciaverit episcopo; tum igitur alter loco renunciantis tanquam defuncti adscribitur ac admittitur: sed tamen in locum canonici tam absque dignitate prædictarum aliqua dignitatum ornati, adscribitur vel unus è numeralibus, vel aliquis qui extra omnem ordinem episcopii manserit: vel etiam canonicus ad aliquam earum dignitatem attollitur. Ad numeralis vero sacerdotis locum, ubi mortem cum vita commutarit, solummodo recipiuntur, qui extraordinarij sunt; hac enim spe plerique sacris initiati & diaconi gratuito templo serviunt: quorum nemo aut canonicus est aut numeralis, qui & si nihil rerum clericalium participant, alunt se tamen lucellis, quæ orationes faciendo colligunt, atque parvis aliis vectigalibus, quæ ab extraordinariis sacellis, in quibus sacra agunt, capiunt. Quinetiam præter eas personas etiam eligitur Sacrarius, quem *Sacristanum* vocant: qui unus è numeralibus computatur. Sed ea dignitas non est illi perennis; mutatur enim ab Episcopo, quum mutandi necessitas aut voluntas aderit: præter hosce sunt duo *procuratores*, atque *quæstores*: quorum alter è canonicis, alter è numeralibus designatur. Neque ejusmodi quæstura perpetua manet: quotannis enim quæstores designantur. Episcopus autem, qui omnium Dominus est, primus sedet in choro ac in ordine sedium lævo superiore. Namque sedem primam, quæ in ordine dextro est, regulo concessit. Episcopus quinetiam in ædibus habitat, quæ basilicæ conterminæ structæ sunt: canonici vero atque cæteri omnes clerici, suæ quisque (ut lubet) domi; sacrarius autem solummodo cum ministris ejus assiduo in templo præsens est, ac in aula sacraria corpus curat. Namque diluculo primum campana pulsata citantur clerici omnes ad matutinas orationes: inclinante vero ad occasum sole iterum campana revocantur ad orationes vespertinas. Nec aliis horis ad templum clerici se conferre coguntur. Proventus autem tam Episcopi quam Cleri colliguntur ex agris, aut domibus taberniſve locatis aut tributariis: quarum possessioni succedere legatis & testamento defunctorum. Verum tamen separata est possessio ac reditus locorum episcopi ab ea, quæ est cleri. Quamobrem proventus cleri in status suos sacerdotes dividuntur eo pacto, quo singuli canonici tricenis senis aureis quotannis impertiantur: numerales vero vicenis quaternis. Nam præter hosce proventus, quilibet eorum alios habet redditus ex aliis extra ordinem possessis sacellis. Episcopi vero annalis proventus ad octingentos aureos consummatur; aureus autem atque argenteus pondere pares sunt, sed censu differunt. Namque aureo decem argentei æquum censum faciunt: quamobrem aureus etiam *decatus* appellatus est, quod decies argenteo valeat. Cœnobitæ autem distinguntur; nam alij sunt monachi sectantes beati Augustini statuta, qui in monasterio vivunt, quod beati Paulini fano hæret; alii vero beati Francisci ordines ac præcepta subeuntes vitamque agentes in cœnobiis duobus, quorum alterum est intra Nolam in angulo, qui est sub Turre Quinquepontarum, alterum in jugo Gecalæ collis. Verum hi nudos pedes soccullis & soleis duntaxat ligneis muniunt, atque interulam pilis asperis confectam assidue indutam gerunt, linea omnia tam vestiendo quam dormiendo fugientes; quamobrem *Observantes* appellantur; Illi vero & lineas interulas induunt, & in lecto linea sternunt, atque caligas laneas, & calceos crepidasque, quæ è subere corioque consuuntur, admittunt: *Conventualesque* vocantur. Omnes, qui prædicti sunt, ostiatim in urbe mendicant: sed Augustinenses atque Franciscani conventuales, præter prædicamenta, etiam vectigalia ex agris ac domibus, & tabernis colligunt: Observantes vero solis munusculis atque petitis mendicatisque alunt se, possessionibus quibuscunque non solum redditibus abrenunciantes. Cœnobitæ autem, fœmi-

fœminæ omnes virgines sunt; atque tria intra urbem cœnobia habent. Nam aliæ in monasterio clausæ sunt, quod collegium appellari dictum est; aliæ in cœnobio divæ Claræ; Item in sancti Spiritus conventu aliæ. Alpntur omnes redditibus atque lucellis, quæ fuendo filandoque faciunt. Nec ulla in cœnobium prius admittitur, quam decentem pecuniæ quantitatem, tanquam dotem ferat, cœnobioque largiatur. Sex itaque Nolana cœnobia sunt. Verumtamen ut in monasteriis marium cœnobitæ perpauci sunt Nolani: ita fœminæ cœnobitæ maxima ex parte de familiis Nolanis sunt exceptæ; pauciſſimæ enim externæ admittuntur. Quod eo factum est, namque monachi fere quotannis cœnobium mutant: fœminæ vero non solum non mutant monasterium, sed quod semel intraverunt, nusquam ab eo proficiscuntur foras. Sunt præter hosce umbræ quædam initiatorum veluti *beginæ*, seu ut aliis placet dicere, *beguæ*, quos Nolani *bizogas* vocant; atque veluti sunt vespillones, quos *confratres* appellant. Nanque beginæ sive mares sive fœminæ sint, non includuntur; domi enim quisque suæ vitam agit, atque ut profani consuetudinem ineunt; videntur tamen initiati; quod ex eodem panno indumentis similibusque prope figura iis, quibus sacerdotes utuntur, atque statis quibusdam horis ad fanum accedunt veluti sacerdotes, statasque quasdam orationes faciunt; item institutiones & leges observant, quas potissimum à cœnobitis divi Francisci accipiunt; hos enim tanquam magistros audiunt & venerantur, atque ad eorum fana maxime oraturi accedunt. Vespillones autem ut fanum proprium habent, ita ab orandi temporibus statis, atque observandis aliorum sacerdotum præceptis se vendicaverunt. Namque profani prorsus sunt; umbræ vero videntur initiatorum, quod curam quandam subeunt regendi basilicam, quam collato ære construxerunt, atque efferendorum funerum. Adhæc se vinculo jurisjurandi mutuo astrinxere ita, ut æque confratres se colerent ac adjuvarent. Quamobrem conventus eorum, & veluti familia numerosa appellata est *fratraria*. Quinetiam tam hi, quam beginæ nihil rerum proventumque, quod ad fana spectaret, attingunt, inque proprium usum aut alimentum abducunt; sed potius contra de suo assidue penu sacroque erga basilicam atque sacerdotes, quos sequuntur, aliquid effundunt atque conferunt.

DE SACELLIS, SEPULCRIS, QUE PRIVIS; DEQUE FUNERIBUS ATQUE EIS, QUÆ CIRCA FUNERA TRACTANTUR À NOLANIS.

CAP. II.

INcrebuit tempestate tam superiore quam nostra, ut sicuti in urbe quisque sibi domum condidit, in qua cum familia bene ageret atque viveret; ita quoque contendat extruere sacellum cum sepultura, in qua mortuus humaretur honeste cum suis. Neque ejusmodi sacellum sepulcrumque extruitur extra urbem secundum celebres vias, ut viatoribus nomina magna potentium ostentarentur in marmore incisa candido, veluti priscis seculis consuetum fuit; Neque in excavatis in monte verrucave aliqua magnis concameratisque cuniculis, quæ aliquanto tractu semota sint ab urbe, incavantur sepulcra singulis defunctis, quæ sicuti capsæ longa serie ac sibi hærentes ordinatæ, tum in dextro tum in lævo cuniculi latere soloque calle, qui in medio est cuniculo relictus, discriminante structa spectantur. Quamobrem in visceribus montis terræve facta esset veluti civitas defunctorum, atque tanquam per vicinias, ita per cuniculos tumulatorum foretur; quemadmodum ætas, quæ secuta est illam priscam, fecisse comperta est; utque Neapoli, atque Syracusis ejusmodi mortuorum civitates excavatas etiam nunc est cernere; quanquam neque tempestate nostra, neque longis anteactis temporibus quisquam in eis conditus sit. Verum nostrates sacella privata, quæ *capellas* vocant, (hoc est ædes parum capientes) in basilicis magnis urbis non in cuniculis struunt; ut in episcopio, in sancti Apostolis, in basilica divi Francisci ac cæteris; quasi defunctos sacris initiatos minus deceat, nisi in locis sacris jacere. Sacellum igitur parieti basilicæ hærens extrinsecus latum ad octo, decemve pedes, nanque sacris utrimque duabus semipilis in pariete pilæ arcus superincurvatur, qui à solo extat ad XII. pedes. Quinetiam erigunturduæ columellæ singulæ ante singulas semipilas: super quibus testudo vertitur ita, ut cum arco prædicto eandem faciat cameration em, deinde super testudine opus fastigiatur in sigilla imagunculasque vel virorum vel foliorum apte se complicantium. In medio vero sacello ara extat longitudine trium, latitudine quatuor pedum, hærens etiam parieti, super qua fiunt sacrificia & divinæ rogationes quædam, quas *missas* vocant; super ara vero tabula magna erigitur, quæ parietem, quem à tergo habet, omnem fere tegit; in hac frequentius picta est Dei mater sinu gerens JESUM Dominum infantem; atque a latere utroque divæ matris pinguntur Divorum imagines, quos sacelli dominus maxime colit. Hanc tabulam Græco verbo *econam* vocant; in aliquibus vero sacellis non tabula est, sed in pariete ipso eædem picturæ conspicantur; tegitur itaque econa & ara atque sacerdos, quum sacra in ea facit, à testudinis camerat ione; sub ara vero fossa alta ad XVI. pedes cavatur, lata ad VIII. longa ad X. crismatis undique firmata, atque subterranea quoque testudine operitur; fossæ ostium quadratum est, lateriſque trinum pedum, quod clauditur à mensula marmorea; estque hoc ipsum ostium ante aram; lapis autem tegens interdum protensus est ad hominis magnitudinem, latus vero pedes tres; atque insculptus in eo esse solet sacelli dominus, atque circa ejus imaginem, nomen etiam & laudes inciduntur, idque tum præsertim fit, quum vir fuerit virtute præstanti; hoc itaque modo se habent sepulcrum domus

que

que defunctorum atque sacellum. Quum igitur quisquam civium egregius mortem cum vita commutarit, etiam biduo defunctus continetur domi, frequenter die una: pridie vero quam exequiæ agantur, ad primas faces campana maxima pulsatur, prius quidem in episcopii campanaria turre, atque quam vehementissime percuti potest, ut sonus sit terribilior, ac tanquam pro mortuo clamores etiam campana mittere videatur: pulsaturque ad ducentos ictus. Post hanc pulsatur altera campana etiam maxima in campanario divi Francisci ad totidem ictus, modoque eodem utraque vicissim ter pulsatur, quum defunctus mas fuerit; namque pro fœmina semel atque iterum singulæ pulsantur. Si vero defunctus fuerit opifex, aut non ex ordine meliorum, tum campanæ hæ ad quinquagies sexagiesve ictum accipiunt: interdum non utraque sed alterutra dumtaxat ictu agitur. Quum vero qui obiit, puer infansve fuerit, campana parva pauciſque ictibus, idque in altero solum campanario auditur. Quinetiam sub diluculum posteræ diei pro primario solummodo viro campanæ eædem ut pridie tractantur: item tertio post exortum solem, atque sub ipsam funeris elationem. Defunctus vero quum domo educendus est, in capulo strato, culcitra, & lodice pulcherrima imponitur vestitus eo modo, quo preciosissime ornatus fuisset vivens; sequuntur ipsum mulieres usque ad capulum passis capillis, lugubri veste plorantes plangentesque, inter quas si qua uxor fuerit defuncti, ipsa palam resectis forfice capillis omnibus pectus mariti contegit, ac relinquit largiens, ut illos in sepulturam rem suam uxoris cariſſimam conferat, deinde osculis postremis datis lamentationibusque magnis factis evellitur à cadavere, quod amplexa tenet; plorantem illam evellunt magistri pompæ ac viri amici, postea filiolæ atque affines mulieres etiam plorantes defunctum osculantur, atque ultimis his officiis actis tollitur capulum humeris quatuor validorum juvenum vespillonum, atque effertur; mulieres sequi conantes domi retinentur ab aliis amicis: quarum numerus ingens ad id ea die accurrit. Pompa vero partim præcedit, partim sequitur funus; præcedunt enim primum libitinarii bini incedentes tacentesque; sequuntur hosce cœnobitæ: postremo sacerdotes episcopii bini quoque sed concinentes psalmos næniales; eorum vero trium generum singula præferunt altam crucem, quam veluti vexillum comitantur: atque singuli omnium ordinum horum candelam accensam gerunt; sequuntur funus primum affines pulsati omnes, iidem bini gradientes plorant: eis amici catervatim comitem præstant; vehitur funus ad basilicam sacelli sui, atque in ea media capulum demittitur, collocaturque in mediis castellaminibus. Castellamina autem ad id extruuntur hoc pacto: eriguntur quatuor tigna veluti pilæ, singula senis pedibus alta, quorum bina à reliquis distant sex denos pedes; binorum vero alterum ab altero pedibus octenis, his insident quatuor triangula ex tigillis constructa, binis tigillis singula triangula fastigiantia angulum: per eorum vero triangulorum latera omnia passim candelæ accensæ eriguntur: in angulo vero faces extant; hanc itaque structuram fabricamque lignorum ad id temporis paratam, *castellamina* vocant. Defunctus autem intra ea tenetur quousque divinæ preces, atque næniæ à sacerdotibus decantantur, atque collaudatio facta sit; siquidem interdum habetur oratio, qua defuncti mores ac vita laudantur in ipso funeris officio: interdum vero post ipsius humationem, quod magis probatum est, quò n. oratio habetur humatione posterior, eò magis à silentio & hominum oblivione veluti ad vitam defunctus revocatur, magisque amari ac desiderari videtur; contra vero quum præsente defuncto oratur, una cum eo humari ac sepeliri videtur oratio. Proinde Gentilis Albertinus juvenis magna eloquentia præditus biennio post tumulatos luculentissima oratione collaudavit Sigismundum Alfanum, atque Baldasare Judicensem. Actis itaque inferiis næniisque, primum dimittitur ab æditimis tota lugubritas, quæ comitata funus erat, ut domum redeat, illaque prius ad defunctum accedit, atque osculo dato revertitur domum versus. Deinde defunctus in arca lignea linteis solis convolutus includitur, atque in fossa sacelli sui stipatur ac tegitur. Illustrioribus vero viris atque Episcopis, & regulis arca fit excavato insculptoque marmore; quæ non in fossam demittitur, sed erectis quatuor columellis pilisve superponitur extans à terra ad sex pedes, in qua ubi defunctus situs est, tegitur altero marmore imagine defuncti effigiato, atque nomine & laudibus ejus inciso; quorum vero tanta non est vel vis vel ambitio, in fossas publicas intruduntur, quæ per reliquam basilicam sunt excavatæ, neque castellaminibus incalescunt, aut collaudationibus illustrantur. Illi vero qui occisi sunt tam repente, ut ne sacra quidem à Sacerdotibus accipere quirint, extra basilicam humantur, fit n. ligone fossa alta ad quinque sexve pedes: in qua cadaver absque pompa, & næniis delatum à paucis sola terra operitur; est autem hisce occisis sepeliendis area quædam destinata, quam ambit à meridie aula episcopii, ab ortu vero areola basilicæ divi Joannis Baptistæ: ea area quadrilatera patet, cujus singula latera sunt ad quadragenos pedes protensa, totaque sub dio, appellataque est *olsarum horti*: namque conitæ illic alias fuere oleæ, quas nos vidimus. Illud quoque referendum est: qui namque sacellum privum sibi suisque condere cupit, eum oportet non prius restruere, quam mercari locum à præfectis basilicæ, vel episcopo, vel Sacerdotibus, atque præterea opus est tradere edito sacello agrum ædesve sub dititias reditiasque, ut ex eis pecunia tanta valeat exigi, quæ justum præmium orantibus statis horis in eo Sacerdotibus esse possit; contingit quinetiam, ut ea possessio amittatur: vel quum domini familia extinguitur, vel obscuratur adeo, ut nullus hæres appareat, quamobrem iterum à præfecto venditur sacellum: interdum vero ipsum hæres vendit; emptor autem ubi factus est sacelli dominus statim tempore fossam expurgat eximens &

terram, & ossa omnium eorum, qui superiore sæculo illic sepulti fuerint, illaque pulueris extra urbem tanquam alteris exequiis efferunt, ac in viis cœnosis spargunt: ut viatoribus calcata reddant itinera sicciora; præfecti quoque basilicarum vel quum publicas foveas mundare purgareque volunt, aut novas aliquas excavare, purgamina & terræ immista ossa defunctorum eodem modo extra urbem ejiciunt, viatoribusque sternunt, ne ita ferente conditione humana sit aliquis etiam mortuis quieti locus, utque non animadvertat, inter ipsum atque terram quam pedibus calcat, nihil interesse. Postquam autem à funere æditimisque dimissi sunt filii affinesque defuncti, domum se conferunt sola amicorum turba comitante: ubi offendunt mensas magnas opipare paratas; vicini n. amicique ac affines varias optimasque dapes eo præmiserant: discumbitur à cunctis: fiunt colloquia nihil ad defunctum attinentia: sed ea, quæ tristes animos mitigent ac levent, atque interim siqui sint, qui plorent, illos consolantur ii, quibus curæ est convivium, & levamentum, nam illud, quod dici solet, servare velle, videntur, solatium in adversis; familia vero defuncti post humationem triduo biduove domi se continet: deinde ad officia quisque sua foras exit. Sed tamen pater pro filio, atque filius pro parente, item frater pro fratre, ac patruus avunculusque pro nepote, & hic pro illis annum lugubris inter homines agit, nigram pallam vestiens quæ ubi in collari vincta sit, soluta descendit usque ad talos tegens omnes corporis partes, quam *Gramaliam* vocant, verbo enim *gramum* significatu novo lucubre significatur, capitis quoque tegmen nigrum est: strophium vero quod capiti intortum gestari deberet, solutum humero pendet; barba quinetiam promittitur, capillos intonsos alit, per id quoque tempus non ridet præ viribus: non læta loquitur, auditve: nec ad ea loca accedit, in quibus aut nuptiæ celebrantur, aut sodalitia aguntur. Cæteri vero affines per tres menses, interdum duos, aliquando minus lugent. Mulieres autem domi forisque lugent; uxor quidem vidua facta perpetuo pullata est, tum nigris vestibus, tum velis capitis fuscis utens, nisi transierit ad alteras nuptias. Filiæ item defuncti aut semper, aut usque quo maritentur, nigra induunt: cæteræ vero affines aliquot menses luctum ostendunt, vittis tribus sericis nigris rubrisve, pede longis, digito latis, quæ sub velo pellucido alboque ab occipiti per verticem usque ad frontem distinctæ locis tenduntur.

DE FAMILIIS PRAESENTIS urbis egregijs.

CAP. III.

NEmo (quæso) me Nolanus accuset, si neq. de omnibus, scribens de familiis Nolanis neq; de paucis earum tanquam de illustrioribus mentionem fecerim. Nanq; si paucas duntaxat referre velim, multas alias memorandas honore suo defraudem necesse est; siquidem præter paucas etiam pleræque aliæ numerantur memoria dignæ familiæ; sin vero omnes censerem, profecto multas quoque injuria quadam afficerem: inter omnes n. pleræque sunt, quarum nomen est in obscuro quarumque qui meminerit dicendo cunctas, is indignas dignis æquas feciſſe existimatus. Eas itaque censere familias recte videor facere, quæ studiis ingenuis non artibus sordidis aut multum servitii continentibus incumbentes, alunt se: quæque vel mercaturæ studio, vel literis, vel armis utentes clarius cæteris degunt, atque ad honestum vitæ modum bene beateque vivendum cotidie attollere se summa ope nituntur. In quo nemini quoque mirum esse velim, si alicujus familiæ unum alterumque nominaverim virum egregium, atque horum causa etiam familiam exceperim enotarimque: quamvis illa tota sordida sit. Siquidem bonitatis atque virtutis munus hoc ipsum potissimum est, ut potius a viro vel modice studioso claroque familia ignobilis obscuraque possit illustrari; quum lumen virtutis viri solius valeat extingui ab obscuritate familiæ, quasi minima scintilla facilius magnas tenebras, quam tenebræ maximæ parvam scintillam vincere atque superare possint; adde nullam esse familiam etiam nobilissimam, quæ non ab uno parvoque aliquo tanquam igniculo cœperit illustrari: quod si magnæ gradus fecerunt à primis inchoantibus, nefas est, de primis non etiam sua merita commemorare. Neque hoc in loco mihi negocium est conferendi laudandique unamquanque familiam, virosque in eis præcellentes: sed ut dictum est monendi repræsentandique duntaxat posteris civibus, duos præsentium ordines esse, alterum obscurorum, clarorum alterum: ut illorum quisque possit judicare, quo pacto consentiant posteriora cum præsentibus: cernereque unde nam genus trahat: atque an receptitius sit, an indigena civis: & an à servitiis ad honestos evectus, an à claris ad servitia degenerarit, quod summopere nunc nos cupientes conferre cum præteritis præsentia, consequi non possumus; nequimus n. comparationem facere præsentium cum anteactis sæculis, de familiis n. ut de plerisque aliis rebus Nolanis nihil à quoquam relatum usquam legimus. Verumenimvero recte censuros Nolanas familias, primum omnem urbem in quatuor partes velut tribus divisam tueri oportet: quarum una continetur à pomœrio Vicancij atque via Cortefellana, quæ oritur a porta clausa procurrente adusque sectionem, quæ sub sacello beatæ Mariæ novæ sit, atque via, quæ ab hac sectione descendit adusque turrem Megaldorum: hæc enim populi pars Vicancianorum est; altera concluditur à pomœrio Cortefellano atque via procurrente a turre Megaldorum per sectionem beatæ Mariæ novæ, atque per Casale novum adusque pomœrium arcticum: quæ pars populi Cortefellana est. Tertia clauditur item à pomœrio Samuelitano, atque Casali novo a via Cortefellana, quà tenditur a sectione beatæ Mariæ adusque Porticum, atque à Vicanciana, quæ procedit à Porticu adusque emporium, demum à

ramo

ramo viæ Portelli, qui ab emporio aduſque divi Franciſci baſilicam reflectitur: quæ regio Samuelini populi eſt. Quarta pars eſt reliquum urbis, quod clauditur ab eodem ramo, eademque Vicanciana, atque via Cortefellana, quæ à Porticu protenditur uſque ad portam clauſam, atque pomerio Portelli, quæ urbis pars Portellanorum eſt. In hiſce ita factis urbis, populique partibus, tribubuſve hæ familiæ meliores tempeſtate noſtra incolere reperiuntur.

Nam in regione Portellana ſunt *Ferarii*: inter quos *Bartholomæus* jureperitus, ac *Adrianus* ejus filius etiam jureperitus, atque poeta: item *Placitus* ſcientia juris utriuſque floruere. Cenſentur *Infantii*, inter quos *Altobellus* eques acerrimus extitit, atque *Joannes* monachus concionator divini verbi: cuius induſtria ſtudioque multa addita ſunt in templo atque cœnobio divi Angeli, quod in Gecalæ jugo erectum eſt. *Antonius* quoque huius frater, quod & decanus in Epiſcopio, atque Epiſcopi Vicarius perpetuus vixit. Incolunt *Calabrii*, quorum *Hieronymus* excelluit moribus, elegantia, atque armis non modo in Campania, verum etiam apud Inſubres. Sunt *Coronæ*, quos inter *Jacobus* atque *Antonius* eius filius arte chirurga polluere. Comperiuntur *Corriales*, ex quibus *Joannes* eques micuit. Cenſentur *Boccalati*, inter quos *Marcus* Philoſophus atque medicus præcelluit. *Aloiſius* vero Marci filius atque *Joan. Paulus*, item *Pyrrhus*, & *Franciſcus* arma exercuere, & *Bernardinus* mercaturæ ſtudio pollens. Sunt *Albertini*: ex quibus *Jacobus* utriuſque juris peritia excelluit, atque Neapoli regius judex conſcriptus eſt in foro, quam Magnam curiam vocant; idem in bello Galliço, magno habitus eſt loco. Quinetiam *Gentilis* huius filius legum ſcientia, atque oratione præſtanti floret. *Symo* item *Trojanus*, ac *Joannes Antonius* ſenatores boni exiſtunt. *Angelus* quinetiam canonicus atque theſaurarius clericatus præſtat: *Felix* quoque arma exercens: *Hieronymus* vero, & *Antonius* legum ſcientia redimiti. Sunt *Fulcii*, inter quos *Hercules* muſica, & armis excellit. Præter autem hoſce familia tua *Urſinorum* fulget, quæ & ſi Romæ, ac Italia tota Illuſtriſſima eſt: ex ea tamen multos duces protulit Nola urbs, ut *Colam*, *Pyrrhumque*, qui Nolæ principes atque multorum in Umbria oppidorum domini fuere, item *Raimundum*, qui Fregellarum, quod quidam Atripaldum nunc vocant, ac Sarni Salernique non modo Nolæ princeps fuit. *Joannem Antoninm* itidem, qui Tarenti magnæque Apuliæ partis, quæ olim Calabria dicebatur, regulus extitit; is aliquando tantum præſtitit conſilio, potentia, atque armis, ut Regem Ferdinandum primum ad fontes Sarni fluvii magno cum exercitu vertere in fugam quirit, peneſque eum aliquando fuerit, illum Neapolis Regem futurum, quem ipſe deſignaſſet; tum enim inter Ferdinandum, ac Joannem de regno bellum gerebatur. Extitit alter *Joannes Antonius* frater tuus è Gentile atque Catharina Ferdinandi regis nepte ortus, qui vel ante pubem eleganti, & ſoluta, & numerata polluit oratione, atque memoria tanta prædi-
tus fuit, ut vel quatuor quinqueve ſcribentibus varia epiſtolarum genera eodem tempore dictaret; equo quoque & haſta accommodatiſſime utebatur, vixit annis XVIII. Ex eiſdem parentibus tu quoque *Lyrice* digniſſime genitus es: qui tam præclaro, & paterno, & materno genere illuſtratus, etiam ingenio, ac moribus regiis præfulges, ornatuſque magno excellis imperio. Nolæ enim urbis præſtantis Regulus evaſiſti, in cuius ætate tenella poſita eſt ſpes generis patriæque ſumma, & indoles maxima conſpicatur: quæ geſta clara, ac avis patreque tuo digna pollicentur, quem Deus optimus maximus benignitate ſumma cum illuſtri Maria Sanſeverina cariſſima conjuge complectatur, ut & Neſtoris annos ſuperetis prolemque dignam producatis, atque res ſumma omnes cum gloria geratis.

Hæ familiæ ſunt in Portellana urbis plaga. In Samuelitana vero ſunt hæ; ſiquidem *Sarini* primum occurrunt, inter quos *Marcus*, ac *Bartholomæus* ob magnam equorum curandorum peritiam claruere; quamobrem etiam ducibus regibuſque cari habiti ſunt. Numerantur *Todones*, in quorum numero *Melchionus*, & *Antonius* ingenio mercaturæ polluit. Item *Alexander*; qui arma exercuit, atque contra Turcas in Aſia recte ſe geſſit. Cenſentur *Jordani*, inter quos *Jordanus* magno mercaturæ ſtudio valuit: *Verginius* vero arma tractavit. Incolunt *Mennati*, quorum *Leonardus* literas exercuit: *Antonius* vero frater, atque horum pater *Georgius* peritia curandi equos præſtitere: *Alexander* vero nepos eques acerrimus floret: ac *Sylvagius* huius patruelis, qui armis glorioſe incumbit. Cenſentur *Coci*, qui & ſi literis & armis caruere, nuſquam tamen auſi ſunt eorum aliqui ſe clare ſe abjectarum artium ſervitio, ſed honeſtiore ſtudio vixere mercaturam exercentes, ut *Pyrrhus* pater & *Antonius* & *Jacobus* & *Santillus*, & *Alexander* filii. Incolunt *Caſarini*, quos inter *Colangelus* armis floruit. Vir enim manu fide, atque conſilio præſtans, duxque exercitus etiam extitit; is inter Salernum, Ebulumque Aloiſium ducem ſtrenuum cum exercitu fugavit, inque ea pugna cum eo ſingulari certamine manus conſeruit, ſpoliaque cæſi ducis cum ingenti gloria reportavit; huius tres filii extant; *Joannes* alter, qui eques laudatus eſt; alter *Micheles* canonicatus dignitate honoratus; Tertius *Jacobus Antonius*, qui ſcientia legum conſilio, atque facto floret; is n. ab Aldobrandino patruo tuo in Hiſpaniam miſſus eſt, ad regem navigavit, cum rege tractavit, obtinuit. Sunt præter eos *Landi*; inter quos *Martinus* mercaturæ diligentia polluit, atque *Sylveſter* eius filius arithmetica. Numerantur *Matrenſes*, quos egregios reddidere *Antonellus*, atque *Felix Antonius* literas exercentes. Spectantur *Tangi*, unde *Sanctillus* ſtudio mercaturæ ſingulari excelluit, atque *Baptiſta* eius filius canonicatus dignitate decoratus. Item *Antonius*, qui literas exercuit. Extant *Friciæ*: Ex quibus *Trojanus* armis inſervivit, ac *Antonius* eius filius

lius miles acer extitit. Item alter *Antonius* poeta, qui doctam ætatulam cum morte commutavit. Sunt *Canditæ*: de quorum numero *Alexander* eques floret egregius. Censentur *Maecei*: inter hosce præstitere tum *Lionellus* senator bonus, ac elegantia vivendi ornatus: tum huius tres filii, *Joannes Felix*, *Pyrrhus*, & *Philippus*, omnes enim fuere equites præstantissimi, atque in singulari conflictu hastiludiove, quam *giostram* appellant, debentes clostram dicere, excellentissimi: idque præsertim in Insubribus; clostra enim concursus duorum certantium est, atque locus clausus in quo hastis concurritur. Illorum autem *Joannes Felix* domum reversus Ferdinando regi gratissimus fuit: bisque orator ad Matthiam Pannoniæ regem ab eo missus est, unde multis muneribus honoribusque onustus rediit: In bello vero Turcico, quod ad Hydruntum gestum est, glande igniscente genu ictus obivit. *Pyrrhus* in conflictu cecidit furculo, & hasta sciſſa trajectus tempora. *Philippus* peregre semper arma exercens vixit. Quinetiam ex eadem familia, atque genere altero duo fratres claruere, *Franciscus*, atque *Vincentius*. Ille n. sæpe Regiæ exigendæ pecuniæ quum pax fuisset, quum vero bellum, commeatuum præfectus extitit; Vincentius vero regis erat à secretis: quique studiis humanitatis, atque musica polluit. Incolunt *Sanctori*: inter quos *Nardus* jureperitus excelluit, atque *Joannes* mercaturam exercens. Sunt *Sardi*: ex quibus *Angelus Felix* studio mercaturæ peritia nituit. Numerantur *Samueles*: quos inter *Hieronymus* mercatura tractanda præstitit. Item *Paccæ* innumerantur: quorum *Angelus*, & *Antonius* eius filius literas exercuere. Sunt *Gratiani* inter quos *Vincentius* literas exercuit: atque *Francisci* mercaturæ studio pollens. Censentur *Perillii*, quos *Franciscus* nobilitavit dignitate archidiaconatus. Item *Philippus* sagacitate mercaturæ egregius.

Cortefellana autem regio hisce nationibus illustratur: siquidem censentur in ea *Abundi*, ex quibus *Felix* præstanti musica redimitus floret. Sunt *Gallucii*: inter quos *Joannes* gladiaturæ magister illustris extitit. Incolunt *Russi*: quos *Angelus Felix* præstans cursu, vi, & armis nobilitavit. Sunt *Sicoranſæ*, quos inter armis excelluere *Angelus*, ac *Nardus*. Censentur *Tancilli*: ex quibus extitere *duo Micheles*, alter monachus philosophus, & concionator verbi divini, alter philosophia, atque medicina ornatus. Item horum patruelis *Vincentius* philosophus, ac medicus. Numerantur *Capoſcrofæ*: quorum numero *Orolandus* senator, *Felix* vero eius filius jureperitus extitit. Immorantur *Griphi*: unde *Aloisius* extitit, qui in Aquilanorum urbe præfectus urbis electus est: & *Felix* eius filius arma exercuit, item *Dantes* mercaturam exercens: atque alter *Felix*, mercaturæ indulgens: ac *Alexander* eius frater, qui armis incumbit. Sunt *Masſei*, ex quibus *Joannes* philosophia, & medicinæ scientia polluit; *Blasius Marinus* vero eius pater senatorio ordine ascriptus est. Censentur *Balletæ*: ex qua gente *Marchiſella* mater orta est nostra: atque *Jacobus* miles. Item *Patricius* canonicatus dignitate honoratus: atque *Ferdinandus*, qui armis tractandis delectatus est. Comperiuntur *Rebæ*: inter quos præstitit *Joannes* studio mercaturæ pollens. Item *Nicolaus* musicus atque canonicus, quinetiam *Carolus* historicus, & huius filius *Annibal*, qui arma exercuit: atque *Hieronymus* vir senatorius. Sunt *Sussolani*, quos inter *Franciſcus* atque *Laurentius* eius filius juris utriusque scientia clari præfulsere: atque *Petrus* sacerdotio, ac literis circumseptus. Numerantur *Marifeolæ*, in quorum numero *Fuscus* extitit mercatura præstantissimus ditissimusque: & huius filii duo *Marcus* senator optimus, ac *Felix* corpore, & manu validissimus: Item *Hierardus* literis insignitus. Quinetiam *Joannes* atque *Antonius* eius filius boni senatores. Censentur *Liæ*: inter quos *Petrus*, ac *Vincentius* jureperiti præstitere. Petrus vero in Apuliam Oenotriamque, quam nunc *Calabriam* vocant, sæpe auditor causarum à Rege missus est; item *Petrus* canonicatus dignitate honoratus: & *Symo* mercatura pollens: atque *Paulus* huius filius literis ornatus. Censentur *Mastrillii*: inter quos *Antonius* medicus præstantissimus atque philosophus extitit. *Gabrieles* vero eius filius jureperitus, & senator optimus viguit, gratusque regulis atque populo, octogenarius, atque felicitate propè potitus obivit; veruntamen filii filiæque totque nepotes atque pronepotes exorti sunt ab eo, ut octoginta unus numerati sint omnes: quos senex ille quotannis convivio excipiebat, ut in eadem mensa cuncti discumberent, ipseque sedens in altero mensæ cornu longam summa cum voluptate prolem conspectaret. *Cyrus* huius filius armis polluit: quo rex sæpe usus est, ac senator optimus fuit: *Franciſcus* alter filius jureperitus extitit, ac regius magnæ curiæ Neapolitanæ Judex consedit. *Angelus* vero tertius Gabrielis filius mercaturæ diligentia præstitit atque senator optimus. A Cyro orti sunt *Matthæus*, qui eques juvenisque in castris obivit, & *Antonius*, qui senator optimus atque publicis in rebus sæpe præfectus, tertius *Nicolus* eques atque senator optimus: utrique populo, ac regulis cari. Alfonsus vero rex in Hispaniam Nicolum misit; erat enim is regis familiaris; atque præter hosce ortus est *Victorius* mercatura magna pollens. Francisco autem quatuor filii orti sunt: *Joannes Thomas* jureperitus egregius, idem auditor causarum in Oenotriam Brutiosque à rege missus est. Neapoli quoque regius judex adscriptus fuit in eo foro summo, quod sacrum vocant consilium: atque in altero foro, quæ magna curia nuncupatur, Fiscalis advocatus sedilitavit. Alter *Felix*, qui in episcopatu locum præsulis tenens clerum juraque episcopatus multos annos gubernavit, idem canonicatus cantorisque dignitate præcelluit; tertius *Ambrosius*, qui adolescens arma egregie exercens obivit; quartus *Cornelius* senator bonus. Verum hosce Franciſci filios inter *Vicanciano*s connumerari oportet, in illa enim tribu incolunt. Angelo vero complures filii orti sunt. Sed unus *Innocentius*, ac *Joannes* alter legum scientia præstitere, *Alexander*.

dor vero ingenio mercaturæ, ac *Antonius* literis ornatus extitit. Quinetiam altero genere *Maſtrilliorum Enricellus*, ac eius filius *Michele* extitere magna mercaturæ diligentia pollentes, ſenatoreſque præſtantes; huius vero filii tres, *Bernardinus* ſcientia legum emicuit; qui tandem contemta hominum conſuetudine cœnobium arctum intrans ſanctis ſnitiatus eſt, ut ſolitaria vita gauderet; Quinetiam *Vincentius*, juvenis parvo corpore animoque audaci extitit: *Joannes* vero ſenator bonus evaſit. Computantur *Barones*: inter quos *Colucia* præſtitit arte medica. *Felix* vero ejus filius ſenator bonus extitit: Felicis vero filii quatuor: *Palamedes* ſenator optimus, ac elegantia, & liberalitate nobilia, poeticaque gaudens; à quo complures orti ſunt, ut *Petrus* ſenator bonus, *Albenzius*, qui jureperitus excelluit; *Lucius*, qui eques evaſit; *Angentinus*, qui equeſtri ordine floruit, ac à ſingulari certamine, quod ſepe inivit, ſemper victor atque cum gloria rediit: *Mirantes*, qui arma exercuit; quos ille filios nominavit ſecundum ordinem elementorum nominis ſui; atque præter hoſce *Annibal* Petri filius ſenator præſtans excelluit. *Joannes* vero alter Felicis filius eques bonus extitit: cuius item filius *Marianus* eques laudatus, & alter *Adrianus*, qui arma exercuit. Tertius vero Felicis filius *Franciſcus* fuit ſenatorio egregius munere, cui etiam duo filii orti ſunt: alter *Felix*, qui ſenatoria diligentia fulget, atque *Andreas*, qui literis ornatus ante frugem obiit. At *Sergius* quartus Felicis filius dignitate archidiaconatus, atque canonicatus inſignitus eſt. Sed tamen hi tres Coluciæ nepotes, ac pronepotes in plaga Vicanciana ſunt cenſendi; illic n, immorantur. Sunt præter hoſce *Sacci*; inter quos *Marinus* cum literis ornatus, tum architecturæ periti ſſimus, item *Marius* huius filius poeſi atque ſcientia legum excellens. Sunt *Scrignarii*; inter quos *Reſtainus* ſenator; *Thomas* vero, atque *Raimundus*, *Carulusque* utriuſque juris ſcientia præſtitere. *Maximus* item mercatura pollens atque ſenator magnus: ac huius filius *Petrus Cola* literis inſignitus, cuius alta ingenia, quæ in legibus præſeferebat adoleſcens mors cita vetuit explicari. Cenſentur *Januarii*; quorum *Jeſuelis* ſenator optimus extitit, Regique Ferdinando cariſſimus; *Felix* vero huius filius literis ornatus, ac ſenator præſtans præcellit. Numerantur *Alfani*; inter quos *Joannes* præſtitit, vir adeo continens, ut ab omni reipub. Gubernatione ſe temperarit; Urſo vero regulo carus fuit: *Sigiſmundus* huius filius excelluit tum eloquio tum legum ſcientia; qui vir magnus evaſiſſet niſi morte præreptus fuiſſet in adoleſcentia; quinetiam *Franciſcus*, ac *Cicus* ſenatores boni. Sunt *Campiones*; inter quos *Joannes* philoſophus, ac medicus magnus præſtitit; Item *Franciſcus* huius filius monachus atque philoſophus; *Carulus* quoque, ac *Pyrrhus Aloiſius* mercaturam exercuere. Sunt *Motones*; inter quos *Julianus* mercaturam exercuit. Extant *Caraccioli*: ex quibus *Altobellus* floret arte muſica, ac *Felix*, & *Joannes* armis inſerviere. Numerantur *Baſilii*; in quibus *Bernardinus* philoſophus, ac medicus viguit; *Carulus* vero pater, ac *Antonius* arma tractavere. Incolunt *Perrarii*; in quorum numero *Colantonius* jureperitus extitit, ac ſenator optimus: ac *Jacobus* ſenator bonus: *Caſpar* item eques egregius; & *Aloiſius*, ac *Vincentius* monachi philoſophi, atque divini verbi concionatores, & *Hilarius* juris peritia inſignitus: *Bernardinus* quoque philoſophus, ac medicus, ac huius pater *Anſoiſius*, qui arma exercuit, ſed hi duo Vicanciani ſunt. Cenſentur *Sclavi*; quorum *Bernardinus* monachus philoſophus, & concionator extitit; ac *Jacobus* & *Thomas*, qui arma exercuere. Sunt *Cucurbitæ*; inter quos *Danieles* ſacerdos ac peritia juris pontificii polluit; & *Nardus* qui literis fuit ornatus; Item *Ambroſius* ſcientia legum redimitus: *Joannes* quoque canonicatus dignitate honoratus: cuius opera Pannonum Regina uſa eſt. Sunt *Papones*; inter quos *Cicus* extitit canonicatu honoratus, ac Regi Ferdinando percarus: item *Pantaleo*, qui literas exercuit: *Paulinus* quoque canonicatus dignitate inſignitus. Numerantur *Thetii*; inter quos *Citatinus* vir illuſtris emicuit; duxque exercitus; *Orolandus* vero huius filius eques egregius atque elegantia vitæ nitens, *Bernardinus* vero, & *Urſus* huius filii literis redimiti fuere. Numerantur *Vicarienſes*; ex quibus *Palamedes* vir prudens laudatur ac Regali rerum curator atque magiſter (ut aiunt); huius filii duo *Felix* alter; alter *Bernardinus*; ille ſacerdotio canoniſtali, ac humanitatis ſtudio: hic ſcientia jurium atque vi dicendi emicuere, cui tanta innata fuit ſuaviloquentia, ut quum loqueretur alios conticentes intentoſque redderet; proinde ab orationis ſuavitate cognomentum aſſumpſit; *Lepidus* enim cognominatus eſt; mores vero utriuſque elegantiores; amor ingens erga juſta honeſtaque, apud eos ut locum multum occuparet pecuniæ tenacitas, liberalitate ubique gentium nemini concedebant; Regulis ac populo cari amicique, ac nullius unquam malevolentiæ altores extitere. Incolunt *Tocci*; inter quos *Robertus* eques egregius extitit; idem Clanchetellæ oppidi cuiuſdam, quod in Samnio, dominus. Comperiuntur *Hierardi*: unde *Gabrieles* chirurga arte præſtitit, huius filii duo *Felix*, ac *Antonius* philoſophi, ac medici evaſere, ac tertius *Cæſar*, qui literas exercuit. Sunt *Pulmenſes*, inter quos *Philippus* eques acer floruit, ac ſenator ſeneſcens optimus.

In angulo vero Vicanciano cenſetur primum *Riſia* natio; in qua *Gabrieles* jureperitus, ac ſenator optimus virque graviſſimus extitit, *Antonius Felix* vero huius filius utriuſque ſcientia juris eximius, eloquio quinetiam magno excellens, ſenatorque optimus habitus eſt, Idem auditor cauſarum in Apuliam ſæpe miſſus eſt a rege, Nolæ vero à Regulo electus eſt auditor univerſi Nolani dominatus, cui tres filii orti ſunt; *Franciſcus*, qui legum ſcientia, ac morum bonitate præſtitit; *Gabrieles* alter, qui armis niſu magno inſudavit; *Felix* vero tertius canonicatus dignitate honoratus. Sunt *Angelini*; in qua gente *Felix* miſcuit poeſi

atque

atque scientia legum, & *Sansonettus*, ac *Joannes* pater, avusque eius ob ingentem mercaturam magni viri; item *Silvius*: qui arma cunctis rebus antepositit. Censentur *Judicenses*, in qua familia *Baldasar* præstitit poesi atque philosophia. Item *Paulus* huius frater minor natu, philosophus illustris atque medicus; is autem quum patriæ Campanæque scholæ parum placerent, ad Venetas aque Patavinas navigavit, in quis brevi subtilis disputator evasit, ingensque opus edidit de contradicentib. doctorum locis, quæ antilogica nuncupavit. Sunt *Campasani*: inter quos *Antonellus* senator optimus præstitit, præfectusque urbis tum quum pestilentia afflicta fuisset, quam summa diligentia juvit: *Pyrrus* vero huius filius literas exercuit: item *Colafrancischus*, qui mercaturam sectatus est. Sunt *Capolii*: unde *Marellus*, ac *Antonellus* fratres, & *Alexander* huius filius equites laurati evasere: *Antonius* alter filius miles extitit. Censentur *Sansones*: quorum *Sansonettus*, & duo eius filii *Antonius* cognomento, ac *Robertus* arma exercuere; *Joannes Maria* vero mercaturam tractavit. Reperiuntur *Triumphii*: quos *Joannes Baptista* arma exercens illustravit. Numerantur quoque *Montorii*: quorum unus *Matthias* elegantia vivendi, atque arte musica canonicatuque honoratus excelluit; *Joannes Antonius* vero armorum fulgore delectatus est. Sunt *Bulini*: inter quos *Lysias*, ac *Georgius* eius filius studio magno mercaturæ præstitere: & *Laurentius* huius filius literas exercuit: item *Thomas* filius alter legum excelluit scientia: utrique patriæ amantissimi; *Jacobus* vero ejusdem filius arma præter cætera secutus est. *Altero* vero *Bulinorum genere Ciccus* ortus est, qui & animo & armis & constans & valens fuit: quo sæpenumero usus est Ferdinandus rex, cui quoque perquam carus extitit; ex hoc ortus est *Franciscus*: qui jureperitus senatorque optimus præstitit, atque inter Nolanos callidissimus. Auditor quoque causarum omnis reguli ditionis declaratus est: item *Vennerellus* hujus frater magni animi juvenis: is arma exercens Hydruntum adversus Turcas missus est, ac in aggressu quodam in oppidum, murum scandit, hostem dejecit, in eo glande igniscente caput ictus decidit ad suos, ac paucos post dies obivit; præter hosce *Ferdinandus* miles extitit. Sunt hic quoque *Tancilli* altero genere orti, inter quos *Cola*, atque *Joannes bernardinus* ejus filius philosophia & medicina egregia præstitere. Censentur *Campobassi*, ex quibus *Antonellus* illustri extitit robore, prudentia arteque militari: duxque aliquando exercitus; magno quinetiam loco a rege Ferdinando habitus est, & hujus filius *Baldasar* senior floret egregius: item *Carulus* qui armorum decore perfulget. Sunt *Perioanni*, inter quos *Don Petrus* clarus armis atque potens fuit: & *Ioannes Rubinus* eques acerrimus, ac *Ambrosius* hujus filius eques, juvenisque ingenti animo, ac omne audens adire periculum. Quinetiam alio genere ortus est *Laurentius* laudatus philosophus atque medicus, filius primus *Calliander* jureperitus evasit: alter *Eugenius*, tertius *Suavius* philosophi atque medici, quartus *Jocundus* scientia legum præstans; quintus *Amænus* Theanensis decanus, Nolanusque canonicus ac Julij secundi cubicularius: sextus *Benignus* eques excellens: Ultimus *Perioannis* utriusque scientia juris insignis, extitere; at Perioannis in Oenotria regius auditor jura dixit. Quinetiam *Raimaldus* Suavij filius canonicatus dignitate ornatus, ac *Aloisius* Jocundi filius, qui arma exercuit. Sunt *Morgani*, inter quos *Angelus* canonicatus dignitate præditus. Sunt *Candicii*: inter quos *Bernardinus* literas exercuit: atque *Felix* canonicatu redimitus. Sunt *Morræ*, inter quos *Antonius* armis excelluit: atque *Felix* qui arma tractavit. Sunt *Lysii*, quorum *Micheles* armis præstantissimus antecelluit, is enim in plerisque Italiæ locis singulari certamine, quod *Steccatum clausum* vocant, pugnavit, semperque cæso hoste palmam ingenti cum laude atque illæsus reportavit. Quinetiam in plerisque bellis ductor magnæ peditum turmæ militavit, ducibus carus, cunctis terribilis; erat enim juvenis quadrato quodam valdoque corpore, capillo fulvo intortoque non crispo, facie fulva, animo interrito, oculis acerrimis, vir tacitus, justus, innocuus, impigerrimus, laboris tolerantissimus, callidus, ac si velis nihilominus similia audire, alter Bancius. *Scarmonella* item hujus frater exercuit arma. Extant hic *Barones*: ut dictum est. Inveniuntur *Cærij*: inter quos præstitit *Jacobus* mercaturæ ingenio. Sunt *Cajetani*: ex quibus *Nardus*, atque *Oliverius* literas exercuere, Narduſque musica præstitit: & *Bernardinus*, qui arma tractavit. Manent *Labrones*: inter quos *Barbarus* miles laudatus micuit. Immorantur *Samueles* hic quoque, quorum *Ceccius* eques floruit: ac *Antonius Felix* ejus filius, qui literas exercuit. Spectantur *Feltichia*: quorum *Jacobus* eques laudatus extitit, atque *Andreas* hujus filius jureperitus: atque *Antonius Ferrandus* Andreæ filius legum scientia præditus: Item *Leonardus*, ac *Federicus* ejus filius senatores boni: *Felix* item qui arma & literas tractavit. Numerantur *Angeli*: inter quos *Felix* jureperitus atque poeta extitit, & *Colantonius* literis & canonicatus dignitate ornatus. Sunt *Manciolæ*, inter quos *Cola* eques optimus extitit ac Alfonso regi carus. Spectantur *Claramontii*, quorum *Pacellus* peritia rerum magna excelluit: hoc sæpe Ferdinandus rex usus est, idem tanti ingenii atque judicii fuit, quanto primus viam ditandi Nolanis, si voluissent, potuit monstrare; *Angelum* enim filium juvenem patre non inferiorem in Ægyptum atque Alexandriam navigare jussit, evehentem summam ingentem avellanarum; adivit ille: rem bene tractavit: rediit onustis cinnammomis ac speciebus (ut ajunt) quæ ita in Italiæ sunt preciolæ, ut in Campania viliores Avellanæ; item *Vincentius* alter ejus filius philosophia & medicina singulari micuit, & *Sigismundus* senator bonus: item *Antonius* mercatura pollens. Incolunt *Venæ*: inter quos *Angelus* literas exercuit Sunt hic quoque *Mennati* alio genere orti: inter quos *Joannes* dignitate canonicatus & literis ornatus; item *Marinus* ingenio mercaturæ

caturæ præstitere. Sunt *Mirandæ*, inter quos *Bernardinus* canonicatus dignitate ornatus extitit. Spectantur *Romani*; in primis *Serpentinus*, qui eques eximius præstitit; is corpore parvus, magnus vero consilio rerum militarium erat, ductor equitum turmæ; Regi carus adeo, ut ille sæpius viri hujus prudentia usus sit: *Marcus* item ejus filius eques egregius extitit. Incolunt *Baruli*: inter quos *Andreas* miles in juventa, senescens vero mercatura excellenti præstitit. Censentur *Burselli*, inter quos excelluit *Colamagno* mercaturæ studio, atque divitiis magnis. Comperiuntur *Fontanærosæ*, inter quos *Aloisius* senatorio ordine nituit; *Joannes*, ac *Polydorus* ejus filii scientia legum redimiti. Comperiuntur *Ferteraimi*: quorum *Andreas* philosophia præstanti floruit (is episcopus Sarni extitit) atque *Troilus* literas exercuit: & *Franciscus* hujus filius literator. Sunt hic quoque *Griphi* alio genere orti: ubi *Daniel*, ac *Darius* ejus filius literas exercuere. Manent *Josepi*: inter quos *Turcus* eques præstitit; *Matthæus* vero ejus filius armis magno nisu inservit; Item *Angelus*, & *Contarenus* arma exercuere, ac *Petrus* Musica præstans. Sunt hic quoque *Maccei*: quorum *Antonius* rerum antiquarum fuit studiosissimus, atque mirabilis, senator bonus. Censentur *Martini*, unde *Felix* studio mercaturæ præstanti excellit, atque *Gaspar*, qui optime mercaturam sectatur, item *Rentius* Geometra. Sunt *Florentii*, inter quos *Neapolitanus* extitit Geometra. Comperiuntur *Perusini*: inter quos *Antonius* mercatura polluit, ac *Baro* Geometra, *Joannes Thomas* vero hujus filius legum scientia præditus. Sedent *Vitaliani*, inter quos *Ambrosius*, & *Dominicus*, & *Joannes Baptista* literas tractavere: *Andreas* vero *Antonius* hujus filius mercaturam. Censentur *Magaldi*: inter quos *Ferteraimus* jureperitus extitit; is animadvertens immensum litium pelagus, aversus ab eis ad sacerdotia animum applicuit. Item alio genere ortus est *Colella*, atque tres hujus filii *Angelus*, *Antonius*, ac *Joannes Baptista*, qui literas exercuere; verum hi sunt numerandi cum Cortefellanis. Sunt *Verrilli*: ex quibus *Petrus* literas exercuit, *Paulus* vero hujus filius musica arte & philosophia emicuit: item *Minicheflus*, qui arma exercuit. Censentur *Crucini*: quorum *Joannes Franciscus* literas exercuit. Sunt *Carminiani*, inter quos *Angelus*, ac *Felix Antonius* ejus filius uterque senator bonus perfulsit. Sunt *Scavetti*: in quorum numero *Franciscus*, ac *Lucius* ejus filius arma exercuere: *Aurelius* vero literis redimitus. Comperiuntur *Hiasii*, quorum *Macceus* literator laudatur; & *Nardelius*, qui literas exercuit: *Felix* vero canonicatus dignitate ornatus. Sunt *Vivaquæ*: inter quos *Paulinus* monachus & concionator divini verbi præcelluit. Numerantur *Hieronymi*; inter quos *Patricius* literas exercuit. Censentur *Spatarelli*; è quibus *Felix* jureperitus, atque *Colangelus* ejus filius literator extitere. Fuere item his altero genere *Scrignarii*. Sunt *Gravinæ*: inter quos *Sansonettus*, atque *Carulus*: item *Validus* Sansonetti filius literas exercuere. Immorantur item *Astrilii*, de quibus dictum est. Sunt *Supini*; inter quos *Joannes Paulus* philosophus ac medicus, *Raimundus* vero eius frater medicus extitere: & *Franciscus* musicus & canonicatu insignitus, & *Bernardinus* qui literas exercuit. Censentur *Leones*, quæ familia nostrum est genus: inter hosce *Leo* patruus, qui tum armis præstitit, tum senator optimus habitus est: de quo superius satis dictum est; *Marinus* item noster pater vir prudens ac studio mercaturæ excelluit: *Maselius* horum pater mercatura quoque polluit: *Damianus* vero musicus præstantissimus extitit, regi Alfonso primo carus: Quinetiam *Maselius* noster frater arma exercuit: *Camillus* vero noster filius literis insignitus. Me quoque inter hosce connumerato Leones, qui maximis amicitiæ vinculis connexus sum cum Marco Musuro Cretensi viro optimo graviſſimoque, ac in utraque lingua & doctissimo & facundissimo, omnique scientiarum genere ornatissimo. Demum inhabitant hac in nostra vicinia *Notarii*: inter quos *Micheles*, atque *Ciarlus*, equites extitere, ac hujus filii duo *Nicolaus*, atque *Vincentius* arma exercuere. Item *Franciscus*, *Robertus*, & hujus filius *Bernardinus* senatores boni, quinetiam *Silvester* canonicatus dignitate ornatus. In hac quoque familia *Beatrix* puella venustissima illuxit: cujus orane an ingenia potius divina forent, non erat h minis etiam Paridis opus dijudicare; utraque enim visa sunt summa esse, atque supra quam ubi vis humana contituta est, evecta; hanc Thomas Malvicus sculptor præstantissimus è marmore finxit; sed inter cœlandum creduntur Gratiæ atque Horæ affuisse, opificisque oculos illuminasse, manusque eruditissimas reddidisse, siquidem marmore Pario miranda proprietate edita est; ubi enim marmor, vivaque coram præstoque fuissent, Beatrices geminæ cernebantur: altera audiens, loquens altera: ridens altera, altera læta. Neque Malvicum solummodo magnus ille puellæ decor atque splendor ad effingendum commovit: verum etiam omnes Italos poetas ad canendum excivit, atque inter primos Antonium Thebaldeum Ferrariensem virum, ut divino ingenio, ac eloquio fulgentissimum, ita viris doctissimis assidue atque ubique terrarum laudatissimum. Quamobrem poematis innumeris utraque illa divinitatis imago celebrata est, prænomenque accepit à Musis, namque Diva Beatrix ab omnibus est cantata. Eadem duodevicesimum jam annum agens, atque ad Gecalæ pulcherrima juga profecta, quum inter oleas quercusque ascenderet, è medio (rem miram) statim tempore sublata est, nec usquam à quoquam deinde visa fuit, creditur tamen ob ejus optimos divinosque mores viva volare cum superis, atque alto successisse cœlo. Hæc sunt Nolanorum genera, quæ tempestate nostra in urbe excellunt; quos vero in singulis viros generibus memoravimus, parte maxima novimus, vivuntque plerique eorum, quanquam plurimi ob eam pestilentiam, quæ ab illuvione anni millesimi quingentesimi quarti post Dominum JESUM, orta est, desiderantur: seniores vero perpaucos a senioribus, qui illos cognovere, didicimus.

DE JUDÆIS, QUI NOLÆ SÆCULO NOSTRO HABITAVERE, AC EORUM EJECTIONE.

CAP. IV.

DE Nolanis familiis & habitatione satis dixisse videmur: consequens est, docere de incolatu Judæorum, quem aliquando fecere in urbe Nola; tanquam de corpore locutis, consentaneum sit, etiam de accidentariis rebus meminisse, accidit enim forte quadam Judæos incoluisse Nolam. Ex qua facti narratione erit posteritas multo doctior earum rerum, quæ nostra tempestate actæ sunt in hac urbe. Anno itaque millesimo quatercentesimo quadragesimo in urbe Nola incolere cœpere Judæi atque perquam pauci. Quorum fuit Vilielmus chirurgus medicus, homo pannosus ac pauperculus: veluti senes nostri retulere; is ubi Nolam ingressus est, urbem statim totam commovit novitate præsentiæ Judaicæ: usque adeo, ut postquam auditum fuisset advenisse Judæum, turmatim Nolani per urbem ruere, ut illum tuerentur; tanquam speraſſent unum ex illis cernere, qui Dominum JESUM cruci affixere; illi vero conductis ædibus cœpere vivere civem Nolanum; quum alia nullum in urbe Judæum habitaviſſe auditum cognitumve sit à senioribus nostris. Deinde hisce veluti initium aditumque facientibus advenere paulatim alii, totque, ut ad viginti ædes conduxissent. Priores vero paucos annos ditissimi evasere fœnore faciendo, namque vestes omnis generis, vasa ænea, stannea, argentea, annulos, gemmas, cæteraque preciosa quæcunque potuissent accipere in fidem & pignora capientes fœnerabant; fœnus autem erat menstruum: velut pro sexagenis mutuatis nummis singulos cum semisse expilabant, quæ lucella super pignore ultra mutatam pecuniam adiecta brevi augebant sortem adeo, ut usuræ debitum precio justo rei æquaretur, unde res de pignoris proprietate in Judei possessionem silenti devotatione transigebatur. Neque id eis satis fuit: sed Vilielmus etiam primus, senex jam ausus est ædes magnas mercari, easque fabrica majores pulcrioresque efficere: idque super via Vincanciana. Item agrum amplum emere ad Turrem Martianam, quæ ædes agerque postea possessi sunt à Cæsarinis tum, quum adventantibus Gallis Judæi omnes expoliati fuere. Incoluerunt vero Judæi in urbe Nola annis septuaginta. Nanque millesimo quingentesimo nono ejecti fuerunt, non solum à Campania, sed etiam de Pelignis, Apulia, Calabria nunc dicta: ac longe antea de Sicilia, omnique Hispania ab altero Ferdinando Aragonæo, qui prius Hispaniarum rex erat ac Siciliæ. deinde pulsis nostris regibus longo bello habito cum Gallis, ipse successit imperio Neapolitano, quo in bello Gallico Judæi plurima passi sunt damna. Nanque divitiis omnibus spoliati sunt partim à militibus, partim à populis, idque anno Mccccvi, post Jesum dominum.

DE STUDIIS NOLANORUM PRÆSENTIUM.

CAP. V.

EX ante facta de civibus historia plusculiſque locis aliis memoratis quam facilime perspici possunt omnia studia Nolanorum, qui hodie extant; atque eadem illa vetusta à presentibus hominibus tractari; ut cærimoniæ divinæ, philosophia, militaris ars, agricultura atque mercatura, hanc n. peculiarem Nolanis esse; atque magnopere cultam multitudo eorum civium, qui solis mercaturæ muneribus se domumque egregios reddiderunt, apertissime testatur, quanquam mercatura longe major ditiorque agi posset, quam agitur à Nolanis; materia enim magna atque via facilima data eis est, via n. brevissima facillimaque patet ab urbe ad Stabias. Stabiis vero nave exire licet ad omnes orbis partes, præsertim in Ægyptias Alexandrinasque nationes, ubi Nolani fructus preciosi habentur; atque illinc revectare aromata speciesque in Italiam, in qua carius venduntur, quod utilissimum expeditissimumque esse, ostendit aperuitque primus Pacellus Claramontius, ac Angelus ejus filius, ut antea dictum est. Maximi quoque momenti id esse docuere Veneti, atque Ligures mercatores: quorum quicunque (nam complures venere) Nolam mercatum fructus nostros accesserunt, ii ditissimi in patriam rediere, quam rem animadvertentes Neapolitani, & ipsi summo cum lucro idem tractavere; ut Franciscus, atque Matthæus Coppula, Colantonius Galiardus ac plerique alii; materiam vero noster ager tum alias, tum nostra tempestate aptissimam produxit: vina enim optima plurimaque Nolana sunt, atque Avellanarum ingens copia; vina quidem Romæ Venetiisque paratum liberalemque inveniunt emptorem: avellanæ vero gratissimæ omnibus non solum Italis, sed etiam Aphris populis habentur, quod si ad ea loca exteri mercatores hæc devectant magna cum utilitate: cum eadem devehere facilius possent Nolani, si vellent; id autem ab eis, ut satis perspectum, aliquando fuisse videtur: ita nec factitatum unquam, quod mediterraneis ingeniis insitum esse creditur, humi hærere velle potius, quam undis fluctibusque huc atque illuc more piscium actitari. Agriculturam vero rem magnam dignamque esse, animo concepisse Nolanos, illud maxime indicare potest: siquidem omnis ager Nolanus colitur. In quo quanquam cætera omnia lætissime veniunt: duobus tamen Nolani præsertim nunc indulgent, arboretis atque coryletis; proinde summum Nolanorum vectigal ex hisce duobus capitur. Vina enim atque avellanæ abunde colliguntur. Quantitas autem vini omne genus, quæ vendi potest, quæque supereſſe ei, quæ usui cuique est, duum millium doliorum est dolium autem vas est capiens xxiiij. cados, quos *Bariles* vocant, à pondere justo decentique humero ho-

Digitized by Google

hominis. *Bapú* nanque ponderosum est. Cadus enim vasculum est ligneum, quod quum plenum sit, fit hominis justum ad ferendum pondus: equo vero tres cadi justam sagmam farcinamque faciunt. Venditur autem Nolæ vini dolium, quum mustum est, triginta argenteis. Est autem argenteus nummus ex argento ponderis quatuor scrupulorum: horum singuli vicena grana frumenti ponderant. Avellanarum autem summa collectio est sexaginta centenaria Nolana: centenarium vero triginta modios capit; modius avellanarum apud Nolanos mensura est decem & octo tumulorum, aut duas jumenti farcinas capiens; singula enim jumenta novenos tumulos juste ferre possunt: tumulus vero avellanarum mensura est capiens decem & octo rotula cum semisse fere, nanque tumulus frumenti lx. rotula capit, rotulum vero est pondo triginta trium unciarum cum trientei uncia vero pondus est triginta scrupulorum. Quinetiam centum rotula pondus complent, quod *cantarum* circumflexa penultima vocant Nolani. Quamobrem si pondera avellanarum collegeris, que in uno sunt centenario, invenies centenarium capax esse centum cantarorum: hoc est centenarium cantarorum, quod sine illa adiectione proferentes, *centenarium* appellant: quodque duntaxat de avellanis intelligunt. Neque tamen hæc pondera audienda sunt, quum avellanæ siccæ fuerint: sed tum, quum de coryletis domum vehuntur. Centenarium vero mensura, quod primum a pondere sumptum est, auditur tam in siccis antiquisque, quã recentibus avellanis. Venditur autem Nolæ modius avellanarum frequentius xxiiij. argenteis.

DE ELEGANTIA, ET gratis moribus Nolanorum.

CAP. VI.

SErvant Nolani hac etiam tempestate mores illos antiquos atque vetustam vivendi elegantiam; in urbe enim nulla rusticitas admissa est, Soli enim fabri, & rerum utensilium opifices incolunt atque viri primarii, quorum (ut noßi) meminimus. Gaudent pulchris ædibus sumptuosisque domiciliis atque domus ornamentis, præsertim lecti, cubiculi, conclavis, atque mensæ: gaudent pulchris vestibus, annulis, gemmisque mulieres vero solæ aureos torques, bullasque pulcherrimas à collo pedentes gestant, atque in utramque manum immissa bina ternave dextrocheria, seu dicas armillas argenteas aureasve, quas *manilias* vocant. Quamobrem Antonellus Campobasius vir gravis, atque censorius sæpe numeró carpere accusareque solebat Nolanos, quod nimis impenderent vestibus, & ornatu corporis. Utuntur equis mulabusque atque servis: alunt canes ad venandum, atque ad aucupandum accipitres. Hi enim edoßi in coturnices à domino de manu immissi involant, capiunt, atque captas domino servant. Gaudent quinetiam hospitalitate, libentissimeque hospitibus domum ádaperiunt: opipare lauteque illos excipiunt, ut spectatores testesque habeant ornamentorum atque erga cunctos innatæ familiaritatis. Cibos rusticorum fugiunt. Laudant siquid ornatè dictum factumve senserint; fordidos oderunt, castigant, ut quisque quantum fieri possit eleganti honestaque vitæ indulgeat. Natos quinetiam diligenter ac liberaliter educant: neque hisce contenti studeant etiam in nuncupandis filiis; volunt enim & puellis & pueris statim ortis nomina pulchra indere. Quamobrem pulchriores & viros & mulieres Nola gignit, quam quævis ex circumpositis locis. Ex quibus studiis mores placidissimi increbuere, præsertim mutua omnium benevolentia. Factiones quoque nescium Nolani, neque homicidia, neque proditiones, neque latrocinia. Illud quoque mirum est, nusquam visas esse Nolanas meretrices, neque mendicos per alias urbes vagari. Quorum omnium fons atque magistra est domestica patriave atque pertinax vitæ elegantia atque cultus. Has ergo partes Nolanorum sentiens Joannes Franciscus Caracciolus poeta illustris, virque moribus integerrimis, ac (ut ajunt) Petrarchæ Neapolitanus, summopere & nomina & corpora & ingenia & facilitatem, atque elegantiam Nolanam non modo mirifice laudabat, verum etiam admirabatur magnopere, eamque ob rem frequentissime Nolam spaciandi gratia se conferebat. Et Jovianus Pontanus nostra tempestate florentissimus philosophus & poeta, urbe & moribus Nolanis delectatus est adeo, ut pestem Neapolitanam fugiturus, omnibus circumpositis urbibus posthabitis, Nolam diverterit, ac in ea integram etiam ætatem magna cum voluptate (ut nos vidimus) contriverit. Laurentius quoque Valla, qui Latinæ orationis atque elegantiarum autor, ac indagator summus superiori tempestate fuit, Nolam sæpe se conferebat, delectatus Nolanorum oratione, non modo amœna, atque ab omni rusticitate remota, sed etiam quod antiquam Latii proprietatem servatam in ea videbatur agnoscere; proinde sæpius dicere solebat: *Latina verba nec à Barbaris rectius quam à Nolanis pronunciari*: veluti compertum habuimus ab Antonello Petrucio Atellano Laurentii Vallæ discipulo, atque Philippino Bononio Laudensi, qui nunc monasterii Sancti Bassiani commendatarius est: quorum uterque vir optimus atque doctissimus habitus est, atque Regis Ferdinandi primi a secretis extitit. Joannes quinetiam Attaldus philosophus præstantissimus, quanquam Archiepiscopus Tranensis erat, maximam tamen partem ætatis Nolæ consumpsit: hic mortuus est: hic quoque opertus tumulo. Eadem ratione Aurelius Biennatus poeta atque orator optimus, &si Episcopus erat Martorani, Nola tamen allectus frequentissime ad eam se conferebat. Annibal etiam Januarius vir acri ingenio ac literis omnibus ornatus, &si Salerni, Neapolique multa digna possideret, sæpe numero tamen Nolam se contulit delectatus urbe ac moribus Nolanis. Antonius quoque Galateus utroque literarum charactere atque scientia omni vir maxime cir-

cumseptus, Nolam libentissime veniebat, semperque domum nostram diverteus. is præter cætera dicere solebat: *Nolam sibi solam Syracusias esse*. Nam Syracusiæ videntur appellatæ, quod vel invitos homines ob amœnitatem trahant. Petrus Graviani Panhormita orator atque poeta illustris virque vitæ elegantioris diligentissimus, aliquot annos Nolæ suavissime vixit. Quinetiam Raimundum Urtinum Nolæ, Sarni, Salerni, multorumque aliorum locorum principem, Nola sola potuit trahere, delectare, ac per omne vitæ curriculum detinere. Ursum Ursinum quoque virum gravissimum adeo Nola oblectabat, ut creberrime Neapoli & à regis latere Nolam discedere cogeretur. Gentilis pater tuus tantopere Nola gaudebat, ut semper tristis ab ea proficisceretur: ad eam vero reverteretur lætissimus. Neque mirum id sit: si eadem etiam tum, quum iniuriis Syllæ lacessita fractaque jaceret potuit Augustum allicere detinereque, atque Ti. Claudium excire, ut in Campaniam Nolamque crebro accederet. Multos præterea alios, ne multos recenseam Nolæ conditionis amatores. Hæc insuper in causa est, cur multi è Nolanis peregre diu vivere, atque extra patriam incolere nequeant: sed quam celerrime fieri potest, ubi exierint, domum reverti percupiant, non n. inveniunt in exteris morum suorum dulcedinem, quibus domi educati, alitique fuere, quare asperitatem quandam offendentes ab ea, ut à contrario hosteve repelluntur ad suos. Unde factum est Nolæ veluti proverbium: *Nolanum campanarium*: in eos, qui non longius tolerant, aut manere, aut proficisci, quam unde campanarium spectare quirint. Laurentius Bulinus nepos jam adolescens, quum triduo peregre mecum forte per Samnium venisset, adeo offensus est moribus externis, ut reversus Nolam, non prius portam Samuelitanam ingredi voluit, quam equo desiliens antas oscularetur: quod sæpius inter equitandum voverat, si cito Nolam reverteretur; sed huius felicitatis fortuna quasi invida illa, quæ ex illuvione jam dicta orta est, pestilentia multum rem Nolanam afflixit, atque non magnum modo hominum numerum sustulit, verumetiam divitias immensas exhausit; quamobrem æqua ratione cætera quæque diminuta perditaque esse quoque oportere, compertum est.

DE MAGISTRATIBUS Nolanis.

CAP. VII.

NOlani magistratus sunt hi: Prætor, Auditor, Electi, Præfecti eduliorum, Præfectus mensurarum, Ædilis, Quæstor urbis, Magister nundinarum, Quæstor reguli, Præfectus arcis. Horum plurimi constituuntur à regulo: pauci à populo. Regulus prætorem quotannis in urbe præponit, quem *Capitaneum* vocant, atque eum, quem ei lubeat: is tamen vir externus est frequentissime, non civis Nolanus, controversias omnes civium primum judicat, sontesque quoscunque punit. Nam lites, quæ sacerdotum sunt, Episcopi est componere; ubi vero forum agit, domus est conductitia, quæ circa medium urbis, propeque Porticum esse solet. Salarium prætori statutum est à Regulo, cui quoque licet nonnullas parvas pecuniarum exactiones facere. Namque sontium mulctæ in ærarium fisci deferuntur: verum prætori qualicumque literarum genere fuerit redimitus, aut literis caruerit, semper adhibetur aliquis jureperitus, quem *assessorem* vocant: eius officium est controversias dirimere, judicia n. quæ ab hoc ipso feruntur, ea prætor fecisse, existimatur. Idem plerunque ex civibus Nolanis atque à regulo quotannis constituitur: a quo etiam salarium delegatur. Regulus etiam *Auditorem* prætore superiorem constituit: qui non modo prætoris urbani: sed cæterorum etiam oppidorum, quæ Nolæ subdita sunt, causas assumit; si quando in his aliqua male transigantur, is n. qui injuria lite cecidisse credit, appellat Auditorem. Est autem Auditor frequentius Nolanus civis, forum conventumque juridicum domi suæ habens; præmia quoque statuta à regulo capit: tempus autem magistratus, annus est. Electura vero senos homines excipit, quos *Electos* vocant, quod quarto quoque mense à populo eliguntur terni de primariis: totidemque de plebeis; horum summa urbis potestas est; de unaquaque n. re verba facere possunt, atque repub. intercedere regi, regulo, prætori, atque cæteris magistratibus, atque cum ea autoritate rempub. gubernant. Exercent autem magistratum suum Electi non stipendio munereve conducti: sed prorsus gratuiti, ac ea charitate concives amplectuntur, qua patres filios prosequuntur. Præfecti vero eduliorum à populo etiam statuuntur, quos *catapanes* vocant, debentes dicere *catapan*; hoc est præfecti catapan id est circa omne eduliorum genus, nihil n. esculenti vendi in urbe potest, nisi indicto declaratoque ab eis precio. Siqui sint ergo, qui rem pluris vendiderint, aut iniusto pondere mensurave, aut rem vitiatam adulteratamve, ii ab illis pecunia mulctantur; conscribuntur autem hi à populo altero quoque mense atque bini, sed alter ex primariis, ex plebeis alter; pro præmio vero his mulctæ conceduntur, quas ab iis, qui cum fraude vendidere, exegerint. Verum quum acriores in sumendis pœnis sunt, ab Electis refrænantur. Quæstor autem urbis, (quem *Syndicum* Græco verbo appellant) populi magistratus est; is enim syndicus est, ad quem communia à populo publicata deferuntur, quod ea juste recipit. Ergo pecuniam exigit à Publicanis populi, atque à concivibus secundum publicatam à populo Electisque formulam. Eligitur autem quotannis atque unus à populo Electisque, cui præmia quædam solvuntur, quod labores multos subit in eo officio, illaque ex pecunia publica sumit. *Ædilis* vero magistratus à regulo pronunciatur, verum is quoad vixerit, rem tractat: præfectus est viarum, arearum tam in urbe quam extra urbem, stilicidiorum & ad hæc spectantium. Idem solus

Digitized by Google

jus unus est, eique nulla stipendia solvuntur. Namque mulctæ, quas à transgressoribus exigit, illi conceduntur. *Præfectus* vero *mensurarum* etiam unus est, atque à regulo declaratur; ei curæ sunt mensuræ, stateræ, crutinæ, & cætera id genus: mulcta vero, quæ ex iniuste his utentibus exigitur, stipendia præbet. Solet idem semper in magistratu esse, Præter hosce quæstor reguli, quem *ærarium* vocant, à regulo eligitur cum annuo salario: sed ad incerta tempora; is colligit omnem reguli pecuniam; verum quotannis quaterni homines de plebe urbana paganisque deliguntur, quibus ille ut lictoribus semper præsentibus utitur. Horum unus ex plebe Nolana jubetur; alter de paganis, qui à Vicanciana porta sunt: tertius de paganis, qui à Cortefellana sunt plaga; quartus de paganis, quos Samuelis porta excipit. Singuli quinetiam horum baculum tanquam insigne assidue ferunt, unde *Bajuli* sunt appellati; vel quod Aerario bajulant, hoc est ferendo, quod velit, serviunt. Habent hi bajuli forum, controversiasque minutulas cognoscunt; præsertim eas, quæ oriuntur ex damnis illatis in agris, Verum quod literis carent, judex eis datus est ex civibus Nolanis, qui literas exerceat, pœnasque pecuniarias duntaxat exigunt. *Præfectus* vero *arcis* à regulo statuitur, qui ut custos est arcis, ita nemini obnoxius est judici nisi uni Regulo, Statuitur autem ad interminata tempora, *Magister* autem *nundinarum* etiam à regulo constituitur: sed ex primariis Nolanis; fit quotannis quidem, verum octonum dierum imperium habet, quibus nundinæ & Cærimoniæ Beati Pauli aguntur, ut superius dictum est, Licet enim eum omnibus libere impuneque in urbe publiceque esse, vel si alios magistratus fugerint, tum enim omnium magistratuum potestas interdicta conticescit, sicuti omnia vectigalia sublata sunt. Quamobrem ab externis populis mercatores quam plurimi ad urbem se conferunt, cum mercimoniis innumeris, ut vendant emantque absque solutione vectigalium, ac portoriorum. Huic itaque conventui octomerino magistratum præesse oportet, ut controversiæ compescantur, quæ inter negociantes solent excitari; is ergo prima die magnum imperium ostentat. Nam à Regia sumpto vexillo magno reguli, exiens ordine longo, per urbem totam procedit. Primum n. omnis multitudo paganorum pedes progreditur arma gerentium, quæ turmam peditum in aciem descendentium præsefert; hos sequuntur tubicines Tibicinesque atque tympanistæ equo sedentes, ac vexillum præcedentes; sequitur hosce vexilliger: is juvenis validus est atque ex equestri ordine delectus, equo sedet pulcherrimo, quem nunc in hoc nunc in alterum latus agitans, gestat vexillum erectum, quum dextra, ac cubito exerto illud fixerit, ubi genu premit equum, atque dederit, ut eius velum assidue obvius ventus crebras in undas versat. Post hunc lictores magistratus pedes sequuntur, hosce sequitur ipse magno equo delatus ornatusque vestibus, gemmis & auro, sceptrumque dextera tenens; comitantur omnes Nolani cives, qui equo sequi possunt. Tandem facta lustratione ad Porticum, quæ per eos dies aulæis, ac frondibus ornatur, devenitur, hic vexillum erigitur super Porticus fastigio. Magister vero solio alto sedens jura cunctis dicit. Septimo vero die, ac pridie festum beati Paulini altera fit lustratio; primum n. agricultores cum falcibus procedunt, sequentes tanquam vexillum eorum, ingentem ut columnam facem accensam, spicisque triticeis redimitam. Hæc adeo magna est, ut pondus injustum sit homini ferenti, quare in capulo quodam erecta præfertur à pluribus: excollata pecunia agricultorum confecta est, atque quotannis augetur; non solum reficitur id quod in lustratione incenditur, quod *cereum* vocant, similiter fax alia conficitur ab aliis, quam in hac pompa suam quique præmittentes sequuntur, Deinde ergo sequitur fax olitorum cæpis allisque corollata; quam sequuntur olitores, ac deinceps reliquæ faces opificum. Post hosce incedunt ordines cœnobitarum, ac ordines sacerdotum clericorum: quorum ultimus episcopus est, ferens manu reliquias apostolorum, ac ligni crucis, quorundamque martyrum, ac divi Paulini, easque in manu argentea clausas. Episcopum comitantur regulus, atque magister nundinarum, deinde primarii urbis, atque plebs reliqua; omnes videlicet pedes incedentes. Postrema vero die nundinarum, quæ festa divi est, præmia cursoribus exponuntur in ipsa porticu pendentia: quæ tria sunt. Primum militares vestes: alterum Scorpio cum pharetra: tertium ensis. Conveniunt ergo undique, qui cursu præstant; curriculum est mille, & quingentorum passuum: curritur per portam Vicancium: carceres sunt extra urbem ad Candicios, meta est ad Porticum. Cursores nudi, ac revinctis capillis certant. Horum primo vincenti primum; sequenti alterum: tertio tertium præmium datur, Post hoc currendi certamen primores adolescentuli, qui duodecim annis natu non fuerint majores, equo insidentes cursu altero certant hastulas gestantes; curritur eadem via per trecentos passus: carceres sunt extra portam Vicancium, meta ad porticum. Hic enim in media viarum sectione orbis auratus pendet amplus, quem hastula sub axilla dextra firmata directaque incurrentes transfigunt, Transfigentibus crumenæ sericæ donantur. Hæc omnia gradum facere videntur ad militarem artem; non solum ad pompam instruuntur. Testanturque apud veteres horum spectaculorum autores magnam curam fuisse rei militaris, non modo divini cultus. Quibusque expeditis magister abdicat se magistratu, domumque se confert privata facturus.

DE TRIBUTIS, ET VECTIgalibus, quæ in urbe populoque Nolano fiunt.

CAP. VIII.

IN urbe Nola tum publica pecunia exigitur, tum privata; publicam exigit populus

pulus Nolanus, privatam vero regulus atque civis. Verum ea, quæ publica est Nolanorum etiam in privatam mutatur. Transfertur enim in tributa regia: à rege nanque jussa est anniversaria pecunia præ numero ædium, quæ & in urbe sunt, atque in pagis villisque Nolanis palantur, itaque ut pro singulis ædibus populus jussus sit denos quinos argenteos solvere: atque præter hosce singulæ ædes jussæ sunt accipere ab eo modios singulos salis. Modius n. hic (qui & *tumulus* dicitur) pondo est centum, ac decem librarum: atque pro sale distributo exiguntur argentei quini cum semisse in singulos modios. Quamobrem ædes singulæ, quas *focos* appellant, vicenos argenteos cum semisse solvere tenentur, Nolanæ vero ædes tum urbanæ tum paganæ, quum usque ad millenarium numerum censeantur, fit ut singulos annos pop. Nolanus tributum vicies centenum quinquagenumque aureum regi pendat. Verumtamen & si populus numerum pro numero ædium pensurus est: non tamen ea tessera pecuniam colligit, ut pauperes sortes æquas locupletioribus solvant, sed rem cuique ita impartitur, ut suum cuiusque peculium, ac census est. Quinetiam ne omnis ea summa hauriatur à civibus, indixit annuente rege atque regulo quatuor vectigalia rebus quibusdam, quæ publice venduntur, quas *gabellas* appellant, volentes dicere *capiellas* à capiendo. Eorum unum est *super farina*, quod in emporio venditur: in quo emptor solummodo solvit in singulos tumulos memorati ponderis obolos quosdam, quæ argentei decima est pars. Alterum vectigal indictum est *super vino*, quod duntaxat in tabernis diversoriis venditur. Caupo enim in singula dolia aureos quaternos solvit. Tertium est *super viscere* rotulatim vendendo; lanius enim pro bove, vitulove, aut porco, aut cæterorum quolibet solvit habita ratione æque ac rotulatim librarimve fieret solutio. Quartum est *super eis, quæ sale macerantur*, inter quæ etiam recentes pisces audiuntur: in quo venditor solum solvit præ numero rotulorum. Omnium horum vectigalium, atque distributi salis pecuniam Syndicus & quæstor urbis colligit, idemque ex ea tributum regi nomine Nolanorum pendit. Regulus autem privatam pecuniam excipit simul per vectigalia quædam, quæ super mercatura rerum injecta sunt, simul per redditus agrorum atque ædium & tabernarum, quas possidet. Vectigalia *sex* sunt: unum est *super statera*, nam pro omnibus rebus, quæ publicè summatim venduntur pondere, quum statera sint librandæ, solutio fit libratori à venditore. Alterum *super animantibus*, quæ venduntur, solvitur pro precio animantis venditæ, solutio fit ab emptore, atque par à venditore; quo vectigali soluti sunt Nolani tàm emendo quàm vendendo. Tertium est, quæ *Grassa* nuncupatur; namque præ absportandis rebus ab urbe aut transigendis per urbem agrumve Nolanum portorium solvitur à rerum domino. Neque huic vectigali obnoxius est Nolanus civis. Quartum est *super jugulandis animalibus*, quorum victus divenditur, quod lanius etiam solvit præ magnitudine animalis, quod jugulat. Quintum est *super mensuris* frumentorum & leguminum, atque fructuum, qui in Mercatu venduntur: cui Nolanus civis si emptor fuerit, non manet obnoxius: venditor vero frumentimetræ præ numero mensurarum solvit. Sextum *super pannis*, in quo advena, si in urbe vendiderit, præ venditorum precio pannorum facit solutionem. Collectio igitur regulinæ pecuniæ, quæ in agris urbeque Nola quotannis fit, excrescit ad bis millenos atque quingentenos aureos. Pecunia autem privata civibus exigitur, partim à feudis, partim ab agrorum fructibus; feudum enim est jus quoddam regium, quod habetur in plerisque aut ædibus aut tabernis aut agris, aut omnibus his, quorum feudatarii tenentur quotannis tributula quædam pendere feudi domino. Quod jus nusquam dividitur, sed integrum semper venit ad hæredem eum, qui natu fuerit primus; cives autem, qui feuda non possident, ex agris tabernisve aut domibus usum, fructusque capientes, vectigalia faciunt; nemo tamen civis Nolanus est vel cum feudo vel sine feudo, qui præter impensas factas in agris, tantum pecuniarum exigere potest, quod excedere valeat trecentos aureos.

DE MATRIMONIIS & dotibus.

CAP. IX.

MAtrimonia Nolani contrahunt primum per occulta pacta: deinde antequam fidem dent sponsi, referuntur ad præsulem, atque in episcopio audiente populo publicantur: ut si quid forte conjugium occulto fuisset patratum, detegeretur, neve duo conjugia conjungerentur; atque ubi compertum sit, nullam adesse fraudem, illud, de quo agitur, paucos post dies data fide compleretur. In quo mulier dotem fert viro: contra vero vir dono mulierem prosequitur. Namque ob sumptum primum osculum illi mulieri de pecunia sua tantum largitur, quanta est dotis decima. Quinetiam præ onere prolis tollendæ, quanta est dotis quarta. Dos autem si parva aut mediocris fuerit, frequenter ex triente utensilia sunt, è besse vero nummi, aut domus aut ager, qui nummis sit censu par; si vero magna, è sextante utensilia sunt, è dextante vero nummi aut prædia: vir vero veluti acceptæ summæ, quæ sit ex dote constituta, & quarta & decima memoratis, obnoxias & obligatas facit possessiones suas, præsertim domos & agros, adeout illarum usus ipsius sit, mulieris vero hypotheca seu primum jus. Manet autem sponsa domi paternæ aliquot menses, interdum usque ad annum virginitate servata, exacto vero tempore manendi statuto ad episcopium deducitur à parente cum pompa & sonis: atque illic idem sumpta filiolæ manu, eam viro tradit, dedit, atque addicit, at is cum accepta sponsa ad aram accedit ducente sacerdote: & actis illic orationi-

tionibus, acceptaque benedictione domum viri puella cum eadem pompa deducitur, atque illic tum die, tum biduo, interdum triduo nuptiæ celebrantur inter sonos & tripudia & choreas, & cantus, & opipara amplaque convivia. Nam quamplurimi ad convivia invitantur, ad tripudia vero & choreas cuique accedere & intrare licet. Hoc pacto Nolani ante prolem gignendam præludunt, ut summo honore & lætitia eos excipiant, quibus sunt senectutem gravem commissuri. Summa vero dos adusque septingentenos aureos excrescere, minima vero non infra quinquagenos minus & tenuari solet. Quamobrem ubi tantum auri cum puella transferri videretur, autore Raimundo Ursino Nolæ regulo cautum est, edictumque factum, ac à populo Nolano jurejurando sancitum, quod hoc pacto habet. *Nolano homini à contermi-nis populis uxorem ducere licito, in uxorem vero Nolanam puellam mulieremve ad exter-nos populos mittere non licito*; quod multis annis servatum est: nostra vero tempestate prope antiquatum.

DE SPECTACULIS histrionum atque ludo equestri.

CAP. X.

Quanquam per hæc tempora nulla essent amphitheatra, neque vestigia aliqua videntur eorum, quæ extare potuissent post illa duo, quæ in urbe antiqua (dictum est) mansisse: spectacula tamen quodam modo aguntur, quæ similitudinem & speciem faciunt illorum ludorum antiquorum; siquando nunc spectacula redduntur tum personatorum, tum etiam juvenum veris armis certantium, atque illi pedes, hi vero equo sedentes rem agunt. Veruntamen personatorum spectacula quædam sunt ad ostendenda mysteria religionis: veluti quum representatur resurrectio Domini JESU, aut quum Reges tres stella monstrante viam, visere natum JESUM, quæ omnia in basilicis solent agi. In quibus reddendis peritiores extiterunt actores *Paulus monachus*, *Baptista Tangus*, *Bernardinus Miranda*, *Bernardus Gratianus & Antonius* frater ejus, *Joannes Monfortes*, *Joannes Moscarellus*, *Petrus Paulus* ejus filius, atque *Caruluccius Tangus*. Quædam vero ad voluptatem apparantur: quæ quoque maxime varia sunt; neque ipsa hæc in templis, in areis urbis magnis agitantur, veluti in foro frumentario, ut in area, ea, quæ est ante basilicam divi Francisci, atque ante Porticum; aut etiam vagando per urbem. In his quam maxime comœdia Atellana introducta esse videtur, omnia n. vel choreas & tripudia capiunt, vel jocos & sales habentia, risum creberrimo movent. Peritiores quam plurimi etiam in his apparuere histriones: sed præstantissimi omnium tres, *Joannes Gratianus* cognomento *Rosta* (*rostam* n. dicunt frustulum assum carnis: erat n. illius corpusculum rostæ perquam simile) *Damianus Capuanus*, atque *Angelus Massellus Sassius*. Is adeo facetus fuit, ut ne moriens quidem jocorum oblitus sit, quum n. rogaretur, quo nam in templo placeret humari? voce sane quam tenui respondit; in sancto Apostolo: ut sicuti vivus bene bibi; ita mortuus, bibam assidue; erat n. vini amantissimus: in sancto vero Apostolo pavimentum adeo humi depressum est, ut parum absit ab aqua. Proinde qui illic sepulti sunt, fere semper aqua madent. Eorum vero qui equo sedent, spectaculum tanquam equitum certamen est, singuli enim armantur ubi primum calcaria fuerint calciati, ocreis à talis ad usque inguina, quarum *scinerios*, quibus tibiæ, *arnisios* vero, quibus coxæ teguntur, appellant, item faleris, quæ à cingulo adusque genua pendentes ambiunt clunes ac coxas, quasque *faldas* vocant. Tertio semilorica vel semitunica, quæ & brachia & cæterum corpus, quod à collo ad cingulum est, operit, quod *fiancale* appellant, verum tam faleræ, quam semilorica tela quædam est ex solis annulis ferreis textilis. Item thorace, manicis, casside, atque buccula, quam *haveram* appellant. Quinetiam humero sinistro veluti quædam ala, quod *spallarolum* vocant, adiecta est, quæ tegit usquequaque humerum axillamque atque scapulam, habetque anterius ea ala veluti parvum scutum: quo & axilla & pectoris pars sinistra tutius armantur. Quinetiam adiicitur femorale, hoc n. est tegmen, quod à cingulo pendens tuetur alui sinistram partem atque coxam; læva n. validius armantur, quod lævo latere ictus hostis excipiuntur. Sunt autem hæc arma præter faleras atque semitunicam solido duplicique ferro constantia, tersaque, ac veluti speculum fulgentia; cassidi quoque semper assidet crista aliqua aurea argenteave, ut equitis fert libido, habet is eques armatus in conflictu turbinatam hastam longam pedibus quatuordecim: cujus citra capulum cauda est longa trium pedum, crassa vero tantum, quantum apte ab axilla astringi possit; ultra capulum vero turbinis ambitus est duum pedũ: cuspide vero summa ambitus est digitorum sex, quinetiam ultra capulum statim affixus est orbis ferreus magnus, ac nitidus, qui ubi hastæ cauda sub axilla tenetur, regit & manum & axillam tenentis, quod *schifum* vocant; in cuspide vero hastæ spiculum nullum, ea n. secta est solummodo. Neque tam longa magnaque hasta, ubi inclinata in hostem fuerit, posset teneri ab axilla atque dextra manu, nisi etiam exertus à thorace esset ferreus veluti dens porcinus; hoc n. tanquam unco mutuloye hasta quam maxime sustinetur, quem dentem *restam* appellant. Ascendit itaque is armatus equum magnum, ac validum, atque eum exeuntem quatuor juvenes etiam equo sedentes antecedunt, quorum singuli singulas hastas, quales diximus, gerunt erectas: atque cum comitib. aliis ad curriculum spectaculumque gravi incessu devenit. Locorum vero certaminis huius alter extra urbem est in foro Boario: alter intra urbem, atque in ea via, quæ à sacello Paulini versus turrem Scriniariorum procurrit. Est enim ampla, recta, planaque, cuius solum non cœnosum est, neque

neque silice stratum. Sed tamen ut in foro Boario rarissime fit conflictus: ita hoc in loco frequentissime agitur. In hac autem via media sepes extruitur altitudinis sex pedum, longitudinis vero passum XX. contexta ex perticis tenuibus viridibusque atque frondosis, primum quidem pedatim humi fixis, deinde altera inclinatis, quam *telam* appellant. Conflictus vero fit aut quum duo concurrunt, uterque ab altero telæ cornu ita, ut concurrentes tela sola mutuo dirigat, atque discriminet; aut quum eorum alter ictum excipit expectans in altero cornu telæ, alter vero ab altero impetum facit. Sæpius tamen eodem in spectaculo alterque socius omnes incurrentes expectando excipiunt. Expectantes *tabulerii* nuncupantur: qui duo interdum sunt, ut unus eorum semper sit in spectaculo; licet autem singulis quaterna incurrere, quæ quaternæ hastæ feruntur à singulis, atque quod in eo numero omnis vis & equi & equitis experitur. Neque singula paria certantium in singulis spectaculis: sed deinceps quamplurima numerantur. Accidit itaque in eo conflictu hastarum confractio aut omnium aut plurium, Verum qui omnes eas frangit feriendo, is præmia refert: ni fuerit, qui hostis cassidem eiusque frontem feriat. Is enim præfertur cunctis, ubi nemo hostem ab equo feriendo detruserit; nam hic ante omnes dignus habitus est. Accidit casus, accidit confractio, aut brachii, aut tibiæ, aut capitis: accidunt vulnera ob surculos fractaque fractarum hastarum, quæ per commissa arma infiguntur ab impetu: accidit interdum etiam mors tam à vulnere quam à casu. Præmium vero aliquando tela serica est, aliquando pannus, aliquando annulus aureus. Neque in conflictum hunc Nolanum milites descendunt, sed juvenes, qui militarem artem inire cupiunt paranturque. Appellant autem hunc conflictum *giostram*, debentes dicere *clostram*: quippe quod in loco veluti clauso id genus certaminis agitur, Ex quibus licet videre veluti quasdam umbras antiquarum institutionum, quibus populus oblectabatur & discebat in amphitheatris, atque quibus juvenes ad ingenium pugnandi erudiebantur. Namque sicut in scholis primum adolescentes declamando docentur orare, ut in foro concioneve apposite dicendo suadere valerent: ita in spectaculis juvenes & equos & hastam regere atque arma tolerare, ut discunt, ita assuescunt, ne in pugna veriore ab ignorantia, & novitate facti tardarentur, Verum enim vero mos hic usque ad nostra tempora servatus, si non per se degeneravit, cœpit tamen corrumpi à more alio, qui nuper in Italiam furtim inductus esse videtur, hoc pacto se habens. In eodem enim curriculo funis è transverso tenditur, à cuius medio pendet bacillus ultimo annulum ferreum continens, non majorem eo, quem medius digitus indueret, quam *quintanam* vocant. Curritur igitur ab equite inermi atque cum hastula tenui ad transfingendum eum annulum; transfigenti cuique datur pecten, aut speculum, aut crumena, aut muscarium setaceum; ei vero qui equo decidit (namque hoc etiam contingit) utriculus quidam mittitur. Currunt hic equo sedentes tam personati quam non personati, atque in curriculo nulla his tela sepesve erigitur.

DE CONSUETUDINE QUADAM SACERDOTUM PRÆSULEM VENERANTIUM,

CAP. XI.

ANtiquus mos Nolæ increbuit is. Septimo enim quoque Kalen. Majas omnes sacerdotes episcopales, quos *presbyteros* vocant, tàm qui in urbe, quàm qui in conterminis oppidis immorantur, ad urbem episcopumque se conferunt: oppida vero, quæ sub præsulatu Nolano sunt, superius enumeravimus. Veruntamen non licet clericis urbem intrare, nisi coronatis, atque ordine canentibus cum plusculis tibicinibus. Cantus sunt Dei, ac sanctorum hymni: corollæ vero contextæ sunt è rosis, floribusque citreis, aliisque, si quos pulcherrimos ea dies producere solet: manu quoque ferentibus fasciculos rosarum affabre contextos, ac apte distinctos. Eo itaque modo ornati sacerdotes urbem templumque episcopi ingrediuntur: singulæ vero turmæ eorum à singulis oppidis adventantes. Deinde ubi omnes in choro congregati sunt, singulatim vocantur ad episcopum. Is verò tum sedet in solio quodam alto, quod situm est sub parva testudine: testudo autem hæc inter majorem cellam atque minorem lævam, erecta à duabus columellis atque pariete, tribus arcubus parvis interiacentibus sustentatur, quæque per solia atque imagines quasdam fastigiatur. Sed hoc solium, quod in cella majore esse deberet, expositum est eo pacto, quo dictum est. Vocatus igitur sacerdos de ordine, ac turma sua solus ab aede ad cellam, & à choro ad Episcopum accedit coronatus, atque floribus redimitus: deinde solium ascendit, ac genu flexo extractaque capiti corolla Episcopum veneratur, corollamque ac fasciculos florum omnes illi largitur, & exosculata præsulis manu recedit ad suos; atque eodem modo cæterorum singuli vocati accedunt, flosculaque munuscula ferentes donant. Episcopus vero ubi plusculæ corollæ fuerint collectæ, dono eas mittit ad primarias urbis matronas. Populus enim omnis ad hunc veluti triumphum spectandum collectus est. Inter hosce vero sacerdotes unus à Stabiis mittitur, qui agnum baiulo portante conducit; agnus est magnus candidusque atque cum cornibus auratis: quem ille dono ad præsulem ducit, ut alii serta rosasque largiuntur. Facto itaque eo pacto censu sacerdotum, cum communi omnium eorum cantu sacræ rogationes finiuntur, domumque cuncti suam hilares revertuntur. Ea res, atque clericorum quasi census usum basilicæ antiquum autoritatemque ostendit. Prætor enim tum in cella alto loco sedens jura dicebat populo collecto in æde. Nolanorum quoque antiquum imperium in circumposita oppida, quod superius

Digitized by Google

perius monſtratum eſt, teſtatur. Quinetiam cæremonias quaſdam Jovis indicare videtur, quas Nolæ in templo ejus contermini populi quotannis factitabant: in quibus agnus albus cum auratis cornibus à Stabianis mactabatur; auratum enim agnum Jovi mactari cecinit Apollonius Rhodius in ſecundo Argonauticorum ab iis, quibus in profugiendo Juppiter præfuiſſet. Proinde videre licet quoque ex his Nolanum epiſcopium, non modo templum atque celeberrimum Jovis extitiſſe, ſed etiam Jovis Profugii atque Fœdericii; Stabianoſque aliquando profugiſſe ad Nolanos, atque Nolanis deditos fœdus deditionis percuſſiſſe. Nam apud Homerum III. Iliados à Menelao Greciſque ducibus Jovi mactatur agnus albus, qui ſervatores fœderum juvaret: male contra puniret eorum tranſgreſſores atque raptores. Roſarum autem atque florum ſerta, faſciculi, & glomi lætitiam ac hilaritatem ubique teſtari volunt, flores enim ſunt veluti gaudia & lætitiæ ſtirpium. Sunt enim apertiores pulcherrimæ atque gratiſſimæ. At vero qui ad dominum præſulemque ſuum veneraturi accedunt, eos primum benignos hilareſque lætoſque eſſe, atque gaudia animi præ ſe ferre decet, quamobrem ad illud maximum judicium Paridis legitur iiſſe Venus non ſolum Horis & Gratiis redimita, ſed etiam roſas manu ferens, ob quas tam læta grataque viſa eſt judici, ut pro roſis palmam reportarit, Severitas contra atque triſtitia, & ſuperciliorum corrugatio: item vacuæ manus, & inornatum caput, quandam animi averſionem atque deteſtationem oſtendit & arguit, quæ res quam plurimum ab officio venerantis reputatur aliena.

DE ALTERA SACERDOtum conſuetudine.

CAP. XII.

COnſuetudo ſacerdotum altera ita habet. Paucis enim poſt memoratam diem coronarum ſertorumque præteritis, atque tum, quum dies illuxit, quod *Paſca roſarum* appellatur; Baſilicam epiſcopium fronde atque floribus ſpargunt ornantque ſacerdotes, ac inter ſacrificandum ex eis unus vaſculo arctiſſimi orificii roſiſque ſemipleno ſingulos accedentes irrorat; exactis deinde rogationibus ſacris in ſpectaculum erigunt populum hoc pacto; templo enim pendet porcella viva, magna, valida, præceſque atque tota ſævo illita, cuius poſteriores pedes ligantur ſune ductorio, qui per trochleam templo alligatam fluitat: nam alteram funis partem trahentibus porcella ſtatim extollitur, eiſdemque laxantibus & illa humum verſus celerrime ruit; trahentes autem non humi, ſed ſupra fornicem minoris cellæ dextræ firmantur. Super trabibus tituli quinetiam coaſſatio quædam aſſerum contabulatur adeo, ut certa contignatio videatur: in qua paratur copia maxima aquæ, ac ingentes cumuli faſcium urticarum, ſtupeorumque glomorum magna multitudo: ut iiſce porcellæ defendantur. Contra vero ad raptandam porcellam datur iis, qui in pavimento ſunt, libertas aditus: ſiccirco ad eam capiendam accinguntur iuvenes validiſſimi ruſticique nudi brachiis, coxis, & cruribus, quorum capita cervicalibus conteguntur: quibus non licet accedere pluribus quam quinque aut ſex: trahentibus vero uno alterove licet pluribus eſſe; permittunt igitur ſuperiores porcellam paulatim defluere uſque ad capita ipſam aggredientium: hi vero primum manu (ut lubet) pedes aureſve illius prehenſant, ſed quum tenere abducereque arbitrantur, ſtatim tempore a ſuperioribus retracta e manibus tenentium dilabitur; iidem vero ſaltando ſequuntur aſcendentem, iterumque capiunt detrahuntque ſenſim etiam ſinentibus ſuperioribus: deinde iterum cogentibus extollunt eam quam facillime dilabentem: interea à contignatione aqua infunditur in raptores major omni pluvia, omni nimbo, & imbri. Neque qui fundunt, videri poſſunt ab eis, qui in pavimento manent. Illinc quoque raptores feriuntur faſcibus urticarum, atque glomis ſtupeis inflammatis uſtulantur tam apte jactis, ut fulminibus videantur eſſe percuſſi; raptores vero tolerant haſce veluti cœli injurias maximas, intenti ſummopere ut porcella potiantur. Crebri riſus primum cuncto fiunt populo, deinde cachinni; demum etiam conclamationes nunc hoſce, nunc illos hortantium. Certantes autem tam ſuperni quam inferni non amplius de porcella, contendere, ſed de robore honoreque, quem populus exclamans polliceri ſe vincentibus oſtendit, accenduntur. Quare vis omnis utrinque colligitur adhibeturque, pugnaque vehementiſſima redintegratur: raptorumque cernuntur alter ſuper alterius dorſo humeriſque ſcandere, ac ſæpe eorum duo ſuper tribus ſeſe ſummittentibus extare ita, ut cumulus ex eis veluti mons ex montibus erectus eſſe videatur, unde porcellam facillime capere ſperant; veruntamen quo ſe altius aggerant, eo acrius feriunt, faciliuſque veluti vaſta moles quaſſata præcipitantur. Hoc itaque pacto per horam certatur, ac interdum victoria horum eſt, rupto, inciſo, aut ſoluto fune: interdum ſupernorum. Sed tamen ſuperni vincentes demum porcellam ſinunt raptoribus prædari, ubi multum afflictatos eſſe ſenſerint, ſpectaculumque ſolvitur. Hujus quinimmo ſimile Neapoli factitatur atque in baſilica Archiepiſcopali: quod à pleriſque vitio magno datum eſt. Quorum unus eſt *Jovianus Pontanus*; is enim in Charonte ſcripſit, id tractari ab iis, qui ut porci luto gaudent. Nobis vero aliter viſum eſt, cenſentibus eum morem vetuſtiſſimarum cærimoniarum rationem retinere, bellumque eo illud repræſentari, quod gigantes cum Jove, diiſque quondam auſi ſunt gerere, ut à Poetis fictum eſt. In quo raptores validi ruſticique pro gigantibus inducuntur; porcella vero illis obiecta eſt, ut in eam faciant impetum, quare demonſtrantur gigantes, ubi opinantur aggredi cœlum Jovemque atque deos, in abjectiſſimam atque fœdiſſimam quadrupedem invehi, veluti Sophocleus

Aiax ; qui quum contemneret deos , atque aggredi obtruncareque Agamemnona , Ulyxem , ac cæteros Heroas Græcos , ut pararat, crederet , in boves arieteſque impetum feciſſe dicitur ; aut porcella ſignificat cupiditatem ab omni ratione ſemotam , quæ in gigantibus imperare creditur : hanc igitur ſecuti gigantes in cœlum impetum facere præſentantur , dum juvenes porcellam inſultare cernuntur ; percuſſi ſunt gigantes jaculis cœlo miſſis , fulmine , imbre , æſtu , frigore , pro quibus in ſpectaculo ſunt igneſcentes globi , aqua , & urticæ à contignatione intortæ : demum ut juvenibus ſanequam attritis afflictiſque ſordidum animal ſolummodo lucro eſt præque manibus habetur: ita gigantibus ſpe fruſtratis præterquamquod pœnas maximas dedere , inuſta etiam eſt temere appetendi turpitudo atque infamia ; cujus facti ſimile omnibus iis evenire ſolet , qui nimia atque ea quæ ſupra captum hominis ſunt , conſequi , animum inducunt . Nanque pro rebus magnis appetitis abjectiſſimas ac indecoras ſolummodo nanciſcuntur . Quamobrem ſpectaculum eiuſmodi in honorem Jovis , ac opprobrium gigantum factitatum eſſe ætate illa priſca credendum eſt : idque in templo ipſo Jovi dicato maximaque diligentia & paratum & actum . Quinetiam baſilicam ipſam epiſcopii templum Jovis fuiſſe , vel hoc ſpectaculum indicio maximo eſt . Chriſtiana vero poſteritas , cui ſemper placuiſſe videtur corrigendo ſervare vetuſta , omniaque ad uſum bonum ſanctumque quantum licuit , transferre : minus id ſpectaculum turbaviſſe : ſed potius ut convenientiſſimum religioni ac populo conſuetum & gratum reliquiſſe . Eo enim ſignificatur Deus optimus maximus ultor tum malorum præſertim ſuperborum hominum , ac injuſte raptare honeſta nitentium , tum eorum , qui irato furentique animo cogitant in cœlos atque Dei ſævire majeſtatem . Jovianus vero non omnino ab re rem vitio dedit ; nanque illud ſcripſit , dum Neapolitanorum ſpectaculum cerneret . In quo non ſolum ea , quæ dicta ſunt , ſuperni jaculantur in raptores : ſed etiam lotium , excrementa , fæces , & omnia quæcunque potuerunt ſuggerere purulenta.

DE MORE QVODAM ADOLESCENTIUM NOLANORUM.

CAP. XIII.

QUæ ſacerdotum conſuetudines ſint , explicatum jam eſt : nunc de quodam adoleſcentulorum urbanorum more tranſigendum. A Januariis igitur Kalendis ad uſque Kalendas Martias bellum quoddam civile Nolani adoleſcentes gerunt , ſcilicet quouſque dies abſtinendi à viſcere edendo , aderint : quæ *Quadrageſima* nuncupatur . Tres igitur portæ ſunt urbis ; quibus adoleſcentes ſui cujuſque addicti bellum gerunt , *Vicantius* , *Cortefella* , *Samuelis*. Nam interdum Vicanciani cum Cortefellanis pugnant ; interdum hi cum Samuelitanis : aliquando vero Vicanciani cum Samuelitanis . Locus vero pugnandi Vicancianis , & Cortefellanis totus agger eſt , qui inter utraſque eorum portas extenditur ; Cortefellani vero , & Samuelitani pugnant in aggere interiecto inter eorum portas . At locus pugnæ Vicancianis ac Samuelitanis non extra urbem atque in aggere , in urbe ac via ipſa Vicanciana eſt : præſertim ſub ipſa porticu , quæ in media urbe erecta eſt . Pugnatur in aggere eminus quidem glebis , ceſpitibus , ac luto : interdum , quum irritantur utrinque animi , etiam lapidibus . Comminus vero pugnis , cæſtu , involatu , impulſu ut de aggere hoſtem defendat , alterutro aut in foſſam aut in hortum , item raptu : nam adiecta manu aut capillos aut collare capientes rapiunt hoſtem in humum . Neque ſilendo manus eiuſmodi conſerunt , ſed cum clamore pugnantes magno , ſuoſque quique hortantes: aliquando vero pugna æquo marte ſolvitur , plerunque ab altera victoria eſt . Sed tum videntur fugientium cadentia multa corpora, atque paſſim alia ſuper alia corruentia : aliqui quinetiam capiuntur , in quos atque proſtratos pugnis quantum lubet , ſævitur . Interdum fugientes refecta acie additoque animo convertuntur adverſum vincentes tam acriter , ut illorum impetum ſuſtineant , perſtringant , cogantque eos etiam terga dare atque reddere vicem pœnæ , interdum victis nulla ſpes reficiendi aciem reſtat . Quare quanto maximo curſu poſſunt , fugiunt : victos vero acriter inſtat ſequendo aduſque portam adverſam , quam claudere quoque aliquando coguntur , qui victi ſunt . Victores vero tum verba cantant in contemptum fugientium incluſorumque . Sed tamen hoc non diu licet agere . Nanque omnes viciniæ tum colliguntur , ac aperta porta in pauciores incurrunt: quos ſuperant , profligant , ac in fugam retroverſunt , inſequuntur fugatos aduſque portam adverſam . Ea pro re raro vincentes aduſque portam fugientem inſequuntur . In hiſce certaminibus frequenter pugnant adoleſcentes natu quindecim annorum plurimumque uſque ad XX. Veruntamen utrinque veniunt ſpectatum quam plurimi natu majores, quorum quiſque ſuis favet , atque quum rem inclinatam vident , ineunt pugnam : in quo adeo turgeſcunt interdum ſpectantium animi , ut etiam ſenes nihil pudeat in aciem eam deſcendere , ac ſe pugnis vehementer contundere . Hora vero pugnæ poſt meridiana datur . Neque omnes adoleſcentes civeſve ad hanc ſemper pugnam deſcendunt : ſed frequentiſſimè plebei , interdum etiam primarii . Longe autem frequentius in aggere pugnatur , quam in urbe : atque ut rariſſimè certatur inter Cortefellanos , Samueli tanoſque ita creberrimæ maximæque pugnæ committuntur inter Vicancianos , & Cortefellanos . In quo illud maxime mirum licet ſpectare , nanque & ſi veſpere pugna maxima pugnatum ſit , poſtera omnes amici conſuetudinem agunt , qui heſterna tanquam hoſtes inter ſe concurrerant , ſimulque ridentes egregiè facta recenſent , ac validiores laudantur : victi verò æquo animo fortunam ferunt . Hic ipſe mos ab antiqua profectus eſſe videtur inſtitutione . Priſca enim illa ætas omni ratione,

qua

qua potuisset, conata, juvenes ad bella ac pugnas evocabat, parabat, instruebat. Hæc enim imago præludiumque quoddam est illius, quæ armis pugna certa committitur. Ex quo fides quoque nobis major sumitur, non parvam fuisse curam artis militaris apud priscos Nolanos, veluti superioribus sæpe jam monstratum etiam est.

DE VINDEMIA, ET MORE quodam paganorum cum vindemiam faciunt.

CAP. XIV.

ARboreta omnia non vineta Nolana esse superioribus dictum est, eam ob rem vindemia fit scalis longissimis pluribusque arbori admotis, undique enim rami veluti promissa brachia exerti sunt: quibus malleoli flagellaque cum racemis plurimis deorsum luxuriantes sustentantur: quaternæ quinæve scalæ singulis arboribus admoventur, singulis verò scalis singuli racemorum decerptores, quos *vindemiatores* vocant, utuntur. Turba vero horum varia est. Nam aliquando XV. decerptorum est, aliquando XX. & XXV. ac XXX. Fert quisque sursum cistam turbinatam, cujus basis conus est, suprema pars ampla ac virgulata, amplitudo est decem palmorum, altitudo pauco minor brachio; habet capulum qua vimen in semicirculum flexum supra os utrinque affixum est, cui longus funis atque uncus ligneus alligantur; hæc *fiscina* nuncupatur *à findendo*, namque quum plena descendit suo cono vites ac ramusculos implicatos findit: aut (ut Varro) *à ferendo*: aut quod contecta viminibus tota est fissilis. Fiscinam ergo racemorum plenam manu veluti facta trochlea per ductarium funem demittit ab alta arbore vindemiator: atque alta voce assiduè clamat nuncians fiscinæ descensum, humi vero pueri sunt, quos *fiscinarios* vocant, qui demissas fiscinas capientes in solium invertunt extemplo, racemosque de fiscina in illud excutiunt; solium vero *cupellum* à cupo & capacitate vocant: vel Græcum nomen servantes *ληνὸν*, nam hoc est calicis pars, quæ humore impletur; solium autem tres fiscinas capit, fiscinam vero evacuatam vindemiator sursum iterum per eundem funem paulatim retrahit. Cupella singulatim capiti imposita defert ad currum mulier una, aut altera, quam *cophinariam* appellant, currui enim magnum solium superpositum est, quod recte vocant *labellum* Nolani: est enim labrum & labellum vinarium; curru deinde labellum plenum uvarum conculcatarum ad lacum convehitur, hæc est Nolana vindemia. At vero vindemiatores ea die, qua pro quoquam vindemiam faciunt, atque per totum vindemiæ tempus Baccho Deo pleni esse, ac furere prorsus videntur. Tria enim præter omnem consuetudinem modumque facitant, esum, vindemiam, clamorem lascivientium; singuli enim tantum comedunt una die, idque ter, quantum alias quatuor hominibus satis esset: quinetiam celerrimam vindemiam, ac rem omnem agunt ridentes, saltantes, currentesque, quum humi sunt; scalas quoque altissimas erectasque altera manu de arbore ad arborem assiduè facillimeque transferunt. Clamor vero captum omnem hominis superat, atque qui vix audientibus creditur; nam omnino furentium est. In agro quinetiam in quo vindemiant, semper pudibunda vindemiando inclamant, obscœnasque quasque partes suis nominibus pronunciantes, veneres vel obscœnissimas se optare exclamant, eas jactant, minitantur, idque omnibus iis, qui humi sunt: atque ob hæc dicta etiam risitant atque cachinnantur. Quod si agri dominum dominamve aut domesticos horum spectarint (namque tota familia ad agrum vindemiamque se conferre solet) tum veluti crabrones irritati simul omnes exclamant, atque certatim efflant, quod cuique venereum lubet; reliquos vero advenientes ad agrum aut forte pertranseuntes, non modo his ipsis verbis excipiunt, sed etiam omni genere conviciorum lacessere gaudent: quod si in itinere, obvii fuerint vel civibus, vel hospitibus tum convicia auditu mirabilia inveniunt, atque contorquent in eos præter injectas omne genus veneres. Nec parcunt regulis, magistratibus, aliisve summis viris. Sacerdotibus quoque, præsertim cœnobitis, omnium furiarum furentissimi eadem male obscœneque dicta incutiunt, sicubi viderint. Neque ob hæc pœnas ullas solvunt, more loci eos absolutos ferente. Monentem vero, si quis eos castigare velit, derident, ac exerta lingua contemnunt, oreque ipso in eum oppedunt, pudor nullus, reverentia omnis deleta est in eis, loquendi summa licentia atque arrogantia in promptu est, demum non homines videntur, sed Satyri ac Bacchi sacerdotes petulantes, injurii, lascivientes, luxuriantes. Postquam vero vindemia exacta est, omnia sanant, oblivionique omnem illam obscœnitatem mandant, modestiam amant, eademque temperantur, pudor eos regit: verba omnia (ut decet) ab omni obscœnitate purgata proferuntur, quasi exhalarit insania; eundem n. spectare est honeste viventem, qui non ita pridem fuerat maximis corruptus insaniis. Veruntamen hunc ipsum morem inolevisse paganis Nolanis ab orgiis Bachicis atque trietericis, veluti Bacchum ipsum nascentem quot annis atque vindemia ipsa celebrantibus: quamobrem modo quodam sacer habitus esse videtur mos isce. Ex quo nobis conjectari licet, priscorum Nolanorum diligentiam summam atque studium magnum in re agraria extitisse. Nanque sicuti rustici æquo animo tantam libertatem concedentes, videntur voluisse Bacchum per sua sacra coli, excipi, atque doliis condi: ita vites, arbores, arboretaque summa cura atque diligentia coluisse, creduntur. At vero, Enrice princeps, eò jam (ut vides) reversi sumus, unde principium facientes fuimus progressi; ab agro enim auspicati in eundem, cunctis, quæ ad urbem Nolam patriamque nostram spectarent pertractatis, rediimus: Quod nisi eadem iterum recensere velimus, fas est, modum hic atque finem faciamus.

Digitized by Google

GAB. BARRII FRANCICANI

DE ANTIQUITATE, ET SITU CALABRIÆ,

LIBRI QUINQUE.

PIUS PAPA QUINTUS.

MOTU proprio, & C. cum sicut dilectus filius noster Gabriel Barrius Francicanus nobis exponi fecit, ad communem omnium studiosorum utilitatem opus quoddam de antiquitate & situ Calabriæ à se compositum hactenus non impressum imprimi facere velit, maximumque sibi damnum foret, si postmodum ab aliis imprimeretur: Nos igitur motu simili, & ex certa nostra scientia inhibemus omnibus Christi fidelib. ubique existent. præsertim bibliopolis, & librorum impressorib. sub excommunicationis latæ sententiæ, in terris vero S. R. E. med atè, vel immediatè subiectis etiam ducatorum ducentorum aureorum cameræ apostolicæ applican. & amissionis librorum pœna toties quoties contraventum fuerit, ab ipso facto, & absque alia declaratione incurrenda, ne quis per septennium ab impressione dicti operis computandum, dictum opus sine ipsius Gabrielis expressa licentia imprimere, vendere, seu venale habere, aut proponere audeat. Mandantes universis venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopis, episcopis, eorumque vicariis in spiritualib. generalibus, & in statu temporali S. R. E. etiam legatis, vicelegatis sedis apostolicæ, & ipsius status gubernatorib. ut quoties ex ipsius Gabrielis parte fuerint requisiti, eidem Gabrieli efficacis defensionis præsidio assistentes ad omnem dicti Gabrielis petitionem contra inobedientes & rebelles per censuras ecclesiasticas etiam sæpius aggravando, & per alia juris remedia opportuna auctoritate apostolica exequantur: invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis, non obstantibus constitution. & ordination. apostolicis quibuscunque. Quia vere difficile admodum esset præsentem motum proprium ad quælibet loca deferri, volumus, & apostolica auctoritate decernimus præsentium transsumptis, vel exemplaribus etiam in ipsis operibus impressis fidem plenam, & eandem prorsus ubique tàm in judicio quàm extra haberi, quæ præsenti originali haberetur, & quod præsentis motus proprii sola signatura sufficiat, & ubique fidem faciat in judicio & extra, regula nostra quacunque in contrarium non obstante.

Placet motu proprio M.

GAB.

Digitized by Google

GAB. BARRIUS FRANCICANUS

DE ANTIQUITATE, ET SITU CALABRIÆ,

Ad BERNARDINUM SANCTOSEVERINUM Besidianensium Principem.

PROOEMIUM.

CUM ego, amplissime princeps, probè scirem, & à natura institutum esse, & uno omnium sapientium ore celebratum, tum multorum exemplis confirmatum; ut summo nos opere patriæ debeamus: pro qua si nobis ingrati animi notam inuri nolumus, sanguinem effundere, & mortem oppetere, nedum quemvis subire laborem cogimur: sedit animo ultrò munia obire, ut totius Italiæ laudes ex pluribus & Græcis & Latinis auctoribus excerpens, librum de eius laudibus, nec non pro lingua Latina, & de urbis æternitate scriberem. Nimirum Latinæ linguæ honos, & urbis laus ad Italiæ gloriam attinent, quòd Latium, à quo illa dicta, & in quo urbs est, in Italia sit. Inde vero Calabriæ laudes, quæ itidem ad Italiæ gloriam pertinent, colligere, & librum de ipsius antiquitate, & situ scribere mihi certum fuit; quo patria charitate devictus pensum meum pro virili parte solvens meritis eam illustrarem laudibus; quinetiam eam per se primum ex nomine ipso, inde verò posteà à plerisque gravibus auctoribus illustratam ostenderem. Cæterum nequaquam legentes id fugere velim, quod movit quoque me scilicet, ut pro lingua Latina & de æternitate urbis & de Italiæ laudibus, ac de antiquitate & situ Calabriæ scriberem, communis omnium studiosorum utilitas & delectatio, non tantum patriæ charitas, & amor, Itaque omnes & Latinos & Græcos auctores diurna nocturnaque versavi manu, succisivis tamen operibus, ut quæque memoratu dignissima ad Calabram regionem attinentia carptim perscriberem, Collegi autem plurima omni atque immortali laude digna, quæ fere sepulta jacebant. Siquidem eam, ut quamque Europæ regionem Ausonum primo habitatione vetustissimam, inde vero à clarissimis Græcorum principibus populisque, & ante & post Trojæ ruinas habitatam, multis nominibus à Græcis ipsis appellatam, magnis insuper à Græcis & Latinis scriptorib. laudibus celebratam, magnas præterea ac potentes in ea urbes fuisse, eamque quamplurimos, & eos præstantissimos viros ac mulieres, variis disciplinis eruditos, utpotè Poetas, & Philosophos, & Mathematicos, & Medicos, & legislatores, & musicos, aliarumque rerum scriptores, ac multarum rerum inventores, tum ingeniosos artifices, nec non robustissimos athletas, ducesque edidisse reperio. Adde quod à Romanis Coloniis etiam & municipali jure; tum Civitate Romana honestata fuit & exornata. Nec desunt ei sanctissimi viri, ac mulieres, quos ipsa peperit regio. Cæterum nequid laudis regioni deesset, eam minutatim, ac seriatim, ac cuncta quæ in ea gignuntur, accuratè scribere libuit. Nova veteribus junxi, vetera locorum nomina, quoad fieri potuit, vestigavi, ut opus absolutius esset, & Calabrum nomen apud omnes

nes gentes in ſempiternum ævum illuſtrius redderetur, tum venerandum & admiratione dignum. Quandoquidem ut eſt Calabra regio vetuſtate, laudibuſque prædictis clara: ita & rerum ubertate, ac varietate, quæ in ea ſive ultrò proveniunt, ſive incolarum cura fiunt; tum ingeniorum præſtantia, & corporum robore nulli Italiæ regioni cedit. Quinetiam, abſit verbo invidia, omnium Italiæ regionum eſt nobiliſſima. Nam præter ea, quæ in reliqua Italia, aut parte eius quota fiunt, multa alia in ea ob ſoli felicitatem & cœli clementiam, aut fiunt, aut gignuntur. Has ob res eam Græci Auſoniam primum, inde Calabriam appellavere, quod bonis omnibus ſcateat, eorumque proventus in dies augeatur. Quod utique nomen nulli aliæ Italiæ regioni convenit. Cum itaque talis, ac tanta ſit Calabra regio, ac per omnes ætates in ea eruditi floruerint viri; nemo tamen unus per tot ſæcula, hanc provinciam ſuſcepit, hoſce labores obivit, ut patriæ gloriam propriæ utilitati præponens eam celebraret. Quod opus, ut ipſe confecerem, nulli parcens labori, regionem univerſam luſtravi, neve falſa ſcriberem, neve inveſtigandis veterum locorum nominibus in eos errores inciderem, in quos neotericorum ſcriptorum plerique vulgi & leviter eruditorum opinionibus innixi lapſi ſunt: ut Guido Ravennas, Blondus Forolivienſis, Raphael Volaterranus, Pandolphus Piſaurienſis, aliique plurimi. Quod opus in quinque libros diſtinctum tibi, qui in tota regione primarius princeps es, nuncupavi. Magna quidem, ac præſtans res, magno ac præſtanti viro convenit, ac debetur. Præſertim etiam quòd Sanctoſeveriana domus antiquiſſima eſt & nobiliſſima, ex qua plurimi præſtantiſſimi viri floruerunt. Et maiores tui Beſidianenſium Principes, tum maxime Petrus Antonius pater tuus, cui regius animus inerat, tyrannidem veris Principibus prorſus exoſam, ſemper abhorruerunt, & juſtitia, clementia, & liberalitate, quibus virtutibus tu quoque præſtas, polluerunt. Es quidem tu in tanta expectatione, ut nulli majorum tuorum virtutibus ceſſurus ſis. Neque mater tua Herina laude caret, quæ Scanderbech ſanguine genita præſtanti animo fuit, pudicitia quoque, ac religione nulli matronarum ceſſit, atque in rei familiaris adminiſtratione prudens fuit. Accedit quod id quoque, ut hoc agerem me adegit, quod cum tu de hoc libro certior factus fueris, patria charitate incenſus, ne tot meæ vigiliæ, totque labores, tot inquam perpetuæ Calabriæ laudes perirent & obliterentur, hac in me, imo in patriam liberalitate uſus es, ut liber ipſe tuis auſpiciis ſumptibuſque in medium prodeat. Proinde non mihi modo Calabria univerſa, verum etiam tibi quandiu cœlum movebitur, gratias maximas agere, etiam habere majores, & Francicanos cives meos civitate & immunitate donare debet.

CALABRIA Italiæ regio, quæ in extremis eius finibus, ut lingua porrecta inter utrumque fretum, Inferum Superumque interiacet; incipit è mari Infero, quod Graeci *Tyrrhenum* vocant, à Talao flumine; à Supero vero, quod iidem *Jonium* nuncupant, à Syri amni; & protenditur ad Euripum uſque Rhegiumque. Atque Apennini montis jugo in longitudinem ſecta duo cornua emittit, Leucopetram dextra, Lacinium ſiniſtra. Quæ tum montuoſa eſt, tum campeſtris Latii inſtar aquarum ſcaturiginibus irrigata. Ipſius vero regionis ambitus, ad DCCXXX. M. paſ. colligit. A Talio enim Fluvio ad Laum amnem milliaria ſunt XII. A Lao autem, ut *Strabo* fert, ad Euripum, qui à Cænide promontorio incipit, millia paſ. ſunt CLXIX, communi vero extimatione CLXI. Euripi autem tractus, qui ut dixi, à Cænide ad fretum uſque Herculeumque promontorium porrigitur, LX, millium paſſuum eſt; A freto, quod ab Herculeo promontorio initium habet, idem Strabo Polybii auctoritate, ad Lacinium Junonis templum CCLXXXVIII, intervallum eſſe tradit. A Lacinio ad Syrim amnem mil. ſunt CXXIII. A Syris fluminis oſtiis, ad Talai amnis oſtia intervallum eſt M.P.LXXVI. Eſt ſcilicet Calabria omnium Italiæ regionum vetuſtiſſima à diluvio. Prima n. ea inhabitari cœpta, utpote ab Aſchenaz pronepote Noe. Nam poſt univerſalem aquarum inundationem, cum Gomer major natu filiorum Japhet filii Noe, Galatas inſtituiſſet, Aſchenaz filium majorem natu in Italiam tranſmiſit ad habitandum. Qui eò loci, ubi nunc *Rhegium* eſt, cum perveniſſet, cum quia is ſibi locus primus oblatus eſt, tum vero loci amœnitate captus (viget enim illic perennis quædam ac beata cœli temperies) ibi conſedit, urbemque ſtatuit, quam

à ſuo

à suo nomine *Aschenaz*, ejusque incolas appellavit *Aschenazeos*. Josephus enim, qui Tito imperante floruit, Judaicarum Antiquitatum libro primo ita scribit: *Aschenaz instituit Aschenazeos, qui nunc Rhegini vocantur à Græcis*. Et Hieronymus in quæstionibus Hebraicis super Genesim inquit: *Aschenas Græci Rheginos vocant*. Liquet sane nusquam locorum gentiumque Rheginos alios inveniri, neque à quoquam auctore scribi, quàm qui in Calabria sunt. Hanc urbem postmodum Græci *Rhegium* dixere, aut à fissura, ut quidam volunt. (ῥηγνὶ enim fissuram sonat) quod in ea parte Sicilia ab Italia disjuncta sit; quam Antiochus *Neptuniam* appellavit, quod Neptunus ea loca diremerit. Aut, quod credibilius est, ab aeris beata & juge temperie; nam ῥήγνυμι utile jucundum & bonum notat, Hebraicè autem, ut *Hieronymus* tradit, Pascua eorum significat. Inde Cethim patruelis Aschenaz in Italiam & ipse profectus Latium incoluit, urbemque in eo construxit, quam *Cethiam* nuncupavit. Calabria autem multis fuit appellata nominibus: nam primo dicta est ab incolis Græcis, aut à finitimis *Auxonia*, ab auxo verbo Græco, id est, augeo, quod semper ibi rerum proventus augeatur; dicta est & tum ab Orientalibus Græcis *Hesperia*, quod hespero, id est, occasui subjecta sit. Inde dicta est *Oenotria* ab Oenotro Arcade, postea *Italia* ab Italo Oenotro genere in Calabria nato ac regnante. Quare hallucinantur, qui Ausoniam ab Ausone Itali, sive Ulissis filio dictam fuisse opinantur. Nam Homerus, itemque Strabo Ulyssem ad Temesam Calabriæ urbem, quam nec non & *Besciam*, præter alias urbes, Ausones condidisse memoriæ proditum est; veniisse scribunt. Id quod argumentum est, ante Ulyssem Calabriam vocitatam fuisse *Ausoniam*: quod ipsum ex Dionysio etiam Halicarnasseo constat. Dicta est autem *Auxonia*, ut Etymologicus fert, quod ejus finitimi eam appellassent *Auxenam*, & mutatione κ in σ, & ε in ο *Ausonam*. Fuere quidem Ausones admodum potentes, de quibus Dionysius Apher de ea regione, quæ nunc Calabria est, loquens, ad verbum translata sententia sic ait:

Hinc Italorum filii in continenti pascuntur,
Ab Jove Ausonii semper magnopere dominantes,
Incipientes à Borea usque Leucopetram.
Quæ in freto Siculo radicata est.

Quibus super verbis Eustathius ait: *Italos quondam monarchas magnopere dominatos fuisse Dionysius ait, quos & Ausones appellat, eosdem enim & Ausones & Italos appellat.* Hinc *Ausonius Pontus*, ait idem Eustathius, & Suidas, mare, quod orientalem Calabriæ oram alluit, quod & *Siculum* appellatur. Et rursus de Locris loquens dicit, ipsos Auxoniam tenere, qua currit flumen Halecis. Et Dionysius Halicar. Occiduam Calabriæ oram Ausoniam dictam scribit. Item Strabo libro tertio ait *Ausonium mare nunc Siculum vocitatur*. Et Plinius orientalem Calabriæ plagam Ausoniam dictam ab Ausonibus primum habitatam tradit. Et Lycophron in Alexandra Philoctetem ab Auxonibus circum Crotonem habitantibus interfectum fuisse scribit. Quare utramque Calabriæ oram Ausoniam dictam fuisse palam est. Fuit & quingentis sexaginta septem annis ante Ilii excidium *Oenotria* dicta ab Oenotro Arcade in eum sinum Auxonium adventante, regionisque occiduam oram occupante: Qui & illic oppida quamplurima condidit. Horum quorundam memoria apud Stephanum extat, à quo hæc scribuntur, Arintha, Ariantha, Arthemisium, Brystatia, Cossa, Cyterium, Erimum, Ixias, Lametia, Menecina, Malanium, Ninœa, Patycos, Setæum, Siberena, Sestium, Thyella: Item Pandosia, quam Oenotrorum regiam fuisse Strabo prodit. Inde Oenotri ipsi potentes facti alia Italiæ loca occuparunt. E regione vero Oenotriæ dicta est *Peucentia* à Peucantio Oenotri fratre, qui eam partem sui juris cum fecisset, Peucentiam nominavit. Quo vita functo Oenotrus orientalem quoque Calabriæ partem possedit, quæ jure sibi cessit, quam etiam nuncupavit Oenotriam, urbesque in ea quoque parte ædificavit. Postea vero haud multo ante ruinas Trojæ regnante in Latii parte quadam Evandro, ut Dionysius Halicar. libro primo auctor est, Hercules classem in Italiam advexit, ac Calabriam petens oppida quædam illic extruxit, ac loca quædam à se nominavit, id est *promontorium Herculeum*, *portus Herculis*, aut ab eo factus, aut crebro repetitus. Herculis autem ætate, aut paulo ante Calabria dicta est *Italia* ab Italo quopiam Oenotro genere hujus regionis rege, sive, ut alii, à bobus. Dein dicta est *Morgetia* à Morgete Itali filio. Exinde pars ejus quota circa Rhegium *Sicilia* nuncupata est. Quota vero pars circum Petelliam & Crotonem appellata est *Chonia*, & *Japygia*, & *Salentinia*, quod ostendam. Postmodum Græci à rerum copia ac bonitate eam appellarunt *Calabriam* ut prisci *Auxenam*, inde *magnam Græciam* à magnis urbibus. Postremo pars quædam circum Sybarim *Lucania* dicta est, Lucanis eam partem occupantibus. Atque ita hæc regio ob frequentes Græcorum Colonias, qui loci amœnitate, ac rerum ubertate ac præstantia allecti eò confluebant, tot est appellata nominibus. Novis tamen supervenientibus vetera, aut ut usu identidem evenire solet, desinebant, aut aliam in oram transibant manabantque. Ut Ausonia, Oenotria, & Italia in eam figuram, quæ nunc Italia est, Sicilia in Trinacriam insulam: Calabria in eam modicam oram, quæ modo Apuliæ pars est. Nam cum magna Græcia dici est cœpta, desiit interdum vocari Calabria. Dicta quoque fuit pars ejus quota occidentalis *Brettia* à Brettia muliere, sive ut alii, à Brento filio Herculis. Sed tandem postea quam magna Græcia desiit appellari, *Calabria*, quod nomen regioni præcipuè convenit, rursus appellata est. Quæ semper à claris Græciæ populis ac principibus & ante & post eversionem Trojæ, fuit inhabitata, magnæque in ea urbes

ab

ab ipsis conditæ, quare & *Magna Græcia* dicta est. Nam, ut dixi, ante Trojæ ruinas Oenotrus, & Peucentius fratres Arcades, & inde Hercules concessere. Post vero Trojanum excidium complures Græcorum procerum, qui bello Trojano præsentes adfuerunt, in Calabriam contenderunt, ibique civitates statuerunt, ut Philoctetes Herculis comes & hæres; Orestes, qui & portui cuidam nomen dedit, & in Calabriæ fluminibus se eluens matricidium expiavit: Ajax Oileus, sive, ut alii, ejus socii, Sagaris filius, Ulysses, à quo insulæ parvæ contra Hipponitum nomen sunt mutuatæ, qui & Minervæ templum insigne in Calabria extruxit, ut Solinus ait: Epeus, Nestor, Idomeneus, Menelaus: Item Phocenses, Athenienses etiam in Calabriam Colonias misere. Contulere se in Calabriam & Mnestei Trojani viri comites. Quod autem Calabria hæc nomina, quæ dixi, sortita sit, auctores sunt quamplurimi, Dionysius enim Halicar. ut ait Eusebius, Romanæ historiæ atque Italiæ peritissimus, ita libro primo fatur: *Arcades Græcorum primi sinum Jonium trajicientes Italiam incoluerunt, sub Oenotro Lycaonis filio, qui quintus erat ab Aegeo & Phoroneo, qui primi in Peloponneso, regnarunt. Nam Phoroneus quidem Niombes pater fuit: Hujus autem & Jovis filius, ut dicitur, Pelasgus, Aegeique filius Lycaon, hujusque filia Deianira; & ex ea & Pelasgo Lycaon alter. Lycaonis filius Oenotrus decem & septem ætatibus ante Trojam obsessam, hoc enim tempus erat, cum colonos in Italiam miserunt Græci. Reliquit autem Oenotrus Græciam, non satisfaciente sibi portione sua. Nam cum essent Lycaoni duo & viginti filii, totidem in partes dividi Arcadiam oportebat. Hac igitur causa Peloponnesum relinquens Oenotrus, classemque instruens Jonium secat mare, & cum eo Peucentius unus ex fratribus. Secuti vero sunt eos etiam ex domestico populo complures. Nam populosissima fuisse dicitur hæc gens à principio Græcarum omnium, quæcunque ex eis regionem sortitæ sunt, minorem quàm pro multitudine sua. Peucentius igitur in quam partem Italiæ cursus tulit supra vertices Japigis populum suum deportans ibi collocat: Peucentiique ab eodem dicti sunt, qui circum ea loca habitant. Oenotrus autem majorem exercitus partem ducens in alterum venit sinum ab occidente secundum Italiam diffusum: & qui tunc Ausonius ex accolis ejus Ausonibus dicebatur. Postquam vero Tyrrheni denominationem maris habuere, sumpsit eam quam nunc habet appellationem. Inveniens autem Oenotrus regionem ipsam multam pecori, multamque cultui percommodè expositam, magna autem ex parte desertam, ac ne illam quidem, quæ incoleretur, hominibus frequentatam, cum expurgasset barbaris partem ejus quamdam, urbes condidit in montibus parvas & crebras, qui mos erat condendi priscis. Vocata est autem ea ora & quidem multa, quantumcumque occupavit, Oenotria, atque homines, quibuscumque imperavit, Oenotrii, tertiam hanc assumentes cognominationem. Nam Aegeo quidem regnante Aegei dicebantur. Suscipiente autem imperium Lycaone, Lycaones dicti sunt. Oenotro vero transportante eos in Italiam, vocati sunt quoddam tempus Oenotrii. Testimoniumque mihi est Sophocles tragicus in Triptolemo. Inducitur enim Ceres in ea fabula docens Triptolemum quanta ei peragranda sit regio jacendis seminibus, quæ à se acceperit. Atque orientalis Italiæ primum mentionem faciens, quæ est à verticibus Japygis usque ad fretum Sicilienſe. Posteaque oppositè commemorata Sicilia ad occidentalem Italiam rursus divertit, gentesque maximas maritimam oram incolentes percurrit, ab Oenotrorum habitatione principio sumpto. Abunde autem sufficiens hæc sola de jambicis dicta, in quibus ait: hæc autem à tergo manus in dexteram Oenotriaque omnis, & Tyrrhenus sinus, & Ligustica tellus excipiet. Antiochus autem Siracusanus historicus vetustissimus in Italiæ habitatione conditores vetustissimos discerrens, & ut partem ejus quandam singuli occuparent Oenotros primos dicit: Antiochus Xenophanis hæc scripsit & sermonibus priscis valde credita, & certissima. Hanc terram, quæ nunc Italia dicitur, antiquitus habuerunt Oenotrii. Postea pertransiens quemadmodum gubernabantur, & ut Italus aliquando rex eorum fuit, à quo denominati sunt Itali, huicque successit Morges, à quo Morgetes vocati sunt. Et ut Siculus hospes Morgeti factus proprium sibi constituens Imperium, distincta gente huic infertur, atque ita Siculi & Morgetæ, & Itali fuerunt, qui erant Oenotrii. Age jam & genus Oenotrorum quantum erat ostendamus ex priscis historicis, testem alium habentes, Pherecydem in Athenienſium originibus nemini secundum. Fit autem ei sermo de regnantibus in Arcadia sic: Pelasgo & Deianiræ fit Lycaon, hic Cyllenem ducit nymphan Najadem, à qua mons Cyllene dicitur. Postea qui ab his descenderunt enumerans, & quæ unusquisque eorum loca incoluerit, commemorans, cum Oenotri & Peucentii meminit, sic inquit: Et Oenotrus, a quo Oenotrii vocantur, qui in Italia habitant, & Peucentius, à quo Peucentii, qui in Jonio sinu. Quæ igitur à veteribus poetis & fabularum scriptoribus dicta sunt de habitatione Oenotrorum sunt talia, quibus ego assentio, si vera Græca origo Aboriginibus fuit, sicut à Catone & Sempronio aliisque plerisque traditur, Oenotrorum ipsorum progeniem eos fuisse arbitror. Nam Pelasgam quidem nationem & Cretenſem, & cæteros, quicunque alii sedes in Italia posuerunt, posterioribus temporibus advenisse reperio, Neque antiquiorem hac ipsa classem aliam ex Græcia in occiduum Europæ possum ullam percipere. Atque Oenotros ipsos multa alia loca Italiæ obtinuisse existimo, alia deserta, alia infrequentia occupantes, atque Umbriæ pars est etiam, quam sibi vendicarunt expulsis inde Umbris. Vocati autem Aborigines puto ex habitatione ipsa montium: nam & illud Arcadum est montes sequi. Et paucis interiectis: *Italia autem post aliquod tempus vocata est à viro præpotente nomine Italo. Hunc vero bonum sapientemque fuisse Antiochus Syracusanus dicit, atque aliis finitimorum oratione persuasis, aliis vi adactis, terram omnem ditionis suæ effecisse quantacumque intra sinus Nepetinum*

Digitized by Google

num & Scyllæticum esset, eamque primum vocatam ab Italiam ab Italo. Qui postquam hujus dominus fuit, multosque homines habuit dicto audientes, statim etiam consequentiæ appetiit, urbesque congregavit multas; fuisse autem eum Oenotrum genere. Hellanicus autem Lesbius dicit Hercule agente boves Gerionis in Argos, dum esset in Italia, juvencus quidam e grege fugiens oram omnem peragravit, & in Siciliam venit, quem Hercules persecutus est, atque oram omnem, quantam vitulus permeavit, dictam esse Vituliam. Transisse vero post tempus id nomen in eam, quam nunc figuram habet. Minime mirum est, eam multis etiam Græcorum nominum ita accidisse. Cæterum sive ut Antiochus à duce, quod probabilius est, sive ut Hellanicus putat, à tauro nomen sumpsit, illud certe ex utrisque manifestum est, quod ætate Herculis, aut paulo ante ita nominata est regio. Nam antea quidem Græci Hesperiam, & Ausoniam eam vocabant: incolæ vero, ut dictum est, Saturniam. Et rursus libro eodem: *Antiochus Syracusanus ait: Regnante in Italia Morgete, (erat autem tunc Italia à Metaponto usque ad Neptuniam maritimam) venisse ad eum virum quemdam profugum Roma, sic enim dicit: Cum autem contenuisset Italus, regnavit Morges, ejusque tempore vir advenit Roma Siculus nomine.* Secundum itaque eum antiqua quædam & Trojana præcedens tempore Roma invenitur. Est autem ætas, ut id etiam dilucidemus, secundum quosdam spatium triginta annorum, secundum alios triginta trium annorum & quatuor mensium, ita quod tres ætates centum perficiunt annos. Quare decem & septem ætates, anni sunt quingenti sexaginta septem, quatuor mensibus minus, ergo tot annis Oenotrus & Peucentius ante ruinas Trojæ in Calabriam venerunt: Ante urbem conditam annis mille. Ergo ab adventu Oenotri hucusque anni sunt ter mille trecenti viginti duo. Nam ab adventu Oenotri ad Ilium captum anni quingenti sexaginta septem, ut dixi, supputantur. Ab Ilii excidio ad urbem conditam anni fluxere, ut Solinus tradit, quadringenti triginta tres. Ab urbe condita ad CHRISTI natale anni intercessere septingenti quinquaginta & unus. A CHRISTO nato jam annus agitur hic millesimus quingentesimus septuagesimus & unus. Licet Naso Metaph. libro duodecimo ætatem centum annorum spatium esse senserit. Aristoteles, ut ad rem redeam, Polit. libro septimo ait: *Tradunt periti homines Italiæ fuisse Italum quendam Oenotriæ regem, à quo mutato nomine pro Oenotriis Itali sunt vocati, eamque illam maritimam Europæ, quæ est inter Scyllaticum & Lameticum Sinum (distant vero hæc loca iter meridiei) Italiæ nomen primo recepisse. Hunc ergo Italum tradunt agriculturam Oenotros docuisse, illisque leges posuisse, & commessationes instituisse primum. Quapropter etiam nunc quidam illorum populorum commessationibus utuntur, & legibus quibusdam ab illo positis.* Incolebant autem eam Italiæ partem, quæ ad Tyrrhenum versa est, Ausones. Alteram vero partem, quæ ad Japigiam & Jonium pertinet, incolebant Chones, *Sirtim* appellatam, & ipsi quoque ab Oenotriis orti. Inventio igitur commessationum hinc primum extitit. Fuit autem Italus, ait idem Arist. Pol. libro secundo, longe antiquior Minoe Cretensium rege, Strabo etiam libro quinto ait: *Post infimas Alpium radices, ejus quam hac ætate Italiam vocant, initium est. Namque majores Italiam, quæ ab Siculo freto usque ad Sinum Tarentinum & Hipponiatem progressa est, Oenotriam appellabant. Nomen autem obtinens usque ad Alpium radices processit. Assumpsit etiam ab ora Ligustica Vari fluminis confinia, marisque proximi à Tusciæ finibus Istriæque usque Padum. Opinari vero cuipiam licet priscos Italorum florentes in communionem devocasse finitimos. Hunc in modum auctis viribus in Romanorum Imperium perveniisse. Tandem vero quandoque ex quo Romani in regni societatem & in civitatem Italos vocavere, decretum est, & Gallis Cisalpinis & Venetis id honoris impertiri, universosque Italos Romanosque vocare: permultas insuper Colonias partim prioribus annis, partim posterioribus emittere, quibus meliores alias non facile dixerim.* Et libro sexto: *Tarentinum sinum Chones & Oenotri incolebant.* Antiochus in conscripto ab eo de Italia volumine hanc solam & veram Italiam asserit, deque ea se scribere, quam prisci Oenotriam appellavere; ejus terminum ostendit, quem è Tyrrheno quidem mari Brettiæ terræ diximus Laum flumen, è Siculo autem Metapontum. Tarentinam vero quæ Metaponto confinis est terram extra Italiam nominatim explicat Antiochus, Item antiquitus Oenotrios, & Italos appellatos fuisse dicit, qui intra isthmum ad fretum vergunt Siculum. Est autem Isthmus ipse inclusa terra pelago viginti mil. pass. intra geminos Sinus Hipponiatem scilicet, & quem Antiochus Nepetinum dixit, & Scyllaticum alterum: navigationis autem ipsius ambitus & spatium terra comprehensum ad interiorem Euripum ducentorum quinquaginta millia pass. est. Hucusque vero inquit, Italiæ & Oenotriæ nomen dilatatur, ad Metapontinos & Syritides videlicet, & hanc regionem Chones gentem Oenotriam & quidem insignem habitasse, & terram nominasse *Chonian*. Autumo quod Oenotri Chonim oppidum Coloniam deduxerint, seque Chones ac circumjacentem regionem *Chonam* appellavere. Namque Apollodorus, apud Strabonem Philoctetem Chonam oppidum super Crimissam promontorium aut juxta ipsum construxisse dicit. Nec quidem quicunque Græci primum Colonias in Calabriam apportarunt, sed Arcades, qui omnes alios Græcos virtute antecellunt. De quibus Polybius libro quarto ait: *Gens Arcadum quandam omnis virtutis formam habet, non solum propter felicitatem morum, & benignitatem naturæ, summamque erga omnes hospitalitatem, verum etiam, ob pietatem atque observantiam in Deos, cum confessione omnium à reliquis Græcis sceleste, & crudelitate differunt.* Cum igitur Dionysius Halicar. rerum Græcarum diligentissimus & indagator & scriptor, Oenotros primos è Græcia quingentis sexaginta septem annis ante res Trojanas in Auxoniam, id est, Calabriam profectos fuisse, & advenas

aliunde illò adventasse nulli exploratum sit: consequens haud dubium est, ante Oenotri adventum in ipsam indigenas, hoc est, Aschenazi posteros Auxones dictos incoluisse, etsi raro. Nam Oenotrus eam magna ex parte desertam, & illam, quæ incolebatur, hominibus minime frequentatam invenit: Antiochus quoque, ut ad Institutum redeam, Strabone referente, locum circum Rhegium antiquitus ab Siculis habitatum simul & à Morganiis fuisse dicit, qui ab Oenotriis ejecti in Trinacriam trajecere, Item Dionysius Halicar. libro secundo, Siculos ea loca incoluisse refert, ubi nunc Roma est, qui inde rursus exacti in inferiorem Italiam transiere, & inde rursus ejecti transmisere in Sicaniam insulam, Thucydides etiam libro sexto infit; *Siculi ex Italia (ibi namque habitavere) fugientes Opicos in Siciliam trajecerunt, & ut credibile est, & fama fertur, ratibus observato, cum ventus posuisset, freto, forte & alibi transvecti. Et sane adhuc extant in Italia Siculi, ipsaque regio ab Italo quodam Arcadiæ genere hoc nomen habente, sic est cognominata. Hi magno cum exercitu in Siciliam transeuntes, victis prælio Sicanis, & in partes, quæ meridiem Occasumque spectant, remissis, fecerunt, ut pro Sicania Sicilia vocaretur, & ejus optima quæque loca incoluerunt, & nunc quoque mediterranea ejus, atque ad aquilonem vergentia obtinent, annis ex quo transierunt prope trecentis ante Græcorum in Italiam adventum*, Dionysius vero Halicar. libro primo ita scribit: *Hellanicus Lesbius ait: Siculi reliquerunt Italiam, tribus ætatibus ante res Trojanas. Philistius vero Syracusanus octoginta annis ante Trojanum bellum: Et quidem credibilius est octoginta, aut centum annis, id est, tribus ætatibus ante ruinas Trojæ, Siculos ex Calabria pulsos in Sicaniam transmisisse.* Plinius libro tertio Calabriæ habitatores describens, ait: *Post Lucanum agrum ager Brettius incipit: nec ibi rara incolarum mutati, tenuerunt enim Pelasgi, Oenotri, Itali, Morgetes, Siculi, Græciæ maximi populi, ultimo Lucani à Samnitibus orti duce Lucio.* Et ri rursus: *à Locis Italiæ frons incipit, magna Græcia appellata, in tres Sinus incedens Ausonii maris, quoniam Ausones tenuere primum, patet LXXXI. mil. pas. ut auctor est Varro, plerique LXXII. fecere.* Strabo & Polybius pleriique in locis fretum, quod *Siculum* vocant, quod orientalem Calabriæ plagam abluit, *Ausonium* mare vocant, Vergilius Æneid. libro tertio Helenum Æneæ ex Epiro in Italiam tendere cupienti loquentem inducens, atque eum docentem quanta ei peragranda sit regio, antequam urbem tuto in loco condere queat, circumacta Sicilia Ausonium mare primum scribit, dein Lucrinum & Avernum, Campaniæ lacus. Ait enim;

Ante & Trinacria tentandus remus in unda,
Et salis Ausonii lustrandum navibus æquor,
Infernique lacus, Æaeæque insula Circes,
Quàm tuta possis urbem componere terra,

Et rursus eandem Calabriæ regionem, quam Ausoniam appellatam fuisse dixit, Hesperiam quoque, & Oenotriam, & exinde Italiam à rege scribit, inquit enim;

Est locus Hesperiam Graii cognomine dicunt,
Terra antiqua potens armis, atque ubere gleba,
Oenotri coluere viri, nunc fama minores
Italiam dixisse ducis de nomine gentem.

Marcus vero Varro rei rusticæ libro secundo eam à bobus dictam putat, ait enim: *Denique Italiam à vitulis, ut scribit Piso, Romanorum vero populum à pastoribus esse ortum quis non dicit?* Et paulo post: *Bos in pecuaria maxima debet esse auctoritate, præsertim in Italia, quæ à bobus nomen habere, sit existimata. Græcia enim antiqua, ut scribit Timæus, tauros vocabat Italos, à quorum multitudine & pulchritudine, & fœtu vitulorum Italiam dixerunt. Alii scripserunt quod is Sicilia Hercules persecutus sit eo nobilem taurum, qui diceretur Italus, hic socius hominum in rustico opere, & Cereris minister.* Proinde eam tantum regionem, quæ nunc Calabria dicitur, primum Ausoniam, & Hesperiam, & Oenotriam, & Morgetiam, & Italiam appellatam fuisse satis dilucide ostendimus, & ejus partem quotam Chonam, & Siciliam nominatam fuisse. Cæterum Antiochus, & Dionysius Halicar, & Arist., & Thucyd., & noster Maro Italiam ab Italo rege dictam fuisse rentur; Hellanicus vero, & Piso, & Varro à vitulis. Partem vero Calabriæ quotam, & quæ ad orientem spectat, *Iapygiam*, & *Salentinam* appellatam fuisse, ex his, quæ mox subnectam liquebit. Dionysius Halicar., ut ostendi, Orientalem priscam Italiam à verticibus Iapygis usque ad fretum Siciliense esse ait, quam à Metaponto & Lao ampli initium habuisse, in apertum protuli, Ovid. Met. libro quintodecimo Iapygis arva post Sinum Tarentinum, quem ipse à Thurio Thurinum appellat, Scyllaceum versus ponit, ait enim:

Præterit & Sybarim, Salentinumque Neathum,
Thurinosque sinus, Molisenque, & Iapygis arva,
Vixque pererratis quæ spectant littora terris,
Invenit Æsarei fatalia fluminis ora,

Et rursus libro eodem;

Italiam tenuit, præterque Lacinia templa,
Nobilitata dea, Scylleæaque littora fervet:
Liquit Iapygiam, lævisque Amphissia remis
Saxa fugit,

Strabo quoq; libro sexto Iapygiam inter Scylaceum & Lacinium promontorium locat, inquit enim; *Post Scyllaceum Crotoniatarum fines sunt, & Japigum terna promontoria, deinde Lacinium Junonis templum*, Et rursus: *Crotoniem Japiges incoluerunt.* Item Polybii auctoritate: *à Lacinio*, inquit, *ad ultima Japigiæ spacium est LXXXVII. mil. pass. cum dimidio, quod Tarentini sinus os esse ferunt*, Tarentini autem sinus os in littore Coriolani est. De Salentina autem Ovidius, ut supra ostendi, Neæthum flumen secundum Crotonem Salentinum appellat. Et Vergilius Aeneid. libro tertio Helenum loquentem inducens Salentinos campos ab Idomeneo Cretensi in magna Græcia obsessos inter Locros, & Petiliam Calabriæ urbes scribit, Ait quidem;

Has autem terras, Italique hanc littoris oram,
Proxima quæ nostri perfundit æquoris æstus
Effuge, cuncta malis habitantur mœnia Grajis;
Hic & Naricii posuerunt mœnia Locri,

Et

Et Salentinos obsedit milite campos,
Lyctius Idomeneus: hic illa ducis Meliboei
Parva Philoctetæ subnixa Petilia muro.

Item Probus in sextam eclogam Vergilii infit : *Varro in tertio rerum humanarum refert, gentis Salentinæ nomen tribus è locis fertur coaluisse, è Creta, Illyrico, Italia. Idomeneus è Creta oppido Licto pulsus per seditionem bello Magnesium, cum grandi manu ad regem Clivicum venit ad Illyricum. Ab eo item accepta manu cum Locrensibus plerisque profugis in mari conjunctus amicitiaque per similem causam societatis Locros appellit, vacuata eo metu urbe ibique consedit, aliquotque oppida & condidit, in quis Uria & castrum Minervæ nobilissimum, in tres partes divisa copia, in populos duodecim. Salentini dicti quod in salo amicitiam fecerint.* Idipsum & Sextus Pompeius tradit ; qui Salentinos in magna Græcia ponit. Ait enim ; *Salentinos à salo dictos Cretas & Illyrios, qui cum Locrensibus societatem fecerunt eius regionis Italiæ, quam magnam Græciam appellabant.* Item Livius ab urbe condita lib. decimo inquit : *Cleonymus Lacedæmonius Thurios urbem in Salentinis cepit.* Quæ urbs haud dubio in Calabria est. Et Sallustius referente Servio in tertium librum Æneid. ait : *Omnis Italia coacta in angustias scinditur in duo promontoria, Brettium & Salentinum.* Italia autem ut omnes innuunt, & res ipsa loquitur, nusquam est angustior quàm inter sinus Scyllaticum & Terineum, cujus latitudo, ut relatum est, XX. mil. pas. est. Ut autem Italia angustior in hæc duo promontoria scindatur, ea se invicem spectent est necessum. Brettium autem promontorium Tyrrheno Pelago in Terineo sinu prominet, *Subarum* vocant accolæ. Salentinum vero è regione Bretii promontorii Jonio mari in Scyllatico sinu incumbit, *Stalatum* indigenæ appellant: Tot igitur nominibus appellata est Calabriæ regio. Calabriam appellavere Græci à *calon*, quod bonum, pulchrum, & honestum significat, & *brio*, id est, emano & scaturio, quòd bonis omnibus scaturiat. Magnam autem Græciam appellaverunt, aut ut Jamblyco placet, ob Pythagoræ frequentes discipulos, qui, inquit, eloquentissimi & doctissimi erant, obque magnum frequensque eius gymnasium : aut, ut Eustathius in Dionysium Aphrum vult, ob in eam regionem frequentes Græcorum Colonias deductas, civitatesque crebras & magnas ab eis conditas. Siquidem, ut præfati sumus, quamplures Græcorum proceres regionis fœcunditate, & felicitate allecti & ante & post Trojanum excidium illò contenderunt. Athenæus autem lib. duodecimo, & Archilochus poeta apud eundem Calabriam Græciam magnam dictam volunt ob delicias & felicitatem universæ regionis, & multitudinem hominum. Ob has ergo tres causas Calabriæ regiò magna Græcia dicta est. Strabo quoque lib. sexto dum Calabriæ regionem describit, ait: *Tantopere res Græca amplificata fuerat, ut hanc magnam Græciam appellarent.* Et de Neæthо fluvio loquens : *Troja eversa Græcorum complures, navibus à Trojanis multeribus combustis secundum Crotonem regionis bonitate inspecta multas sedes fecisse, hoc est, oppida condidisse scribit.* Trogus item Pompeius libro XX. de Metapontinis loquens infit : *Omnis illa pars Italiæ maior Græcia appellatur.* Item Plinius in Italiæ descriptionis primordio fert : *Ipsi de ea judicavere Græci, genus in gloriam suam effusissimum, quotam partem ex ea appellando Græciam magnam.* Quotam inquit non totam. Et Ovid. Fast. lib. quarto,

Itala nam tellus Græcia major erat ;

Omnes quidem qui de magna Græcia locuti sunt, eam Italiæ partem esse dixerunt, quæ & Ausonia, & Hesperia, & Oenotria, & Italia sola primum dicta est, nunc Calabria vocatur. Verg. Æneid. lib. tertio Helenum Æneæ in Italiam tendere, & Græcas urbes fugere jubentem introducens, ait :

Has autem terras Italique hanc littoris oram,
Effuge, cuncta malis habitantur mœnia Grajis,

Inde Locros & Peteliam commemorat ; Quib. verbis Virg. insinuat eam tantum partem Italiæ, quæ id temporis Calabria est, à Græcis habitatam : alioqui non dixisset Æneæ Helenus : I in Italiam, & Græcas urbes fuge ; si tota tunc Italia, ut quidam falsò opinantur, magna Græcia fuisset, præsertim etiam quòd hanc oram Itali littoris dicens eam Italiæ partem intelligit, ubi Locri & Petelia sunt. Jam vero etiamnum nonnulla oppida pagique Græci nominis sunt in Calabria, qui in quotidiano sermone Græca & Latina lingua utuntur, sacerdotes verò Græca lingua, ac ritu rem divinam faciunt. Atque cuncta ferè Calabriæ prisca oppida, ac pagi, ac propria loca Græcis sunt appellata nominibus. Cicero etiam Tusc. libro quarto inquit : *Quis est enim, qui putet cum floreret in Italia Græcia, potentissimis & maximis urbibus, ea, quæ magna Græcia dicta est, in hisque primum ipsius Pythagoræ, deinde Pythagoreorum tantum nomen esset, nostrorum hominum ad eorum doctissimas voces aures clausas fuisse ?* Id idem passim, & præsertim libro tertio de Orat. scribit. Quibus in locis, & libro primo & quarto Tusc. scribit Pythagoram ipsam Græciam præceptis omnibusque doctrinis artibusque expoliviſſe, atque ita Pythagoreos doctos fuisse, ut nulli alii docti viderentur. Qui non Calabros modo, sed reliquos etiam Italos, ut Romanos, ut Cicero tradit, atque etiam orientales Græcos institutis ac disciplinis erudierunt. Quorum auctoritatem Cicero plurimum apud se valere dicit. Ait enim in Lælio, de immortalitate animæ loquens : *Plus apud me antiquorum auctoritas valet vel nostrorum maiorum, qui mortuis tam religiosa jura tribuerunt, quod non fecissent profectò, si nihil ad eos pertinere arbitrarentur, vel eorum, qui in hac terra fuerunt, magnamque Græciam quæ nunc quidem deleta est, tunc florebat, institutis & præceptis suis erudierunt.* Quibus verbis Cicero Calabros Philosophos immortalitatem animæ tenuisse ostendit. Nam & Philosophi summi, & poetæ, & legumlatores, & rheto-

ros, & dialectici, & medici, aliarumque rerum scriptores complures evaserunt; Subinde procedente tempore Calabriæ pars quota, quæ ad Occiduum, & septentrionem vergit dicta est *Brettia*; ultimo, ut Plinius tradit, pars eius minima dicta est *Lucania*, circum Thurios. Qui Lucani, ut quidam volunt Brettii postea dicti sunt. Nam Samnites Lucanos duce Lucio, quos barbaros Strabo vocat, eo Colonos deduxerunt. Ait enim Strabo ipse libro sexto: *Cum autem res Samnitica eò magnitudinis crevisset, ut Chones & Oenotros ejecissent, Lucanos eam in partem Colonos Samnites deduxerunt. Cumque Græci utrumque simul littus ad fretum usque tenerent, inter Græcos & Barbaros diuturnum conflatum est bellum. Demum postea barbari hoc est L. cani Græcis inde exacti sunt*, Brettii autem admodum potentes extitere. Nam Apuliæ & Lucaniæ, quæ trans Laum amnem est, partes quotas bello armisque sui juris fecerunt, & Colonias aliquot ibi deduxerunt. Nam Sipontus Apuliæ civitas Brettiorum Colonia fuit, Livio lib. octavo prodente. Tarentinos infestarunt ita, ut Tarentini Alexandrum Epiri regem accire cogerentur, ut sibi opem ferret, ut Livius libro octavo prodit, qui apud Pandosiam urbem, à Brettiis trucidatus est. Brettii autem ut Diodorus Siculus in Philippo auctor est, inditionem suam redactis Arponio, Thuriis, aliisque aliquot urbibus sibi suam remp. instituerunt. Atque Q. Servilio & M. Tusilio Conss. cum milites Timoleontis ab eo uti desertores urbe pulsi, duce Thrasio ex Sicilia in Italiam transissent, oppidum maritimum Brettiorum & occuparunt & diripuerunt. Qua iniuria Brettii commoti coactis magnis copiis contra eos profecti sunt, oppidoque, in quo erant, vi potiti omnes eos trucidarunt. Et Justinus libro vigesimo tertio, sic ait: *Agathocliçi Siciliæ regi in Italiam transeunti Brettii primi hostes fuere, qui fortissimi & opulentissimi videbantur, simul & ad injurias vicinorum prompti. Nam multas civitates Græci nominis Italia expulerunt. Auctores quoque suos Lucanos bello vicerunt, & pacem cum eis æquis legibus fecerunt. Namque Lucani iisdem legibus liberos suos, quibus & Spartani instituere soliti erant. Ab initio pubertatis in silvis inter pastores habebantur, sine ministeria servili, sine veste, qua induerentur, vel cui incumberent, ut à primis annis duritiæ parsimoniæque sine ullo usu urbis assuescerent. Cibus his præda venatica, potus, aut mellis, aut lactis, aut fontium liquor erat. Sic ad labores bellicos indurebantur. Horum igitur ex numero quinquaginta primo ex agris finitimorum prædari soliti, confluente deinde multitudine & plures facti, infestas regiones reddebant. Itaque fatigatus querelis sociorum Dionysius Siciliæ tyrannus, sexcentos Afros ad capessendos eos misit, quorum castellum proditum sibi per Brettiam mulierem expugnarunt: ibique civitatem concurrentibus ad opinionem novæ urbis pastoribus statuerunt, Brettiosque se ex nomine mulieris vocaverunt. Primum illis cum Lucanis originis suæ auctoritus bellum fuit, qua victoria erecti cum patem æquo jure fecissent, etiam cæteros finitimos armis subegerunt. Tantasque opes brevi assecuti, ut pernicioſi etiam regibus haberentur. Denique Alexander rex Epiri cum in auxilium Tarentinorum cum magno exercitu in Italiam venisset, cum omnibus copiis ab his deletus est. Quare ferocia eorum successu felicitatis incensa diu terribilis finitimis fuit. Ad postremum imploratus Agathocles spe ampliandi regni à Sicilia in Italiam trajecit. Principio adventus, opinioni eius concussi legatos ad eum societatem amicitiamque petentes miserunt. Quos Agathocles, ad cænam invitatos, pe exercitum tractici viderent, in posterum statuta his die, conscensis navibus frustratus est, sed fraudis haud lætus eventus fuit. Siquidem revertendi eum in Siciliam interjectis paucis diebus vis morbi coegit.* Dicta est autem *Brettia* longe ante Dionysium tyrannum à Brettio rege, sive à regina *Brettia*, ut Oenotria ab Oenotro, & Italia ab Italo, & Morgetia à Morgete, & Sicilia à Siculo duce. Nimirum Alexis Sybartia poeta comicus vetustissimus inter alias comœdias, scripsit quam Brettiam appellavit. Ait itaque Jornandes eo in libro quem de rebus Geticis scripsit; *Brettiorum regio nomen quondam à Brettia sortitur regina.* Itaque respublicæ Calabriæ Dionysium non socium habuerunt, sed aut tyrannum pertulerunt, aut hostem. Stephanus verò & Eustathius, Brettium nomen à *Brento* deductum autumant: ait enim illo in libro de urbibus: *Brettium urbs Brettiorum Tyrrhenorum à Brento filio Herculis, & Baletiæ, quæ fuit Baleti; incolæ Brettii, & regio Brettia & lingua Brettia. Aristoph. ait: Nigra gravis lingua Brettia est. Antiochus autem Italiam dicit appellari Brettiam, deinde Oenotriam.* Hic verò in Dionysium Aphrum ait: *Brettii à Brento filio Herculis dicuntur, qui Brenti per n, vel Brettii per duplex tt scribi debent.* Jam verò omnes Græci Auctores Brettios scribunt, & ipsimet Brettii in suis numismatibus Brettii, per duplex *tt* inscribunt. Cudebant enim nummos tum argenteos variis signis, Græcis literis inscriptos inscriptione hac *Βρεττίων*, hoc est, Brettiorum: nam ut opinari licet Græca lingua & fortasse etiam barbara, id est, Lucana utebantur, quod Lucaniæ finitimi essent. Cæterum de Brettii nominis origine hallucinatur Justinus sive Trogus. Nam sub id tempus, quo Dionysius regnabat, quatuor in Calabria resp. erant, Rhegina, Locrensis, Crotoniensis, & Thurina, quæ totius Calabræ regionis dominabantur. Et Thurina eius quoque partis dominabatur, quæ Lucanis ultra Laum amnem contermina est. Proinde fieri nequaquam potest, ut L. pastores quicunque hi fuerint Thuriorum, quorum potentia non modica erat, oppidum aliquod etiam confluentibus accolis expugnarent. Neque Thurii adversus illos externo auxilio egebant, ut illos profligarent: neque si eguissent, illud à tyranno, quo cum nullam unquam societatem habuerunt, imploraſſent, qui jam Thurios oppugnare conatus est. Nam quod *Diodorus Siculus* dicit Brettios Arponium & Thurios infestasse, id non à L. pastoribus, sed à Brettiis Calabriæ populis, ubi successu temporis potentes effecti sunt, factum

ctum fuisse, dicendum. Sed neque etiam fortes & bellicosos viros à mulierçula proditrice cognomen sumere credendum est. Nam proditoribus nulla amplius fides habetur, nullus honos. Signabant quandoque Brettii in denario ducem exercitus sui, sive præfectum regionis sine nomine galeatum, & in galea Gryphonem, qui velocitatem significat, & à tergo victoriam alatam & trophæum, duos clypeos & malleum Vulcani instrumentum, & Amaltheæ cornu, regionis ubertatem significans. Quandoque à tergo signabant Palladem cum hasta & clypeo, & juxta nunc lyram, nunc lampadem, nunc noctuam. Aliquando effingebant Jovem, & ex postico nunc Martem cum hasta & clypeo quasi pugnantem, & in clypeo fulgur, nunc aquilam fulgur pedibus habentem, & juxta nunc Amaltheæ cornu, & supra stellam Martis; nunc juxta aquilam, incudem, & forcipes Vulcani instrumenta, quibus fulgura Jovi fabricare fingitur, nunc hexangulum mutuo nexu conjunctum sex lineis constantem Pythagoræ Symbolum, quod sanitatem, & animorum concordiam nuncupabat. Quandoque effingebant Milonem Crotoniatam juvenem Leonis tergum in capite habentem, item clavam quasi alterum Herculem, & ex adverso Palladem post se respicientem quasi præterita contemplantem cum hasta & clypeo, item fulgur. Interim sculpebant Jovem altera manu fulgur quasi in terras jacientem, altera sceptrum habentem, item stellam & Amaltheæ cornu, & ex adverso Victoriam. Nonnunquam imprimebant Apollinem, & ex postico bigam cum auriga & fulgur. Interdum signabant Neptunum tenentem tridentem pede tauri capiti appositio, item cancrum, & ex altera facie pietatem sive Junonem, & pyrausta, quæ vigilantiam notat. Nam opes, quas Juno suggerere dicitur, sine vigilantia haberi non possunt. Aliquando effingebant Martem amiculum in capite habentem, & manu hastam & spolia, & ex postico caput victoriæ alatæ. Signabant quandoque Minervam cassidem cancri instar, in capite habentem, & ex postico cancrum & bovis caput.

Item sculpebant Jovem in biga, fulgur in terras jacientem, & ex postico victoriam. Licet neotherici quidam scioli ac perversi, & in scriptis suis, & in veterum auctorum libris de industria pro Brettio nomine *Brutium* convitii loco falsò ac temerè scribant, & immutent, quasi Brutiorum, Rusticorum, Porciorum, & Bestiarum nobilissimæ Romanorum familiæ à brutis, rusticis, porcinis, & bestialibus moribus dictæ sint. Non enim cognomen à vili re deductum posterorum moribus animisque obest; neque parentum vitia in posteros perpetim manant, ut iis accidit, qui sub eadem cœli gravitate naturali & ingenito quodam vitio nascuntur. Qui hujusmodi mordacissimi & maledicentissimi homines Calabros, quia morum probitate, animorum magnitudine, & corporum robore pollent, regionis felicitate valent, judicio florent, & ingenio præstant, livore quodam & ruresti atque incitatissimo odio prosequentes genuino dente mordent, in ipsosque sua ac suorum civium probra irrogant. Aptam quoque ipsos convitiis impetendi ex Gellii textu libro decimo ab ipsismet depravato sumentes. In quo legunt *Bretios*, quos ipsos *Brutios* perversè scribunt, primos totius Italiæ populorum post aliquot adversas Romanorum clades ab Annibale acceptas, ad ipsum defeciss-se; & ob id devicto pulsoque Italia Annibale Brettios ignominiæ causa non milites scripsisse, nec pro sociis habuisse; sed magistratibus in provinciis euntibus parere & præministrare servorum vice jussisse, magistratibusque secutos, & quos, erant jussi, vinxisse aut verberasse. Quem Gellii locum à malignis ipsis, ut dixi, ac pravis depravatum, & pro Boiis, & Bojanis, sive Bajanis, Campanisque immutatum esse ex his, quæ mox promam, liquido patebit. Quandoquidem si hæc ignominia merito iis inurenda fuit, qui primi à Romanis ad Annibalem defeciverunt: porro ex Transpadanis Boiis, ex Cispadanis Campanis inusta est. Siquidem, ut rem altiùs repetam, Annibal non ex Sicilia, ut Brettii primi ei occurrerent, sed per Alpes Cottias in Italiam iter fecit. Cui primi ex Cisalpinis in Italiam adventanti Boii, qui inter Padum, & Trebiam amnes sunt, occurrerunt. Qui multis Romanorum millibus ab ipsis cæsis Italorum primi ad Annibalem defeciverunt, qui longe ante Annibalis in Italiam adventum infensi erant Romanis. In quos ingenti odio flagrantes Transalpinos Gallos contra ipsos acciverunt, ut apud Polybium libro secundo scriptum legimus. Qui sic ait, *Boii & insubres trans Alpes legatione missa Congolitanum, atque Aneipestem Gallorum reges, itemque alios ejus provinciæ circa Rhodanum populos hortantur, ut coacto exercitu in Italiam contra Romanos transeant.* Id arbitror tum fuisse, cum Romani audito Gallico tumultu centum mil. ped. & LXXX. mil. equitum absque ullis externis auxiliis, & absque Transpadanis armaverunt. Quibus non modico adjumento eo in bello fuit Ibicus Poeta idemque Musicus patria Rheginus: *Inde antequam Annibal Pyreneos montes transisset*, ait in eo Plutarchus, *Boii legatis Romanorum per fraudem captis, Manlio prætore magna clade affecto solicitatis Insubribus ad Pœnum defecerunt. Quem fluctuantem animo in Italiam transire, an adversus Cornelium Consulem Massiliæ commorantem exercitum ducere, legati Bojorum in eam partem traxerunt, ut omnibus rebus postpositis in Italiam conderet.* Et rursus: *Satis constat magnam multitudinem Ligurum & Gallorum ad Annibalem confluxisse, qui non minori odio in Romanos, quàm Pœni, ardebant. Atque*, ait Livius belli Punici libro primo, *solicitatis Insubribus defecerunt ob veteres in populum Romanum iras; & quòd Placentiam & Cremonam Colonias in agrum Gallicum deduxissent. Ii*, ait idem libro tertio, *exercitu Romano deleto poculum ex calva L. Posthumii consulis fecerunt.* Quinetiam Romanorum proditores fuerunt: nam, ait idem Bel. Pun. libro primo, *ex castris Romanorum, quæ Placentiæ erant Galli auxiliares ad duo millia peditum, & ducenti equites, vigilibus ad portas trucidatis, ad Annibalem transfugerunt, quos Pœnus benigne alloquutus, & spe ingentium donorum accensos in civi-*

civitatem quenque suam ad solicitandos popularium animos dimisit. Quare Boii ipsi pulso Italia Annibale à L. Valerio consule fusi sunt, ac graviter à Romanis multati fuere : nam Lorarii, ac Lictoris, carnificisque officiis attributi sunt. Unde etiamnum ab omnibus Italis, vulgari vocabulo carnifices *Boii* nuncupantur, & Boja vincula, & torquis damnatorum. Clastidium vicus, quo magnum frumenti numerum congesserant Romani à P. Brundusino præfecto præsidii nummis aureis quadringentis acceptis Annibali traditur; ut idem *Livius*, & *Polybius* libro tertio tradunt. Per id autem tempus, quo Annibal Placentiæ erat, Carthaginienses viginti quinque remes ad maritimam Italiæ oram vastandam miserunt, ut idem Livius libro primo bel. Pun. indicat, qui ait : *Amilcar Carthaginiensis classis præfectus vastatis Locrorum, & Brettiorum agris, cum omni classe in Panormitanum agrum revertitur*, id ipsum scribit Livius libro primo: *Vibonienses autem*, ait Livius, *libentius agri depopulationem, urbisque terrorem pati, quàm à Romanorum fide discedere voluerunt. Senatusque postea hoc perscito, Sexto Pomponio legato cum viginti quinque longis navibus Vibonienssem Agrum, maritimamque oram Italiæ tuendam attribuit*. Et libro quarto Græcas urbes in Romanorum societate manentes Hannonem tentasse, Locrensesque inter alios, sua sponte urbem omnibus necessariis rebus, quo Pœnis pertinacius resisterent, instruxisse scribit. Non enim Carthaginienses Locrorum, Brettiorum, Vibonienssumque agros, ac demum utranque Calabriæ maritimam oram omnem vastassent, depopulatique fuissent, si hi populi ad Pœnos desciviſſent, societatemque cum illis iniissent. Itaque ex Transpadanis Italis Boii primi omnium Italorum, & cum ipsis Insubres, & Ligures à Romanis ad Annibalem defecere, societatemque cum eo iniere, non Brettii cæterique Calabri. Qui, ut dixi, simul atque Carthaginienses in Calabris oris sese ostendere, urbes necessariis rebus munierunt, atque juxtà cum aliis fidis sociis, & amicis Romanorum in fide perstitere, damnaque plurima perpessi sunt. Ex Cispadanis autem Italis primi ad Annibalem descivere Campani. Qui etiam ignem in urbe circa forum domibus iniecere eo animo ut totam urbem incenderent. De quibus Q. Flaccus, qui Campanos mœnibus incluſos tenebat, ita de eis apud Livium bel. Pun. libro sexto Levinum Consulem alloquens dixit ; *Sibi privatam simultatem cum Campanis negare ullam esse : publicas inimicitias & hostiles esse : & futuras, quoad eo animo in Populum Romanum esse sciret. Nullam enim in terris gentem esse, nullum infestiorem populum nomini Romano ; ideo se mœnibus incluſos tenere eos, quia siqui evasissent aliqua, velut feras bestias per agros vagari, & laniare, & trucidare quodcunque obvium detur, alios ad Annibalem transfugisse, alios ad Romam incendendam profectos. Inventurum in seminsto foro Consulem vestigia sceleris Campanorum, Vestæ ædem petitam, & æternos ignes & conditum in penetrale fatale pignus Imperii Romani, se minime censere tutum esse Campanis, potestatem intrandi Romana mania fieri*. Iam vero Vibius Campanus homo, apud Livium libro eodem suos alloquens fassus est, Campanos Annibalem ad oppugnandos Romanos vocasse, ipsumque ad oppugnandam Romam misisse, in defectione præsidium Romanum, quod poterat emitti, per cruciatum ac contumeliam necasse, aliaque multa, quæ adversus Romanos egerint, recensct. Et belli Mac. libro primo L. Ruffus legatus de Campanorum ignominia hunc in modum verba fecit : *Capua quidem sepulchrum & monumentum Campano populo data, exturi, elato, & ejecto populo supereſt urbs truncа, sine senatu, sine plebe, sine magistratibus, prodigium relicta, crudelius habitanda, quàm si deleta foret*. Et paulo post Campanorum ingratitudinem exprobrans, eosque ex Cispadanis Italis primos à Romanis ad Annibalem defeciſſe ostendens infit : *An Campanorum pœnæ, de qua neque ipsi quidem queri possunt, nos pœniteat? Hi homines, cum pro iis bellum adversus Samnites per annos prope septuaginta cum magnis nostris cladibus gessissemus, ipsos fœdere primum, deinde connubio, atque inde cognationibus, postremo civitate conjunxissemus, tempore nostro adverso primi omnium Italiæ populorum, præsidio nostro fœde interfecto ad Annibalem defecerunt : deinde indignati se obsideri à nobis Annibalem ad oppugnandam Romam miserunt. Horum si neque urbs ipsa, neque homo quisquam supereſſet, quis id durius, quàm pro merito ipsorum statutum, indignari posset? Plures sibimet ipsi conscientia scelerum mortem consciverunt, quàm à nobis supplicio affecti sunt. Cæteris ita oppidum, ita agros ademimus, ut agrum locumque ad habitandum daremus, Vrbem innoxiam stare incolumem pateremur, ut qui hodie videat eam, nullum oppugnatæ captæve ibi urbis vestigium inveniat*. Et rursus de Campanorum natura: *Etenim Campana gens ferox atque superba suopte ingenio est*. Et belli Pun. libro tertio. *Campani cum postularent Senatum Romanum, ut alter Consul Campanus fieret, summoti indignatione à curia sunt, atque per lictorem ex urbe educti, extra fines Romanos manere jussi sunt*. Cujus rei meminit etiam Cicero in prima de lege agraria contra Rullum, ubi, præter cætera, inquit: *Majores nostri Capua magistratus, Senatum, consilium commune, omnia denique insignia reip. sustulerunt, neque aliud quicquam nisi inane nomen Capuæ reliquerunt*. Et in oratione secunda : *Itaque illam Campanam arrogantiam, atque intolerandam ferociam ratione & consilio majores nostri ad inertissimum & desidiosissimum otium perduxerunt. Et nervis urbis omnibus exectis urbem ipsam solutam ac debilitatam reliquerunt*. Et rursus: *Coloni Capuæ in domicilio superbiæ, atque in sedibus luxuriæ collocati sunt*. Item Livius libro sexto de Campanorum pœna & ignominia ait: *Senatores Campani catenati, in custodiam missi, inde ad palum deligati, virgis cæsi, & securi percussi sunt, multi venundati, multi per Latinas urbes in custodiam missi, variis suppliciis interfecti sunt*. Et Plut. in Annibale : *Campani ita turpiter se summisserunt Pœno, ut quasi libertatis obliti non socium in urbem, sed dominum accepisse viderentur*. Fuere quoque Campani infidi Romanis,

Digitized by Google

nis, & eorum sociis; nam cum Romani ipsi Pyrrhi bello legionem Campanæ gentis præsidium Rhegium sibi amicam & sociam urbem misissent: Campani ipsi scelerati & nefarii Rhegium, & Cauloniam, atque alias Calabriæ urbes Romanis socias diripuere, sed debitas luere pœnas, Proinde liquet sane ex Transpadanis Bojos, & cum eis Insubres: ex Cispadanis vero Campanos primos omnium Italorum à Romanis ad Annibalem desciviſſe, & magnis pœnis, & contumeliis à Romanis affectos fuisse, non Brettios. Post autem Cannensem cladem Campani, Lucani, Hirpini, Samnites, Appuli, Cisalpini omnes Galli, aliique multi Italiæ populi non Annibale infestati, sed odio in Romanos moti ab ipsis ad Pœnos defecerunt, ut in Livio bel. Pun. libro secundo, & in Plutarcho in Annibale scriptum est. *Ut vero ex Campania*, ait Livius bel. Pun. libro quarto, *in Brettios reditum est, Hanno Græcas urbes in societate manentes Romana tentavit, Rhegium obsedit, sed aliquot dies nequicquam absumpsit. Peteliam quoddam propugnaculum post longam, undecim quoque mensium, obsidionem vi cepit. Locrenses urbem omnibus necessariis rebus, quo pertinacius Pœnis resisterent, munire statuerunt: sed magna civium multitudine in agris ab Carthaginiensibus intercepta, ipsos in urbem accipere coacti sunt, præsidio tamen Romano clam in portum incolumi deducto, & in naves impoſito, ut Rhegium deveheretur. Croto vi oppugnata est. Petelia recepta Pœnus ad Consentiam copias tradexit, quam intra paucos dies in deditionem recepit*. Nam cum illi populi tam potentem & efferum hostem domi haberent, viderentque Peteliam validum propugnaculum illius potentiæ obsistere non potuisse, sed vi expugnatam fuisse, & Romanos Petelinis opem ferre non potuisse: noluerunt extrema experiri ac perpeti. Præsertim quòd eam copiam à senatu Petelinis, ut quod vellent agerent, factam, sibi quoque tacitè factam intelligerent. Respondit enim Senatus Petelinorum legatis, nil tam longis sociis in se præsidii esse, atque sibimetipsis in puncti fortuna consuli jussit; jam vero Livius bel. Pun. libro sexto ait: *Annibal Roma ejectus in Brettios proficiscens, repentino adventu illos populos incautos oppressit*. Et Plut. in Annib. inquit: *Asdrubalis fratris morte audita se in Brettios recepit, ubi excursionibus magis, quàm justis præliis bellum gerebat*. Et rursus idem, & Eutropius libro tertio, *Peteliam, & Consentiam, & Pandosiam, aliaque in Brettiis urbes ab Annibale expugnatas, non ultro illi datas scribunt*. Thurini autem, qui Romanis fœdere & societate conjuncti erant, ad Annibalem defecerunt, moti ira in Romanos propter obsides nuper interfectos, ut Livius bel. Pun. libro quin. prodit. Et libro nono: *Latrocinüis magis quam justo bello in Bretiis habebantur res à Numidis, Brettiis, & Romanis militibus. Q. Fulvius Flaccus Crotone Junonis templum detegit. Pleminius Locris Proserpinæ delubrum spolivit, & Locrenses utriusque sexus, & omnis ætatis infandis consumeliis injustè affecit*. Nam quod Livius Peteliam Brettiorum urbem scribat, eamque a Græcis & à Brettiis ob separata à se consilia oppugnatam dicit, miror; cum Petelia Græca urbs à Philoctete condita sit. Sed hi Brettii, qui Pœnis adjuncti non adversus Romanos dimicaviſſe, sed Calabriæ regionis Græcas urbes infestaviſſe dicuntur, qui, id est, ex qua urbe fuerint, compertum non est. Opinandum est ipsos agrestes, & tumultuarios, & exules latrociniis addictos fuisse. Quanquam negare non ausim Brettios quosdam stipendiarios Annibalis fuisse. Thurini autem haud diu in Annibalis fide permanserunt: sed & ipsi & Consentini ultrò ad Romanos redierunt, rediissentque & alii multi, ni Romani ducis temeritas obstitiſſet. Ait enim Livius Bel. Pun. libro quinto: *Ex duodecim populis Brettiorum, qui priore anno ad Pœnos desciverant, Consentini, & Thurini in fidem populi Romani redierunt: & plures rediissent, ni L. Pomponius Veientanus præfectus sociorum, prosperis aliquot populationibus in agro Brettio justi ducis speciem nactus, tumultuario exercitu coacto cum Annone conflixisset, magna ibi vis hominum, sed inconcedita turba agrestium sociorumque cæsa, aut capta est, minimumque jacturæ fuit, quòd præfectus inter cæteros ipse captus, & tum temerariæ pugnæ autor, & ante publicanus omnib. malis artibus & reipublicæ & societatibus infidus damnosusque*. Et libr. septim. *Ad Q. Fulvium Consulem Hirpini & Lucani & Volscentes traditis præsidiis Annibalis, quæ in urbibus habebant, dederunt sese, clementerque à Consule cum verborum tantum castigatione ob errorem præteritum recepti sunt. Et Brettiis similis spes veniæ facta est, cum ab iis Vibius & Pacius fratres longe nobilissimi gentis eius, eamdem, quæ data Lucanis erat, conditionem deditionis petentes venissent*. Et libro nono: *Devicta Petelia à P. Sempronio Consule Consentia & Pandosia, & ignobiles aliæ civitates voluntate ad Consulem in deditionem venerunt*. Et libro decimo. *Consentia, Uffugum, Vergæ, Besidiæ, Hetriculum, Sypheum, Argentanum, Dapetia, multique alii populi ad Cn. Servilium Consulem redierunt, qui cum Annibale in agro Crotoniensi acie conflixit. Nihil ultra rei in Italia ab Annibale gestum*. Et rursus: *Annibal inutili militum turba præsidii specie in oppida Brettii agri quæ pauca magis metu, quàm fide continebantur, dimissa, quod roboris in exercitu erat, in Africam transvexit, multis Italici generis, qui in Africam secuturos abnuentes concesserant in Junonis Lacinia delubrum, inviolatum ad eam diem, in templo ipso fœdè interfectis*. Et Eutropius libro tertio ait: *Q. Cæcilio, & Valerio conss. omnes civitates, quæ in Brettiis ab Annibale tenebantur, anno quarto ante Annibalis recessum Romanis se tradiderunt, anno XIII. postquam in Italiam venerat: abiit autem ex Italia anno XVII*. Itaque perspicuum quidem est Brettios populos repentino adventu ab Annibale oppressos fuisse, quosdam Romana ope destitutos, aut vi captos, aut necessitate ad Pœnos desciviſſe, eorum quosdam intra defectionis annum ad Romanos rediisse, quosdam, ne redirent, temeritate Romani ducis præpeditos, tandem eorum multos voluntate ad Q. Fulvium Consulem adhuc

adhuc in Italia Annibale, anno quarto antequam Italia excessisset, voluntate ad Romanos rediisse, ac si quid à Brettiis quibusdam erratum fuit à Consule eis ignotum fuisse. Qui nunquam postea à Romanis desciverunt, quemadmodum Italorum plerique fecerunt, qui non modo existente in Italia Annibale, sed longe etiam post ipsum ejectum rebellabant, ut Ligures, quos *Maro* libro XI. vanos, & elatos, & superbos, & lubricos, idest inconstantes, & fallaces vocat, & L. Æmilius Paulus cons. apud. Liv. Bel. Mac. libro X. latrones appellat, qui fraude pace petita inducias datis per ipsum inducias tempus contra jus gentium ad castra Romana oppugnanda iverunt. Et *Cicero* in Orat. contra Rullum Ligures duros vocat & agrestes, *Cato* fallaces, qui sæpe rebellarunt: Item Boii. Bojorum gentem universam, ait *Eutropius* libr. quart., qui ejecto Italia Annibale, duce Amilcare Cremonam & Placentiam vastaverunt, Marcellus & Furius consl. igni ferroque vastantes propemodum usque ad nihilum deleverunt. Atque Cisalpini Galli, item Picentes, Lucani, Samnites, Vestini, Marsi, Peligni, Marrucini, Umbri, ut Livius Bel. Mac. lib. LXXII. & LXXIV. passim & Appianus Bel. Civilium lib. primo scribunt, unde sociale bellum est exortum. Samnites per centum annos cum Romanis conflixere, ut in Liv. Bel. Pun. libro tertio scribitur. De Samnitum autem perfidia & ignominia Strabo libro quinto inquit: *Samnites in perfidia adversus Romanos soli consistentes, à Sylla aliisque Romanis ducibus deleti sunt. Qui vero arma projecerunt ad millia tria, vel, ut alii, quatuor in campo Martio ad ovilia coacti jugulati sunt.* Et Livius, referente Floro in Epitome lib. LXXXVIII. *Samnites soli Italicorum populorum arma non deposuerunt, eorum octo millia deditorum in via publica Sylla trucidavit.* Et Augustinus libro quinto de Civitate Dei: *Jam pacata Italia, multisque aliis nationibus Romano Imperio subjugatis, deletaque Carthagine, Picentes, Marsi, & Peligni post diuturnum sub Romano Imperio servitutem, in libertatem caput erigere tentaverunt, in quo bello Romanis sæpissimæ victis, ubi duo consules, & alii nobilissimi senatores perierunt. Quintus ei annus finem dedit.* Multi externos hostes adversus Romanos concitarunt, ut Boii Gallos Transalpinos, & inde Annibalem, ut ostendi. *Etrusci*, ait Livius ab urbe condita libro quinto, *à quibus Romani bellum Gallicum in se averterant, cum viderent Gallos in agrum Romanum incursiones facere, & Veios præsidium & spem ultimam Romani nominis oppugnare volentes, ingrati Romanos irridebant, eisque Romana clades ludibrio erant, ac luere pœnas.* Rursus ait idem libro decimo, *Inducierum tempore bellum parant ac societatem cum Gallis hostibus ineunt, & adversus Romanos pugnarunt. Tarentini*, ait Strabo, *Cleonymum Lacedæmonium adversos Romanos accivere.* Item & Tarentini ipsi, & Campani, & Appuli, & Samnites, & Lucani, & Messapii Pyrrhum ex Græcia adversus Romanos accersiverunt. Quare plerisque Italiæ populis ob voluntariam defectionem, infidelitatem, & perfidiam in Romanos ignominiæ nota musta est. Nam ut pecudes ad palum ligati, sub hasta & corona ut mancipia venditi, jugulati ut pecora, sub jugum ut boves missi fuere, ut in *Livio* scriptum legimus. Samnites enim nudi sub jugum missi, & eorum multi jugulati. Tusci & Tarentini venundati. Volsci sub jugum missi, sic & Æquicoli, ut *Val. Max.* lib. secundo auctor est. Istri sub corona venditi, & eorum quinque millia DCXXXII. auctores belli virgis cæsi, & securi percussi sunt. Ligures securi percussi, & eis Posthumus arma ademit. Campani catenati ut amentes, ad palum ligati ut pecudes, virgis cæsi & venundati ut mancipia, securi percussi ut pecora, extra solum Romanum ut importuni pulsi, agris privati ut rebelles & obstinati, atque infidi. Rursus Campani omnes, Attellani, Calatini, & Sabatini Romano & Latino nomine privati sunt. Ni quidem tale de Brettiis reliquisque Calabris ab aliquo præsco auctore scribitur. Ita ne merebant Rhegini, Caulonienses, Locrenses, cæterique illius oræ populi, qui Pyrrhi bello ob præclaram in Romanos fidem tot mala, & à Pyrrho ipso, & à sceserata Campana legione perpessi sunt? Et Mamertini Brettiorum, qui soli per se absque Rom. duce aut milite Pyrrho ex Sicilia per Mamertinum agrum Tarentum eunti, opem Tarentinis adversus Romanos ferenti, cum decem millib. armatorum obviam facti, cum ipso conflixerunt? Et Terinei, quorum urbs ab Annibale solo æquata est? Rursus Rhegini & Petelini, qui ad ultimum in fide Romana permanentes mala plurima à Pœnis pertulere? Et Locrenses, Vibonienses, Brettii, ac demum utriusque Calabræ oræ populi omnes existente apud Placentiam Annibale, mala ingentia passi sunt, & soli sua sponte urbes muniebant, ut Pœnis ipsis oblectarentur? Rursus Rhegini, quorum unus Ibicus ingenio & artificio suo magno adiumento Romanis in Gallico conflictu fuit? Crotoniatæ, quorum urbs post longam obsidionem vi expugnata fuit, & Pyrrhi bello ingentem calamitatem perpessa est? licet Livius Brettios & aliquot Græcas urbes post Cannensem cladem cum aliis Italiæ populis ad Annibalem desciviisse scribat. Thurini, qui semel à Romanis data causa defecerunt; ipsi & alii ante annum voluntate ad eos redierunt, qui & omnium primi Romanos statua & aurea corona donarunt, ex qua urbe Octavius Augustus oriundus fuit? Merebant, inquam, hi, & alii Calabri, qui improviso adventu ab Annibale oppressi, non fide, sed metu ab eo detinebantur, qui sponte vel existente in Italia Annibale ad Romanos redire, & si quid erroris patraverunt, in partem veniæ, atque Lucani, Hirpini, & Volscenses à consule recepti sunt, ut lorarii & lictores essent? Quos Romani & socios & cives suos esse voluerunt. Siquidem Livius ab urbe condita libro nono, inter alios Italiæ populos, quos Alexander magnus, si in Italiam Romanis bellum illaturus veniisset, aut socios validos Romanis, aut bello fractos inveniisset, Thurinos omnemque Græcorum inferi maris oram scribit. Cumque nullibi scriptum legatur

Thurios

Thurios Græcamque Calabriæ oram ad eam diem bellum cum Romanis gessisse, restat, ut Thurini & alii illius regionis populi validi socii cum Romanis dicantur. Et libro quarto Bel. Pun. Annonem, ut ostendi, Græcas urbes in Romanorum societate manentes tentasse scribit. Et lib. 5. L. Pomponium temeritatis insimulat, quòd in agro Brettio sociis infidus damnosusque fuerit. Et lib. 6. D. Quintius à sociis, Rheginisque debitas exegit naves, &c. circa Crotonam, Sybarimque suppleverat remigio naves. Postea vero quàm Brettii Calabrique reliqui omnes ad Romanos, anno scilicet quarto, ut ostendi, ante Annibalis ex Italia recessum, redierunt, Romani ipsos pro sociis, ut antea habuerunt, & milites scripserunt. *Livius* enim Bel. Pun. lib. 9. scribit legatis Locrensium in senatu de Pleminio querentibus quòd fana spoliasset, responsum fuisse, Senatum populumque Romanum eos viros bonos, sociosque, & amicos appellari velle, & lib. XLII. ab urbe condita: Q. Fulvius Flaccus, qui Crotone Junonis templum detegit, in Senatu increpitus est, quòd sociorum templum detegisset. Et rursus lib. eod. Lucretius jussus ab sociis ex fœdere acceptis navibus ad Cephaleniam classi occurrere, ab Rheginis triremi una, à Locrensibus duabus, ab Vitib. quatuor; & bellitia. Ac lib. 5. Stipendium navesque Romanos ab Rheginis ex fœdere accepisse scribit. Et lib. 6. *C. Livius præfectus Romanæ classis ab Rheginis, Locrisque & eiusdem ingris sociis debitas exegit naves.* Cæsar. bell. civ. lib. 1. *Cato naves novas civitatibus imperabat in Lucanis Brettiisque per legatos suos.* Thurini, ut dixi, Romanis fœdere & societate coniuncti erant, & omnium primi Romanos statua & aurea corona donarunt, Cumque sæpe tota Italia militum delectus habitus, sit Senatus consulto, & interim rep. in extremo periculo posita sublatis vacationibus, ut *Appianus*, & *Livius*, & *Cicero*, & *Cæsar* vulgo scribunt, quis neget huiusmodi delectum in Calabria, quæ non modica Italiæ pars est, & ubi gens admodum fortis & ad bellicos labores apta viget, fuisse habitum? Jam verò Livius lib. XXIV. ait consules delectum habere instituerunt, & ad novas scribendas in Brettios legiones, & in cæterorum (ita n. jussi à Senatu erant) exercituum supplementum. Ergo ne ex omnib. Italis soli Calabri Brettiique bellicosi homines, ac robore præstantes à Romana militia repellendi erant? Quibus igitur ex Italis magis quàm Calabris bellicis in reb. fidendum erat? Apulis fortasse, quos Silius fallaces armis appellat? Lucanis & Messapiis, qui unà cum Campanis & Samnitibus Pyrrhum regem abusque Epiro in Italiam contra Romanos accivere? An Campanis infidis & Romano nomini infestissimis, qui ex Cispadanis primi ad Annibalem deficientes ipsum ad opprimendos Romanos vocavere, & ad oppugnandam Romam misere, eamque incendere tentaverunt? Quos Romam ingredi consul minimè tutum censebat, & idcirco eos mœnibus inclusos tenebat? An Samnitibus, qui vel longe post pulso Italia Annibale in perfidia manentes diu bellum adversus Romanos gessere? At Tuscis perpetuis Romano nomini hostibus, qui præter cætera, induciarum tempore bellum Romanis paraverunt & fœdus cum Gallis inierunt? Et quos Tarchon eorum Rex apud Virg. lib. XI. impudentes, quod nunquam doleant, hoc est, nunquam se sceleris pœniteat: item timidos, inertes, ignavosque, & imbelles vocat, quòd magnam ipsorum turmam Camilla Volscorum Regina parva manu, parvoque negotio profligarit; & inertiæ, ac luxuriæ, ac gulæ addictos his verbis objurgat; imò vero Virg. ipse sub Tarchontis persona eorum vitam describit:

Quis metus o nunquam dolituri? o semper inertes
Tyrrheni, quæ tanta animis ignavia venit?
Femina pulsantes agit, atq; hæc agmina vertit?
Quo ferrũ, quidve hæc geritis tela irrita dextris?
At non in Venerem segnes, nocturnaque bella,
Aut ubi curva choros indixit tibia Bacchi,
Expectare dapes, & plenæ pocula mensæ.
Hic amor, hoc studiũ, dũ sacra secundus aruspex
Nunciet, ac lucos vocet hostia pinguis in altos.

An Liguribus, qui & ipsi, ut dixi, vel induciarum tempore castra Romana oppugnarunt? Quos consul latrones, & Cato in Orig. fallaces vocant. Et Virg. lib. XI. eos vanos, elatos, superbos, fallaces, & lubricos, id est, inconstantes his verbis appellat.

Vane Ligur frustraque animis elate superbis,
Nequicquam patrias tentasti lubricus artes,
Nec fraus te incolumẽ fallaci perferet Auno.

An Cisalpinis Gallis, Boiis præsertim, qui cum Insubribus Transalpinos Gallos, & inde primi ad Annibalem descisscentes ipsum in Italiam adversus Romanos accersere? quorum corpora, ut in *Livio* legitur, magna magis, quam firma esse, item emollita ac fluida & intolerantissima, humori & frigori assueta, tum æstu & angore vexata: quorum prælia, præter prima, minus quam fœminatum esse experientia deprehensum erat: quos tandem Romani Italia ejecerunt? Quin etiam Romani multas Colonias in Calabria deduxere, quot in nulla alia Italiæ regione deductæ sunt, ut Tempsam, Hipponium, Crotonem, Rhegium, Scylaceum, Peteliam, Cosam, aliasque in agro Thurino, & Brettio. Item Rhegium & Thurium municipia fuere populi Rom. aliæque urbes, ut Cicero in oratione pro Planco insinuat, ubi sic ait: *Iter à Vibono Brundusium terra petere contendi, cum omnia illa municipia, quæ sunt à Vibone Brundusium, in fide mea judices essent, tunc iter tutum multis minitantibus magno cum suo metu mihi præstiterunt.* Fuit siquidem Cicero totius Calabriæ patronus, ut ipse hic innuit. Et lib. secundo de leg. Locrenses clientes suos vocat. Fuit enim apud Romanos mos, ut socii P. R. in clientelam sese darent Romanis proceribus, qui eos sibi adoptabant, non solum publicè, sed etiam privatim. Municipes autem honoribus & magistratibus populi Romani fungebantur, & suis moribus & legibus utebantur. De quibus & de Coloniis plura Gellius libro sexto.

Digitized by Google

Calabriæ etiam oppida Romanis societate coniuncta, civitate Romana donata sunt, sicut & alia Italiæ oppida societate Romanis coniuncta, ut Cicero in oratione pro L. Cornelio Balbo scribit. Qui ait: *Lege Julia civitas Romana est sociis & Latinis data*. Et Plinius libro XXXVI. de Praxitele loquens inquit: *Hic in Græcia Italiæ ora natus, & civitate Romana donatus cum iis oppidis.* Donati autem civitate cives Romani erant, & civium jura habebant. Unde L. Posthumius Tempsanus Romæ prætor fuit, & Q. Manilius Thurinus ædilis plebis, & inde prætor. Honestaverunt quoque, ac decorarunt Romani Calabriam ingentium sumptuum ædificiis. Nam præter cætera Hipponi pro statua araque Proserpinæ reficienda DCCLXX. M. XC HS, hoc est, vigintinovem millia nummorum aureorum, & duos cum dimidio supra ducentos expendere. Proinde satis abunde ostensum est, non Brettios reliquosque Calabros primos ad Annibalem defciviſſe, sed Boios & Campanos: Brettias vero Græcasque Calabriæ urbes in fide & societate Romana manentes ex improviso ab Annibale oppressas, vi ac metu tentas, brevi ultrò longe antequam Annibal ex Italia excessit, ad Romanos rediisse, & unquam amplius ab eis defeciſſe, & si quid erratum fuerat, ipsis à consule ignotum fuisse, & ab eis, quibus parcitum est, Romanos ob eam ipsam culpam pœnas exegisse asserere quis audet? Senatum Romanum ipsos socios, & amicos habuisse, milites scripsisse, Romana civitate donasse, Colonias in Calabria deduxisse, jus municipii ipsis impertiisse. Cum igitur sic se res habeat, Gellii textum à perversis depravatum fuisse, & non Brettios sed Boios, seu Boianos, & Baianos, & Campanos Lorariorum & lictorum officiis fuisse additos liquidò constat. Decuit enim, ut qui agresti & incitatissimo odio in Romanos exteras gentes adversus eos excitarunt; primi ad ipsas defecerunt, & perfidia in ea defectione quandiù licuit perstiterunt, ac sæpe rebellaverunt, quive ad palum ligati, virgis cæsi, & vincti ac catenati, & securi percussi sunt, hi lorariorum & lictorum officiis assignarentur, qui fontes noxiosque sui similes vincirent, virgis cæderent, & securi percuterent, quæ in se ipsis experti fuerant. Quare quicquid contumeliæ in priscis auctoribus, Brettiis aliisque Calabris attributum legitur, à falsariis maledicentissimis obtrectatoribus adscriptum, aut immutatum esse hærendum non est. Ab his præsertim, quibus ob in Romanos odium & perfidiam ignominiæ nota est inusta. Arbitrantes huiusmodi homines eam sua in alios maledicentia dilui posse. Nam quod Silius libro undecimo dicat: *Brutius ambiguus, fallax mox Appulus armis*, Brutius ambiguus scilicet fortuna; Appulus fallax armis. Id quod non vidit luscioſus vulgaris scriptor Leander, qui quòd Latinè scribere nesciſſet ingens volumen conviciis & mendaciis refertum sibi suique simillibus dignum scripsit. Videat nunc eruditus, & pius lector obtrectatorum, ac detractorum malignitatem & perversitatem, sitque æquus judex. In bellis autem civilibus Calabria universa Cæsaris partibus studuit, ut in commentariis eius, & in Appiano liquet. Ac subinde Octavio favit uti ea oriundo, ut in Appiano constat. Quæ regio cum plurima damna à Q. Pompeio accepisset; Octavius ad Brettiorum maritimam oram, quam Pompeius diripuerat, milites pro custodia misit, ut idem App. bel. civ. libro quinto prodit. Ac sæpenumero ipse Hipponium ac Rhegium se conferebat, & interdum ob securitatem præter Locros Rhegium pedester uno famulo comite meabat, ut Suet. tradit. Et quanquam, ut reliqua prosequamur, omnium eruditorum ac prudentium sententia propalam sit, Europam & habitatoribus & rebus Aphrica atque Asia nobiliorem ac præstantiorem esse, quia tamen Trojana Asiæ à Marone in Juliæ familiæ gratiam celebratur, ostendendum est etiam plures Trojanorum, qui cum Ænea, quem ex Latio oriundum in libro de æternitate urbis demonstravimus, in Italiam contenderunt, in Calabria consediſſe. Ait enim Dionysius Halicar. lib. primo, *Qui vero cum Aenea erant non unum in locum omnes Italiæ descenderunt, sed alii cum pluribus navibus, ad Japigis arces advecti sunt, qui tunc campus Salentinus dicebatur. Reliqui vero juxta Athenæum, quod & obviam Aeneas habuit, ascendens in Italiam. Hic autem locus est promontorium, & in eo statio æstiva, quæ ex illo portus Veneris vocatur. Prætervigaverunt autem usque ad fretum manu tenentes Italiam, & in eis locis etiam vestigia relinquentes adventus sui, cum alia, tum pateram æneam in templo Junonis, scriptura vetere demonstrantem Aeneæ nomen donantis deam.* Item *Strabo* libro sexto, & *Licophron* in Alexandra scribunt Trojanas mulieres captivas juxta Sybarim, & Neæthum flumen Crotonis Græcorum naves incendiſſe, qua ex re Græcos cum Trojanis & viris & mulieribus captivis ibi mansisse coactos fuisse; Trojanosque alios multos ibidem consediſſe, ut suis locis ostendemus. Sunt Calabri, absit verbo invidia, suopte ingenio benignitate præditi, atque erga omnes hospitales. Erga Deum, ac cœlicolas religione, ac pietate affecti, ut minime ab Arcadibus, qui in Calabria consedere, & ab Athenienſibus qui complura illic oppida construxerunt, aut Colonias deduxerunt, & à Romanis, qui multas ibidem Latini sanguinis Colonias deduxerunt, degeneres videantur. Vigent insuper in Calabria vegeta fervidaque ingenia, seu gubernandæ reip. virtutem, seu bonarum artium jurisque scientiam proposueris, seu etiam in re militari robur & animorum promptitudinem. Calabri anno à Christo nato M. LXX. Roberto Guiscardo duce Lucaniam, Apuliam, Campaniam, & Samnium, quæ nunc una appellatione regnum Siciliæ citra Pharum dicitur, quòd Calabriæ pars circum Rhegium Sicilia quondam dicta sit, Roberto ipsi subegerunt. Quare & ob id, & quòd Calabria & antiquitate & rerum omnium copia, ac varietate aliis suprascriptis regionibus nobilior sit, regis filius major natu *Calabriæ dux* appellatur, ac patri in regno sufficitur. Christi

Digitized by Google

ſi autem fidem Calabri Italorum primi, Romanis exceptis, ſunt complexi, Paulo Apoſtolo Rhegii concionante. Qui ut in geſtis Apoſtolorum ſcriptum eſt, ex Judæa in Italiam tendens, Rhegium pervenit, quinto & vigeſimo anno à paſſione Chriſti. Atque illic diem unum commoratus, Deique verba faciens, Rheginos ad Chriſti pietatem, ac fidem traxit, & Stephanum ibi Archiepiſcopum ordinavit, reliquitque. Stephanus autem ipſe circumvicinos populos ad Chriſti fidem convertit, & Epiſcopos ac Sacerdotes ordinavit. Qui aliquot poſt annos cum Suera Epiſcopo, atque aliis & viris & mulieribus, ut ſuo loco dicemus, obiit martyr. Hinc Rheginus Archiepiſcopus in generalibus conciliis poſt Romanum Pont. ſive eius legatum ſemper primum locum obtinuit. Quare permultos utriuſque ſexus, & omnis ætatis Sanctos viros & martyres, & confeſſores, Virgineſque atque viduas ex Calabria extitiſſe opinandum eſt: ſed Scriptorum incuria, aut fortaſſe dolo derelictos, aut aliis provinciis, & præſertim Calabriæ finitimis attributos. Atque ità fit, ut certi maligni ac perverſi homines ſua ſuorumque civium aut aliorum probra & ignominias (tanta eſt horum in Calabrum nomen iniquitas & invidia) malignè ac perperam Calabris adſcribant: Contra vero Calabram gloriam claroſque & doctrina & ſanctitate Calabros viros ſuis, aut aliorum regionibus ac civitatibus tribuunt. Caſſiodorum Calabrum hominem in Apuliam, divum Thomam cognomine Aquinum itidem Calabrum hominem in Frentanos Samnii partem, Steſichorum poetam Calabrum & ipſum hominem in Siciliam inſulam, Auguſtinum Niphum Calabrum quoque hominem Sinveſſam repetunt. Raphael Volaterranus divum Franciſcum Paulitanum Siculum ſcribit. Franciſcus Mauronicus homo Siculus in martyrologio ubi ſeptem martyres minoritæ Calabri homines, pro Chriſti fide occubuerint ſcribit, ſed cuiates fuerint, ſubticet. Beatum Phantinum Calabrum hominem quaſi Julia lege repetit Syracuſas. Quidam, qui veteres Latinos auctores emendare exiſtimantur, in tertio Ciceronis de Orat. libro locum quendam ſecus atque res eſt legunt. Nam cum Philolaus Architam doctrinis inſtituiſſet, locum illum immutarunt, quaſi Architas Philolaum inſtituerit. Cum ibi Cicero primo rectum, inde obliquum caſum, id eſt, primo præceptorem, inde diſcipulum ponat, ſic: Lyſias Epaminondam: Xenophon Ageſilaum, Philolaus Architam, Pythagoras Italiæ Græciam. Fuit quidem Philolaus Pythagoræ auditor, Architas vero Platonis tempore, qui Pythagoram non vidit. Alii ſive errore & incuria, ſive quia ſola Calabria initio Sicilia, & magna Græcia, & Italia dicta eſt (unde etiamnum rex, qui Calabriæ & Trinacriæ inſulæ, quæ nunc Sicilia dicitur, dominatur, utriuſque Siciliæ citra & ultra Pharum rex cognominatur: Et Innocentius tertius ad Conſentinum Epiſcopum, ſcribens Conſentiam Eccleſiam unam ex antiquioribus Eccleſiis regni Siciliæ eſſe ait;) res urbeſque Calabras, necnon Calabros etiam & doctrina & ſanctitate, & dignitate claros homines patrium ſolum reticentes confuſè, & indiſtinctè, aut ſub Siciliæ, aut ſub Græciæ, aut ſub Italiæ nomine ſcribunt. Cæterum nequaquam quidem recte, nam nemo ſua propria laude eſt fraudandus, ſed unicuique regioni, civitati, pago, homini, ſua propria laus omni ſimultate atque invidia poſthabita eſt tribuenda. Et ubi Siculi ex Calabria exacti in Trinacriam tranſmiſere, eaque Sicilia dici cœpta eſt, & Italiæ nomen ex Calabria Alpes uſque manavit, & Calabria quibuſdam locis exceptis, Latina facta eſt, neutiquam amplius Calabræ res confuſè & indiſtinctè, urbis ac loci nomine ſublato ſub Siciliæ, & Græciæ, & Italiæ nomine ſcribendæ ſunt, Stephanus Bizantius in libro de urbibus Miſtiam Calabriæ urbem Samnii eſſe dicit: Scylleum verò & Metaurum, & Lagariam, & Proſtropeam Calabras urbes, Siculas ſcribit. Multas inſuper alias Calabriæ urbes, ut Acram, Crimiſſam, Macallam, Morgetiam, Peteliam, Sybarim, Taurianum, Temeſam, Terinam, Reatium confuſè & indiſtinctè Italiæ urbes ſcribit. Item quidam Leonem ſecundum, & Agathonem, & Stephanum tertium ſive quartum Romanos Pontifices, Calabros homines, Siculos ſcribunt. Joannem XVI. ſive XVII. Romanum Pontificem gente Calabrum, patria Roſſanenſem, lingua Græcum hominem, Græcum gente fuiſſe omnes perhibent: ſed ex qua Græcia, orientali, an occidentali, ideſt ex Calabria, & ex quo oppido is fuerit, elucidat nemo eorum, qui vitas Romanorum Pontificum ſcribunt. Cum, ut oſtendi, Calabria à Græcis habitata magna Græcia appellata fuerit, & Roſſanenſis Eccleſia ab hinc paucos annos Latina facta eſt. Exſtant etiamnum in Calabria divi Baſilii & virorum & mulierum cœnobia pleraque, qui myſteria Græco ſermone, ac ritu peragunt. Quinetiam oppida ſunt non pauca Græca, & in horum agris pagi complures Græci, & oppidani utraqua lingua Græca & Latina utuntur, ſacerdotes vero rem divinam Græca lingua Græcoye ritu faciunt. Quare haud dubio cenſendum eſt, & Teleſphorum, & Dionyſium monachos, & Antherium, & Zoſimum, & Joannem Sextum, & Zachariam Romanos Pontifices, lingua Græcos homines: quorum patrium ſolum Scriptores ſive per ignorantiam, ſive potius per malitiam ſubticent, occidentales Græcos, id eſt Calabros fuiſſe. Utique credibilius eſt Græcos Calabros, utpotè in Italia natos, quorum vita & doctrina nota erat Romanis, potius Romanos Pontifices eligi, quàm Græcos orientales in longinquis partibus ortos, ut jam de Philolao Roſſanenſi homine lingua Græco Joanne XVI. ſive XVII. dicto accidit. Græciæ orientalis, & ulterioris Siciliæ, hoc eſt Trinacriæ res memoratu dignas apertè & diſtinctè ſcribunt, Calabriæ vero non item. Adde quod nec deſunt, qui libros etiam à Calabris eruditis viris compoſitos ſibi attribuentes, nomine ſuo foras dederunt. Cum itaque, ut unde digreſſa eſt, redeat oratio, Calabria à Paulo Apoſtolo ad Chriſtum converſa ſit, & à converſione ſua uſque ad Conſtantini & Silveſtri

ſtri tempora anni propemodum trecenti fluxerint, & Imperatorum ſævitia in Chriſticolas ubique efferbuerit, qui fieri potuit, ut ſoli Calabri hanc rabiem effugerent, impuneſque eſſent, & qui in Calabria commorabantur, & qui in urbe, aliiſque locis reperiebantur? Quare opinari, imo credere licet, permultos Calabros utriuſque ſexus, & omnis ætatis & ordinis ob Chriſti fidem mortis ſubiiſſe ſententiam, ſed, ut dixi, aut ſcribi omiſſi ſunt, aut aliis provinciis attributi. Jamvero ſtatim à ſuæ converſionis primordiis perſecutionis rabiem perpeſſa eſt. Nam ut ſuo loco oſtendemus, Stephanus à Paulo Apoſtolo Rhegii conſtitutus Epiſcopus cum aliis quibuſdam eadem die pro Chriſti fide necati ſunt. Et in Martyrologio Caroli magni XVIII. Kal. Octob. legitur: Apud Calabriam Sanctorum martyrum Scantorii, Viatoris, & Dominicæ eorum matris, quorum corpora in æde Epiſcopali Marci urbis quieſcunt. Et nudius tertius, ut ſic dicam, divi Franciſci Aſſiſini ævo ſeptem Calabri ejuſdem Franciſci cœnobitæ martyrii palmam adepti ſunt. Cumque etiam Romani præſules à Lino ad uſque Silveſtrum tot Epiſcopos, presbyteros & diaconos ordinaverint, eoſque ad diverſa Italiæ loca miſerint, quis neget horum aliquos fuiſſe Calabros, quoſdamque in Calabriam, quæ non modica Italiæ pars eſt, miſiſſe? Jam vero univerſæ eccleſiæ à Conſtantino pace reddita, Nicenæ primæ univerſali ſynodo ipſius Conſtantini & Silveſtri tempore celebratæ adfuit præſens Marcus Epiſcopus Calabriæ, utique Rheginus, ſolus ex tota Italia, Victore & Vincentio Romanis presbyteris exceptis, qui geſſere vices Papæ unà cum Marco ipſo præſule Rhegino. Et deinceps aliis ſynodis ſub Julio primo, Sixto, Hilario, Felice, & Symmacho Romanis Pontificibus celebratis, Epiſcopi Calabri plerique, quod oſtendam, interfuere. Qui non à Sylveſtro vel à Julio primo conſecrati & ordinati fuere, ſed ab aliis ante Sylveſtrum ipſum, Agatho Romanus Pont. Calaber duos conterraneos ſuos Epiſcopos, Joannem Rheginum & Abundantium Paternenſem Conſtantinopolim ad ſynodum miſit, qui unà cum Joanne Epiſcopo Portuenſi vices ſuas gererent. Sunt nunc in Calabria *ſedes Epiſcopales quatuor & viginti*; metropolitana *Rhegina eſt*. Olim plures fuere, nam Amanthea, Hipponium, Tauricanum, Stilum, Tabernæ, Epiſcopales ſedes fuerunt. Fuit præterea Calabria quondam altera Ægyptus Monachorum, Monialiumque, & parens & nutrix ſanctorum Baſilii, Benedicti, & Bernardi, quorum adhuc templa ædeſque paſſim viſuntur, quæ Monachis ejectis (heu tempora) in ſecularium libidinem ac delicias pervenere: quædam ſemidiruta & vepribus obducta cernuntur, ex quibus plerique ſanctiſſimi viri, ac mulieres extitere. Referta eſt & modo Calabria divi Auguſtini, & Franciſci Aſſiſini, & Franciſci Paulitani, & Dominici Monachorum cœnobiis. Sunt quoque in pleriſque Calabriæ templis multorum Sanctorum reliquiæ. De qua Joannes Joachimus Abbas ita fatur in Eſaiam: *Nazareth non in maritima, ſed in montanis poſita Galilæa cum Calabria montuoſa concordat in ſpiritu, ut ſicut ibi ad virginem dirigatur angelus Lucæ primo, ſic ad religionem Ciſterciam doctor angelicus dirigatur*. Nec defuerunt, qui eremiticam vitam ducentes ſanctitate floruerint. Qui etsi nunc modo ignoti ſint, quòd eorum cognitio ad nos, præter unum Telesphorum, non pervenerit, Deo tamen, cui omnia patent, noti ſunt, & æterna vita fruuntur. Nuper autem octo eremitarum Calabrorum, qui eodem tempore fuere, apud me fama percrebuit. Quorum nomina ſunt hæc, Hilario, Nicolaus Græcus (non modo enim ab oppidis, viciſque, verum etiam à regionibus cognomina ſumuntur, manantque ad poſteros) Rinaldus, Franchus, aliorum trium nomina me latent. Horum magiſter & ductor fuit Hilario, qui cum ſeptem aliis ex Calabria abiens in Samnium contendit, atque in valle Aventina in Frentanis, in loco, cui *Plata* eſt nomen, ſecundum Caſulum & Lamam caſtella conſedit, ibique eremiticam vitam degentes Deo ſervierunt. Mortuo autem Hilarione unoquoque eorum ob humilitatem aliis præeſſe renuente, convenerunt, ut ſinguli lancem ſuam ligneam in fontem conjicerent, & is, in cuius lancem piſcis ingrederetur, aliorum gubernacula ſuſcepiſſet. Lancibus autem prius tamen exorato Deo, in fontem conjectis, protinus Dei nutu piſcis in lancem Nicolai ſubiit; tum ille Dei numen agnoſcens regendi alios munus obiit. Exceſſit è vita centum annos agens Eugenio quarto Pontifice. Eius corpus Vardagelæ jacet miraculis fulgens. Eius feſtum agitur ſept. Idus Auguſti. Corpus beati Rinaldi quieſcit Falaſcoſi, ejus feſtum agitur Nonis Maii. Corpus beati Franchi jacet Francavillæ, eius feſtum agitur eodem die. Corpus beati Falci jacet Palenæ. Hæc antiphona à ſacerdotibus illis canitur. *O proles Calabriæ, ſplendor ſeptem ſyderum, novum Vardagelæ decus nobile depoſitum, fero jubar gratiæ, Chriſti beneficium, ne breve veniæ tempus inane defluat*. Anno domini DCCCCVIII. Anaſtaſii tertii tempore Patricius Leonis Conſtantinopolitani Imperatoris dux Italiam ingreſſus, ſe omnia brevi everſurum minabatur, ni Leoni Imperatori properè obtemperarent. Sed à Landulpho Beneventanorum principe ingenti prælio ſuperatus fuit. Quocirca Græci Agarenos in Italiam accerſunt, qui Calabriam, Lucaniam, Apuliam anno à Virgineo partu DCCCCL. vaſtarunt, atque inde moventes urbi Romæ exitium ſe illaturos minabantur, qui à Joanne undecimo ſuperati, loca omnia fermè, quæ in littore Italico obtinebant, incenderunt. Quam vaſtitatem beatus Nilus, divinæ mentis inſtinctu præſagivit. Inde Otho ſecundus Joannis quartidecimi tempore Agarenos, Conſentia recepta, cæcidit, & Græcos, qui cum Maurîs fœdus inierant magnis prælîis attrivit, atque eos omnes ferè ex Calabria & Apulia ejecit. Quia Nicephorus Conſtantinopolitanus Imperator filiam ei pactam in matrimonium tradere negabat. Poſtea Benedicti ſeptimi tempore Otho ipſe magno exercitu comparato contra Baſilium & Conſtantinum Imperatores Græcos,

Digitized by Google

cos, qui Calabriam occupaverant, apud Basentum amnem juxta Consentiam à Græcis superatus, scapha salutem sibi fuga comparavit. Anno post Christum M. LXXVI. denuo Græci & Cretenses Mauri & Pœni inita societate, ac comparato exercitu ingenti, classe, adjutoribus Siculis, Calabriam, Lucaniam, & Apuliam depopulati sunt, præter Rhegium, & Scyllaceum, quas urbes expugnare non potuerunt. Quos Guilelmus Tancredi filius, sive, ut alii, Robertus ejus filius, frater Rogerii, Sergii quarti Rom. Pont. tempore, Mauros, Pœnosque etiam Græcos ex Calabria exegit, præter sacerdotes Græcos. Et à Nicolao secundo rex Siciliæ citra & ultra Pharum appellatus est. Utuntur Calabri in vernaculo sermone Latina lingua, quam à Latinis eò à senatu missis didicerunt: quanquam pleraque adhuc Græca vocabula retineant, nonnullaque Græca oppida, ut dixi, in ea, pagique Græci sint. Et præter ea Latina vocabula, quæ toti nunc Italiæ communia sunt, multis aliis Calabri utuntur, quæ nullibi, quod sciam, Latio excepto, in usu sunt. Utuntur Calabri verborum temporibus proprie ut à Latinis didicerunt. Quare si Boccatius Florentinus Latinam & Græcam linguam probè calluisset, nunquam dixisset Calabros Teutonicè loqui, agnovissetque Tuscos suos pessimè omnium Italorum Latiali lingua abuti, ac semibarbare loqui. Servatur alicubi in Calabria priscus Latinus lugendi mortuos ritus, ubi præfica in funere pretio conducta aliis ad nænias canendas & lamentabilem cantum, ejulatumque modum dat, Inferiis vero peractis, mortui consanguinei & affines eduliis comportatis, defuncti domi una vescuntur. Licet temerarius quidam bonarum literarum & historiarum nescius morem hunc irrideat. Mulieres Calabræ suapte natura virtutis gratia & quod aquæ nobiles sint & innoxiæ, sunt abstemiæ, Probro datur eis si vinum gustent, nisi vetula sit, aut puerpera. Quamvis Alcinous Siculus, *Athenæo* libro 10. referente, fabulosum quippiam hac de re fetibat, & Herculi assignet, quod ob negatum sibi à muliere quadam vinosa secundum Crotonem vinum, mulieribus vini usum interdixerit. Anno à Christi natali M. D. LV. Franciscus Gallorum rex suimet ac Christianæ pietatis oblitus, cum Turcarum tyranno adversus Carolum quintum Cæsarem societatem iniit, & ejus classem è *Byzantio* accivit, quæ omnia Calabriæ, & Lucaniæ maritima oppida diripuit, & magnam utriusque sexus, & omnis ætatis manum captivam duxit. Franciscum rebus humanis exemptum imitatus est Henricus ejus filius, qui & ipse cum eodem tyranno paternam societatem renovans, illius classem in Italiam accersivit, quæ rursus cuncta Calabriæ & Lucaniæ maritima oppida direptioni & igni tradidit, & reliquos oppidanos captivos duxit. Ob quod facinus paulo post Lutherana hæresi Gallia infecta, semet cladibus & direptionibus vexavit. Nunc reliquum est, ut de ejus ubertate aliquid dicamus. Equidem regionem cum regione conferendo, omnium Italiæ regionum, absit verbo invidia, est Calabria optima. Nam præter vetustatis nobilitatem, qua, ut palam est, omnes Italiæ regiones, Latio fortasse excepto, excellit, regionis præstantia, fœcunditas, ac bonitas ex ipso nomine percipi potest; à *calo* enim, ut alias dixi, idest bono, & *bryo* scaturio est dicta, quòd bonis omnibus scaturiat. Et, ut Herodotus libro primo ait: *Nec una regio cuncta sibi ipsi suppeditat, sed aliud habens, alio indiget, quæ tamen habet plurima, ea est optima.* Et Dionysius Halicar. *Eam regionem optimam esse dicit, quæ quicquid vitæ mortalium est necessarium gignit, sibique per se satis est, nec multum adventitiis bonis indiget*, hanc solam Italiam esse asserit. Hac ergo ratione omnium Italiæ regionum Calabriam optimam esse dico. Nam, ut retuli, quicquid mortalibus est necessarium terra ipsa per se felix abunde gignit, nullisque adscititiis bonis eget, sed per se sibimet suppetit. Quinetiam multa foras emittit, & quidem neque Messana sine Calabro commeatu vivere possunt: multaque in ea proveniunt ac fiunt, quæ pertinent ad ornatum. Est quippe universum Calabrum solum felix & amœnum, non stagnis impeditum, sed liberum & herbidum pabulis accomodatum. Ubi Cerealium inaudita fœcunditas viget, & vivi ac perspicui fontes emanant. Tellus pulla est, de bonitate in libro de laudibus Italiæ Plinii auctoritate diximus. Et ut singula recenseam, sunt Calabra arva pinguia, & feraces campi, ubi cernere est simul & mirari quam grandes segetes novales, & campi ipsi roscidi emittant. Montes in eis sunt frugiferi: & aprici pingueſque colles frugibus, vitibus, arboribusque impendio apti, ac benigno ventorum afflatui expositi, valles amœnæ & frugales, extant & amœna opacave nemora, singulari quadam voluptate conferta spirantibus usquequaque undique suavissimis auris; pascua item pabulaque ibi florentissima sunt, teneris herbis floribusque virentia, perennibus rivis irrigata, Ac, præter cætera, provenit ibi sponte sua Medicæ herbæ ingens copia, qua armenta gregesque saginantur. Quam herbam è Media in Italiam advectam quidam astruunt, sed nempe in Calabria, & præsertim orientali tractu multis locis, quæ nunquam vomeres senserе, neque ligones sarculave, ultro nascitur locis argillosis, Quare opinandum est, cum è Media allata est in Latium, ignotum fuisse Romanis in Calabria nasci. Habet ad hoc Calabria munificas ac pulcherrimas silvas tum optimæ picis & resinæ ac terebinthinæ feraces, tum proceris omnis generis arboribus & aquis frigidis refertas, & ad domorum tigna, reliquave utensilia, & ad navium fabricam aptas, ac venationi satis commodas, præstant enim cubilia feris. Habet & passim glandiferas silvas ad porcos alendos adeo commodas. Sunt enim glandiferæ arbores, ait Plin. quercus bigena, harum altera lati folia dicitur ab effectu, *farnam* vocant: robur, ilex bigena, harum altera parva est, & coccum fert, æsculus, fagus, cerrus, ægylops, *corylum* vocant; hemeris & haliphleos, ferunt glandiferæ arbores, ait idem, Agaricum: fungus est candidus, odoratus, nocte relucens, nascitur in Calabria è quercu acu-

lea-

leatis ſpiculis, ſed tenellis erinacei modo obductus, *arnacem* vocant accolæ, quo in cibo utuntur: in Subalpina Italia & in Carnis ſive Japidia legitur ex Larice; arbor eſt altiſſima, montes amat, foliis Pini ſimilibus, quæ non deciduntur; fert & reſinam, decerpunt illum menſe Auguſto vel Sept. cum triennio in arbore ſteterit, & ſit optimus. Naſcitur ſub ramorum truncis pediculo innixus, atque eò melius, quo arbor vetuſtior. Siccatur Sole, & decorticatur. Habet præterea Calabria vulgo *caſtaneta* & ad mortalium uſum, & ad porcos alendos opportuna. Adde & nobilium herbarum ad morbos pellendos copiam, proveniunt & paſſim ſponte nobiles plantæ, ut platanus, vitex, terebinthus, oleander, ſiliqua Sylveſtris, arbutus. Item crocus Sylveſtris, rubea tinctoria, glycyrrhiza, id eſt radix dulcis, tubera. Nec deſunt tepentium calidarumque ſcaturigines aquarum morbis curandis opportunæ. Frigidorum quoque laticum dulcium, levium, & innoxiorum ſcatebræ, perſpicuæque paſſim erumpunt, quas parens ipſa natura ad incolarum commoditatem & ſalutem comparavit. Effluunt & multis locis fontes ſalſam aquam manantes, ex qua fit muries. Irrigatur & tota Calabriæ regio innumeris propè ſimul parvis ſimul magnis fluminibus, & his piſculentis. Quorum quidam ad morbos depellendos alioſque inſignes effectus ſunt commodi. Mare quoque Calabrum ex utroque latere piſcoſum eſt, variis clariſque piſcibus tum tynnis, xiphiis, & muræmis ſecundum. Ubi multis locis corallium optimum album & rubeum naſcitur. Venatio ibi & aucupium nobiles ſunt & variæ: nam multigenæ quadrupedes ſtabulantur, & alites nidificant, ut apri, cervi, capreæ, lepores, vulpes, lynces, lutræ, ſciuri, martes, meles, viveræ, iſtrices, erinacei, teſtudines, tum aquaticæ, tum terreſtres, glires; ex alitibus phaſiani, externæ, perdices, coturnices, ruſticulæ, gallinagines palumbi, phaſſæ, cornices, turtures, turdi, merulæ, ficedulæ, & aliæ parvæ aves, & accipitrum genera plura, item aquaticæ aves, & præſertim ardeæ. Nec caret armentis, gregibuſque. Quam rem Varro rei ruſt. libro ſecundo commemorans inquit: *nobiles pecuariæ in Brettiis habentur*. Equi præterea peroptimi ibi generantur eximiæ pernicitatis & magni, quorum armenta multis locis exiſtunt. Metallis olim nequaquam caruit, & in præſens eiſdem exuberat, cum ſit ſanè tota metallifera, ubi aurum, argentum, ferrum, ſal foſſile, marmor, alabaſtrites, chryſtallus, pyritides, id eſt marchaſita, gypſoria genera, ſynopes, ſive ut alii, minium, rubrica frabilis, chalcanthum, bolum, alumen, ſulphur, aetites, hamatites, gagates, magneſia. *Magnetis*, ait Plinius libro trigeſimo ſexto, *genera quinque ſunt. Quintum in Magneſia naſcitur, ruffus eſt, & niger, nec attrahens ferrum.* Item berillus, ſmiris pumex, cos, ſilex, cos aquaria & olearia, lapis molaris, olearius, & frumentarius, lapis obſidianus, lapis quo pictores imagines inumbrant, lapis ſpecularis, lapis phrygius, lapis ophites, lapis ſive color cyaneus. Sunt, qui amianthum in Calabria ſecundum ſalis fodinam naſci tradunt, ſed mihi compertum non eſt. Honeſtatur inſuper Calabria nobilibus crebriſque emporiis, quæ paſſim in annos ſingulos celebrantur. Quæ alicubi quindenis diebus, alicubi octonis, alicubi quatriduo, alicubi minimum biduo perdurant. Opificia quoque perpulchra fiunt, ſive ex terra ac creta, ſive ex ligno vaſa quæres, ſive ex lana vel coloria vel tincta, ſive ex lino, cannabivè, & ex goſſipie, & ſerico veſtes, ſupellectiliave mavis. Exuberat verum enim & frumento, & eo nempe probatiſſimo, quod *Plinio* libro decimo octavo referente, ante mortem Alexandri Magni annis ferè CXLV. Sophocles poeta tragicus in Triptolemo, qua in fabula Dionyſio Halicar. teſte, Ceres inducitur, ante cuncta laudavit. Ad verbum translata ſententia: *Et fortunatam Italiam frumento caneſcere candido*. Quod ſane de Calabria, tum tantum Italia dicta, intellexit, ceu ex Dionyſii verbis in propatulo eſt, quod jam expoſui. Sunt in Calabria frumenti genera plura, triticum, ſiligo, far, ſecala, irio, *diminum* vocant, triminum quod *Turcbicum* appellant, ſagria, robus, *roſſam* vocant, cingia. Fiunt Zea, *ſpeltam* vocant, hordeum, oriza, & ſeſami copia ingens. Affluit & omnis generis leguminibus, inter quæ etiam lupinis, quibus tellus & armenta pingueſcunt. Redundat & vino, oleo, ac melle, & his porro optimis. Abundat præterea arborum fructibus omnis generis ſapidis & innoxiis, præcipui ſaporis. Et, præter cætera poma, mila in ea fiunt, quæ alibi fana, alibi æſtiva appellantur: magna ſunt & præcipui ſaporis, quæ in arcis aſſervata mirum ſpirant odorem, & ægris ac febre laborantibus innoxia: quæ in ore inſtar ſaccari liqueſiunt. Laudatur & Romæ viſcum Calabrum, quod tenacitate alia omnia præſtat. Exiſtunt & paſſim horti nemoroſi malorum aureorum, limonum duum generum, & citrorum arboribus inſtructi, & amœnitate referti. Fit & ſerici probatiſſimi copia ingens, quod inter Italica ſerica bonitate obtinet principatum; plurimum enim necidalis bombicibuſque nutriendis dant operam, Goſſipii itidem plurimum fit, Lina affatim fiunt horum genera duo, maſculum vocant alterum, femineum alterum Martio menſe ſatum ſuperiori præſtantius, Alexandrino minimum invidens. Cannabis etiam bigena fit, & crocus, ſaccarum, aniſum, coriandrum & id laudatiſſimum. Sed quid de cœli clementia ac temperie dicam? Habet nempe Calabria terras hyeme æſtateque vernantes & amœnas, verè quidem humanæ voluptatis loca, aer ibi purus, mitis, & blandus; ubi nec vis rigidæ hyemis, nec ſolis æſtus immenſus terræ virentia perurit, aut incolas fatigat, ſed quieta moderatio, compoſitaque, ac grata temperies ſalubri ſuavique eos vegetatione ſuſtentat. Ita fit ut plurimis locis avos proavoſque videas. Sed quid his immoror? Quid multis opus eſt verbis? Quando præterea, quæ dicta ſunt, unum maximum de hujus regionis temperie, ac clementia cœli argumentum eſſe poteſt, quod aereum mel, quod *manna* vocant, cœleſte alimentum, atque

verè

verè nectar atque ambrosia passim affatim stillat ac legitur. Et quod Israelitæ in deserto pro miraculo longe mirabantur, hic felix ipsa natura sua sponte præstat. Quod quomodo fiat, Pontanus in libro Meteororum Calabriam felicem appellans sic scribit.

Quinetiam Calabris in montibus, ac per opacum
Labitur ingenti Crathis qua cærulus alveo,
Quaque etiam Syriis silvæ convallibus horrent:
Felices sylvæ, quarum de fronde liquescunt
Divini roris latices, quos sedula passim
Turba legit, gratum auxilium languentib. ægris.
Illic æstate in media sub sole furenti
Dum regnat calor, & terræ finduntur hiantes,
Tum tener ille vapor sensim sublatus ab æstu,
Versatusque die, multoque incoctus ab igni
Concava per loca, & arescentibus undique sylvis,
Ingratum ut sensit frigus sub nocte madenti,
Cum nullæ spirant auræ, & silet humidus aer,
Contrahitur paulatim, & lento humore coactus
In guttas abit, & foliis sitientibus hærens
Lentescit, rursumque diurno à sole recoctus
Induit & speciem ceræ, mellisque saporem,
Quodq; & apes præstant arte, ingenitoque favore,
Hoc medicos natura hominum producit in usus.

Et libro astrorum Calabriam laudans, eamque cum cætera Italia sub leone esse asserens ita fatus est;

Et tellus latè ingenti circundata Sile,
Dives agri, dives pecoris, longe optima nutrix
Leneæque vitis, ditique argentea gleba,
Clarorum inventrix studiorum, atq; æmula divis,
Magna viris, magna ingeniis, atq; urbibus ingens.

Cum itaque Pontanus tam optime de Calabria ejusque incolis senserit scripserit que, opinari cuique prudenti ac probo viro licet convicium, quod in ejus libris de Calabris scriptum est, à Campano quopiam subdolo ac perverso fuisse insertum, ut sub tanti viri nomine fides perhibeatur mendacio. Item Joannes Ant. Campanus in Epistola, quæ est ad Secundinum, nullum locum in Italia nomine ac vetustate clariorem esse existimat, quàm Calabriam. Ac nullibi philosophi plures & meliores, quàm ibi; nullibi ingenia cultiora, quam Calabris, & undique. Item Horatius de eadem Calabriæ ora scribens carminum libro 2. od. 6. sic infit:

Ille terrarum mihi præter omnes
Angulus ridet, ubi non hymeto
Mella decedunt, viridique certat
Bacca venafro:
Ver ubi longum, tepidasque præbet
Jupiter brumas, & amicus Aulon,
Fertilis Baccho, minimum falernis
Invidet uvis.
Ille te mecum locus, & beata
Postulant arces; ibi tu calentem
Debita sparges lacryma favillam
Vatis amici.

Sanè palam est apud *Strabonem* Aulonem eumdem & Caulonem montem, a quo Caulonia oppidum dictum est, in Calabria esse. *Maro* quoque libro tertio Caulonis arces commeminit. *Euripides*, ut dudum ostendi, Calabriam fertilem esse, & fortibus viris abundare scribit. Plurimos quidem, & eos præstantissimos viros, & philosophos, & poetas, & geometras, & medicos, & legislatores, aliarumque rerum scriptores, & ingenioses variorum operum artifices, & pictores, & sculptores, ac novarum rerum inventores, necnon robustissimos athletas, ducesque, eruditasque mulieres, & sanctissimos viros ac mulieres edidit Calabria, ut suis locis ostendemus, quot qualesque nulla Italiæ regio, Latio excepto ob Romæ majestatem, protulit. Item Athalaricus rex in Epistola ad Severum, apud Cassiodorum libro octavo, de hac regione ita scribit; *Redeant possessores & curiales Brettii ad civitates suas: Coloni sunt, qui agros jugiter colunt, patiantur se à rusticitate divisos, quibus & honores dedimus, & actiones publicas probabili extimatione committimus. In ea præsertim regione, ubi affatim veniunt inelaboratæ deliciæ, Ceres ubi multa fœcunditate luxuriat, Pallas etiam non minima largitate congaudet. Plana rident pascuis fœcundis, erecta vindemiis. Abundat multifariis animalium gregibus, sed equinis maxime gloriatur armentis. Merito quando ardenti tempore tale est vernum Sylvarum: ut nec muscarum aculeis animalia fatigentur, & herbarum semper virentium satietatibus expleantur. Videas per cacumina montium rivos ire purissimos, & quasi ex edito profluant, sic per Alpium summa decurrunt. Additur, quod utroque latere copiosa marina possidet frequentatione commercia, ut & propriis fluctibus affluenter exuberat, & peregrino penu vicinitate littorum compleantur. Vivunt illic rustici epulis urbanorum, mediocres abundantia præpotentum: ut nec minima ibi fortuna copiis probetur excepta. Hanc ergo provinciam civitatibus nolunt excolere, quam velut in agris suis se fatentur omnino diligere?* Et in calce epistolæ: *Sed ne ulterius in eandem consuetudinem mens aliter imbuta relabatur, datis fidejussoribus tam possessores, quam curiales sub extimatione virium, pœna interposita, promittant anni parte majore se in civitatibus manere, quas habitare delegerint. Sic fiat, ut eis nec ornatus desit civium, nec voluptas denegetur agrorum.* Et in alia epistola ad eundem: *Quicquid enim præcipuum opulenti Brettii mittunt, aut Calabri peculiosi.* Et in epistola ad Bergantinum apud eundem Cassiodorum lib. 9. *Quapropter ad Massiam ruris nostri ad Rusticianam in Brettiorum provincia constitutam magnitudinem tuam jubemus chartarium destinare. Et si, ut ab artifice harum rerum, Theodoro dicitur, moderatis rebus terra fœcunda est; officinis solemniter institutis montium viscera perquirantur, intretur beneficio artis in penetrale telluris, & velut in thesauris suis natura locuples inquiratur.* Et infrà: *Proinde quicquid ad exercendam hujus artis peritiam pertinere cognoscitis, ordinatio vestra perficiat, ut & terra Brettiorum ex se tributum, quod dare possit, inveniat, quæ fructibus copiosa luxuriat. Decet enim ut inter tanta bona, nec illa desint, quæ putantur esse præcipua. Cur enim jaceat sine usu, quod honestum potest esse compendium?* Et libro 12. *Brettiorum mare dulces mittat acerras.* Et libro 13.

Bret-

Brettii bonus pecus indigena ubertate præstant. Jure igitur optimo sapientissimi illi Græci hanc regionem Ausoniam & inde Calabriam appellavere, hoc uno vocabulo optima eaque plurima, ut dixi, in ea gigni prætendentes. Et licet regio hæc ob incolarum vicissitudines, & regnantium nomina multis fuerit, ut ostendi, nuncupata nominibus: priscum tamen illud & peculiare nomen Casabria, ut semel atque iterum retuli, quod regioni aptissime & propriè convenit, retinet. Rediit namque tandem & quidem jampridem in hanc regionem patriam quondam suam Calabria, nomen, jusque priscum suum sibi vindicavit, quod olim ab aliis hujus regionis nominibus motum, ac relegatum, extra eam inquam, angustissimo loco exul permoleste aliquandiu jacuit. Videbat enim quòd nullibi in Italia, præterquam in hac regione ritè ac jure esse poterat. Rediit autem iis regionis hujus nominibus, quæ se antea relegaverant, vice versa relegatis, aut toti nunc Italiæ, aut parti ejus attributis & impertitis. Morgetia enim & magna Græcia nomina obsoluerunt prorsus & obliterata sunt: Ausonia autem, ut ostendi, & Hesperia, & Oenotria, & Italia toti nunc Italiæ impertita: Sicilia vero Trinacriæ insulæ; Japygia & Salentina Apuliæ parti quotæ. Jam vero Constantini & Sylvestri temporibus Nicenæ synodo primæ Episcopus ex Calabria, utpotè Rheginus, interfuit præsens. Inde Constantii Constantini filii, & Julii primi temporibus synodo Sardicæ, quæ Illyrii est civitas, celebratæ affuere Episcopi ex Calabria, ut tradit Theodoretus: quod ipsum argumentum est, longe ante hæc tempora Calabrum nomen in hanc regionem rediisse. Ait enim libro secundo Hist. Ecclesiasticæ: *sancta synodus Sardicæ Dei gratia coacta à Roma, Hispania, Gallia, Italia, Campania, Calabria, Africa*, & quæ sequuntur. Calabria præcipue uti magna ac nobilis Italiæ pars, & Græcis orientalibus notissima, scilicet antea magna Græcia appellata, commemoratur. Jam vero *Isacius* in Lycophronem Temesam Calabriæ urbem scribit, & *Paus.* in Eliacis de Temesa & Euthymo loquens, mentionem facit de Calabro fluvio. Cum igitur Calabriæ regio talis sit, ac longe compendiosa regibus ab omni onere etiam justo vacare deberet, & dignis honoribus honestari. Sed, heu tempora, non modo ordinariis exactionibus fatigatur, sed injustis etiam ac gravibus extorsionibus vexatur. Quare multi etiam vineas exciderunt, ob nimiam earum census existimationem. Adde quòd utraque regionis maritima plaga annis singulis gravissime a piratis infestatur: unde oppida pagique crebrò direptioni, sanguini, & igni traduntur, segetes exuruntur, vineta, olivetaque, cæteræque arbores exciduntur, pecora ac pecudes, & quod miserabilius & infelicius est, utriusque sexus, & omnis ætatis homines prædantur. Qua ex re oppida pagive civibus vacui sunt, & agri multis locis rudes sunt & inculti. Nemo est, qui maria tueatur, itinera à prædonibus & latronibus infesta securitati det, tam magnam captivorum manum recenseat, eosque a barbarica servitute redimat, & Christianæ libertati reddat: sed sunt, qui nulla belli necessitate singulis tribus lustris omnis sexus & ætatis populos recenseant, & vel à pauperrimis tributa exigant. Id quod nequaquam erat apud Romanos, sed denarius tantum in singula capita quotannis Imperio solvebatur. Servius Tullius sextus Romanorum rex cives infra numerum quinque millia æris habentes sine censu reliquit, quasi tenues & impotentes. Senatus Porsennæ tempore & semper in magna necessitate plebem à tributo liberavit, decrevitque ut divites conferrent, qui oneri ferendo essent: pauperes satis stipendii pendere, si liberos educarent. Adde quod regio ipsa monstris etiam, regulis inquam & tyrannis abundat, qui eam expilant & deglubunt, ac veluti alteri Campani Læstrigones ob inexplebilem sitim & inexhaustam avaritiam mortalium labores depascunt in dies, & sylvas, saltus, agros, pabula, flumina, aucupia, venationes, omnia demum populorum jurá sibi usurparunt. Quare populos sibi subjectos quod eos longe vexent, *vexallos*, hoc est vexatos appellant. Quos Romani modestiæ causa non subjectos appellabant, sed socios. Mercaturam insuper vilem rem, ingenuis hominibus indignam, eorum plerique exercent. Apud Romanos in tanto Imperio nequaquam tot famelicæ & insatiabiles harpyiæ erant, mortalium labores depascentes. Verum enim vero multæ claræ Urbes molestissimas excussere è cervice bipennes, quòd duræ servitutis jugum ferre non valerent.

LIBER SECUNDUS.

NUnc autem, quia de regione universè latis dictum habeo, superest ut eam singillatim scribere aggrediar, ac quicquid quoquo in loco memoratu dignum sit annotare. Qua in re majus mihi opus incumbit. Nam cum quorundam locorum atque urbium prisca nomina immutata sint, & oppida quædam interierint prorsus: quorundam, quæ solo æquata fuerunt, mutatæ sedes: magna ad ea indaganda, adhibenda mihi cura fuit, magnus subeundus labor. Præsertim etiam quòd veteres Scriptores loca pleraque haud quidem distinctè, sed confuse scribant. Siquidem *Strabo* locorum ordinem interdum ita confundit, ut vix eo facile dignosci possint. Nam supra Locrum & Cauloniam, Mamertum, & Brettianam Sylvam esse scribit, quæ in hac ora non esse suis locis docebimus. Item post Scyllaceum Crotoniatarum fines, & Japygum terna promontoria esse dicit, sed qui Locrensium & Crotoniatarum fines sint, utpotè Crotalus fluvius aut Semiris, quæve tria hæc promontoria sint, nequaquam enodat. Rursus Philoctetem juxta Peteliam Crimissam condidisse ait, atque Apollodorum dixisse Philoctetem in Crimissa promontorio agri Crotoniatarum Chonim oppidum extruxisse, sed in qua parte agri Crotoniati, utpotè læva aut dextra sit Crimissa promontorium, non elucidat. Et duo oppida in hoc promontorio à Philoctete condita fuisse ostendit,

Digitized by Google

dit, Crimissam, & Chonim, cum de Petelia & Cerillis fatur, adeo implicitè scribit, ut quo in loco sint ex eo sciri non possit, Neque hoc crimine carent alii plerique. Adde quod veterum scriptorum codices mendis plurimis scatent, tum temporum malignitate, tum quia dum quidam eos emendare desudant, atque elaborant, magis depravant. Neoterici quoque Scriptores tum veterum mendosis libris, tum vulgi & imperitorum opinionibus ac fabellis innixi in multos errores lapsi sunt. Ut Raphael Volaterranus, Guido Ravennas, Blondus Forolivienſis, Pandulphus Collenutius Pisaurienſis, Sebastianus Corradus, & alii plurimi, Quid de vulgaribus ignorantissimis scriptoribus dicam? Quibus magnæ curæ fuit ingentia quidem, sed nugis, convitiis & mendaciis conferta volumina scribere. Qui suos ineptos & indignos & insanos, ac propediem perituros labores Italiæ equisonibus, laniis, coquis, cauponibus, pistoribus, bajulis, morionibus, setariis, fartoribus, cupedinariis, cerdonibus, veterementariis, & ejusmodi infimæ sortis hominibus, & deliris aniculis, & mulierculis, ac demum scortis parant. Nam Latinè scribere nesciunt, & Latina quæstus gratia vulgaria faciunt: quod facilius sit opus dissolvere quam conficere, Graves autem & eruditi viri gravia, ac Latinæ linguæ nitorem, gravitatem, ac majestatem sectantur, & Latina scripta legunt, & Latinè scribunt, quo sua ingenia judicia, ac doctrina, ubique gentium, pateant, cunctis utilitati sint, & æternitate donentur: vulgares vero libellos uti indignas & viles res abominantur & execreantur. Quare ego illis, qui hos aliosque meos libros, Latine à me editos, in vulgarem sermonem vertere audebunt, jam nunc Dei iram imprecor, ne exigant annum. Atque ne hæ imprecationes meæ in hujusmodi improbos, nefarios, & lucriones homines irritæ sint, Deum ipsum vindicem imploro. Nolo enim eas lucubratiunculas, qualescunque hæ sint, in Italia tantum maligni ac sordidi & imperiti vulgi obtuso & hebeti judicio exponi, ac brevi aboleri: sed ubique gentium in eruditorum manibus versari, & æternitate donari. Futurum est enim, & ut quantum auguror, è proximo, ut Latina lingua simul cum fide & Imperio Romano rursus universum orbem permeet. Vulgares autem libelli propediem cum suis Auctoribus interibunt. Sed hac de re, & quod ingenuæ disciplinæ cum vulgo communicandæ non sint, uberius in libris pro lingua Latina fati sumus: quare ad institutum redeamus. Attamen id unum præfari mihi visum fuit, quod loca, quæ sanctorum nominibus à vulgo appellantur, sine sancti additamento scribenda; & quæ duobus nominibus ab eo ipso vulgo appellantur, ut Latinitas patitur, componenda censuimus. Non enim portus & mons sanctus appellandus est, aut oppidum sanctum, quia sic ignarum vulgus appellat, etiam si in eo alicui sancto ædes dicata sit. Jam vero *Laurentum* Latii opidum à Pico rege conditum *Sanctus Laurentius* vocatur à vulgo: Et *Severena* Calabriæ urbs ab Oenotriis extructa *Sancta Severina* à vulgo appellatur, sunt & alia ejusmodi propè innumera. Proinde non insani & ignari vulgi consuetudinem, sed historiæ, & Latinitatis rationem sequamur. Vulgus enim ut est imperitum ac rude, ita est credulum, præceps, audax, & obstinatum, de quo plura diximus in libris pro lingua Latina.

Talaus amnis nunc Calabriam à Lucania dirimit, cujus meminit Strabo. A Talao ad duos lapides *Turtura* oppidum est edito loco, à mari M. P. duobus distans. Est Turturinus ager pabulis & venationi & aucupio aptus, sunt & in eo silvosa loca: legitur manna, fit saccharum & oriza, & ficus optimæ fiunt. Nascuntur & optima vina. Item chalybs & ferrum. Non longe à freto locus est, *Palæcastrum* vocant, ubi veteris oppidi vestigia visuntur. A Turtura ad secundum lapidem *Aeta* oppidum est, ab aeto, quod aquilam significat dictum edito loco; sunt enim hic prærupta loca, in queis accipitres multigeni congerunt: abest à freto m. p. quatuor. Est Aetinus ager ferax, & venationi & aucupio & pabulis idoneus, extat & Sylva glandifera ad porcos alendos commoda. Nascuntur & vina generosa, fit gossipium, legitur manna, nascitur silex, & lapis molaris, & lapis phrygius. Secus littus index passim reperitur; lapis est, cujus attritu auri & argenti bonitas indicatur. In mari portus est Dinus, & ejusdem nominis insula paulum à continenti distans, in qua cuniculi stabulantur, & circum corallium capitur, fit trichiarum & halecum captura, quæ sale in cadis condiuntur. Sunt & retia thynnaria. A Dino portum m. p. duobus portus alter exstitit *Nicolus* dictus. Inde *Scalea* oppidum occurrit, *Talaus* olim dictum, cujus meminit Strabo. Qui ait: *Talaus amnis & Talaus tenuis fluvius, & urbs Talaus paululum à mari semota Lucaniæ postrema Sybaritarum Colonia.* Nunc mari abluitur. Mare nunc alicubi crescit, alicubi recedit. Abest à Talao amni m. p. x. Ab Helea, ait Strabo m. p. l. Juxta Talaum urbem ait, idem Draconis sacellum erat, qui comitum Ulyssis unus extitit. Pandulphus Collenutius Pisaurienſis parum prudenter Scaleam Heleam scribit, cum, ut in Strabone & Plinio videre licet, Helea ultra Pallinurum sit, distatque à Silari amni m. p. xxxi. Alius quidam Trebatium Heleatem fuisse somniat: hac, ut quantum auguror, deceptus causa, quia Cicero ad Trebatium ipsum scribens dicit: *Veni Heleam, & vidi tua & tuos.* Quasi vero Romani proceres villas ac rura extra solum Romanum non habuerint, in quibus colonos & rerum suarum habebant curatores. Scaleanus ager frugifer est, & venationi & aucupio, ac pabulis aptus. Extant & silvæ glandiferæ ad porcos alendos opportunæ, & sylvæ ad navium fabricam & domorum tigna commodæ. Fit & in hoc agro saccharum & xylon. Nascitur plumbum & vina bonitate præcipua fiunt. Ex adverso oppidi insulæ parvæ adjacent non longe à terra. A Scalea ad duos lapides Laus fluvius in pontum mergitur torrentinis & anguillis uber, & circum Lutræ sunt; cujus Strabo itemque Plinius meminere, antiquæ Ausoniæ, Hesperiæ, Oenotriæ, Italiæ, Magnæ Græciæ, & Calabriæ

brie terminatur. Est & intus oppidum ejusdem nominis, de quo mox. Post Laum flumen, Batum flumen alterum in mare influit, quod pervium figu. torentinis, abundans, cujus meminit Plinius. Et supra oppidum est eodem nomine vetustissimum ab Ausoniis aut certe ab Oenotriis conditum. Distat à mari m.p.duobus. In hoc agro fit saccharum, & mel optimum: nascuntur & vina bonitate mirifica, ager hic fertilis est; provenit affatim radix dulcis; nascitur cos aquaria. Exciditur lapis molaris olearius & frumentarius. Est & silva glandifera ad porcos alendos, & pascendis pecoribus opportuna. Inde ad ortum proficiscenti *Papesiderum* oppidum sese offert, quasi admirabile sidus supra saxum situm, natura munitum: abest à freto m. p. IX. quod ejusdem nominis fluvius adlabitur, qui Laum amnem influit. Supra Laum *oppidum* existit loco edito situm vetustissimum ab Ausoniis vel Oenotriis conditum, quod Laus fluvius praetersluit, de quibus commeminit Plin. lib. 3. Oppidani coriis soleisque concinnandis operam navant. Deinde ad occidnum redeunti *Merimagnum* oppidum offertur, in cujus agro pabula insignia sunt, fit caseus probatissimus, & mel non vulgare, oriuntur berilli. Ubi hinc cesseris, *Ursimarsum* oppidum invenies, ab eventu fortasse, hoc est ab *Ursimorsu* a in *a* verso dictum, *Abistrum* olim Ptolomæo, humili petra situm, cui maximi imminent montes, sed mutata sede in radicibus Appennini, quia ejusdem nominis fluvius torentinis & anguillis fœcundus praeterfluit, qui Lao fluvio miscetur. Hic Lutræ sunt, est à mari M. P. V. à Lao amni duobus. In hoc agro vina, olea & mella laudabilia fiunt, extat & silva ad domorum tigna & navium fabricam apta, & venationi commoda, provenit terebinthus affatim. Nascitur lapis molaris frumentarius & olearius. Et gypsum è terra effoditur. Sunt & testudines terrestres. Ad mare Cerilli oppidum est vetustum, edito loco situm, ab Ausoniis vel ab Oenotriis conditum, abest à Lao flu. M. P. VIJ. Jam certe ostendi oram hanc ac totam Calabriam ab Ausoniis indigenis Aschenazi posteris initio fuisse habitatam, rarè tamen; inde ab Oenotriis occupatam & crebris oppidis cultam. Cerillorum meminit Strabo lib. 6. qui ait: *Isthmus à Thuriis in Cerillos extenditur prope Laum. Ipsius autem isthmi milliaria sunt triginta septem cum dimidio. Supraque hos Brettii chersonesum habitant*, in qua isthmo pars Phocensium habitavit, ut Herodotus libro primo tradit. Est & Cerillii promontorium Talai sinus finis. Et portus Parthenius, cujus meminit Plinius. In Cerillenti agro vinum bonitate mirificum nascitur, quod Romæ habetur in precio; subest & oleum clarum, fit & saccharum: ex oleribus cepæ laudantur. Mare hoc & Scaleanum piscosum est, ubi thynni & alii nobiles pisces capiuntur. Contra oppidum insula parva adjacet modicum à terra distans. A Cerillis ad secundum lapidem Diamas fluvius freto miscetur. Hic portus Phocensium est, cujus Plinius commeminit, quia Phocenses post Troiæ ruinas Rhegium primò pervenientes, postea huc commigrarint, ut Isacius in Lycophronem scribit. Sunt autem Phocenses Græciæ populi, qui aliquot urbes in Calabria condiderunt, ut Amphissam, ut Crissam, ut Hyelam, ut Lagariam, ut Ariantham, ut alias multas. Supra Cerillos paululum *Machæra* oppidum est, quod gladium significat, cum spectato vino. In cujus agro berilli oriuntur. E regione Macheræ, *Criseora* oppidum existit, editiori loco super saxum situm, quasi aureus mons, quæ modicum inter se & à Cerillis distat. Hic etiam generosa vina fiunt, nascuntur berilli, & silices, & lapis phrygius, provenit terebinthus & vitex, sunt & castaneta ingentia, & silvæ glandiferæ, ad porcos alendos opportunæ: præstant & ubera gregibus armentisque pascua. Congerunt & in his locis accipitres multigeni, & sylvestria animalia stabulantur, unde & nobilis venatus fit in hac ora passim, & ubertim fœniculi marina nascuntur. A Criseora M. P. quatuor *Vernicarium* oppidum est à vernante aere dictum: forte Aprustum Plinio, in cujus agro silvæ sunt ad domorum tigna & navium fabricam aptæ, provenit terebinthus. Procreantur testudines terrestres. Inde est *Summuranum* oppidum, cujus meminit Antoninus Pius in itinerario, qui fuit anno Christi CXL. ex Syphei ruinis, ut autumo, excitatum, quod Sybaris fluvius torentinis & anguillis uber praeterfluit, ubi gammarorum magna copia nascitur. Hic sericum optimum fit, texuntur panni nobiles ex stamine laneo, vel lineo, vel bambiceo, vel gossipino, & sub tegmine laneo albi coloris. Genus hoc panni *frondinum* vocant. Celebratur mercatus annuatim. In hoc agro oriuntur berilli, gypsum, & specularis lapis, legitur manna. Provenit & tragium, quod herbarii & pharmacopolæ Calabri *dictamum* appellant: habet enim, ut Dioscorides scribit, dictami vim, & utranque herbam in Creta tantùm nasci ait. Est & in agro hoc planicies ingens, *Tenesius campus* dictus, agriculationi, pabulis, & aucupio percommoda, inde vallis est amœnissima lympidis aquis referta. A Septentrionali parte mons est sublimis, *Pollinus* à polleo dictus, quod nobilibus herbis medelæ commodis polleat. Provenit enim ibi, ut ab herbariis accepi, tragium, dictamum Cretense, chamæleon bigenum, draucus, meum, nardus celtica, anonides, anemone, peucedanum, turbit, rubarbarum, pyretrum, juniperus ubertim, stellaria, imperatoria, cardus masticem fundens, dracagas, cythisus, unde & caseus & hippaces probatissimi fiunt: erumpunt & in hoc monte aliæ plures nobilissimæ herbæ, sunt & aurifodinæ. Nascitur & lapis phrygius fungos procreans in singulos menses eiu suaves & innoxios. Est mediocriter ponderosus, & inæquali coloris concretione, candidas Cadmiæ modo venas habens. Quam rude vulgus ex lyncis urina condensam falsò putat: cum ea, ait Plinius, gemma fiat, quam lynx mortalium usui invidens, ut primum minxerit terra obruit. Phrygius autem lapis ait idem libro trigesimo sexto, Gleba est pumicosa. Hic Sybaris fluvius oritur. Non longe à Summurano, *Syphei* oppidi vestigia visuntur, cuius me-

meminit Livius, quod unà cum aliis quibusdam Calabriæ oppidis ad Romanos rediisse tradit. Ubi Summurano abieris, tenderisque ad occiduum, *Seracenam* oppidum invenies, *Sestium* olim, ut coniicio, dictum ab Oenotriis conditum, ut scribit Stephanus, qui ait: *Sestium urbs Oenotrorum mediterranea*. Abest à Summurano m. p. quatuor, quod Garga fluvius adlabitur frigidissimus, qui Sybari miscetur. In delubro, quod divo Leoni est dicatum, quorundam Sanctorum frusta asservantur, ut mentum Joannis Baptistæ, frustum vestis Christi, frusta Petri, & Pauli, Andreæ, & Bartholomæi Apostolorum, Georgii, Cornelii, Cypriani, Theodori, digitus Stephani protomartiris, dens genuinus Blasii, costa Luciæ, phiala vitrea cum particula unguenti, quo Maria Magdalena Christi pedes unxit. Est & arcula cum quorundam aliorum Sanctorum frustis. In hoc agro vina generosa nascuntur, fiunt & olea nobilia, legitur manna, fit gossipium, nascitur plumbum, sunt & aurifodinæ, eximitur gypsum. Gypsi, ait Plinius, duo genera, alterum è lapide coquitur, alterum è terra effoditur. Qui coquitur, lapis est, non dissimilis alabastrite esse debet, aut marmoroso: coquitur fimo bubulo, ut celerius uratur. Omnium autem optimum fieri compertum è lapide speculari squamam vitalem habente, finditur in tenuissimas crustas. De quo Plinius libro trigesimosexto sic ait: *Lapis specularis faciliore multo natura finditur in quaslibet tenues crustas*, talcum appellat aromatariorum turba. Est & in agro hoc *Charitores*; idest gratiæ mons Apennini, herbis medendi arti commodis, oppletus: sunt & silvæ glandiferæ alendis porcis aptæ: fiunt venationes nobiles, stabulantur & lynces. Post Seracenam M. P. quinque *Altimontum* est oppidum vetustum edito loco, *Balbia* olim dictum. Sed an ab Ausoniis, an ab Oenotriis conditum sit ignoratur. Unde vinum Balbinum bonitate præcipuum, cuius meminit Plinius libro quartodecimo, illudque cum aliis Calabris vinis plurimum commendat. De quo Athenæus libro primo inquit: *Vinum Balbinum generosum & admodum austerum, & semper seipso melius nascitur*. Hinc vitis Balbina, alias byblina in Siciliam allata est, ut Athenæus tradit, qui sic libro primo scribit: *Hippias Rheginus vitem illam vocatam fuisse byblinam asseruit, quam Polis Argivus, qui Syracusis regnavit, primus ad Syracusas ex Italia detulit, & id fortasse vinum quod dicatur polium apud Siculos ipsum est byblinum*. Hic emporium bis annis singulis celebratur. In fano beatæ Mariæ & multorum Sanctorum frusta asservantur. Est enim spinarum una coronæ dominicæ, frustum crucis Christi, coxendix cum crure & pede cum carne & cute Joannis Chrysostomi, lacertus divi Basilii, pars crinium beatæ Mariæ Virg. & Mariæ Magdalenæ, frustum Matthiæ & Philippi Apostolorum, Pontiani, Laurentii, Stephani Protom. Barbaræ, Claræ, Georgii, Gamalielis, Virgæ Moysis, & aliorum quorundam, pars digiti Thomæ Aquini, sanguinis Blasii Episcopi. Jacet & corpus beati Pauli Militensis ordinis prædicatorum. Est in hoc agro beatæ Mariæ *Aqua formosa* cognomine templum, Cisterciensium Monachorum Cœnobium. In quo multorum quoque Sanctorum frusta asservantur. Sunt enim frusta vestis Christi, ac beatæ Mariæ Virg., Sixti, Gregorii, & Sylvestri Rom. Pont. Apostolorum Thomæ, Jacobi, Simonis, Judæ, & Philippi: Item Joannis Bapt., Chrysogoni, Fabiani, Phantini, Seantoris, Luciani, Chrysanti & Dariæ, Paulinæ, Annæ, Felicissimi, & Agapiti, Theodori, Primi, & Feliciani, quatuor Coronatorum, Bibianæ, Marii, Marthæ, Audifax, & Abacu, Vitalis, Margaritæ, Armeniæ, Blasii, Saturnini, Barbaræ, Nerei, Achillei, & Pancratii, Mennæ, Georgii, Crescentii, & sociorum, & aliorum quorundam. Non longe à fano hoc vallis est, in cuius medio rivus labitur, & in altera parte castaneæ, in altera cirrhi nascuntur, itaut in hac nulla castanea, in illa cirrhus nullus oriatur, ut naturæ miraculum fit. In hoc Balbino agro montes sunt nativi salis candidissimi, quod lapidicinarum modo cæditur: est pellucidus densus, concretione sua æqualis nec lapidosus, intus gemma est salis candidi ac translucidi. Nascitur & alabastrites. Extant & aurifodinæ duobus locis: & argentifodinæ ferrifodinæ, & lapis cylleus. In huius agri Appennino nascitur chrystallus, exciditur gypsum. Est & Balbinus ager frumenti, & aliarum frugum ferax & pabulis aptus, quem Crondus fluvius irrigat, torentinis & anguillis uber, ubi & lutræ sunt. Nascitur in montibus Tirus fluvius, stabulantur & silvestres quadrupedes, fiunt & aucupia phasianorum, perdicum, & aliarum avium. Existit & silva glandifera ad porcos alendos commoda, optimaque gregibus armentisque pabula suggerens. Sunt & castaneta, legitur & in agro hoc manna. A Balbia ad quintum lapidem, *Ninetum* oppidum est, *Donatum* vulgus vocat, *Ninæa* olim dictum, ab Oenotriis conditum, ut scribit Stephanus. *Ninæa*, inquit, *urbs Oenotrorum mediterranea*. In hoc agro Grondus & Acida fluvii nascuntur, qui Isauro fluvio miscentur. Nascuntur Berilli & silex, sunt & montes nativi salis. Provenit Terebinthus, & Juniperus frequens. Fiunt vina, olea, & mella non vulgaria: erumpunt & perspicui fontes. Est & mons celsus in Appennino, cui *Mula* est nomen nobilibus herbis medelæ aptis refertus, in quo chrystallus gignitur. Atque in ima eius parte quadam Synopis nascitur nobilis, & lapis Phrygius provenit, & terebinthus. Est & Sylva glandifera & alendis porcis opportuna, suggerit & gregibus armentisque pabula. Existunt & castaneta, necnon Sylvæ ad domorum tigna reliquave utensilia, & ad navium fabricam aptæ. Stabulantur in montibus silvisque apri, capreæ, & alia silvestria animalia. Nidificant & accipitres multigeni, unde & venationes nobiles fiunt. Non longe à Donato *Polycastrellum* oppidulum est. In cuius agro lapis molaris frumentarius, & olearius, & cos aquaria nascuntur, in montibus chrystallus gignitur. Postea est *Folonum* oppidum, quasi folea, hoc est fera-

tum cubile; inter Rosam & Acidam amnes, quorum alter torentinis & anguillis fœcundus est, & uterque Isauro miscetur, fortasse *Ariantha*, quam, ait Stephanus, Phocenses inter duos fluvios condiderunt. Cum enim, ut ostendi, ante casum Trojæ, Ausonii indigenæ, & inde Oenotrii advenæ, & post Trojæ ruinas, præter cæteros, Phocenses Calabriam incoluerint, urbesque in ea extruxerint, & harum quarundam nomina immutata sint (quædam enim prisca nomina aut integra, aut litteris tantum vel syllabis immutatis retinent) difficile est quænam hæ sint pro certo asserere. Folonensis ager frugifer est, & pascendis pecoribus aptus: quamobrem armentis abundat, & gregibus. Sunt & in agro hoc glandiferæ arbores, ad porcos alendos opportunæ: sunt & castaneta, sed castaneæ insitæ sunt. Nascuntur & præclara vina, excidituɾ lapis molaris frumentarius & olearius. Non procul ab oppido uberrimus fons è saxo manat, ut statim flumen fiat torentinis affluens. A Folonio ad quartum lapidem *Agatha* oppidum est, *Artemisium*, ut arbitror, ab Oenotriis, ait Stephanus, conditum, incola Artemiata. Distat à freto M. P. octo. In hoc agro Isaurus fluvius pisculentus oritur. Nascitur chalcanthum, & rubrica fabrilis & lapis phrygius, legitur manna. Sunt Sylvæ glandiferæ ad porcos alendos commodæ, & silvæ silvestribus arboribus oppletæ præstant & pecuariis pabula. Agathini adeo agiles sunt & apti, ut veluti viverræ ferè celsissimas arbores scandant, & unco ramis appliciti, ex alia in aliam transeant, venantes glires. Ab Ursimarsi agro hucusque, & deinceps Leucopetram usque in Apennino apri, cervi, capreæ, sciuri, lynces, martes, meles, viverræ, leporés, istrices, erinacæi, & alicubi ursi etiam stabulantur, unde & pulchræ venationes fiunt. In planis autem locis optima phasianorum, externarum, perdicum, coturnicum & aliarum avium aucupia. Nec desunt testudines; congerunt & in præruptis locis accipitres multigeni, & hi optimi. Ac passim terebinth. abundè nascitur, ex qua terebenthina fit, quæ etiam ex pino, abiete, & larico fit. Cumque ut dixi, passim in Calabria flumina, & perennes, ac perspicui fontes, tum amœnæ valles, collesque, & optima pabula, & castaneta, glandiferæque sylvæ sint, & nec nimius calor, nec vehemens algor in ea vigeat, sed temperata cœli temperies; præter cætera, vulgo nobiles pecuariæ habentur. Ab Agatha M. P. quatuor *Ginetum* sive *Thyetum* oppidum est. Thyella Oenotrorum urbs, ait Stephanus, in qua pars Phocensium habitavit. Est à mari M. P. tribus, quod eiusdem nominis fluvius præterfluit, qui vehementi impetu se in mare præcipitat, & ob id formidabilis est nautis. In hoc agro fit saccharum, existunt & horti nemorosi malorum aureorum & limonum. Fiunt Gineti opera figulina, fiunt, & ficus probatissimæ; nascitur ferrum, chalcanthum, & lapis ophites. Inter Ginetum & Agatham fragarum mira ubertas nascitur. A Gineto ad quatuor lapides *Bombicinum* oppidum est: in cuius agro saccharum fit, nascitur terebinthus. Extra oppidum beati Cyriaci templum est, & divi Basilii monachorum monasterium. In quo templo ipsius Cyriaci monachi corpus jacet. Existunt in hoc agro horti nemorosi Limonum, & malorum aureorum. Ad mare *Blanda* oppidum est edito loco, ab aere blando salubrique dictum; *Bellividarium* vulgus vocat, ab Ausoniis, aut ab Oenotriis conditum, & inde à Phocensibus habitatum, quod Scleum flumen adlabitur, abest à Cerillis M. P. novem. Huius oppidi meminit Plinius, itemque Mela, qui ipsum inter Laum flumen & Temesam urbem locant. Quod oppidum oppugnavit Fabius, ut Livius Bel. Pan. libro quarto tradit. Qui hanc urbem *Blandas* plurativo numero declinat, & in Lucania ponit, alicuius auctoris scriptis deceptus; ut Plutarchus, qui Vibonem Lucaniæ urbem esse scribit. In Blandinensi agro fit saccharum, & gossipium, ac ficus generosæ: nascuntur & vina & olea præclara, nascuntur & tubera, fit & sericum nobile. Supra Blandam M. P. quatuor, parte læva, *Bonifatum* oppidum est. Hanc *Hielam* esse arbitror; de qua Herodotus in Clio sic: *Hyela, civitas est, quam Phocenses Rhegium cum liberis & uxoribus pervenientes in agro Oenotria condiderunt.* Non in Rhegino agro, qui ad Metaurum amnem prope Taurianum protenditur, urbes condiderunt Phocenses. Fit Bonifati caseus laudatissimus. Ubi & pulchræ ovium greges sunt, fit & vinum, & sericum nobile, ac ficus optimæ. Ad mare *Lampetes* promontorium est Terinei sinus initium, distat à Blanda m. p. sex. Milliario ab eo statio est. Meminit de hoc promontorio Lampete Lycophron, ut alibi dicemus. Supra est *Melivit m.* civitas olim Episcopalis sedes, sed in Marcum translata, à vitium vinique bonitate dicta, edita loco *Tempsa* quondam appellata, præter quam Isaurus fluvius excurrit. Abest à freto m. p. sex. Hic arx est natura inde manu munitissima & urbi incumbit. Est quidem vetustissima urbs ab Ausoniis condita, Homeri & Lycophronis, aliorumque poetarum præconio clara. De qua ita Strabo libro sexto scribit, A Lao prima urbs Brettiæ *Tempsa*, quam Ausonii condiderunt, nostræ autem ætatis homines Tempsam etiam vocitant. Post illos eam habuerunt Thoantis Comites Ætoli, quos ejecere Brettii. Prope Temesam sacellum est oleastris circumseptum, Politæ Ulyxis socio dicatum. Quem barbarorum fraude trucidatum graves excitasse iras tradunt. Ab eoque exstare proverbium: *heroem Temesæ ingruere sibi dicat nemo.* Locrensibus autem Zephyris ipsa urbe potitis, Euthymum fabulantur pugile, postquam ad eum descendisset, victorem evasisse pugna, atque ut finitimos ab eo tributo absolveret coegisse. Huiusque Temesæ poetam meminisse ajunt, non autem illius, quæ in Cypro est Temesæ. Nam utroque modo dicitur, quod ad Temesam ærarium est, & ærifodinarum locus ostenditur, quæ hisce defecere annis. Quod autem Strabo hanc primam à Lao Brettiæ urbem dicat, de claris quidem urbibus intelligit, nam & ipse Cerillos prope Laum,

&

Digitized by Google

& Plinius, itemque Mela, Blandam inter Laum & Temesam ponunt. Item Strabo ipse Temesæ Terinam proximam scribit, quæ multum abest, inde in maritima ora, Hipponium, & Medamam & Scylleum tantùm scribit. Meminit de Temesa Ovid. Fast libro 5. Ubi ait: *Rursus aquam tangit, Temesææquæ concrepat æra.* Et alibi. *Et quamvis aliquis Temesæa removerit æra.* Et Met. lib. 7. Medeam sic facit loquentem: *Te quoque luna trabo, quamvis Temesæa labores Æra tuos minuant.* Et lib. 15. *Temeseſque metalla, Leucosiamque petit,* Item Statius Syl. lib. 1. *Et quis se totis Temesæ dedit hausta metallis?* Et rursus: *Nusquam Temesæa notabis æra.* Et Homerus Odyss. lib. 1. *Pallas ipsa Telemacho, nunc autem sic cum navi deveni & sociis navigans nigrum mare ad alienigenas homines, Ad Temesim æris gratia, duco autem nigrum ferrum.* Et Lycophron in Alexandra de Menelao loquens ait: *Dona dedicavit virgini spoliatrici Minervæ, Temesæam craterem & clypeum.* Quibus super verbis Isacius interpres ait: *Temesa urbs est Calabriæ in qua optima æra effodiuntur.* Huc etiam post Trojanum excidium concessere Phocenses socii & Schedii & Epistraphi ducum Phocensium, ut idem scribit, qui ait;

Naboliorum vero in Temesam filiorum,
Nautæ pervenient, ubi Lampetes
Hipponii verticis ad mare promontorium
Asperum vergit, contra autem Crissæ fines,
Crotoniatam mari oppositum sulcum:
Boum arabunt acuto vomere.

Super quibus verbis Isacius ait; *Nauboli filius fuit Ephitus, cuius filii fuerunt Schedius & Epistraphus, Phocensium duces, qui apud Trojam cæsi fuerunt. Post autem Trojæ expugnationem illorum socii in Italiam pulsi Temesam incoluerunt, quæ civitas est Calabriæ, quæ generosum aurum habet, quæ nunc Tempsa vocatur, quam Lycophron nunc Temesum, nunc Temesam nominat. Lampetes est promontorium juxta Temesam, & Lampetia urbs. Hipponium est Italiæ urbs & promontorium. Ubi Crissa urbs est Phocensium, à Crisso Panopei fratre condita, è regione Crotonis.* Meminit de Temesa Ptolemeus & Mela, de qua plura Callimachus. Est Temesa Colonia civium Romanorum, ut Livius bel. Mac. lib. 4. auctor est: *deduxit*, inquit, *eam L. Cornelius Merula.* Tempsanus ager de Brettiis captus erat. Eam prædari solitus erat Verres, ut Cicero in Verrem ipsum actione quinta scribit. Meminit & actione septima de Tempsano incommodo. Ex hac fuit L. Tempsanus Romæ prætor. Fuit Tempsa sedes Episcopalis, quæ, ut dixi, in Marcum translata est, aut certe Marcensi adjuncta. Hilarius Episcopus Tempsanus interfuit Synodo Romanæ quartæ, quæ sub Agathone Papa celebrata est. Et Abundantius Episcopus Tempsanus interfuit Synodo Constantinopolitanæ sextæ, sub Agathone. Signabant in nummo Tempsani templum cum ædituo, & ex postico politem inscriptione græca Τεμεσαίων. Hic præclarissimum vinum nascitur, quod Plinius quarto decimo, inter cætera Calabra vina laudat: fiunt & olea, & mella, & serica clara, ager hic frumenti & aliarum frugum ferax est, poma omnis generis fiunt. Aer blandus est, fit in agro hoc gossipium, legitur manna, nascitur gypsum, & lapis phrygius, fit visci copia ingens, sunt castaneta & silvæ glandiferæ ad porcos alendos commodæ, & silvæ ad domorum tigna & navium fabricam aptæ, præstant & optima gregibus armentisque pascua. Supra Temesam m. p. quatuor *Vergianum* oppidum est, *Rogianum* vulgus vocat primis literis immutatis, *Vergæ* olim dictum. Vetustum quidem est, sed an ab Ausoniis, vel ab Oenotriis conditum sit, compertum non habeo. Meminit hujus urbis Livius, quam cum aliis quibusdam ad Romanos, ut ostendi, rediisse scribit. Vergianus ager frugifer est, fiunt & vina & mella clara. Legitur manna, fit & sericum nobile. Texuntur Vergis panni quales texuntur Murani. Exin est *Marcum* civitas sedes episcopalis, Tempsæ suffecta; *Argentanum* olim dicta. Quam cum Vergis aliisque quibusdam ad Romanos rediisse Livius tradit. In æde Episcopali sanctorum martyrum Seantoris, Viatoris, & Cassiodori, & Dominatæ eorum matris corpora quiescunt, qui hujus urbis cives fuere. Meminit horum Usuardus in martyrologio suo. Hanc episcopalem sedem Maurolycus Siculus Messenio Archiepiscopo olim subjectam fuisse, insulsè nimis nugatur, Urbem hanc Folonum flumen præterfluit, nec longe Malosa fluvius alter fluit, qui Folonio miscetur. Ager hic uberes fructus refert, fiunt vina, & olea non vulgaria, & sericum nobile, legitur manna, exciditur lapis molaris, nascitur silex. Extant castaneta, & silvæ glandiferæ ad porcos alendos commodæ, sunt & silvæ ad domorum tigna & navium fabricam aptæ, præstant ubera gregibus pabula; & cubilia feris, nec desunt præclara aucupia. Sunt & in hoc agro pagi; Cervicatum, Casaletum, Mucrasanum, Cavalatum, Cirecjum, Jacobum, Casalenovum, Martinum & Dominica. Inde est *Fagianum* castellum, quod Calabrices fluvius torentinis uber præterfluit, qui Sybarim influit. Exuberat Castaneis insitis, sunt & silvæ ad domorum tigna, ac reliqua utensilia & ad navium fabricam aptæ, fit visci ingens copia, provenit in Fagianensi agro ingens fragorum copia. Nascitur lapis phrygius. Oppidani ligneis vasis conficiendis navant operam. Calabrices fluvius Fagianensem agrum à Marcensi disterminat. Prope Fagianum *Locium* vicus est, in hoc agro Albani populi in tugurioliis habitant. Hic gypsum è lapide coquitur. Ad mare *Cetrarium* oppidum est edito loco, super saxum situm mari incumbit, quod ejusdem nominis fluvius adlabitur. *Lampetia* olim dictum, à Lampetia sorore Phaethontis condita, cujus meminit Lycophron, & Polybius libro tertiodecimo, referente Stephano; à qua gentile Lampetiensis & Lampeticus. Unde Lapeticus sinus, abest à Lampete promontorio m. p. sex. Meminit & urbis hujus Pomp. Mela, itemque Plinius; licet quidam mendosè *Clampetia*

Digitized by Google

tia legant. Hic navale est, ubi naves Tri-
remes fabricantur. Olei optimi copia, & fi-
cus laudatissimæ fiunt, coquitur gypsum è
lapide. Nascitur vitex, & fœniculi marini.
A Cetraro ad quartum lapidem *Fardia* ca-
stellum est, montis vertice paululum à mari
semotum, cum balneis non vulgaribus, à
transmontanis habitatum. Hi bilingues sunt,
nam sua, & Latina lingua utuntur. Sed
nuper à Transpadanis Gallis Lutherana hæ-
resi infecti, sui sceleris pendere pœnas: nam
omnes ferè vitam suspendio finierunt. In
hoc agro gypsum nascitur. Extant & glan-
diferæ Sylvæ. Nec longe est *Fiscaldum* ca-
stellum alterum. Ubi saccharum fit, & mel,
ac vinum non ignobile. Nascitur, & lapis
phrygius. Supra est *Hetriculum* oppidum,
quod vulgus corruptè *Lataracum* appellat.
Quod unà cum aliis quibusdam ad Romanos
rediisse, Livius astruit. Ager hic frumenti,
& aliarum frugum ferax est, fiunt vina, ac
lina, cannabis, & serica, & fructus opti-
mi, ex quibus castaneæ ex insitis arboribus
laudantur, fit & xylon. Nascitur gypsum
& silex. Prope est Toranum oppidum cum
spectato temeto. Hanc Dapetiam esse arbi-
tror, quam cum aliis multis ad Romanos
rediisse Livius tradit. Hic figlina opera
fiunt. In hoc agro eadem fiunt, quæ in
Lataraci agro. Torani agrum Turbidus
fluvius à Marci agro dispescit. Nec lon-
ge *Regina* oppidum est edito loco, *Heri-
num* olim appellatum, ab Oenotriis con-
ditum: *Herinum*, ait apud Stephanum He-
catæus, *Oenotrorum urbs est mediterra-
nea*. Juxta Perditium flumen labitur, &
inde Neia fluvius alter fluit. Fit hìc op-
timi olei copia, nascitur alabastrites, & sul-
phur, & silex, & nitrum, cos aquaria, &
olearia, lapis molaris frumentarius, & olea-
rius. Inter legumina maxime laudantur ci-
ceres, provenit Terebinthus. Est & ager
hic frumenti & aliarum frugum ferax. Quem
Finetum flumen à Toranensi agro disterminat. Deinde est *Montaltum* civitas, *Uffu-
gum* olim dictum, quod simul cum aliis
multis ad Romanos rediisse Livius scribit,
sedes Episcopalis quæ Consentinæ juncta est.
Hic nobile emporium in annos singulos ce-
lebratur. Fit Serici optimi ingens copia. Te-
xuntur panni sericei, & frondinei. In hoc
agro nascitur alabastrites, & lapis molaris
frumentarius & olearius, & sulphur oritur
& chalcanthum & plumbum. Juxta Vincen-
tium vicum sal fossile nascitur. Est in hoc
agro *Xostus* vicus. Agrum hunc Manilianus
& Septimius amnes piscolenti irrigant qui
Crathi miscentur. Nunc ad fretum redeun-
dum est, ubi *Paula* oppidum est cum fonte
nobili, quod ejusdem nominis fluvius præ-
fluit, divo Francisco minimorum ordinis fun-
datore inclytum, *Patyces* olim dictum, ab
Oenotriis conditum, ut Stephanus fert, in-
cola Patycita. Est à Cetraro m. p. duode-
cim. Ortus est divus Franciscus, ut de eo,
ut par est, aliquid dicamus, à partu virgi-
neo anno. M. cccc.xv. honestis parentib. ac
Christianæ fidei cultoribus, haud sanè sine
futuræ suæ sanctitatis portento. Nam ea no-
cte & hora, qua conceptus est, visa fuit su-
per parentum domum trabs ignea. Qui duo-
decimum annum agens cum parentib. Asi-
sium Umbriæ urbem religionis gratia divi
Francisci Assisini corpus veneraturus petiit.
Inde in Calabriam reversus divino instinctu
juxta prophetæ dictum: *Ecce elongavi fugiens
& mansi in solitudine*, patriam amplius in-
gredi renuit, sed hominum cœtum consue-
tudinemque declinans secessum delegit, Ubi
divino cultui jugiter die, ac nocte impiger
versabatur, jejuniis, vigiliis, obsecrationi-
bus & contemplationibus incumbens. Man-
sit autem hunc in modum totum quinquen-
nium. Subinde simul atque excessit ex ephe-
bis undeviginti annum natus, cœnobitas
ad eremum, facta sibi prius à Consentino
antistite copia, admittere cœpit. Ac præter
cætera, crebris etiam corporis laboribus ope-
ram navabat; ita ut nulla vel momenti in-
tercapedo interciperetur, quin & sibi & aliis
frugi plurimum esset. Erat nimirum cun-
ctarum virtutum specimen. Eius vultus ve-
rum præ se numen ferebat, Pedes toto suæ
vitæ tempore nudos gessit. Signis plurimis
fulsit. Quippe qui plerosque vita functos ad
vitam, lepra aliisque ulceribus & languo-
rib. confectos ad pristinam secundamque va-
letudinem revocavit. Luminibus captis vi-
sum, auribus auditum restituit. Sæpe ignem
nudis pedibus illæsus calcavit, calcariam ar-
dentem, & ruinam minantem nudis pedi-
bus ingressus, nudis manibus, ne ruaret
firmavit, Dæmonibus obsessos liberavit, Nec
prophetiæ munere caruit: nam divino affla-
tus spiritu pleraque præcinuit, Sæpe plures
dies, ac noctes mansit impastus, Sanctam
quadragesimam totam absque cibo potuque
transegit, Carnes nunquam comedit, quin-
etiam suis Cœnobitis carnibus, ovis, La-
ctariisque, infirmitatis tempore excepto, &
tum consulente medico, penitus interdixit,
Eius sanctitatis nomen ad Ludovicum Gal-
liarum regem cum perecrebuisset, omni
posthabita cunctatione rex ipsum summa
veneratione ad sese accersivit. At ille non-
nisi Sixti quarti summi Præsulis jussu ad
eum accessit. Obiit diem suum Turone
Galliæ, senio confectus, unum & nonage-
simum annum agens, à natali dominico
anno MDVII. quarto Non. Aprilis, Julio
secundo Pontifice, die vero & hora qua Chri-
stus pro humani generis salute, parasceves
inquam, & hora nona expiravit, idest, mo-
re Romano horas à solis occasu præcedentis
diei usque ad occasum sequentis numerando,
hora vigesima prima, ut etiam in Evange-
lii vinea liquet. Sui quidem finis die, quo è
vita hac excessit, suis alumnis Christi exem-
plo quam humiliter pedes lavit, Eucharistiæ-
que viaticum multis obortis lachrymis susce-
pit, Qui à Leone decimo post Christum na-
tum anno MDXIX. in numerum sanctorum
relatus est. Sed de die Romano in Dig. scri-
bitur; & de horis Martialis lib. 4. Paulæ cla-
ra vina fiunt, & dulce, vernatium dictum,
& austerum, laudantur cæpuria, Fiunt & fi-
glina opera, è quibus phialæ & ollæ laudan-
tur. Erat hic palma frugifera; sed agitata
vento corruit. In hoc agro lapis molaris ex-
ciditur frumentarius & olearius, Mare hoc

piscu-

piſculentum eſt, in quo verriculis ingens piſcium copia, necnon & corallium capitur. Poſt Paulam fluvius labitur *Tynnaria* dictus, quòd contrà tynnorum captura fieret. Inde Lendro fluvius alter mare influit.

A Paula m. p. quatuor *Nicetum* oppidum eſt, edito loco mari incumbens, quod victorem ſignificat. Hic clariſſima vina fiunt dulcia vernacia dicta, & ficus optimæ, laudantur & perſica, & ollaris uva: plerique fructus præcoquuntur, ut Puteolis, ager hic frugifer eſt. In quo etiam lapis molaris eximitur B frumentarius & olearius, & cos aquaria. Naſcitur gypſum & ſilex: Fiunt palumborum & aliarum avium aucupia generoſa. Ex hoc oppido fuit Nicolaus divi Franciſci Paulitani ſocius integræ ac ſanctæ vitæ vir. Poſt oppidum Moſa fluvius labitur. Intus eſt *Arintha* oppidum inter duos amnes Emulam & Sordum ab Oenotriis conditum, ut Stephanus refert; diſtat à Niceto m. p. octo. Hic figlina opera pulchra fiunt, & præſertim ollæ coquinariæ & olearie. In hoc agro C præter cætera ingens cicercularum copia fit, item goſſipium, legitur manna. Naſcuntur eos aquaria, & ſilex & magneſia. Eſt & *Fetium* pagus. Dein eſt *Caſtrifrancum* oppidum, edito loco, *Pandoſia* olim dicta, quam Oenotrii condiderunt. Quæ Oenotrorum regia fuit, quam Acheron amnis, quem *Capaianum* vocant, præterfluit: à quo, ait Plinius, oppidani Acherontini. De qua Strabo lib. 5. ita ſcribit: *Supra Conſentiam paululum Pandoſia eſt, validum propugnaculum, ubi Moloſſorum rex Alexander trucidatus eſt. Dodonæo deceptus oraculo, Acherontem atque Pandoſiam cavere jubente, cum ſimilis appellationis loca in Theſprotio monſtrentur agro. Trivertex autem ipſum eſt propugnaculum, cui Acheron amnis præterfluit. Aliud inſuper fraudavit oraculum. Pandoſia perdes populum quandoque trivertex. Credidit enim hoſtium, non ſuorum cladem oſtentari.* Oenotrorum quoque regum regiam fuiſſe Pandoſiam memoriæ proditum eſt. Fuit Alexander a Tarentinis in Italiam accitus, quò ipſis adverſus Brettios opem ferret, nam Tarentini per ſe Brettiorum potentiæ reſiſtere non valebant. De qua re Juſtinus lib. 12. ex Trogo Pompejo inſit; *Alexander rex Epiri in Italiam à Tarentinis auxilia adverſus Brettios precantibus ſolicitatus, ita cupide profectus fuerat, ut in diviſione orbis terrarum Alexandro Olympiadis ſororis ſuæ filio oriens, & ſibi occidens ſorte contigiſſet, non minorem rerum materiam in Italia, Aphrica, Siciliaque, quam ille in Aſia & Perſis habiturus. Huc accedebat, ut ſicut Alexandro magno Delphica oracula inſidias in Macedonia, ita huic reſponſum Dodonæi Jovis urbem Pandoſiam, amnemque Acherontem prædixerat, qua utraque cum in Epiro eſſent, ignarus eadem & in Italia eſſe, ad declinanda fatorum pericula, peregrinam militiam cupidus elegerat. Geſſit cum Brettiis bellum; ſed juxta urbem Pandoſiam & flumen Acheronta, non prius fatalis loci cognito nomine quam occideret, interficitur. Morienſque non in patria fuiſſe ſibi periculoſam mortem, propter quam patriam fugerat. Corpus ejus Thurii publicè redemptum ſepultura tradiderunt.* Id idem Livius ab urbe condita lib. 8. ſcribit. Hanc urbem aliquando Lucanorum fuiſſe Theopompus apud Plinium tradit. Signabant Pandoſii in denario Apollinem, & ex poſtico tripodem. Hic ingens ſerici copia fit. Naſcitur in hoc agro gypſum, & ſilex. Non longe *Cyterium* oppidum eſt, quod literis immutatis *Cyriſanum* vulgus appellat, ob Oenotriis conditum: *Cyterium*, ait apud Stephanum Hecatæus, *Oenotrorum urbs eſt mediterranea, à qua oppidani Cyterini*. Situm eſt edito loco in radicibus Appennini, cui mons ſublimis imminet *Cacucius* ab alto cacumine dictus, nobilibus ac ſalubribus herbis oppletus. In hoc monte bolum naſcitur haud ignobile, & fragarum copia ingens. Inde eſt *Conſentia* civitas nobilis, divitiis pollens, & vetuſtiſſima, inter Crathim & Baſentum amnes, ab Auſoniis, aut certe ab Oenotriis condita. Nam ut dixi, ante Oenotrii & Peucentii in Calabriam adventum, Aſchenazi poſteri Auſones ſive Auſonii à Græcis dicti, univerſam regionem, urbes in ea rarè tamen condentes, incoluerunt. Inde Oenotrii advenæ urbes in ea crebras extruxerunt. Poſt vero Trojanum excidium, præter alios Græcos, Phocenſes & Philoctetes multos urbes in ea condiderunt. Eſt Conſentia declivi loca ſita Septentrionem ſpectans, atque à Niceto ideſt Tyrrheno mari m. p. duodecim diſtans. Ab urbe ad orientale uſque fretum vallis eſt amœniſſima ad x. l. m. p. longitudine, Crathi fluvio nobili, & piſculento, de quo alibi plura, aliiſque plurimis fluviis, qui Crathi miſcentur irrigata, ac crebris oppidis in ſpeculis collibuſque ſitis ac villis undique cincta. Nam parte læva ſunt Domanicum, Meneciana, Caroleum, Pandoſia, Arintha, Monſaltum, Regina, Lataracum, Toranum, Marcum, Rogianum, Fagianum, Tarſia, Terranova, & Albanorum vici complures, Parte vero dextra ſunt Caſtionum, Lucii, Roſæ, Acqua, Beſidiæ, Terranova, & itidem E Albanorum vici frequentes. Quæ vallis rerum omnium ubertate referta eſt, nam frumenti & alicubi vel ſiliginis & aliarum frugum ferax eſt. Fiunt omnis generis fructus optimi, in quibus caſtaneæ laudantur, non quæ ex nativis, ſed ex inſitis caſtaneis proveniunt, unde & inſertas caſtaneas vulgus appellat. Fiunt item hortenſia non vulgaria, ac vina, olea, mella, lina, cannabis, goſſipium, ſeſama clara, legitur paſſim manna. Extant & læta pabula, atque in planis F aucupia, in montibus venationes perpulchræ fiunt. Sunt & ſylvæ glandiferæ, & ſylveſtres. Fluvii omnes, quibus planicies hæc ex utraque parte irrigatur, piſcoſi ſunt, in quibus, præter cæteros piſces, torentinæ capiuntur. Cingitur & utrinque Conſentia ditioni ſuæ ſubjectis crebris caſtellis, de quibus mox. Eſt Conſentia ſedes Archiepiſcopalis cui *Montaltina* ſedes adjuncta eſt. Quam unam ex antiquioribus Eccleſiis regni Siciliæ eſſe, Innocentius Papa hujus nominis tertius ad Conſentinum Epiſcopum ſcribens, aſſerit; cujus conſuetudines quod ſacris canonibus non contrarientur, immutari nolit. De qua Joannes Joachimus Abbas ſuper Eſaiam inquit: *Licet*

Digitized by Google

tet opprimi habeat in futurum eccleſia Conſentina, quæ cum Jezrael Carmelo, tertio Regum, vicina concordat in ſpiritu: ad eam tamen ac ſi ad alteram Bethlehem angelus ſani conſilii dirigetur. Qui filios ejus ad interiora ſolitudinis transferat, & ſeculares Aegyptios tyrannorum furiis derelinquat. Julianus Epiſcopus Conſentinus interfuit Synodo Conſtantinopolitanæ ſextæ, quæ ſub Agathone Papa celebrata eſt. In æde Epiſcopali multorum ſanctorum fruſta aſſervantur. Sunt enim calvitium Gregorii Nazian. Brachium Martini Epiſcopi, Brachium Hippolyti, & brachium Bernardi Abbatis, tibiæ beati Hieronymi, fruſtum crucis dominicæ, & crucis Andreæ Apoſtoli, pollex Rhodos, qui fuit unus ex LXXII. diſcipulis. Eſt & arbuſcula & arcula cum fruſtis oſſeis multorum ſanctorum. Item in ara maxima recondita ſunt fruſta crucis dominicæ, veſtis beatæ Mariæ Virg. & manna Joannis Evang. baculi Pauli Apoſtoli: fruſta Annæ, Simeonis Juſti, Marci & Lucæ Evangeliſtarum, Stephani Prot. Dionyſii Areopagitæ, Xiſti, Cornelii, Sylveſtri, & Damaſi Rom. Pont. Blaſii, Laurentii, Anaſtaſii, Priſcæ, Martini, Nicolai, Hilarii, Baſilii, Malachiæ, Mariæ Magd. Teclæ, Sabinæ, Agathæ, Luciæ, Euphemiæ, & Samaritanæ, cum qua locutus eſt Dominus. In ara à parte merid. ſunt fruſta Joannis Bapt., Zachariæ patris ejus, Joſephi ab Arimathia, Euphratæ, qui fuit unus ex LXXII. diſcipulis, Fabiani Papæ, Donati I, Gervaſii, Protaſij, Sebaſtiani, Luciani, Juliani, Bonifacij, Pantaleonis, Coſmæ, Euſtachij, Marcelliani, Antonij Abbatis, Macarij Abbatis, Conſtitii & Juſtinæ. In ara à parte Aquilonari beato Petro & aliis Apoſtolis dicata, recondita ſunt fruſta crucis dominicæ, pars crinium Petri Apoſtoli, fruſta Pauli, Andreæ, Jacobi, Philippi, Matthæi, Matthiæ, & Bartholomæi Apoſtolorum: Clementis & Bonifacii Rom. Pont. pars crinium Gregorii Papæ, fruſta Joannis Chryſoſt. Cameſini, & Cataldi Epiſcoporum, Rhodos, Nerei, Achillei, Mercurii, Chriſtophori, Georgij, Dariæ, Vitaliani, Helenæ Auguſtæ, Cæſarii, Cyriaci, Tiburtii, Pancratii, Luciæ, Geminiani, Primi & Feliciani, Felicitatis, Luciæ, & Agnetis. In templo minorum beati Joannis ejuſdem ordinis cœnobitæ corpus quieſcit. Fuit Conſentia, ait Strabo, Brettiorum Metropolis, quam Annibal, capta Petelia expugnavit, quæ ante annum cum aliis multis circumvicinis urbibus in fidem P. R. rediit, ut ſcribit Livius. Eſt Romæ ſtatua qua Conſentini Julium Agrium donarunt. In cujus ſuperiori parte hi verſus dimidiati extant. *Julii Arciani V. C.* & in l. In baſe vero ſtatuæ: *Julio Agrio Tarrutenio Marciano V. C.* & in l. *Nobilitate. juſticia. clementia. Conſpicuo. & à primo ætatis flore. Probato. Quæſt. candidato Proconſuli Siciliæ, Proconſ. Orient. Legato amplißimi ordinis terr. Urbi, judici ſacrarum cognitio, Item ob egregia ejus in Sena, Quod illis ſummus in cujus loc. Per annos triginta ſententia, Vetuſtate prælucet, eique ea, honeſta ſeu juſta conſen. Nobiliſſimus ordo Conſen. Statuam merita ejus perpetua ætate primus agens cum ſuis.* In Baſenti alveo ſepultus eſt Alaricus Gothorum rex, qui Radagiſo fuerat ſuffectus. Ait enim Jornandes eo in libro quem de rebus Geticis ſcripſit: *Alaricus ſubito immatura morte præventus rebus exceſſit humanis. Quem Geti nimia dilectione lugentes, Baſentum amnem juxta Conſentiam civitatem de alveo ſuo derivant. Nam hic fluvius à pede montis juxta urbem dilapſus fluit unda ſalutifera. Huius ergo in medio alveo collecto captivorum agmine, ſepulturæ locum effodiunt, in cuius foveæ gremio Alaricum cum multis opibus obruunt, rurſuſque aquas in ſuum alveum reducentes, ne à quoquam quandoque locus cognoſceretur, foſſores omnes interimunt.* Idipſum ſcribit Paulus Diaconus. Apud Baſentum quoque Otho Federicus Cæſar à Baſilio Conſtantinopolitano rege ſuperatus, ſcapham conſcendens ſalutem ſibi fuga quæſivit. Afrorum rex quidam, qui magnam Calabriæ partem occupaverat, dum Conſentiam oppugnat, fulminis ictu divinitus in ipſa oppugnatione interiit. Fuit Conſentia depopulata & combuſta ab Agarenis, anno a partu virgineo Dccccl.xx. Joanne xii. Pontifice. Hic nobile emporium quoto quoque anno celebratur, fiunt opera figlina, & præter reliqua ferramenta, cultri fiunt. Atque, quòd civitas in umbilico ferè Calabriæ ſit, & rerum ubertate polleat, regionis præſes reſidet. In Conſentino agro ait Varro rei Ruſt. libro I. pomus bifera erat: quam tamen Plinius libro 15. triferam fuiſſe dicit. Naſcitur in hoc agro vinum bonitate mirificum, cujus meminit libro 14. illud inter præclara Auſoniæ, ideſt, Calabriæ vina enumerans. Ubi ſic ſcribit: *Verum & longinquiora Italiæ ab Auſonio mari non carent gloria Serviciana, & Conſentiæ genita, & Tempſæ, ac Balbiæ, Lucanaque, antecedentibus Thurinis. Omnium vero eorum maxime illuſtrata Meſſallæ potu ac ſalute Lagaritana, non procul à Grumento naſcentia.* Laudantur præter cæteras hortenſia & Conſentinæ intubi ſativæ, & braſſicæ. Fit & coriandrum & fœnogræcum; Et Caſtaneæ, quas inſertas vocant, quòd ex inſitis caſtaneis fiant: ſunt enim craſſæ & oblongæ. Secundum Conſentinam arcem, quæ imminet urbi, aurum & argentum & plumbum naſci fertur. Fiunt opera figlina. Sunt in Conſentino agro ſylvæ glandiferæ ad porcos alendos opportunæ. Eſt & in hoc agro Sila Sylva, picis terebinthina nobilis. De qua Strabo lib. ſexto ſic ſcribit: *Eſt ſylva picis ferax optima, Brettiana dicta, proceris arboribus, & aquis recentibus referta ad LXXXVII. longitudinis.* Meminit & Silæ Maro lib. XII. quam vocat ingentem, & pulchrorum taurorum armentis frequentem eſſe oſtendit. Meminit & Salluſtius de fugitivis loquens. Hanc inter nemora Vibius ponit. Eſt & crebris & iis piſculentis fluviis oppleta, quorum torrentinæ laudatiſſimæ ſunt. Arborum mira eſt frequentia ac varietas: nam alicubi pinaſtri frequentes tantum naſcuntur, alicubi tedæ crebræ: alibi aliud arborum genus. Atque ita tam vaſta Sylva arborum varietate diſtincta eſt, ut id naturæ opus mortalium ſolertia diſtributum videatur. Eſt & Sylva hæc venationi & pabulis mirifice accommodata,

in

In loco *Miliano* dicto sal fossile, in loco, cui *Machia germana* nomen est, aurum & plumbum, in *Collenigro* dicto lapidem moralem nasci ferunt. Nascitur & in Sila hac frutex rubo minori similis fructus ferens similes fragis, paulo minores, gustu suaves, fraboses vocant. Nascitur & arbor, cacomalum vocant, fructus ferens similes pruniis, colore electri. De huius Sylvæ pice meminit Columella libro XIII, & Vegetius sæpe libro 4. Veterinariæ, & Scribonius Largus medicus, qui Tiberii principatu fuit. Celebratur & hæc pix à multis medicis. Dioscorides enim libro primo eam commendans ait: *Pix privatim sicca vel spissa probatur, quæ pura pinguis què est, odorata, resinosa & leviter rutila, talis Lycia & Brettia est; conjuncta est simul picis & resinæ natura.* Meminit & Galenus Antidotorum libro secundo in emplastro Menippi, & libro tertio de copia medicamentorum, & de compositione pharmacorum libro octavo, & alibi sæpe. Item Paulus Ægineta in tertio libro de arte medendi, & Aetius libro XV. Plinius etiam libro quartodecimo eam impendio commendans, ait enim. *Pix in Italia ad vasa vino condendo maximè probatur Brettia, fit è picea resina.* Et rursus: *Picis duo genera spissum & liquidum: spissarum utilissima medicinæ est Brettia, quoniam pinguissima utrasque præbet utilitates.* Et libro XV. Picinum oleum laudans, docensque quomodo sit, inquit: *Oleum in Italia fictitium picinum dictum fuit, cum conquitur, valleribus supra balitum eius expansis atque expressis, probatum maxime è Brettia resina, est enim pinguissima & resinosissima.* Ex hac urbe fuit Theolophorus presbyter & eremita vir non mediocriter doctus, & sanctimonia præditus. Qui sacris initiatus hominum consuetudinem declinans, eremum petiit, ubi diuque noctuque Deo famulabatur. Hic res futuras nosse percupiens, apud Thebas Calabriæ urbem nunc Lucii dictam, admodum supplex & mœrens jugis orationibus & lachrymis die ac nocte, nec non & jejuniis Deum precabatur, quo mala Ecclesiæ imminentia sibi revelare dignaretur. Vix tandem à virgineo partu anne MCCCLVI. discuculo Resurrectionis dominicæ, ei leviter dormienti Angelus Domini virginei vultus, altitudinis cubitorum duorum, duabus longe nitentibus alis ornatus, candida talariaque veste amictus, apparuit. Atque ipsum dulcib. alloquens verbis, quæ jamdudum scire concupiverat, sibi aperuit. Invenit etiam apud Thebas inter cætera, libellos Cyrilli, & Joannis Joachimi, & Lucæ præsulis Consentini historias. Edidit de statu Ecclesiæ & tribulationibus futuris librum. Obiit senio confectus. Hic Lucas monachus fuit, & Joannis Joachimi alumnus, qui ob morum probitatem & vitæ sanctitatem in Archiepiscopum Consentinum electus fuit. Scripsit quædam de Joachimo magistro suo, & historias à natali domini usque ad annum MCCXVI. Fuit & ex Consentina civitate Janus Parrhasius præstanti ingenio, ac judicio vir, & flagranti studio, ac doctrina longe præditus, poeta idemque orator, Latina Græcaye lingua sane quam eruditus, nulli sui seculi secundus. Mediolani bonas litteras publicè est professus, tanta facundia & doctrina, ut Trivultius sexagenarius ac summæ dignitatis vir inter frequentem juventutis catervam conspiceretur. Inde Leone decimo Rom. Pont. conducente venit in urbem, professus est in ea publicè bonas literas. Duxit uxorem Demetrii Chalcondylis filiam, qua felici cognatione & socer & gener utriusque linguæ imperium tenuerunt. Edidit commentarios in Claudianum, & in Nasonis ibin recondita eruditione refertissimos. Scripsit & in Poeticam Horatii, & libellum de arte dicendi, & in Epistolas Ciceronis ad Atticum. Edidit & fragmenta quædam fortasse Linquæ latinæ aut artis grammaticæ, cuius rei meminit Aldus Manutius libro quarto instit. gram. Ait enim; *In fragmentis illis antiquis sine nomine, quæ Janus Parrhasius homo utriusque linguæ doctissimus, cum Mediolani publicè bonas literas profiteretur, edidit.* Novissimè autem in manibus erat penè absolutum volumen de rebus abstrusis per Epistolam quæsitis Valgium Ruffum æmulatus, quod quinque & viginti libros continebat. Scripsit & super Epistolas Ovidii, & in primam Epistolam commeminit de opere per Epistolas, ubi ait: *Copiosius & distinctius ostendam in eo opere, cui nomen feci de rebus per Epistolam quæsitis.* Nunc autem, quia plerique alieno ingenio ac labore, & eruditorum nomen induunt, & magnum quæstum faciunt, quædam Parrhasii opera sub aliorum nomine leguntur, tempore, & nominibus, ad quos scribebat, & fortasse phrasi quoque quo magis furtum lateat, immutatis. Id quod Carolus Jardinus eius alumnus præsagiens semper querebatur. Jam certe commentarii in Ciceronis Epistolas ad Atticum in Siripandi, & inde ab eo in Pauli Manutii manus cum pervenerint, sub eius nomine leguntur. Et quidem vel ipse aliquando mecum loquens, se eos à Siripando habuisse fassus est. Fuit & ex Consentina urbe Petrus Paulus Parisius Pontificio & Cæsareo jure consultissimus, qui Patavii & Bononiæ plures annos frequente juvenum cœtu publice Romanum jus est professus. Inde à Paulo Rom. Pont. huius nominis tertio Romanæ Ecclesiæ Cardinalium ordini est additus. Opus ingens & præclarum civilis juris consilia continens edidit. Fuit & Antonius Thilesius vir impensè eruditus. Edidit librum de coloribus, & coronis, & librum elegiarum, & tragœdiam, quæ inscribitur imber aureus. Vivit modo Bernardinus eius ex fratre nepos, Græca lingua eruditus & philosophus, scripsit de principiis naturæ libros duos. Fuit & Coriolonus Martiranus Marci urbis, de qua dudum dixi, antistes spectatæ virtutis vir, utraque lingua satis eruditus, Scripsit tragœdias, Medea, Electra, Hippolitus, Bacchæ, Phenissæ, Cyclops, Prometheus, Plutus, Nubes, Odysseæ libros VII. Batrachomyomachia, Argonautica, Epistolarum librum unum, & alia quædam, quæ nondum sunt impressa. Fuit & Joannes Antonius Pandosius Campaniæ Episcopus. Scripsit de prædestinatione, & gratia, de arbitrio, & operi-

bus, de vera Christi carne & sanguine : de cœna Domini. Vivit modo Joannes Thomas ejus ex fratre nepos: qui scripsit de speculo comburente libros duos, de practica arithmetica, & geometrica demonstrativa librum 1. de Mechanica librum 1. Archimedis omnia opera explicavit. Fuit & Joannes Baptista Amicius. Qui juxta Peripateticorum placita cœlestium corporum motus descripsit, nullis usus eccentricis aut epicyclis, res ab antiquissimis Philosophis & mathematicis tot secula frustra tentata. Et ni immatura morte fuisset præventus, aggressus esset majora. Egit diem supremum annum natus vigesimum septimum. Sunt in Consentino agro pagi circiter centum, quorum plerique sunt oppidis magnitudine pares. Omnes autem in viginti duas præturas, sive XXII, corpora distincti. Horum primum est *Castionum* non longe ab Crathi amne colle atque natura egregie munitum, amœno loco situm. Non longe ab urbe Arenthum flumen labitur, qui Crathi miscetur. Ager hic frugibus, oleribus, & varii generis fructibus fœcundus est: affluit oleo & vino, fit & sericum optimum, & legitur manna, Oppidum clarius reddidere duo Cæsarii, pater & filius, Joannes Antonius, & Joannes Paulus: ambo ingenio & doctrina clari. Quorum ille grammaticæ institutionis rudimenta, & notationes in Livium edidit, & quatuor millia carminum. Reddidit Plutarchi opusculum de immoderata verecundia Latinè. Hic vero utraque lingua eruditus, nunc Romæ Latinas literas publicè profitetur. Scripsit in primum librum odarum Horatii, scripsit & poemata. Non longe ab oppido Arenthum flumen labitur. *Sapanum* beato Francisco venerandum. Fuit hic Sanctæ vitæ vir, militavit Christo sub habitu Eremitarum divi Augustini, ejus corpus suberati jacet. *Lapanum*, *Rubetum*, *Cælicum* Joanne Joachimo Abbate gloriosum, & prope *Jovinum* flumen torentinis uber fluit; secundum quod aurum & ferrum nasci ferunt. Fuit Joannes Joachimus Abbas Mauri Tabellionis & Gemmæ filius. Qui non sine futuræ sanctitatis portento conceptus fuit, siquidem matri, cum Joachimum concepisset, juvenis quidam forma decorus, & lineis candidis vestibus amictus per quietem apparuit, eique dixit: Puerum concepisti, quem cum pepereris, si ipsum vivere cupis, ante septennium baptismatis fonte lavari ne sinas. Eo v. nato patri super aram divi Michaelis Archangeli, quod sacellum non longe à domo sua aberat, puerum aspicere videbatur, cujus vertex templi tectum tangeret, & chorum astantem albis vestibus indutum alta voce concinnentem, Puer natus est nobis alleluja, & filius datus est nobis alleluja. Elapso septennio cum pater diem baptismatis statuisset, mater graviter ægrotare cœpit, eoque morbo decessit. Atque tribus aliis annis defluxis, decimo anno non sine mysterio puer baptizatus est, & usque ad quartumdecimum grammaticæ operam dedit. Atque non multo post Hierusalem religionis gratia perrexit, quo itinere inopes quosdam sumptibus aluit. Et monachalem habitum albi coloris & asperum sumpsit. Cumque de-

A forta quædam loca esset ingressus nimia siti confectus, mori veritus fabulo se obruit, ne insepultus feris cibus foret, ac dum scripturarum intelligentiam meditatur, sopore corripitur. Et ecce olei flumen, & juxta hominem stantem cernere, sibique dicentem: bibe de hoc flumine, eique ad satietatem bibere videbatur. Cumque evigilasset totius divinæ scripturæ intelligentia illi patuit. In monte, in quo CHRISTUS se transfiguravit, in cisterna quadam veteri totam quadragesimam vigiliis, obsecrationibus, jejuniis, hymnis & psalmis vacans transegit. Nocte vero resurrectionis dominicæ ingens illi claritatis splendor apparuit. Atque ita cœlesti numine afflatus est, ut utriusque testamenti concordiam, omnesque difficultates & involucra intelligeret. Quare totum se divinis lectionibus dedit; triaque opera tum cœpit, concordiam duorum testamentorum, expositionem in Apocalypsim, & Psalterium decem chordarum. Ex Hierololimis in Siciliam concessit, ubi in quadam specu latitans jejuniis, & orationibus vacabat & die Mercurii, Veneris & Saturni nil prorsus gustabat. Postea in Calabriam transmisit: & sacris initiatus monasterii Coratii abbas eligitur. In ejus vita nulla erat intercapedo laboris, semper enim aut orabat, aut legebat, aut scribebat, sicque pernoctabat assiduè. Orabat flexis genibus, manibus & oculis in cœlum erectis, vultu alacri angelicum præ se ferens vultum, ac si Christum præsentem alloqueretur. Quotidie altaris sacra peragebat, ac persæpe lachrymabatur. In monasterio, cui nomen est Petralata totam quadragenam dominicis diebus exceptis panem tantum & aquam gustabat potius, quam edebat. Claruit multis miraculis. Scripsit libros quinque concordiæ utriusque testamenti, quod pridem, ut dixi, inchoavit, adhortante eum Lucio Papa hujus nominis tertio, & inde Urbano & Clemente jubentibus, ut in epistola ipsius Clementis ad illum directa videre licet. In quibus de quinque sigillis agens eximia & arcana mysteria enodavit: & in quinto nonnulla Danielis, & aliorum Prophetarum capita dilucidavit. Expositionem quoque Apocalypsis octo partium titulis insignitum dictorum Pontificum jussu lucubravit: Item psalterium decem chordarum tribus voluminibus distinctum exaravit, quorum primum dedicavit Deo Patri, secundum Filio, tertium Spiritu Sancto. Quod opus die Pentecostes, ut ipse dicit, inchoavit, scripsit & in Evangelium Joannis, & contra Judæos, & super Merlinum, & in Cyrilli revelationem, & librum de flore nuncupatum de summis pontificibus, & librum de consolatione, & sententiarum volumen egregium, & in Herithream. Item Henrici sexti Cæsaris rogatu anno à Christo nato M. CLXXXXVII. ad eundem, ut ipsemet super Hieremiam fert, in Esajam, & in nonnulla capita Naum, Abacuch, Zachariæ, & Malachiæ prophetarum. Scripsit & in Hieremiam, in quibus se spiritum prophetiæ habuisse manifestum est. Pleraque enim est vaticinatus, quorum multa adimpleta sunt, cætera adimplenda supersunt.

Nam

Nam & Græciam ob in Romanam ecclesiam perfidiam gentibus dandam, & prædicatorum, ac minorum ordines initiatores mox futuros, quinetiam in januis ecclesiæ esse prædixit. Et quidem cum hæc præsagivit, ipsi in mundo erant, sed qui futuri essent ignoti: ordines autem initiarunt paucis post annis quàm ille prædixerat, utpote divus Dominicus tribus, divus Franciscus novem. Quos vel Venetiis in divi Marci delubro, quod Salomonis templi instar fieri curavit, effingi fecit. In cuius pavimento, paristibusque, ac fornicibus, testudinibusque simulacra alia plerasque effigiata emblemate, vermiculatoque opere futura portendentia, quæ in dies exitus comprobat, formari atque effingi fecit. Efflavit animam in monasterii Floris loco, qui canalis dicitur, cœnobitis suis benedicens. Eius corpus posteà in monasterium Florense translatum est. Ex cœnobitis eius, qui ipso vivente sanctitate floruerunt, hi sunt, Peregrinus, & eius frater Bonatius, quibus futuram & proximam tribulationem revelavit. Lucas ejus scriba, qui postea Episcopus Consentinus fuit, Gerardus Abbas, Joannes & Nicolaus, quorum alter Abbas Monasterii Coratii fuit, alter istius vices gerebat: item Matthæus, qui post Joachimum Abbas Floriacensis fuit, & postea Gerentinus Episcopus; Rogerius Diaconus Ecclesiæ Severinatis; Petrus, & Nicolaus. Qui omnes sanctæ vitæ viri extiterunt. De Abbate autem ipso Joachimo Guilelmus Parisiensis in libro de virtutibus sic dicit: *Debes scire, quia donum intellectus tantæ claritatis est & acuminis in quibusdam, ut valde assimuletur Spiritui prophetiæ, qualem crediderunt nonnulli fuisse in Abbate Joachimo. Et ipsemet de seipso dixisse dicitur, quia non erat ei datus spiritus prophetiæ, sed spiritus intelligentiæ.* Si quis autem respexerit libros eius, quos scripsit super Apocalypsim, & super concordiam duorum testamentorum, mirabitur donum intellectus in eo: verum in libris super prophetas liquet fuisse in eo spiritum prophetiæ. Licet quidam divinarum literarum ignari negent ipsum fuisse prophetam, quòd Christus Apostolis dixerit: *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta*: & alibi, *omnes Prophetæ & lex usque ad Joannem prophetaverunt*. Quod utique de primo Christi adventu intelligendum est, ut Hieronymus in Matth. & in Amos, & Joan. Chrysost. & Athan. in secundam Epist. Pauli ad Cor. & Aug. contra Faustum asserunt. Jam vero in ecclesia, quæ erat Antiochiæ, prophetas fuisse Lucas in actibus Apostolorum scribit. Et Agabus, & quatuor Philippi filiæ, & Corinthii, & Apostoli ipli prophetaverunt, ut passim in Epistolis Pauli videre licet. Et Justinus Philosophus & martyr apud Eusebium Ecclesiasticæ historiæ libro quarto, usque ad tempora sua prophetiæ gratiam in Ecclesiis floruisse ait. Quid multis opus est verbis? Cum Joel Apostolos, aliosque in ecclesia prophetaturos prædixerit, ut Petrus in Actibus Apostolorum dicit, & Christus se ad Judæos, inter cæteros, prophetas etiam missurum ab ipsis in Synagogis suis occidendos dicit. *Nam*, ait Amos, *non faciet dominus Deus verbum nisi revelaverit secretum suum ad servos suos prophetas*. Cur autem Deus secreta sua servis suis revelet, & quare non necesse est omnia fieri, quæ dicit, qui scire cupit, legat Hieronymum in Jonam, & in Ezechielem. Alii quidam Joachimum uti hæreticum calumniantur, quòd Innocentius tertius libellum quendam Joachimi nomine, hoc est, iniustam adversus Petrum Lombardum reprehensionem in concilio damnarit, Cum ipse, in epistola, quam propria manu exaravit simpliciter & humiliter fatetur, se eam fidem tenere, quam Romana tenet ecclesia, jubetque cuncta sua opera composita & componenda summo Pontifici assignari, quæ ipsemet morte fortasse præventus offerre non valeret, Apostolicæ sedis judicio approbanda & corrigenda. Idipsum Innocentius ipse in decretali illa asserit, Extat in bibliotheca Vaticana epistola Honorii tertii Rom. pont. ad episcopum Lucan. in favore Joachimi adversus obtrectatores, quæ hæc est: *Ad audientiam nostram novegitis pervenisse, quòd cum abbatem & monachos ordinis Floris de crimine hæretica pravitatis infamas, & à tuis permittis subditis infamari, sumens occasionem ex eo, quòd felicis memoriæ Innocentius Papa prædecessor noster libellum sive tractatum, quem abbas Joachimus ejusdem ordinis institutor edidit contra magistrum Petrum Lombardum de unitate, seu essentia Trinitatis, generali approbante concilio damnavit. Cum igitur idem prædecessor noster in sententia prædicta damnationis expresserit, quod per hoc Florensi monasterio nolebat aliquatenus derogari, quoniam in eo & regularis est institutio, & observantia singularis, idemque Joachimus omnia scripta sua ipsi prædecessori nostro assignari mandaret Apostolicæ sedis approbanda judicio, vel etiam corrigenda, dictans epistolam, cui propria manu subscripsit, in qua firmiter confitetur se illam fidem tenere, quam Romana tenet ecclesia, quæ disponente Deo mater est cunctorum fidelium & magistra: Fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus fratres ordinis supradicti super hæresios crimine nec ipse infamare præsumas, nec à subditis tuis permittas, seu aliquatenus dissimules infamari. Datum Romæ apud Sanctum Petrum IV. Nonas Decembris pontificatus nostri anno primo*. Post Cælicum, *Spatianum* est, cum fonte nobili, hic marmor effoditur. Inde est *Spatianum* iterum, ubi aurum & ferrum nasci dicitur: ex huius corporis vico quopiam, cui *Cassola* nomen est, fuit Antoninus Ponta utraque lingua eruditus, *Pedatium*, hic etiam aurum nasci fertur; nec longe Cardonum flumen auriferum labitur, quod cadit in Crathim, torentinis aureis maculis sparsis fœcundum. Ex huius corporis vico quodam, qui *Serra* dicitur, fuit Joannes Crassus utraque lingua satis eruditus, poeta & orator clarus, ingenii acumine & memoriæ tenacitate pollens, fuit & accumulatæ virtutis vir. Inde est *Petrasiæa*, & juxta Ispica fluvius labitur. Hic plumbum & chalcanthum & sal fossile nascuntur. *Aprilanum*, secundum quod Crathis fluvius oritur. Hic præter alia ferra-

menta, cultri fiunt nobiles, & sclopi machinulæ. *Filinum*, *Magonum*, *Rublanum*, & juxta Sabatum flumen labitur, incolæ bovina coria, & soleas optime concinnant. Fiunt & hic salsamenta optima ut farcimina, pernæ, petasonesque. Ex huius corporis vico *Ferveto* dicto, fuit Nicolaus utraque lingua eruditus, & bonis moribus præditus. Scripsit librum de rebus sacris, & Sylvarum libros quatuor conquestionis Italiæ, heroico carmine librum. *Carpacianum*, *Syllanum*, cuius incolæ pectinibus conficiendis & lanificio plurimum vacant. Nam & aula, & tapetia, & sitarchas texunt, & lodices, quas quod alicubi ex caprina lana fiant, capritas vocant. *Altilia*. Nec longe *Crepisitum* vicus est, ubi specularis lapis nascitur, *Maletum*, ex quo fuit Carolus Jardinus Parrhasii alumnus, acerrimi ingenii vir, Romanæ facundiæ haud inglorius, Græca quoque lingua apprimè eruditus. Sed enim in literarum ocio se mirum in modum accinxit. Romæ bonas literas publice est professus. Rebus excessit humanis juvenis admodum, *Paternum* cum emporio annuo. Incolæ hircinis, vervecinisque & ovinis pellibus aptandis dant operam. *Depinianum*, cuius incolæ æreis vasis conficiendis navant operam, Nam & lebetes, & ahena, & sartagines & pelves & cacabos, & alia ejusmodi vasa optime conficiunt. *Thessanum*, *Donitium*, hic chalcanthum nascitur, & prope Album flumen labitur. Per omnia autem loca hæc generosa vina fiunt, & præsertim Rublani. Fiunt & lina nobilia eius generis, quæ femina vocant. Extant & in Consentino agro pulchra boum armenta. Supra Consentiam *Menecina* oppidum est, Oenotrorum urbs mediterranea, ait Hecatæus apud Stephanum, civis Menecinus. Ager hic frugifer est, fit siligo, & lens laudatissima, & castaneæ optimæ, quas insitas vocant, & optimi serici copia, nascitur & silex. Non longe à Menecina *Carotum* oppidum est, *Ixias* olim dictum, urbs quoque Oenotrorum mediterranea contra Menecinam, ait idem Hecatæus eodem Stephano referente, & prope Basentum flumen labitur. Hic etiam siligo fit, & castaneæ insitæ & sericum, nascitur & silex, inter reliqua hortensia cærulei laudantur cinaræ, quorum ingens numerus sit. Ex hoc oppido fuit Basilius Latina lingua eruditus. Juxta Caroleum *Domanicum* castellum est cum siligine & castaneis, quales fiunt Carolei agro. Ad mare *Fligidium* oppidum est freto imminens, quod ejusdem nominis fluvius adlabitur, distat à Niceto m. p. VI. hic optimi serici numerus immodicus fit, nascitur & vinum non vulgare, sunt in hoc agro Sylvæ glandiferæ ad porcos alendos commodæ. Ex hoc oppido fuere Franciscus Majoranus, & Antonius Bonius integerrimæ vitæ viri, beati Francisci Paulitani socii: sunt in hoc agro vici *Falcunaria*, & *Longorburgum*, ex quo fuit Archangelus itidem sanctæ vitæ vir, & beati Francisci Paulitani socius. Post Fligidium *Bellimontum* oppidum est in tumulo situm à loci amœnitate dictum, milliario à mari sepositum, abest à Fligidio m. Ap. VI. Hic marmor nascitur. Sunt & horti nemorosi citrorum, limonum & malorum aureorum. Fiunt & omnis generis fructus, & hi præcoces. Dein Verres fluvius cadit in mare: est & eodem nomine promontorium, *Linum* quondam dictum, quod Lycophron, ut mox ostendemus, appellat jugosum, & contra scopuli adjacent duo. Exin *Amanthea* civitas occurrit, mari abluitur. Amanthea enim nympha est, quasi per arenam currens, egregiè loci natura, inde vero postea manu munita, quam Catocastrus fluvius adlabitur: civis Amantheanus. Distat à Verre promontorio milliario, à Bellimonte m. II. Hanc *Nepetiam* esse arbitror, à qua Antiochus apud Strabonem sinum hunc Nepetinum dixit. In æde divo Bernardino dicata beati Antonii Scocetti minorum ordinis cœnobitæ corpus jacet, qui beati Francisci Paulitani ævo floruit, & beati Josuæ episcopi corpus quiescit, Sedes hæc Episcopalis Tropeanæ ecclesiæ juncta est. Hic optimi olei copia fit, nascitur capparis. Est in agro hoc *Petreium* vicus. Nec longe *Lacum* pusillum castellum est, Post urbem, Oliva, & Turbidum fluenta labuntur: & *Corica* promontorium prominet, *Tylesium* olim dictum, abest ab Amanthea milliario. Est & intus *Tylesium* oppidum, *Agellum* nunc dictum, edito loco situm, & ejusdem nominis fluvius, distat à freto m. p. IV. à Corica promontorio III. Tylesii & Lini meminit Lycophron in Cassandra, ubi sic ait:

Alii autem colles inaccessos Tylesios,
Linique maritimi verticem supremum,
Amazonis consortem munient civitatem:
Servæ mulieris jugum recipientes,
Quam ferream mitram strenuæ puellæ habentes
Errantem ducet unda ad peregrinam terram.

Super quibus verbis Isacius ait: *Tylesium mons & urbs & silva in Italia, & Linum promontorium Italiæ*, Meminit & Stephanus. Arx est hic super saxum natura munitissima, celebrantur nundinæ quotannis. Hic jacet corpus beati Martini Besidianensis minoritæ, In hoc agro marmor effoditur, & gypsum coquitur è lapide. In sylvis apri & alia id genus animalia stabulantur. Sunt & in hoc agro *Serratum*, & *Serra*, vici, Inde est *Petramala* castellum, *Cleta* olim dicta, à Cleta Pentesileæ reginæ nutrice condita, validis turribus undequaque munita, à Crotoniatis eversa, ut Lycophron in Cassandra scribit, ubi sic ait;

Crotoniatæ vero civitatem devastabunt aliquando,
Amazonis perdentes intrepidam puellam,
Cletam reginam cognominis patriæ.
Multique prius terram ab illa dentibus
Mordebunt præcipitatæ, neque sine labribus
Turres devastabunt Lauretæ filii.

Super quibus verbis Isacius ait; *Cleta Amazonis Pentesileæ nutricis fuit, quæ cum intellexisset Trojæ mortuam esse Pentesileam, navigavit ut illam quæreret, [illegible] ventis in Italiam pervenit: ubi cum civitatem condidisset, in illis locis regnavit. Verò multo tempore elapso,*

Digitized by Google

ipse, exercitum ducentes, Crotoniatæ, interfecerint ultimam reginam Cletam. Omnes enim Cletæ urbis Reginæ Cletæ dictæ sunt. Laura autem civitas est Crotonis, à Laura Lacinii filia dicta, à quo Lacinium promontorium in Italia nomen accepit. In Petramalæ agro sal fossile nascitur. Non procul à Petramala *Sabatium* oppidulum est, & eodem nomine flumen navigabile & piscolentum cadit in mare. Ocinarus olim dictus, de quo mox; Intus est *Mamertum* civitas vetusta, sedes episcopalis, *Martiranum* nunc dicitur, secundum quam Ocinarus fluvius, id est Sabatium, labitur, cuius meminit Antoninus Pius in itinerario, De qua urbe Strabo, ubi de Locris & Caulonia scribit, sic ait: *Supra has urbes mediterraneam Brettii occupant, ubi est Mamertum oppidum nobile, & silva picis ferax optima, Brettiana dicta.* Fuere Mamertini viri bellicosi, Romanisque amici & socii fidelissimi. Qui primi, ac soli absque Romano duce aut milite Pyrrho, ex Sicilia à Tarentinis adversus Romanos accito, occurrerunt, ut Plutarchus in eo scribit. Qui Messana cum clade solvens, Tyrrhenumque pontum legens transmisit in Italiam, ac Terineo sinui juxta Lametum flumen appellens, ibi exercitum cum elephantibus exposuit, iterque fecit Tarentum per Neocastrensem & Mamertinum agrum, valle, quæ ab indigenis dicitur Decollatura, & per Silam sylvam ad Crathis fluminis ostia. Ait itaque Plutarchus ipse: *Pyrrhus compluribus navibus in Messanensi portu amissis, in Italiam pervenit, Mamertinorum haud pauciores decem millib. primo transgressu signis collatis dimicare cum non auderent, iniquis locis, impetu contra regem facto, totum exercitum turbavere. Ibi duo elephanti ex iis, qui posterius claudebant agmen oppressi, ipse rex à fronte discurrens adversus homines bello assuetos magno cum periculo restitit: vulnere autem in capite accepto, cum paulo ex pugna cessisset, etiam magis extulit hostes. Quorum unus pro cæteris ferox, procera corpore & splendidis armis, superba voce regem, si viveret, in certamen provocabat. At Pyrrhus ob hæc irritatus, iraque incensus, & sanguine fœdatus, trucique aspectu terribilis in pugnam rediit hominem illum consequutus ita caput percussit, ut vi ictus, & virtute gladii usque ad partes inferiores plaga descenderet, cederentque hinc inde divisa corporis partes. Hoc reliquos continuit, ne amplius persequerentur, quasi supra humanam vim Pyrrhum admiratos, conterritosque. Ipse vero quod reliquum erat itineris secure profectus, Tarentum pervenit, Peditum XX., equitum tribus millibus secum adductis.* Signabant Mamertini in nummo Martem nudum stantem, at galeatum, altera manu ensem, altera hastam habentem, & juxta ipsum scutum & thoracem, & ex altera facie gallum, qui Marti est dicatus, eique ob vigilantiam sacrificabatur: item Martis stellam, inscriptione Græca tali, Μαμερτινων Βρεττιων. Quandoque signabant Martem tenentem equum, ex postico Apollinem. Interdum signabant Martem galeatum sedentem in saxo innixum clypeo, & dextra hastam tenentem, & ex postico Apollinem. Interim signabant Jovem, & ex altera facie Martem cum hasta & clypeo pugnantem, Aliquandoque signabant Jovem imberbem, & ex altera parte aquilam fulgur in pedibus habentem. Quandoque ex postico Jovis signabant taurum, Interdum signabant ex postico Apollinem. In Mamertino agro vinum generosum nascitur, fit mel & sericum optimum, nascitur & lapis molaris, & lapis phrygius, & chalcanthum, & rubrica fabrilis, & color cyaneus. Sunt & in hoc agro pagi, *Constitium, Mota*, & *Conflentum*. Exinde ad fretum proficiscenti *Nuceria* oppidum occurrit, inter Sabatium, & Grandum amnes, Terinæ reliquiæ, abest à mari m. p. II. circum Sabatium lutræ sunt. In hoc agro vina & mella bonitate præcipua fiunt, nascitur & lapis phrygius, Sunt & sylvæ glandiferæ ad porcos alendos opportunæ, & sylvæ silvestres, ubi silvestrium animalium venationes fiunt. Secus mare *Terinæ* oppidi vestigia visuntur. Terinæ locus eminet, rupibus quaquaversum circumseptus, ubi jugiter benignæ spirant auræ. Planities est satis magnæ urbis capax, ubi aer viget amœnissimus & saluberrimus, abest ab Amanthea m. p. XII. Fuit enim Terina dicta à loci amœnitate, quod aer hic mollis sit & blandus, ubi incolæ, ut creditur, longam agebant ætatem, & vegeta, ac felicia vigebant ingenia. Eruta fuit ab Agarenis beati Nili tempestate, quo tempore universa Calabria, Lucania, & Apulia magnas calamitates perpessæ sunt, Abest ab Amanthea m. p. VIII. Collem hunc Sabatium flumen olim Ocinarus dictus adlabitur, cuius radices mare abluebat, sed nuper paululum recessit, & Terinæum scopulum, cuius meminit Plinius, navem vocant nautæ, reliquit in sicco, Meminit Terinæ Pomponius Mela, itemque Plinius. Fuit Terina, ut Solinus, & Plinius, & Phlegon apud Stephanum scribunt à Crotoniensibus condita, quo tempore ut quantum auguror; Cletam urbem sustulerunt. De hac urbe Strabo libro 6. ait: *Temesæ proxima est Terina, quam Annibal cum tutari se posse desperaret, solo æquavit, qua tempestate in ipsam confugerat terram Brettiam.* Solo, inquit, æquavit, mœnia utique diripuit, non urbem. A Terina Plinius Terinæum Sinum nominat, eumque ingentem esse ait. Siquidem à Lampete promontorio ad Vaticanum usque promontorium protenditur, cuius ambitus uno supra centum m. p. est. Meminit & sinus huius Thucydides. Quem interim Vibonienſem etiam, Plinius appellat, à Vibone urbe, sic & Cicero in epistola ad Atticum. Strabo autem ipsum Hipponiatem vocat ab Hipponio, idest, Vibone, Aristoteles vero Lameticum à Lametia urbe, Antiochus autem apud Strabonem Nepetinum vocat, à Nepetia urbe. Nuper Terinæ plumbei aquæductus cuniculi reperti sunt inscriptione hac: *L. Appius magister viarum*, Meminit & urbis huius Lycophron in Alexandra, in qua Ligia una è Sirenib. interiit, sepultaque est. Ait enim;

Ligia vero in Terinam à fluctibus eiicietur
Per undam natans, illamque nauta,
Hanc quidem Phalari
Littoribus sepelient in oris,
Ocinari vorticibus conterminam:
Lavabitque sepulchrum bovis cornua habens &
quis Martis.

Super quibus verbis Isacius ait: *Ocinarus fluvius est juxta Terinam, Mars, ideſt, robustus vocatus, & bovis cornua habens propter strepitum.* Quod autem fluvios cornutos, & boum cornua habentes induxerunt, fortasse fit propter violentiam & strepitum undarum. Mars enim non est fluvius juxta Terinam, sed æris, unde illud epitheton imposuerunt. Item Lycophron ipse:

Alii rursum Terinam, ubi irrigat aquis
Ocinarus terram, puram ejiciens aquam,
Oberratione inhabitabunt laborantes amara,

Isacius: *amara oberratione infortunati, ubi circa Terinam, Ocinarus fluvius terram irrigat, aquam puram ejiciens.* Cicero Tuſ. primo de Elyſio Terinæo sic scribit: *Terinæum Elysium cum graviter filii mortem mæreret, venisse in psychomantium quærentem quæ fuisset tantæ calamitatis causa: huic in tabellis tris hujusmodi versiculos datos:*

Ignaris homines in vita mentibus errant
Euthynous potitur fatorum funere lato,
Sic fuit utilius finiri ipsique tibique.

Notabant Terinæi in numiſmate Ligiam Sirenam, & juxta tubam & lyram, & ex altera facie victoriam alatam in sella sedentem, & manu sertum habentem, quandoque vero tenentem aquilam Græca inscriptione ΝΕΑΙΩΝ. Aliquando effingebant eandem Ligiam diadema in capite habentem, & ex postico victoriam alatam sedentem in sella, altera manu sertum, altera oleæ ramum, & quandoque caduceum tenentem. Interdum signabant Apollinem, & ex altera parte solem. Mare hoc Euripum usque longe piscosum est: nam & parvorum & magnorum piscium, & præsertim thynnorum & xipheārum captio fit, quibus membratim dissectis cætaria replent: capitur & corallium multis locis. Post Terinam *Castionum* oppidum offertur edito loco paulum à mari sepositum. Huius oppidi dominus est nunc Cæsar Aquinius, ex divi Thomæ Aquinii familia. Distat à Terinæ loco m. p. IV. Hic vina & mella præclara fiunt, & gypsum coquitur è lapide, sunt etiam verricula thynnaria, Archestratus apud Athenæum libro septimo Thynnos, qui in hoc sinu capiuntur, mirifice laudat, ait enim de thynnis loquens: *Si forte Hipponii Italiæ perveneris oras, optimi erunt illic cunctorum.* Thynni biennium excedentes orcyni dicuntur, ante vero annum palamides. Non longe *Subarum* promontorium est, *Brettium* à Sallustio appellatum, secundum quod *Euphemia* oppidum occurrit haud nimium à mari semotum, à Castiono m. p. VI. distans, *Lametia* olim dictum à Lameto fluvio, quod adhuc nomen retinet, *Lametia*, ait Hecatæus, refe-

rente Stephano, *urbs est Oenotrorum à Lameto fluvio dicta*. Fuit Crotoniatarum. Ab eâ Lameticus & Lamethus civis, à qua Aristot. ut dixi, sinum hunc appellavit Lameticum. Meminit & Lametiæ urbis Lycophron in Alexandra, ubi & Tyrsenum vadum esse dicit: meminit & Philogenes referente Isacio in Lycophronem. Hinc ad Scyllaticum fretum m. p. sunt viginti, ubi Italia angustior est. Euphemiæ divi Joannis fanum & divi Benedicti monachorum cœnobium, in quo divi Joannis lacertus, & divæ Euphemiæ caput, & pars quota brachii Sancti Stephani protom. asservatur. Sunt & nonnullorum aliorum ossea frusta. Haud procul ab oppido Lametum flumen navigabile & piscosum labitur. In hoc agro juniperus frequens provenit. Supra est *Neocastrum* civitas, sedes episcopalis cum emporio nobili, edito pensilique loco sita, fontibus rivisque affluens, distat a freto m. p. septem. Huius urbis ager est frumenti & aliarum frugum ferax, & pascuus, sunt perpulchra limonum citrorum & malorum aureorum nemora, abundat & omnis generis fructibus, fit & optimi olei ubertas & vina, ac mella præclara. Nascitur rubrica fabrilis: provenit & juniperus. Fiunt multarum alitum pulchra aucupia. Extat & sylva glandifera ad porcos alendos opportuna. Est in agro hoc *Blasium* pagus, *Turres* olim Antonino Pio Cæsari in itinerario dictus, cum melle spectato, & balneis nobilibus, aqua sulphurea est, quæ multis medetur morbis. Vico *Marcinara*, via qua Neocastro Catansanum itur, lapis specularis nascitur. Post Neocastrum Ipoletum & Pesipum fluvii labuntur, qui Lameto miscentur. Supra est *Lametum* vicus, ubi marmor effoditur: & prope est *Feroletum* castellum cum melle optimo. Ex hoc castello fuit Matthæus Collacius eruditus vir, qui Venetiis Latinas literas publice est professus. Scripsit quædam. Exinde *Maida* oppidum nobile est, edito eoque amœno loco situm, olim *Malanium* dictum ab Oenotriis conditum mediterraneum, ait Stephanus, civis Malanius & Malanienſis, Orientem solem spectat, quod Panopletus, ideſt, bono omni repletus, fluvius perlabitur. Abest à freto m. p. octo, à Neocastro totidem. Hic vina & mella laudata fiunt. Ager hic totus prope in planitie est, frumenti & aliarum frugum uber, pabulo, aucupio & venationi commodus. Nascitur gypsum marmorosum. Est & fons salsam manans aquam, ex qua muries fit. Est & Calocrius mons in Apennino sublimis quasi Pulcher mons, vel pulchra sublimitas, aut pulchrum, ideſt, suave frigus, ubi fons scatet. E cuius jugo utrunque fretum conspicitur. Provenit & in agro hoc Juniperus. Ex hoc oppido fuit Vincentius Vianeus medicus chirurgus eximius, qui primus labia & nasos mutilos instaurandi artem excogitavit. Fuit & Bernardinus eius ex fratre nepos, & artis hæres. Viget modo huius filius & itidem artis hæres. In hoc agro pagi sunt *Cortalis*, *Coriga*, *Petreium*, & *Jacorsum*. Post Maidam, *Lacania* castellum offertur, abest à mari m. p. tribus, à Maida sex, quod Mecata fluvius præ-

Digitized by Google

præterfluit. Hic lina optima fiunt eius generis, quæ fœminina dicuntur, fit & sesama, nascitur vitex, & nymphea herba, gignuntur tubera, eximitur marmor, extant & retia thynnaria. Ager hic saccaro aptissimus est. Proveniunt sponte platani frequentes. Quanquam quidam, qui plantarum peritiam habere præsefert, platanos in Italia sponte nasci temerè negat. Hic si Calabriam reliquamve Italiam sedulo perlustrasset, plurimas plantas, aliaque in ea esse, quæ ultro gignuntur, vidisset, si tamen veram huiusce rei notionem habebat. Verum quia in uno tantum Italiæ loco diu contabuit, & emarcuit, quicquid ibi non novit, nullibi in Italia nasci audacter asserit. Supra Lacaniam *Monsaurum* exiguum castellum est, cum melle claro. Et prope est *Monardum* oppidum edito loco, cujus ager frugifer est, aprorum, caprearum & aliorum quadrupedum venationi, ac palumborum & phasarum, aliarumque avium aucupio, nec non pabulis aptus. Nascitur lapis phrygius, gignuntur tubera. Dein meridiem versus est *Francavilla* oppidum cum temeto laudatissimo eoque austero. Distat a freto m. p. tribus, à Lacania totidem, salubri amœnoque loco situm. Ager hic fœcundus est, venationi & aucupio commodus. Fit sesama, provenit vitex, & juniperus. De lentisco & myrto nil attinet dicere, cum tota Calabria his referta sit. Postea est *Angitula* oppidum edito loco, & ejusdem nominis fluvius navigabilis & piscosus, torentinis & anguillis uber, cujus meminit Antoninus Pius in itinerario. Fuit olim dicta Angitula, Crissa urbs Phocensium, cujus meminit Lycophron, ut supra ostendimus, à Crisso Panopei fratre condita, ait Isacius in Lycophronem, propè Hipponium è regione Crotonis. Hic nobile emporium annuatim celebratur, distat à freto m. p. duobus, à Francavilla tribus. Fit in hoc agro sesama & gossipium, nascitur marmor, & intus smiris lapis reperitur, provenit vitex, est & fons salsam aquam scaturiens, ex qua fit muries: fiunt in agro hoc aucupia & venationes uberes. Sunt quoque pagi *Matheratum* & *Pimæum* à pimæno verbo Græco, quod pasco gregem significat. Intus sunt *Polia* & *Monrusum* & *Monsantum* tenuia castella, cum spectato melle; in montibus lapis phrygius nascitur. In Monsanto mulier est nomine Angela, quæ vestes in telario inconsutiles conficit, ut indusia, diploides, brachas cum ocreis caligisque, & capitis operimenta. Est in hoc agro *Capistranum* pagus. Ad mare est *Picium* oppidum freto imminens novum opus, abest Euphemia m. p. XVIII. Conditum est id oppidum ut piratis deprædandi hàc transeuntia navigia facultas intercideretur: nam hic secessus est, in quo piratæ latebant. Hic tynni è verriculo exponuntur. Quem locum oppidani *Segiolam* vocant, & à Cicerone in epistola ad Atticum *Sedaculam* appellatam opinantur: cum ibi Cicero Aristotelicam disciplinam intelligat, quam Atticus sedeculam suam appellare consueverat. Oppidani piscationi & navigationi dant operam, merces hominesque lembis ultro citroque traicientes; Mare piscosum est. Sunt & retia thynnaria, quibus ingens thynnorum copia capitur, quos cætarii membratim cæsos sale asservant, conduntque in cadis. Fit & magna trichiarum piscatio, quibus sale conditis cados opplent. Est Picii aqua ferrea, quæ tamen bibi potest. Nascitur in hoc agro marmor, intus quoque smiris reperitur. Fit in hoc agro gossipium: sunt & limonum & citrorum nemora. Intus est *Philocasa* tenue castellum, idest amabilis casa. Ager hic frugifer est frumenti & aliarum frugum ferax, & pabulis aptus. Fiunt olea & vina non vulgaria; provenit nardus montana. Est in hoc agrò *Stephanaculum* vicus, qui coronam significat cum melle optimo. Fiunt & in agro hoc phasianorum & externarum & aliarum alitum aucupia pulchra, & caprarum & leporum venationes. Philocasæ contermina est *Panagia* pusillum castellum, quod nomen totum purum significat. Exin est *Vallonga* exiguum castellum, cum caseo probatissimo, in hoc agrò sylvæ sunt glandiferæ, & castaneta ad porcos alendos opportuna. Sunt & pulchra pabula, fiunt venationes, & aucupia. Proveniunt ubertim fraga. Sunt in hoc agro pagi *Pizonum*, ubi fit charta; erumpit & squilla, *Nicolaum*, *Batianum*, ubi quoque squilla provenit, *Broniatarum*, quod tonitrua observantem significat, quod Ancinalis fluvius intermeat. In hoc agro glandiferæ arbores ferunt agaricum. A Vallonga m. p. duobus *Belifortum* oppidulum est edito loco. *Subsicinum* Antonino Pio in itinerario, Quod Medama fluvius adlabitur. Intus divi Stephani ædes est Cartusiensium monachorum cœnobium à Rogerio Guiscardo junioris Roberti ex fratre nepote conditum, in qua æde beati Brunonis huius ordinis fundatoris, beati Januini ejus socii corpora quiescunt, venit in Calabriam beatus Bruno Urbani secundi pont. max. & Rogerii junioris temporibus, Excessit è vita anno à Christo nato M. C. pridie nonas octob. Est & digitus Stephani protom. Frustula crucis dominicæ, & mensæ & virgæ Aaron, & Joannis baptistæ, & Zachariæ patris ejus, utriusque Jacobi, Philippi, Matthæi, Bartholomei, Thomæ, Simonis & Judæ Apostolorum, Joannis Chrysost, Athanasii, Basilii, Gregorii, Felicis, & Calisti Rom. Pont, Marcellæ, Mariæ Magdal. Christinæ, Catherinæ, Priscæ, Georgii, Dionysii Areop. Cosmæ & Damiani, Joannis & Pauli, Cyriaci, Hippolyti, Pantaleonis, Theodori, Antonii, & multorum aliorum Sanctorum. Item dens Agathæ, dens Goberti, dens Joannis Joachimi. Sunt & frustula sanctorum locorum, ut sepulchri Christi, & lapidis, ubi fuere pedes ejus transfigurati, & criptæ in qua jejunavit, & montis assumptionis, & columnæ in qua fuit flagris cæsus. Secundum ædem lapis obsidianus nascitur, ex quo fit vitrum optimum. Quo lapide accolæ in ædificiis utuntur. In agro *Monasterii* lapis ophites cæditur; granitum vocant scalptores, ejus generis est, quo columnæ in Romano Pantheo sunt. Non longe à Monasterio, via qua itur Stilum, lapis specularis nascitur. Sunt in hoc agro pagi Mosaurum, ubi asparagi optimi omnibus an-

ni

ni mensibus proveniunt: *Gasparium*, *Spatula*, quod cibum delitiasque sonat, cum caseo & hyppace optimo. Et juxta *Cæcinos* fluvius fluit, ubi lutræ sunt. *Bovungium*, ubi aurum & ferrum nasci traditur: nascuntur & asparagi cunctis mensibus anni. *Cimbarium* itidem cum caseo & hyppace claro, ubi & obsidianus lapis nascitur. Sunt & in huius Monasterii territorio sylvæ ad domorum tigna reliquave utensilia, & ad navigiorum fabricam aptæ. Glandiferæ arbores agaricum ferunt. Fiunt silvestrium animalium venationes. Indè occidnum versus *Sorianum* oppidum est, pensili loco situm. Soria congeriem sublimitatemque sonat. Hic figlina opera fiunt haud ignobilia, variaque vasorum genera, quæ usui humano sunt accommodata. In hoc agro gypsum è terra foditur, quo utuntur figuli, exciditur & lapis molaris frumentarius & olearius. Sunt & sylvæ glandiferæ ad porcos alendos opportunæ, & pabulo, venationi & aucupio commodæ. Sunt in agro pagi *Basilium*, & *Barbara*. Fiunt in Surianensi agro olea præclara. Dein ad fretum eunti *Dimitrium* tenue castellum offertur, cujus ager frugifer est. Sybinde est *Monileonum* oppidum: *Hipponium* olim ab Hippone Heroe, ut vult Stephanus, dictum, fortassis Phocense; nam Phocenses multas urbes in hac ora, & alibi in Calabria, aut condiderunt, aut ab Ausoniis & Oenotriis conditas incoluerunt. Huius urbis meminit Lycophron in Alexandra, Strabo vero libro sexto hanc & Medamam à Locris conditas tradit, qui sic ait: *Hipponium Locrorum ædificium, quam obtinentibus Brettiis eripuere Romani, qui Vibonem Valentiam appellavere.* Hic Agathocles Siciliæ tyrannus ea potitus urbe, nobile emporium instituit, cujus floreptissimæ regionis amœnissima prata esse constat, ad quam Proserpina è Sicilia carpendos ad flores venit. Hinc matronarum usus invaluit, ut collectis ex floribus coronas texant, cum dies festos agunt, quoniam empta gestare serta, vitio illis datur. A qua urbe Hipponienses & Hipponiates, Vibonienses & Valentini incolæ. Hic Gelo nemus amœnissimum extruxit, quod cornu Amaltheæ appellavit. De quo Duris apud Athenæum libro XII. sic scribit: *cornu Amaltheæ locus est, quem struxit Gelo in nemore amœnissimo egregiæ pulchritudinis, aquisque irriguum juxit Hipponium civitatem.* Fuit nempe urbs hæc opibus ac gloria, vel portu inclyta. Hanc & Rhegium inter septem illustriores & opulentiores Italiæ civitates fuisse: quæ substantia & domorum pulchritudine pavimentisque præstabant, Appianus bellorum civilium libro quarto memoriæ traditum reliquit. Fuit quoque Romanis amica ac socia. Quæ cum sub id tempus, quo Annibal Plaoentiæ erat, Carthaginenses classem ad eam oram vastandam misissent, Hipponienses agri libentius depopulationem, urbisque terrorem pertinaciter sunt perpessi, in fideque & societate P. R. perstiterunt, urbemque necessariis rebus, quo hostibus resisterent, munierunt, ut Livius Bel. Pun. libro primo tradit, ubi sic scribit: *Jam forte Carthaginienses viginti quinqueremes cum mille armatis ad populandam oram Italiæ missere, populatoque Vibonensi agro, urbem quoque terrebant. Repetenti Siciliam T. Sempronio Consuli excursio hostium in agrum Vibonensem facta nunciatur Sexto Pomponio legato cum viginti quinque longis navibus Vibonensem agrum, maritimamque oram Italiæ tuendam attribuit.* Fuit & Colonia Romanorum civium perillustris, velut Livius Bel. Mac. libro V. autor est, *ad quam*, inquit, *mille septingenti pedites & trecenti equites ivere.* Vellejus etiam Paterculus Valentiam Coloniam deductam scribit. Fuit quoque nobilissimum municipium Romanorum, ut Cicero in Verrem actione septima innuit, ubi sic inquit; *Ipsis Valentinis ex tam illustri nobilique municipio tantis de rebus responsum nullum dedistis.* Cicero exilii sui tempore cum Melitam insulam petere statuisset, ut ibi commoraretur quousque res suas componeret, Vibonem ad Siccam terrestri itinere concessit, ut inde transmitteret. Cæterum ubi Clodii rogationem de suo exilio allatam percepit, per quam CCCC. ab Italia milliaria aqua & igni sibi interdicebatur, ut ipsemet ad Att. libro tertio & XVI. scribit, cum Melitæ sibi esse non liceret, consilio repente mutato à Vibone Brundusium convertit, ut se in Græciam reciperet: verum prius Locros ad clientes suos petit, quo ex loco scribit ad Att. inde Crotonem contendit, & Thurios. Quo in itinere omnes Calabriæ civitates, ad quas divertebat, ipsum quàm humaniter excipiebant hospitio, ut ipsemet in oratione pro Planco dicit. Post vero reditum suum in urbem Senatus universus, ut ipsemet Cicero in oratione pro domo sua ad pont. scribit, gratias agendas censuit civitatibus iis, quæ M. Tullium recepissent. In bellis autem civilibus, Hipponium Cæsaris partes est sequuta, ut Appianus Bel. civilium lib. tertio scriptum reliquit. Hic Cæsaris naves quinque à Pompejanis combustæ sunt, ut Cæsar ipse Bel. civilium libro quarto prodit. Hanc urbem Plutarchus Lucaniæ esse dicit. Ex hac urbe fuit Pestanus scriptor antiquos, cujus meminit Macrobius Satur. libro sexto, quem adducit in verbo transmitto pro transeo. Signabant Vibonienses in nummo Proserpinam habentem in capite tiaram, quod ibi ejus templum esset celebre: & ex postico gemina Amaltheæ cornua regionis ubertatem significantia, inscriptione Latina, Valentia. Interdum incidebant Jovem & ex altera parte fulgur, Aliquando incidebant Herculem, & ex altera facie duas clavas. Interim incidebant Minervam, & ex postico noctuam eius alitem. Quandoque incidebant Apollinem & ex altera facie lyram. Erat Hipponii magnificentissimum Proserpinæ fanum plurimis marmoreis columnis ornatum, quas Rogerius Guiscardus Calabriæ princeps Miletum transtulit, & in episcopali æde, atque in Sanctæ Trinitatis delubro locavit. Huius Proserpinæ signum aræque Romani religionis cultores, Hipponio ab eis deducta colonia, reficientes, DCCLXX. m. XC. Sestertios expendere, hoc est usualis nostræ monetæ nummorum aureorum scutatorum XVIIII. millia ducenta quinquaginta duo cum quadrante. Nam mil-

Digitized by Google

mille sest. masculino genere, & sestertium neutro genere idem sunt, valetque aureos nummos vigintiquinque. Basis cum iscriptione est Mileti in foribus episcop. ædis infimo loco sita transeuntium pedibus conculcata. Quod hi, qui eam ibi locarunt, quive destituunt, sint vetustatis contemptores, unde & primi versus literæ quædam absumptæ sunt. Cum potius hujusmodi rerum memoria magna esset studio conservanda, ut nobis esset ad imitandum exemplum. Nam si idolatriæ venæ ac falsæ religionis cultores tanto studio, ac tam magnis sumptibus idolorum templa ac signa, arasque decorabant, quid nobis est faciendum? Inscriptio a. hujus basis hæc est I.. vid. vir. ↃI.. Q. Cincius, C. Aul. IV. viri D. Signum Proserpinæ reficiendum statuendumque, arasque reficiendas ex S. C. curarunt HSDCCLXX. m. XC. fuere. Helvia Q. F. Orbia M. filia. Curæ esse debet Hipponiatib. basim illam alibi locare, ne tantæ rei memoria prorsus aboleatur. Fuit etiam Hipponium sedes episcopalis, Synodo Romanæ, sub Symmacho Papa, interfuit Joannes Episcopus Vibonienſis, & synodo Nicænæ secundæ sub Hadriano Papa primo interfuit Stephanus Episcopus Vibonienſis. Eruta fuit Vibo ab Agarenis sub beati Nili tempus, quo & Terina & Taurianum, & Trischenes eversæ fuere. Sedes hæc episcopalis, necnon Taurianî Miletum translatæ sunt à Gregorio Papa huius nominis septimo. Celebratur Hippony nohile emporium ter in annos singulos. Ager hic frumenti; & aliarum frugum ferax est. Fit sacharum, & sesama, & oleum clarum. Fiunt perdicum & phasianorum aucupia, extant verricula thynnaria. De bonitate thynnorum Hipponiatis sinus diximus. Sunt in hoc agro pagi Piscopium, Gregorium, Vena, & iuxta Vena iterum, Treparvum, ubi lapis specularis nascitur. Longoburgum cum linis non ignobilibus. Post Hipponium Briaticum oppidum est edito loco milliario à mari sepositum, distat à Montileono m. p. quatuor. In mari statio est *Nicola* dicta, & juxta Praca, & Braces, & Turrecula modicæ insulæ sunt, *Ithacusæ*, à Plinio nuncupatæ. Ait enim: contra Hipponium insulæ parvæ sunt, quæ *Ithacesiæ* appellantur, Ulyssis specula, sunt & retia thynnaria. In Briaticensi agro vina & olea clara fiunt, item xylon, & sesama, & amygdalarum copia, & varii generis fructus optimi, laudatur & apiana uva. Extant & viridaria citrorum, limonum, & malorum aureorum. Nascitur & sponte ubertim in collibus arido loco, ubi nec aliud seri, aut nasci potest, herba angusta & longa duorum cubitorum, ad fiscorum, sportarum, & restium verriculorumque usum, & vinearum ligamenta apta, præbet & bobus pabula, *votumum* vocant incolæ, ego spartum id esse autumo. Sunt in hoc agro pagi, *Mantineum*, quod vaticinium norat: *Paraconum* quod significat salutare: nec procul est *Paradisonum*, quod præter odium sonat: & ei contermi-num est *Canidonum*, id commune donum significat: & prope est *Mesonum*, à meso ideſt medio dictum. Inde est *Syconum* à ficuum ubertate dictum: & ei vicinum est Favelonum, & juxta est *Cisidonum* à Cisso desidero nominatum. Inde est *Cochiceronum*, & Marcum, & *Sophadum*, quod sapientem cantum significat. Item *Conum*, & *Pisitonum*, quod humidum locum sonat. Exin Tropæam versus sunt Polycarpum, Leum, ubi rubrica fabrilis nascitur: Constantinum, Potentionum, cum soleis optimis: Rosarnum *Madaradonum*, quod salvum donum significat, *Sterapodonum*, quod solidum pedem notat. Post Briaticum Sabronum promontorium est, *Higponium* appellatum Is ab facio, distat à Briatico m. p. VIII. Intù est Mesianum oppidum cum nundinis, quæ in singulos annos celebrantur. Ager Mesianensis frumenti & aliarum frugum ferax est, fit & optimi olei copia, provenit in agro hoc crocus silvestris. Suntque pagi *Zegarium*, quod jumentum sonat, *Papeloutum*, *Picinum*, quod densum significat, *Argiona*, quod venationem notat, *Scaletum*, *Cœlendarium*, quod significat vallem, Prasinacum à prasia areolaherbarum, *Pernocarium* a Pernos aquilæ specie, & perricarium iterum, *Orcilladum*, ab orcillo adjuro, *Rombiolum*, à rombeo voluo dictum: *Caryvatum* à Carya nuce: *Meladum*, ab eventu aliquo, moleo enim significat pugno. Ad mare Tropæa civitas est, mari incumbit, à tropeo retroverto dicta, quòd, ut licet opinari, dux quispiam Romanus Classis præfectus ex Africa, aliunde reversus eam condiderit, aut ex castello, quod hic erat, in urbem aucta. Non enim ora hæc vinetis & olivetis, aliisque arboribus impendio commoda absque habitatoribus, frequentibusque villis ab Auxoniis, & inde ab Oenotriis, aliisque Græcis destituta fuit. Meminit hujus urbis Stephanus Byzantius, quam *Postrepæam* vocat. Fuit Justiniani Imperatoris temporibus. Distat à Sabrono promontorio m. p. sex. Est & sedes episcopalis antiqua. Theodorus Episcopus Tropiensis interfuit synodo Constantinopolitanæ sextæ. Et Stephanus Episcopus Tropiensis interfuit synodo Nicœnæ secundæ, & Laurentius Episcopus Tropiensis interfuit synodo Romanæ sub Symmacho Papa. In æde divi Francisci una spinarum coronæ dominicæ asservatur. Hic mercatus quotannis celebratur. Fiunt panni gossipini nobiles. Secundum urbem insulæ adjacent duæ cum statione. Vivit modo hujus urbis civis Petrus Vianeus medicus Chirurgus: qui, præter cætera, labia & nasos mutilos integritate restituit. In hoc agro provenit staphys agria. nascitur & ingens votumi copia. Sunt in Tropianensi agro pagi plerique Græcis appellati nominibus. Juxta urbem parte læva est *Paralia*, quasi maritima, quod secus littus sit. Inde est Sabronum, quod edacem significat, cum oleo & vino nobili. In his pagis gossipii ubertas sit, supra est Joannum. Inde urbem versus est Daphna, & juxta Daphna iterum, à lauris dicta; postea est Phytalis, quod plantam hortumque arboribus consitum significat. Supra est *Zacharopolis*, quasi utilis civitas, & prope est *Aliphitum*, ab bonitate olei dictum. Cui contermina est Drapea, quod maturam messem sonat. Dein est *Chespanum*, à cheo fluo dictum, cum optimi olei copia. Et ei propinqua est *Charia*, à valle dicta. Exin est *Bri-*

Digitized by Google

tarium, quod ſcatens ac fervens notat: & prope eſt ejuſdem nominis amnis: intus eſt *Chorametum*, quod regionem vini ſonat: ei proxima eſt Dominica. Hic pagus quomodo initio vocatus ſit, compertum non habeo, nunc *Dominica* dicitur, quod in eo beata Dominica nata ſit, eique templum erectum, tametſi quidam eam Campaniæ tribuant. In mari portus eſt Herculis, *Formiculas* vocant accolæ, quaſi Herculis formas: cujus meminit Plinius, itemque Strabo, qui ubi de Hipponio fatus eſt ait: *Cum ad Herculis portum navigas, extrema Italiæ circumflectis: eſt enim haud procul à Vaticano promontorio. Secundum portum hunc ſtatio quædam eſt, & Gadanum ſcopulus, nec longe Meſcheta & Proteria ſtationes altera ſunt: de hinc Vaticanum promontorium occurrit Terinæum Hipponiatemque ſinum efficiens, à vaticinio aliquo dictum, & ejuſdem nominis amnis, diſtat à Tropæa m. p. ſeptem.* Hinc rurſus Geolienſis ſinus incipit & uſque ad Cœnidem promontorium protenditur. Contra eſt *Mantineum* ſcopulus, à vaticinio itidem dictus. Ab urbe hucuſque ora hæc vinetis & olivetis eſt referta. Intus eſt Nicolaum pagus, & prope eſt *Briadum*, quod floridum, lætum ac delicioſum ſignificat, cum ficis optimis. Inde eſt *Orciladum*, ab olei copia dictum: orci enim lecytum ſonat: juxta eſt *Rigadum*, quod ſedis ruinas notat. Intus rurſus ſunt Bryvanacalum, à bryo & ana, iterum & *Calos* dictum, quod hic bonum ſemper ſcaturiat: prope eſt *Lapathonum*, à lapatho herba dictum, hic bumaſthus uva optima fit: exinde eſt *Panagia*, quod totum purum ſignificat, & juxta eſt *Spilinga*, quod ſaxum concavum ſignificat: dein eſt Condrochinonum, quaſi fructus particeps; nec longe eſt *Carciladum*, quod cancrum ſonat. Inde eſt Jopolis exiguum caſtellum edito eoque ſalubri loco ſitum, quaſi diopolis, hoc eſt, Jovis civitas, haud nimium à mari ſemotum, Auguſtini Niphi philoſophi patria. Quem Sinveſſani quaſi Julia lege repetunt Sinveſſam. Hic cum jam puer, mortua matre, à patre & à noverca (duxerat enim ejus pater aliam uxorem) male haberetur aufugit domo, & ſe Neapolim recepit. Quem præclaram præ ſe indolem ferentem, Sinveſſanus quidam cum eſſet intuitus, Sinveſſam in domum ſuam duxit, ut liberis ſuis inſerviret. Qui quòd acris ingenii, ac gloriæ cupidus eſſet, ſimul cum illis in literarum ſtudium incumbit. Atque inde cum eiſdem Patavium profectus, philoſophiæ ſtudio acriter navavit operam. Cumque poſtea Sinveſſam ac Neapolim reverſus patrem omnia bona dilapidaſſe, atque ſubinde mortuum eſſe percepiſſet, noluit amplius Jopolim patriam ſuam redire, ſed Sinveſſæ uxorem duxit, & Neapoli multos annos philoſophiam publice eſt profeſſus. Floruit Leonis decimi temporibus, & obiit Pauli tertii pontificatu. Scripſit in omnes Ariſt. libros commentarios. Extat adhuc Jopoli Niparum familia. Verum ipſe in Sinveſſorum gratiam, quòd apud eos aliquando degerit, uxoremque duxerit, Sinveſſanum ſe ſcribebat. Quanquam ſæpius in gymnaſio palam Calabrum ſe eſſe frateretur, & in epiſtola, quæ eſt ad Joannem Arenarum Principem in Commentario ſuper perihermenias, ſe Calabrum eſſe teſtatur. Id quod tamen in ſecunda operis editione ſublatum fuit. Sed porro vani ac dementis eſt alienam gloriam aucupari, & inopem laudis aliena laude prædicare ſe glorioſum. Fit Jopoli olei copia, & amygdalæ laudatiſſimæ, ac præter cæteros fructus, pira nobiliſſima, & pepones optimi, ſit & ſericum nobile. Extant & horti nemoroſi citrorum, limonum & malorum aureorum. In hoc agro votumi herbæ copia naſcitur. Eſt & Cocurinum pagus. Exinde eſt Nicotera civitas ſedes epiſcopalis edito ſalubrique loco ſita, mari imminente. Septem millium intervallo à Vaticano promontorio abeſt. Olim vel Domitiani ætate *Medama* dicta, quo tempore ſcripſit Plinius. Antonini vero Pii tempeſtate aut paulo ante *Nicotera* ideſt Victrix dici, eſt cœpta. Cujus idem Cæſar in itinerario ſemel atque iterum meminit: Quidam puerili atque anili opinione ducti in littore duobus locis Medamam fuiſſe, biſque everſam fabulantur: Cum à Domitiano ad Antonini tempora anni interceſſerint quadraginta paulo amplius aut minus. Jam pulſo ab Italia Annibale uſque ad Honorii principatum, quo tempore Gothi irruperunt, nil ab exteris paſſa eſt Italia. Sed qui priſcis condendarum urbium mos fuerit alibi dicemus. Conjiciendum eſt Romanæ Claſſis præfectum, aut Nerva, aut Trajano, aut Adriano Imperante, qui inter Domitianum, & Antoninum Pium fuerant, ex Africa aut aliunde cum victoria revertentem, acceptos è claſſe permultos huic urbi dediſſe accolas, & ea ex victoria nominaſſe Nicoteram, & inſuper Tropæam civitatem à ſe auctam appellaviſſe, & à reverſione appellaviſſe Tropæam. Fuit Medama urbs à Medama fonte appellata, ut vult Hecatæus apud Stephanum. De hac Strabo ita refert. *Medma, Locrorum ædificium, Medama à Romanis, & prope eiuſdem nominis fons magnus.* Quæ nobile emporium habuit. Ante littus hoc Liparentium jacent inſulæ longe ab euripo XXV m. p. Hoc ipſum ſcribit Plinius. Ex hac urbe fuit Philippus vir, ait Stephanus, maximæ exiſtimationis, qui ſcripſit de ventis. Sergius Epiſcopus Nicoterenſis interfuit ſynodo Nicenæ ſecundæ, ſub Hadriano Papa anno Chriſti DCCLXXXI. Meminit hujus urbis Joannes Joachimus abbas ſuper Eſaiam, licet mendoſe pro Nicoterenſi Geracotranenſis legatur. In æde beatæ Mariæ beati Pauli Synopolitani minoritæ corpus quieſcit. Hic ſerica & lina clara fiunt. In hoc agro pagi ſunt Comerconum, Pryetonum, Caloſytonum, quod pulchram plantam ſignificat, Vatunium, à bateo abundo, & Carynetum, à carya nuce. Non longe ab urbe ſtatio eſt fida navigiis. Inde Metaurus amnis navigabilis mari illabitur, cujus meminit Strabo. Intus eſt Philocaſtrum oppidum edito amœnoque loco ſitum, quaſi amabile caſtrum. Hic ſerica, & vina, & olea clara fiunt, & fructus optimi: Sunt in hoc agro pagi, Nicolaum cum emporio nobili, *Libadum* à loci amœnitate dictum: Caronum, quod ſignificat ſortem; & Madaranum. Exinde eſt Calimera

Digitized by Google

limera castellum, quod bonam diem significat, cum mercatu annuo. Cujus ager, sicut Philocastri, aquis irriguus est. Extant & horti nemorosi limonum, citrorum & malorum aureorum, fiunt olea laudatissima, & fructus optimi. Extat & fons salsam aquam manans, ex qua fit muries. Nec longe est Calocerum pusillum castellum, quod bonam cœli temperiem significat. In hoc agro, gypsum marmorosum & speculare exciditur in ripis Litromæ fluvii, qui hunc à Militensi agro discernit. Postea est Miletus civitas vetusta inter duos amnes edito loco à Milesiis Asiæ populis condita. Nam, ut Herodotus libro sexto auctor est, Mileto Asiæ à Dario eversa, Milesii, qui ea clade supersuere, privati patria, ut quondam Trojani, una cum Samiis, liberis & conjugibus susceptis novam sedem conquirentes Rhegium pervenerunt. Qui ab Anaxilao Rheginorum tyranno suasi Zanclem, hoc est, Messanam obsident: sed quia numero longe erant inferiores, à Zanclæis victi fusique sunt, superstites vero siA lubro multorum Sanctorum frusta asservantur. Sunt enim fruſtula linteaminis, quo Christus fuit conditus in sepulchro, pepli beatæ Mariæ Virginis, Perpetuæ, & Felicitatis, Victoriæ & sociorum, Processi & Martiniani, Petronillæ, Anastasii, Arnulphi Episcopi, Silvestri, Macarii, Leonis, Chrysanti & Darii, Martini, Stephani, Blasii, Cornelii Papæ, Alexii, Marcellini, Christophori, Sebastiani, Barbaræ, Domicillæ, Laurentii, Hilarionis, Pancratii, & aliorum quoB rundam: In ædicula quadam est fruſtulum crucis dominicæ. Condidit etiam idem Pius princeps anno virginei partus M. C. II. in Mileti suburbiis, in specula, magnificentissimum sanctæ Trinitatis templum, quod marmoreis columnis ex Hipponio allatis, sustentatur. Quod templum Callistus Rom. Pont. hujus nominis secundus anno à Christo nato MCXXII. consecravit, plurimisque criminum expiationibus decoravit. Hic Rogerii corpus in nobili marmoreo sarcophago conditum est. Sebastianus Corradus in epistolam Cic. ad Att. libro tertio putat Mesitam oppidum id esse, quòd inquit, positum est non procul à Vibone. Ex hac urbe sive ejus pagis fuit beatus Paulus prædicatorum ordinis Cœnobita, cujus corpus in Altimonte esse diximus, qui primus Prædicatorum ordinem in Calabriam duxit. Hic mercatus annuatim celebratur. Fiunt lagenæ tantum. Et bovini corii concinnantur. Est Militensis ager frumenti & aliarum frugum ferax, sit olei copia, exciditur gypsum marmorosum, & speculare. Sison nascitur, quam aromatarii & herbarii amomum esse opinantur. Sunt in hoc agro pagi Joannum, Camparonum cum linis non vulgaribus, Petrejum, *Paravatum* quod transgressionem significat, *Jodanum* oppido par, quod violarium notat, Nais ab aquarum copia ac bonitate, *Cotofonium*, quod vocem iratam ac cædem significat, Calaurum quod notat delicioſum. Secundum Miletum milliario cum dimidio Francica oppidum est cum emporio nobili, & serico laudatissimo meum natale solum, optimis lymphis fœcundum. Est Francicanus ager penè totus campestris & pulla tellure frumenti, & aliarum frugum ferax: quem Scotopetus fluvius, à Militensi, & Medama amnis à Sorianensi agro dirimit. Fiunt in hoc agro olea & vina non vulgaria. Item phasianorum, externarum, palumborum, phassarum, (torquatos vocant incolæ) rusticularum (reversiones appellant) & gallinaginum, & ficedularum, & cornicum aucupia. Nascitur radix dulcis, radix tinctoria, raphanus, & sison herba ea, quam amomum vocant, & aliæ medicinales herbæ nonnullæ. Hic circiter annum Christi M. D. VI. magna Gallorum strages edita est. Sunt in hoc agro pagi, Pinguadum, Mutarium à mutata sede, Clamista, quasi pensilis. Constantium. Ex hoc oppido fuit Fernandus Ritura presbyter, vir imprimis intergerrimæ vitæ, latinis literis satis eruditus, poeta idemque orator, atque etiam sacri eloquii præco eximius. Inerat ei peracre ac facile ingenium, in edendis carminibus facilis erat, & elegans. Fuit & flagitiorum

C nistræ fortunæ tædio affecti, cum in Sicilia esse sibi non liceret, in Calabriam redeunt. Et Samii Samum Calabriæ urbem à Samiis jam olim conditam pergunt ire, Milesii vero ad Medmæum littus appellunt (abest Medama à Messana m. p. XL.) ac quietam ac à maritimis casibus perturbationibusque semotam sedem quærentes hanc condunt urbem, quæ distat à Medmæo littore m. p. octo, eamque priscæ patriæ nomine, quasi adhuc illam colentes Miletum vocant, ut LoD cri Naritii Locrum in Calabria condidere, utque illi Locri, ab hac Locrenses: ita à Mileto Asiæ Milesii, ab hac Militenses dicuntur. Sunt nempe in Calabria pleraque loca iisdem nominibus appellata, quibus Græciæ aut Aliæ loca: ut Tempsa, Pandosia, Thuria, Miletus, Scylleum, Amphissa, Locrus, Samus, Thebæ, Melissa urbes. Item Acheron, Butrotus, Crathis, Sybaris amnes. Hic Rogerius Guiscardus junior, Roberti ex fratre nepos, Calabriæ princeps, E nobile templum divo Nicolao extruxit, marmoreisque columnis, quas ex Hipponio exportavit, ornavit, Atque anno humanæ salutis M. CLXXXXV. Gregorio hujus nominis septimo Pont. Max. jam Hipponio & Taurino ab Agarenis erutis, in episcopatum ferexit, & magnis proventibus ditavit. Primus episcopus fuit Arnulphus. In hujus templi valuis inferiori loco est basis illa, de qua alibi locuti sumus. Franciscus Maurolycus homo Siculus, neotericus scriptor Sicula vaF nitate præditus, Militensem, & Marcensem Calabriæ episcopatus Messenio Archiepiscopo olim fuisse subjectos temerè scribit, depravati textus Joannis Joachimi lectione delusus, nesciens judicii inops Joachimum singulæ regionis episcopatus describere, & cum Calabriæ episcopatus describit, Militensem, & Marcensem episcopatus in ea describit: & Marcensis episcopatus Melivitensi, Tempsano quondam, suffectus est, qui Melivitensis episcopatus ad sedem Apostolicam olim pertinebat. Militensis vero, ut dixi, Hipponiati & Tauriano Rhegino præsuli subjectis, est subrogatus. In hoc Militensi de-

Digitized by Google

objurgator severissimus, ac cunctarum virtutum simulacrum repræsentabat. Milliario ab oppido haud longe à Constantino pago locum sibi delegit, cui nomen est Comerconum, ubi quieti ac literarum ocio commodius incumberet. Se enim mirificum doctrinæ laboribus addixerat, non parvamque sibi bibliothecam comparaverat. Ibi beatæ Mariæ deiparæ ædem statuit, cœnobiumque erexit, in quo cum Nicolao Aloisio, Baronio, & Marco Candioto presbyteris civibus suis, probis itidem moribus refertis agebat. Ac primum, ne talentum sibi à Deo præstitum abstrusum retineret, literarum ludum aperuit, cuius schola cunctæ circum regioni patuit. Ad quem scilicet audiendum frequens hominum turba non ephebornm modo, sed trigesimum etiam excedentium annum ingenti veneratione confluebat. Inde vero sese colligens adspiravit ad potiora. Quandoquidem Dei obsequio se totum tradens, ejus eloquii concionator perspicuus effectus est. Vestibus cœruleis & ipse & contubernales talo tenus utebantur. Vitam cum morte commutavit nono Cal. Julii senio confectus à natali domini anno M. D. XVI. diem obitus sui ante præsagiens. Intus Arenæ oppidum est, edito loco situm, in cuius agro ingens olearum numerus est, ut sylvæ propè videantur, unde & magna olei copia fit. Extant & castaneta ingentia, & sylvæ, ad domorum tigna & navigiorum fabricam aptæ, fit & sericum optimum, nascitur saxifragia, & lapis mclaris. Sunt in hoc agro pagi Data, cum vino optimo, quasi silvosa, quod olearum sylvæ sint, quam eiusdem nominis fluvius adlabitur: Aquarium, cum mero non vulgari Simiatonum itidem, cum claro vino: Lympidum: Brazaria cum vino optimo: Potamia, quod secus flumen sit: Melianum: Ceanum, ubi gypsum è terra foditur, quo utuntur figuli ad vasa linienda: & Ieroçarnum, cum fluvio eodem nomine, quod sacram carnem significat. Arenis, eiusque pagis incolæ vasis supellectilibusque ligneis conficiendis operam navant. Ubi Arenis cesseris tenderisque ad meridiem, Soretum oppidum invenies, à Soro, hoc est, acervo dictum, cum mercatu annuo. Altanum, Antonino Cæsari in Itinerario, distat à Subsicino, id est Belliforto, m. p. decem, ab Arenis quatuor. Quod Metaurus amnis torentinis & anguillis affluens præterfluit. Fiunt Soreti vina & olea clara, & sylvestrium animalium venationes: & gallinaginum, turdorum, phasianorum, externarum, & ardearum aucupia. Sunt & Erinacei, & testudines terrestres & aquaticæ. Excidituv lapis molaris optimus, frumentarius & olearius. Est & ager hic frugifer, provenit terebinthus. Suntque pagi Melichlochia, à melle & chloazo abundo dicta: Dynamis, quod robur significat, & ejusdem nominis amnis anguillis uber: hic coria hirçina çaprina & arietina optimè concinnantur, ut merito his palma detur: soleæ quoque perbenè concinnantur. Fit vinum & oleum optimum, nec longè Melanda fluvius, torentinis uber labitur. In agro hoc glandiferæ arbores agaricum ferunt, arnacem accolæ vocant, quem è quercu decerpunt, eoque in cibo utuntur. Non longè à Soreto Charida oppidulum est, quod gratiam confert significat. Hic generosum vinum nascitur, fit & oleum laudatissimum. Extant & castaneta, & glandiferæ arbores, quercus agaricum ferunt. Sunt in hoc agro pagi Charopolis, quod gratiosam urbem significat, & Petreium. Fiunt & venationes, quales Soreti. Inde ad meridiem tendenti Borellum oppidum offertur, edito loco situm, quasi aquilonare, boreas enim aquilonem significat. Quod Metaurus amnis navigabilis anguillis uber præterfluit, hic lutræ sunt. Abest à freto m. p. sex. Hic emporium quotannis celebratur. Ex hoc oppido fuit beatus Randisius divi Benedicti monachus Cassini agens, vir sanctitate plenus. Qui dum ægrotaret beatum Stephanum protomartyrem cum innumerabili turba ad se venientem in visione perspexit, quod cum aliis recenseret, continuo è vita hac abiit. Borellensis ager frumenti & aliarum frugum ferax est. Fiunt lina non vulgaria, nascitur & spectatum vinum. Extant & pulchra nemora limonum, & malorum aureorum. Subtus oppidum in hortis Camilli protospatharii pistacius arbor est, fert pistacia, sed inania, quòd mas desit. In hoc agro cepuria & fructus optimi fiunt. Sunt & erinacei & testudines aquæ. Excidituv lapis molaris, qualis Soreti. Suntque pagi Serrata cum temeto bonitate præcipuo. Hic rubrica fabrilis nascitur. Candinonum, Belatonum, quod floridam sagittam significat: Stridanum, quod significat pingue, hic fons est salsam manans laticem: & *Lauriana*, à lauris dictum. Non longe est Pretianum, pusillum castellum edito salubrique loco situm, cum vino & oleo claro, & ficis laudatissimis, quorum magnus fit numerus. Sunt in hoc agro sylvæ glandiferæ, & castaneta ad porcos alendos opportuna. Est & Feroletum pagus, ubi aqua sulfurea scatet. Intus est Calatrum oppidum, imo loco in radicibus Apennini situm: collibus undequaque circum septum, quod bonam uberemque terram notat, quod Metaurus amnis anguillis & torentinis gratissimi saporis fœcundus intermeat, ubi lutræ sunt. Hic vina, olea, & serica probatissima fiunt. Et soleæ longè optimæ concinnantur, ut jure inter Calabras, & fortasse Italas etiam, bonitate obtineant principatum, ut corii hyrcini & arietini Dynamis. Harum solearum magnus numerus in annos singulos eximitur, & in Siciliam invehitur. Hic sulphureæ aquæ scaturiunt, nascitur ferrum, & lapis phrygius. Est in hoc agro beati Heliæ Abbatis templum olim divi Basilii monachorum Cœnobium, nunc Minoritarum. Fuit hic beatus Helias divi Basilii monachus patria Bovensis, viguit beati Nili temporibus, ejusque amicus fuit, cuius corpus hic esse creditur. Sunt in Calatrensi agro sylvæ glandiferæ porcis alendis opportunæ, & sylvæ ad domorum tigna, ac suppellectilia commodæ, Fiunt & venationes pulchræ sylvestrum animalium. Nec longe ab oppido vicus est Micropolis, ab effectu. Et prope est Anogeum castellum, quod sursum & cœnaculum sonat. In hoc agro lapis

mo-

molaris exciditur frumentarius & olearius: sunt-que pagi Micopetum, & Tritantum. Exinde est Quinque frondum castellum in Apennini radicibus, quod Cherapotamus fluvius, anguillis uber, præterfluit, quod salubre flumen significat. Fiunt hic vina non vulgaria, & fructus optimi. Extant & horti nemorosi limonum, & malorum aureorum. Scaturiunt & sulfureæ aquæ, fiunt venationes, quales Calatri. In sylvis Labunum arbor nascitur: Inde est Georgetum oppidum in Apennini radicibus celso tamen salubrique loco situm, Morgetum olim sive Morgetia dictum, à Morgete conditum, ut ait Stephanus, *Georgium* vocat vulgus. In hoc agro Melichlochium pagus est. Est ager hic pascuis aptus. Subtus est Polystina oppidum, quod robur, magnamque vim significat, quod Cherapotamus fluvius torentinis, & anguillis uber influit, & juxta Bracalis fluvius alter labitur. Distat à freto m. p. octo, affluit bonarum aquarum scaturiginibus. Fit optimi serici copia, fiunt cepuria clara, ac lina laudata, vina item optima nascuntur. Nundinæ his annis singulis celebrantur. Laudantur & huius oppidi Sepatiæ candelæ, & telæ. Fiunt in hoc agro phasianorum, & externarum, & coturnicum avium aucupia. Inde est Rosarnum oppidum à freto m. p. duobus sepositum, à Nicotera quatuor. Quod Metaurus amnis navigabilis adlabitur, cuius, ut alibi diximus, meminit Strabo. Inter huius oppidi cepuria pepones laudantur, inter legumina vero ciceres, crassi sunt & cocti biles, fit & ingens phaseorum copia. Extant & testudines aqueæ. In hoc agro sylva extat nobilibus herbis medelæ aptis referta, ubi præter cæteras, crocus sylvestris, reuponticum, tragium, & sison quæ amomum à pharmacopolis dicitur, erumpunt. Est Fetum pagus, Hipporum Antonino Pio in itinerario, abest Altano, id est, Soreto m. p. decem. Post Rosarnum Geolia oppidum sese offert quasi gemma, paulum à mari semotum, distat à Rosarno m. p. sex Metauria sive Metaurum olim dicta à Metauro amni, qui haud longe ab eo fluit. De quo meminit Strabo, qui duos fluvios Metauros in hac ora post Medamam, non nimium inter se distantes scribit. *Post Metaurum*, inquit, *Metaurus alter occurrit, & ejusdem nominis statio*. Metaurus hic Rheginorum agrum à Locrensium olim agro discriminabat. Hunc Cato in Originibus, ut mox ostendam, *Paccolinum* vocatum refert, & ex septem fluviis, quibus Orestes à matricidio se expiavit, septimum esse ait, fines Rheginorum, atque Taurianum dispescentem. Taurianum Rheginorum erat cum omni hac regione Alecem amnem usque Metauria vero, & Medama, & Hipponium, & item Temesa Locrensium. De Metauria oppido meminit Mela, qui illud inter Taurianum & Medamam locat, *Locrorum ædificium*, ait Stephanus, licet Solinus illud à Zanclensibus Peloponnesi populis conditum scribat. Ex hac urbe, fuit Stesichorus, musicus & poeta lyricus filius Euphemi Metaurensis, licet quidam ipsum Medmæum dicant. Fuit unus è novem lyricis. Hic, ut quidam volunt, in Siciliam cum uxore & filiis traiiciens Himeræ habitavit: hinc quidam ipsum Himeræum putarunt, ut Pythagoram Calabrum putarunt Samium, quia pater eius cum uxore & filiis Samum incoluit. Fuit Stesichorus Pythagoræ, & Phalaridis tyranni ævo. Cuius etiam filiæ poemata edidere. *Iuscinia*, ait Plinius libro decimo, *in ore Stesichori cecinit infantis, mirabili auspicio summum eum poetam futurum præmonstrans*. De hoc Suidas sic ait: *Stesichorus, ut nonnulli volunt, ex Mauria Italiæ civitate natus est olymp. XXXVII. obiit autem olymp. quinquagesima sexta. Habuit fratrem Mamertinum geometriæ peritum, & alterum Helianactem legislatorem. Sunt eius poemata Dorica lingua libri vigintisex. Dicunt a. ipsum cum scripsisset vituperationem Helenæ excæcatum fuisse, & rursus cum laudem Helenæ scripsisset ex insomnio palinodiam fecisse, & visum recepisse. Appellatus est autem Stesichorus, quoniam primus constituit chorum ad cantum citharæ, alioqui ante vocabatur Tilias*. Plato etiam in Phædro inquit: *Est autem his, qui confabulando peccant, expiatio, quam Homerus non novit, sed Stesichorus; oculis enim privatus ob Helenæ vituperationem non ignoravit cæcitatis causam, ut Homerus, sed utpote musicus eam agnovit. Itaque statim illa fecit carmina;*

Num verus sermo ille fuit.
Nec navibus altis existi fugiens, Nec adisti Pergama Troiæ. Atque ita edito poemate, quam Palinodiam, ideſt, cantum contrarium vocant, *confestim recuperavit amissum*. Meminit de Stelichoro Ovid. & Hor. libro quarto car. *Stesichori*, inquit *graves camœnæ*. De quo Quintilianus libro decimo ait, *Stesichorus quam sit ingenio validus, materiæ quoque ostendunt, maxima bella, & clarissimos canentem duces, & epici carminis onera lyra sustinentem, reddidit personis in agendo simul loquendoque debitam dignitatem: ac si tenuisset modum. Hic*, ait Aristoteles rhetoricorum libro secundo, *in Locris dixit, non oportet eos contumeliosos esse, quia cicadæ non cantant desubtus*, ideſt cum patiuntur injuriam non murmurant. Fuit & Ameristus Stesichori frater geometra. De quo Proclus libro secundo: *Thales geometriam apud Ægyptios reportam in Græciam transtulit, multa quidem invenit, multorum autem principia sibi succedentibus enarravit. Alia quidem universalius, alia vero sensibilius attingens. Post hunc autem Ameristus Stesichori poetæ frater tanquam qui geometriæ studium tetigit deguſtavitque memoratur, cuius Hippias quoque mentionem fecit, veluti in geometria gloriam reportantis. Post hos Pythagoras eam philosophiam, quæ circa ipsam geometriam versatur in liberalis doctrinæ figuram commutavit, altius ipsius principia considerans immaterialiterque, & intellectibiliter theoremata perscrutans. Qui sane eorum etiam, quæ explicari in geometria non possunt, tractationem, mundanarumque figurarum constitutionem invenit.* Non longe à Metauro amni est portus Orestis *Ravagesum* appellant accolæ, cuius meminit Plinius, licet locorum ordinem confundat, meminit & Strabo, qui Metaurum fluvium, & ejusdem nominis stationem scribit.

bit. Cum enim Oreſtes oraculo admonitus ut in ſeptem fluviis ſe ablueret Reghium petiit ſecum, illuc Dianæ Phaſcelidis portans ſimulachrum, in eiſque ipſis ſe abluit fluviis, ut Probus in Bucolica Virg. ſcribit, ubi ſic ait: *Oreſtes poſt parricidium furens reſponſo didicit, quod deponeret furorem ita demum, ſi recuperata ſorore Iphigenia abluereturfluvio, qui ſeptem fluminibus confunderetur, diu vexatus cum in Taurica Iphigeniam reperiſſet, venit ad fines Rheginorum illique invento flumine elutus eſt.* Hujus autem fluminis, apud quod purgatus eſt Oreſtes, Varro meminit rerum humanarum libro decimo ſic: *Juxta Rhegium fluvii ſunt continui ſeptem Lapadon, Micodes, Eugion, Stracteros, Polmæ, Melciſſa, Argeades, in his à matris nece dicitur purgatus Oreſtes, illique diu fuiſſe enſem, & ab eo ædificatum Apollinis templum, cuius loco Rheginos cum Delphos proficiſcerentur re divina facta lauream decerpere ſolitos, quam ferrent ſecum.* Item Cato in originibus tertio ait: *Rheginis Taurocini vocantur de fluvio, qui præterfluit. Id oppidum Arunci primò poſſederunt, id eſt, Achæi Troia domum redeuntes. In eorum agro flnvii ſunt ſex, ſeptimus fines Rheginorum atque Taurianum diſpecens, fluvio nomen Paccolino. Oreſtem autem cum Iphigenia, atque Pallade dicunt maternam necem expiatum veniſſe, & non longinqua memoria eſt, cum in arbore enſem viderint, quem Oreſtes abiens reliquiſſe dicitur. Phaſcelitis autem Dianæ.* Lucilius quoque in tertio Satyrarum meminit ſic: *Et ſæpe quod ante optaſti, freta Meſſana, & Rhegina videbis mœnia, tum Lyparus Faſtelinæ templa Dianæ.* Geoliæ mercatus annuus celebratur. Eſt Geolienſis ager frugifer. Mare hoc piſcoſum eſt, ubi, præter cæteros piſces, magna trichiarum captura fit, quæ in cadis ſale condiuntur. A Geolia Geolienſis ſinus dicitur, qui à Vaticano ad Cœnidem protenditur. Poſt Paccolinum hoc eſt Metaurum amnem Tauriani oppidi veſtigia viſuntur, paululum à mari ſemota. Taurianum, ſive Tauriana civitas his locis erat, cujus meminit Plinius. Itemque Pomp. Mela, qui ipſam inter Metaurum, & Scylleum oppida locat, meminit & Stephanus. *Tauriana*, inquit, *urbs, à qua Taurianus civis.* A quo oppido piſcem quendam nomen ſumpſiſſe Athenæus libro ſexto refert. Scribit enim Taurianum obſonium. *Thimos*, inquit, *Taurianus à Tauriano oppido piſcis, qui Taurianus eſt appellatus.* Plinius autem libro trigeſimo ſecundo. *Taurianus*, inquit, *alii xiphiam vocant. Et rurſus xiphiam.* Id eſt, *gladium roſtro mucronato eſſe, ab hoc in oceano naves perfoſſas mergi. Inveniuntur quandoque qui delphini magnitudinem excedant*, ait idem libro nono. Hos Strabo Galeatas appellat, vulgus piſces ſpatos vocat. De quorum captura mox. Fuit Taurianum ſedes epiſcopalis, Georgius Taurianus Epiſcopus interfuit Synodo Conſtantinopolitanæ ſextæ. Et Theodorus Epiſcopus Taurianus interfuit Synodo Nicenæ ſecundæ. Et in decretis Gregorii Papæ tertii, qui fuit anno à Virgineo partu DCCXXXV. fit mentio de Opportuno, Epiſcopo Taurienſi, licet mendoſe legatur Mataurianenſe. Ex hac urbe fuit beatus Phantinus abbas monachus divi Baſilii, vere lumen. Hic primo cujuſdam civis ſui equiſo fuit, eius vitam civis quidam ſuus Græce ſcripſit. Qui in æde divi Phantini, quæ non procul à Parma oppido extat, ſepultos eſſe ait beatos Joannem & Georgium Epiſcopos Taurianos. Floruit autem beatus hic Phantinus beati Nili ſeculo, de quo ſuo loco dicemus. Cujus mutua benevolentia beatus Phantinus ingenti ſuavitate ac delectatione fruebatur. Quem beatus Bartholomæus in vita beati Nili celebrem appellat, præerat beati Mercurii monaſterio. De quo Bartholomæus ipſe ita ſcribit: *Beato Phantino ecſtaſis contingit, verius fuit mutatio dextræ excelſi, qui vere Propheta fuit, atque uti Jeremiam audivimus capite ac manto abraſo Hieruſalem in luctib. verſantem obambulaſſe, atque extimationem delirantis ſtultis de ſeipſo exhibuiſſe; ad eundem modum erat videre hunc celebrem virum, vereque prophetam ac beatum effectum eſſe. Sive enim ſenſibilem Calabriæ vaticinans deſtructionem, ac miſerandam Agarenorum invaſionem, ſive omnimodam virtutis everſionem, ac monachorum ad vitia declinationem atque vulgaritatem, quod magis credendum eſt. Verum & ipſe obambulabat luctibus deplorans eccleſias, monaſteria, libroſque. Has quidem dicens aſinis & burdonibus repletas eſſe ac coinquinatas: Hæc vero igne combuſta ſunt, inquit & pereunt: Hi verò quòd araneis pleni ſunt, & evanuerunt, fracti ſunt: neque deinceps habemus quos legamus. Cum a. videbat aliquem e ſuo monaſterio cœnobitam ut mortuum eum lugebat, dicens: ego te fili interfeci. Hæc & hujuſmodi faciebat ac loquebatur. Nec ſub tecto ſtare, ſed ſub dio, nec cibum guſtare volebat, ſed per deſerta oberrans vivebat agreſtibus oleribus. Hæc in maximam triſtitiam induxerunt Nilum (tunc enim in ea crypta prope monaſterium beati Mercurii commorabatur aram habente beato Michaeli Archangelo dicatam) ac penè nocte & die lugebat, & ipſe beatus Nilus boni ſocii, amici, & cooperatoris privationem. Sæpe illum ſecutus eſt, ut ei ſuaderet, quòd monaſterium reverteretur, & illic conquieſceret. Ipſe vero ejus monitis parere noluit, dicens, qui in monaſterio habitant, non ſunt mei cœnobitæ: ſi n. eſſent, mecum lugerent. At contra me furentem ac mente captum vocant. Scito igitur dilecte pater, quòd ad ſuperiorem regionem ſemigrabo, atque ibi perficiar, & ad monaſterium meum non amplius revertar. Atque ita beatus fecit, ut dixit, apprehendens locum, quem Deus ante omnia ſæcula illi præfinivit.* Ejus feſtum agitur nono Cal. Aug. Hunc Franciſcus Maurolycus Siculus Siracuſas repetit, & ejus parentes Fantum & Deodatam martyres fuiſſe Sicula vanitate nugatur. Erat in eodem monaſterio beatus Lucas frater beati Phantini, illi prudentia, & vita ſimilis, & ad gubernandum idoneus, ac ſacrarum literarum mediocriter eruditus. Quem invitum beatus Nilus unà cum cæteris ejus monaſterii monachis beato Phantino in monaſterii regimine ſuffecit. Erat etiam in eodem monaſterio beatus Zacharias magnæ virtutis ac ſanctitatis vir, quem beatus

Bar-

Digitized by Google

Bartholomæus *angelicum* appellat, cujus quoque benevolentia beatus ipse Nilus fruebatur. Non longe ab hoc monasterio erat aliud monasterium (erat nempe tum Calabria altera Ægyptus monachorum parens) cujus nomen beatus Bartholomæus subticuit. Arbitror id esse, quod est Meliclochiæ, de quo mox, in quo monasterio degebat beatus Joannes abbas beati Nili coævus, vir cum sacris literis longe eruditus, tum sanctitate plenus. quem beatus Bartholomeus magnum appellat. Hic lectioni incumbebat assidue, præsertim Divi Gregorii Nazianzeni, eamque aliis edisserebat. Hunc beatus Nilus veluti Joannem Baptistam venerabatur: ita ut sæpe vel vestigia pedum ejus ingenti devotione exoscularetur, eumque sacræ scripturæ dubia consulebat, quæ ille sapientissime & doctissime elucidabat. Erutum autem fuit Taurianum ab Agarenis, Mauris, Carthaginensibus impia inter se inita societate, ac magno exercitu comparato adjuvantibus Siculis, beati Nilj ævo, quo & alia & Calabriæ, & Lucaniæ, & Apuliæ oppida eversa sunt. Ob quam vastitatem quia civitates quædam civibus vacuæ remanserunt, Episcopales sedes in alia oppida translatæ, aut aliis adjunctæ sunt. Supra Geoliam *Drosium* castellum, quod rorem significat. Et supra est Terranova oppidum nobile edito loco, quaqua versum rupib. septum in Appennini radicibus, quod Marnus fluvius adlabitur torentinis uber, ubi lutræ sunt. Abest à freto m. p. decem: oppidum vetustum est sed post Calabriæ vastitatem ab hinc annos sexcentos novis colonis susceptis sic appellatum est. Hic emporium nobile in annos singulos celebratur, fit & optimi serici ingens numerus. In templo divæ Catherinæ duæ spinæ Coronæ Dominicæ & frustulum ligni Crucis, & columnæ, in qua Christus fuit flagris cæsus asservantur: item frustula pepli beatæ Mariæ Virg. Matthæi Apostoli, Blasii, Christophori, & aliorum sanctorum. Id oppidum in specula existens magna planicie gaudet, quæ frumenti & aliarum frugum ferax est, & pabulis apta. Hic vina præclara nascuntur, fiunt & lina laudatissima duum generum, quæ indigenæ mascula & femina vocant, fit & cannabis, fiunt & pulchra aucupia phasianorum, externarum, perdicum, & aliarum alitum, in montibus venationes silvestrium animalium. Sunt in hoc agro pagi Rigicopum, Leonum, Martinum cum cepuriis claris ubi aquæ calidæ, ac sulfureæ scaturiunt, Martinum iterum, *Chrestoum* quod bonum & utile significat, *Vatonum* à vateo abundo, Radicina oppido par: Jatrinonum quali medicinale cum linis optimis, Bracadum cum mercatu annuo, Cortiladum, Galatonum ab eventu fortasse (galotonus enim lactentem puerum significat) Scrophonium, *Molochium*, quod molle notat, & Molochium iterum cum emporio. Dein est Castellatum pusillum castellum. Et supra est Opedum civitas sedes episcopalis in radicibus Appennini edito salubrique loco sita, quasi opem incolis dans inter duos amnes Trecotium & Madam Torentinis & anguillis fœcundum, quæ est undique vallibus cincta. Hic nobiles nundinæ quoto quoque anno celebrantur. Ager hic cuncta incolis suggerit necessaria, nam frumenti & aliarum frugum ferax est, & pascendis gregibus aptus & irriguus, ubi regia equorum armenta æstivo tempore pabulantur. Fiunt olea & vina, & serica nobilia. Sunt in hoc agro pagi Varapodum oppido par cum emporio, quasi gravis stabilisque pes, *Chrotonum* quod laudem sonat, Trefilicum, Mesinadum, & Sargonadum. Hic olivæ ad amygdalarum magnitudinem crassæ, & carnosæ conditæ in cupis optimæ sunt esu. Nec longe est Christina castellum humili loco situm in radicibus Apennini, quod ejusdem nominis fluvius præterfluit. In hoc agro sylvæ glandiferæ sunt ad porcos alendos opportunæ, nec non sylvæ ad domorum tigna, ac suppellectilia, & ad navigiorum fabricam aptæ, fiunt venationes, quales Calatri, fit & oleum nobile, olivæ ad amygdalarum magnitudinem crassæ & carnosæ conditæ in doliolis optimæ sunt esu. Sunt in hoc agro pagi Pedaulum quasi pinguis pes, vel puerorum aula, cum linis optimis, quæ Alexandrinis minimum invident: *Sidum* cum emporio annuo, quod assulam scandulamque significat, itidem cum linis optimis, qualia Dauli fiunt, *Georgia*, quod agricolationem sonat, *Coeypedonum*, quod puerorum ploratum notat, *Lobricum*, & *Sitizanum* à sitizo nutrio dictum, ubi marmor nascitur. Hipagi Græci sunt, & rem divinam Græca lingua ac more faciunt, in quotidiano vero sermone Latina & Græca lingua utuntur. Exin ad meridiem proficiscenti Synopolis oppidum se se offert in Apennini radicibus edito, sed pensili loco, quod Vadus fluvius, torentinis & anguillis uber, adlabitur. Ex hoc oppido fuit beatus Paulus minorita, cuius corpus Nicoteræ quiescit. In hoc agro castaneta sunt, & pagi Euphemia, Præcopum, Synopolis Græcus pagus, cum mercatu annuo, Aquarium: nascitur vinum nobile, fit optimi olei ubertas, hinc etiam olivæ ad amygdalarum magnitudinem crassæ & carnosæ sunt, quæ conditæ in cadis optimæ sunt esu. Non longe à Synopoli Colletum tenue castellum est. Inde Melichlochia oppidum, ubi olei optimi copia ingens fit, & olivæ quales Synopoli. Hic emporium in annos singulos celebratur. Est & beati Heliæ abbatis divi Basilii monachi templum, cuius corpus Calatri esse existimatur. Dehinc Seminaria civitas offertur Tauriani reliquiæ à freto m. p. tribus semota declivi loco orientem solem spectante. Nam post Tauriani vastationem populus ea clade superstes cum suo Pontifice huc se contulit, perstetitque hic episcopalis sedes annis plurimis. Sed Rogerius Guiscardus & hanc, & Hipponiatem sedem Miletum transtulit, quòd tum, & Hipponiates, & Taurianensis, qui huc concesserat, populus exiguus esset. Nunc autem & Hipponium, & Seminaria clara oppida sunt, ac satis populosa. Quare utrique episcopalis sedes restituenda esset, remanente Mileti sua. Nam nunc Militensis diœcesis ingens est, ut in tres diœceses commode distribui possit. Fit hic serici & olei proba-

batissimi copia, olivæ crassæ, & carnosæ sunt, quales Melichlochiæ. Fiunt telæ nobiles, nascitur vinum non vulgare, & gypsum speculare, fiunt aucupia phasianorum, externarum, & aliarum alitum. Haud procul est beati Philareti ædes divi Basilii monachorum cœnobium, ubi ipsius Philareti brachium, & beati Heliæ eius magistri caput asservantur. Fuit beatus hic Philaretus divi Basilii monachus huius regionis accola, eius magister fuit, ut dixi, beatus Helias. Festum beati Philareti octavo idus Aprilis celebratur, subtus oppidum Metaurus amnis excurrit. In hoc agro pagus est Anna, Decalstidium Antonino Pio in itinerario, cum olei optimi copia, & olivis crassis & carnosis, quales Seminariæ. In hoc agro, usque Cænidem, crocus sylvestris affatim provenit. Inde est Parma oppidum supra mare cum oleo nobili, distat à Geolia m. p. sex. Non longe est beati Phantini delubrum, olim beato Mercurio dicatum, divi Basilii monachorum monasterium: ad quod beatus Nilus monachalem habitum susceпturus accessit, ubi tunc plerique sancti viri erant, ac præter cæteros, erant beatus Phantinus, beatus Zacharias, beatus Lucas, & beatus Philaretus. Supra oppidum mons est sublimis mari imminens, hic specus est, in quo beatus Helias abbas solitariam vitam interim degere solebat, quam interdum etiam beatus Nilus incolebat. Parmæ retia thynnaria sunt: est enim mare hoc piscosum, ubi thynni & xiphiæ, & murenæ, & auratæ, & congij, alijq. nobiles pisces capiuntur. Capitur Corallium. Post Parmam Balnearia oppidum offertur, cum statione, mari alluitur edito loco sita inter duos amnes Catianum & Stalassam, abest a Parma m. p. septem. In fano divæ Mariæ pleræq. Sanctorum reliquiæ asservantur, inter quas est frustulum Crucis Dominicæ, & tabulæ, in qua Dominus cœnavit, & vestis beatæ Mariæ Virg. post Balneariam ad tertium lapidem Crateis fluvius in mare cadit, cuius meminit Plinius, qui ait: Crateis amnis mater, ut dixere Scyllæ. Id quoque scribit Solinus, itemque Ovidius Met. libro tertiodecimo, meminit & Virgilius in Cyri, & Homerus Odis. libro duodecimo. Dehinc Scylleum oppidum occurrit, mari incumbit supra Scylleum promontorium, sublime saxum, distat a Balnearia m. p. septem. arx est hic loci natura & inde manu satis munita. De quo Strabo libro sexto ait: *Scylleum excipit saxum sublime, quod humilem a tergo tellurem abluentibus undis habet, in Chersonesi faciem, quam Rheginorum Tyrannus Anaxilaus ædificato munivit muro, ut Tuscis navale strueretur, & prædonibus navigandi per euripum facultatem interciperet. Crassus*, ait in eo Plut. *Spartacum in hac Rheginorum chersoneso, exercitum statuentem loci naturam diligenter contemplatus, fossa & muro intercluſit. Isthmum enim muro clausit, & Spartacum a continenti disjunxit. Et licet opus magnum esset & perdifficile, brevi tamen temporis spacio ex transuerso isthmi vtrinque ad mare pertingentem trium millium passuũ cũ dimidio fossam quindecim pedum latitudine atque altitudinè totidem duxit, superquam murum constituit robore atque altiudine miraudũ. Hac primo Spartacus contemnere, ac nullius omnino momenti ducere simulabat. Inde vero deficientibus commeatibus, cum iam nihil in chersoneso supereſſet, quod ad victum suppeditaret, noctem observans nebulis obscuram & vehementer ventorum flatibus turbulentam, non magnam fossæ partem abscissis arborum ramis, ac superinjecto aggere complevit, & sic Crassum frustratus evasit. Scyllei*, ait Solinus, *Vlysses Minervæ templum extruxit*. Hinc Dionysius Apher Scylleum Minervæ promontorium nuncupat. Dictum est autem Scylleum a Scylla monstro, ut poetæ fingunt. In superiori enim parte promontorium id humanam effigiem, in inferiori vero plures resectos scopulos sub radicibus cavernosos habet, intra quos dum æstuosum mare ingreditur, ab ijs refractum tumultuando canum latratum, & luporum ulula tum sonat ac repræsentat. Hinc poetæ fabulantur monstrum esse virgineam faciem pubetenus, reliquam vero corporis partem piscium vel canum, atque luporum habens. Hinc igitur fabulæ Scyllam & Charybdim peperere, hinc latratus auditos, hinc monstri credita simulacra, dum navigantes magnis vorticibus pelagi desidentis exterriti latrare putãt undas, quas sorbentis æstus vorago collidit. Hanc cecinere Homerus Odyss. libro duodecimo, & Virg. Æneid. libro tertio, & Ovid. Met. lib. tertiodecimo & sequenti. *Hic Vlysses*, ait Dyctis Cretensis, *inter Scyllam & Charybdim mare vorticosum sævissimum, & illatas sorbere solitum naves plurimas cum sociis amisit*. Fulgentius hanc fabulam sic est interpretatus. *Scyllam ferunt virginem pulcherrimam, quam Glaucus Anthedonis filius amavit, quem Circe Solis filia diligebat, irataque Scyllæ, fontem in quo lavari solita erat, venenis infecit. Vbi illa descendens ab inguine lupis canibusque marinis inserta est. Scylla enim Græce quasi Scyllon dicta est, quod nos latine confusionem dicimus. Et quid confusio nisi libido est? Quam libidinem amat Glaucus. Glaucus enim græce luscitiosus dicitur. unde & glaucomata dicimus cæcitatem. Ergo omnis, qui luxuriam amat, cæcus est, nam & Antedonis filius dictus est. Anthedon enim Græce quasi Antidon, quod nos Latinè contraria videns dicimus. Ergo lippitudo ex contraria visione nascitur. Scylla enim in modum ponitur meretricis, quia omnis libidinosa canibus, lupisque inguina sua necesse est, misceat. Iuste ergo lupis & canibus mixta, quia nescit sua alienigenis devorationibus saturare secreta. Sed hanc odisse Circe dicitur. Circes manus dijudicatio & operatio nuncupatur, quasi chironetity. Laborem enim manuum & operationem libidinosa mulier non diligit, sicut Terentius ait, a labore proclivam ad libidinem, accepit conditionem, dehinc quæstum occipit. Nam Vlysses innocuus transit, qui libidinem, sapientia contemnit.* In Scylleo agro nobile vinum nascitur, *melvasium* dictum, quale nascitur Cretæ. In hoc mari, ut dixi, piscium. & præsertim galeatarum. i. Xiphiarum magna piscatio fit. De quorum captura ita Strabo libr. 1. scribit: *De galeatarum piscati, ne quæ circa Scylleum tractum insti-*

tui-

Digitized by Google

tuitur, manentibus in ſtatione frequentibus remorum duorum ſcaphis, ſpeculator quidam communit ſuperne inſtat, duos ſingulæ ſcaphæ tenent, alter navigat, alter haſtam habens ſedet in prora. Cum primum vero ſpeculator ſupereminentiam galeatæ ſigno indicat, belluæ vero ſupra mare pars tertia eminens fertur, ſcapha propius appellitur, deinde jacto manu teſo vulnus incutitur. Tum evulſa ſine cuſpide de corpore haſta, quod telum ſane eſt hamatum ut educi facile queat, apteque infixo ei funiculo, appenſum ſaucia acclinat belua, donec agitata ſuffugiensque laſſatur. Tunc in terram deducunt, aut intra ſcapham accipiunt. Quod ſi in mare telum exciderit, haud ſane perit. Eſt nanque vel è quercu, vel ex abiete compactum, adeo quod querna gravitate demerſum, deinde in ſublime relatum facile poſſit apprehendi. Contigit autem interdum ut remigem in ſcapha per magnum galeatarum gladium vulnerari. Et cum inſtar apri belluæ vitat impetus, aſperrime fit ipſa venatio. Thynni enim cum gregatim præter Italiam acti elabuntur, & in Siciliam attingere prohibentur, in maiores incurrunt belluas, ut puta delphinos, canes, aliaſque balenis ſimilis, è quorum venatione canes & galeolas pingueſcere, quos Xiphias, id eſt, gladios appellari ferunt. Vnde Homerus odyſ. XII. Illic circa Scyllam & eius ſcopulum piſcoſum delphinorum canumque indagatrix, & ſiqua apud Græcos eſt balena. De bonitate gladii piſcis huius, & Byzanceni maris Archeſtratus apud Athenæum lib. ſeptimo ait:

Accipito gladii accedens Byxantia fruſta
Vertebramq; ipſam poſtremam: eſt optima nāq;
In Siculo ponto circa oſtia ſumma Pelori.

Canem vero marinum Nicander, Athenæo lib. eodem referente, lamiam & Scyllam vocari inquit. Laudatur & latus piſcis in hoc mari. Athenæus lib. eodem ait: *Latum optimum naſci in Italia* ſcribit Archeſtratus hunc in modum.

Italiæ nemoroſa latum ſibi præbeat ora
Quod Scylleus habet epulum mirabile portus.

Eſt, ait Athenæus, *hic piſcis candidiſſimus, atq; optimus, ſuaviſſimuſque quacunq. ratione fuerit conditus.* Supra Scylleum *Malleæ* oppidum erat, quod interiit, cuius meminit Antonin. Pius in itinerario. Aberat a Nicotera m. p. viginti quatuor, ni textus depravatus eſt. Poſt Scylleum *Canis* promontorium occurrit Geolienſem ſinum efficiens, & Euripi initium. Abeſt à Scylleo m. p. tribus, a Lao, ait Strabo m.p. CLXX. Euripi tractus uſque ad Herculeum promontorium milliaria ſunt LX. De Euripo ita Strabo inſit: *Canis promontorium ultimas conficit oras, & anguſtias freti ad prominens Siciliæ promontorium Pelori, quod in æſtivos vergit ortus, ſicut Canis in occaſum, cum mutuam inter ſe faciant inflexionem. A Canide in Poſſidonium receſſum & Reginam columellam ad Euripum anguſtus provenit meatus, ad ſtadia ſex ubi minimus trajectus, paulo major eſt: Ab ipſa vero Columella ad Rhegium m. p. XII. cum dimidio, cum proceuntibus in exterius & orientale pelagus, quod Siculum dicitur, latior extenditur Euripus. Minimus autem Euripi trajectus in Canide eſt. Canis autem*, ait Plinius, *abeſt à Peloro Siciliæ promontorio milliario cum dimidio.* Id etiam aſtruit Diodorus Siculus. Thucydides vero & Polybius dicunt Siciliam à continenti abeſſe m. p. duobus cum dimidio: id etiam aſſerit Parrhaſius, qui locum hunc ſe metatum fuiſſe ait. De Euripi autem natura Strabo libro primo ita ſcribit: *Quolibet die & nocte Euripi fretum bis fluxum alternat, quod ex altiore ſuperficie Tyrrheni maris inundatio deſcendit. Nam fluxus ipſe eodem tempore incipit & quieſcit, quo ipſa inundationes. Incipit enim circa exorientem lunam & occidentem, deſinit autem cum utique cœli medio & ſuper terram adiungitur, & decreſcentiæ contrarium exeuntem vocari, utriuſque per cœlum mediis ſitibus lunæ incipientem, ſicut ipſe, excreſcentiæ. Inundantiæ vero conjunctionibus ad ortum & occaſum deſinentes.* Homerus vero & Virgilius ter de die id fieri ſcribunt. Ait n. ille Odyſ. XII.

Terq; die removit, ter ſorbet deinde defluxus,
Terrificum eſt, ibi nec fueris ſorbente Charibdi
Te neque ab hac peſte ſervaverit Enoſigeus.

Hic vero tertio Æneid. ait:

Dextrū Scylla latus, lævū implicata Charybdis
Obſidet, atque imā barathri ter gurgite vaſtos
Sorbet in abruptum fluctus, rurſuſq; ſub auras
Erigit alternos, & ſidera verberat unda.

Idipſum ſcribit Ovid. in Medea. Ariſtoteles autem libro primo de mirabilibus, ſtupendum quiddam de hoc Euripo ſcribit, ait enim: *De Siculo freto cum alii complures ſcribunt, tum hic ſtupendam rem evenire inquit Polycletus rerum Sicularum ſcriptor. Tyrrheni n. maris æſtum ſtrepitu ingenti utrinque cum Sicilia, tum Italiæ oram, quam Rhegium vocant, ferire, delatumque ex mari vaſto in anguſtias poſtremo concludi, atque ibi ſublimem tolli ſonitu magno, ſpacioque altiſſimo, ut procul diſtantibus conſpicua ſit hæc aquarum ebullitio, ut puta alba, & ſpumoſa, nec ſimilis maris incremento. Hæc ut credibiliter narrentur, ita conturi oculis nemo ſuſtinet. Interdum enim diffuſi rurſus ex colliſione mutua æſtus, adeo profundum atque horribilem aſpectum neceſſario intuentibus præbent, ut nonnulli præ timore animi impotentes, velut offuſa oculis tenebra concidant. Poſtquam vero ad alterutram partem fluctus alliſi ſublatique ad littus ſupremum, denuo in ſubjectum mare devolventur, tum magno rugitu cum vorticibus & immenſis & crebris ex imo fundo ebullit, inque girum elevatur, & omnigenos etiam colores reddit. Interdum n. ater, nonnunquam cæruleus, frequenter purpureus apparet. Cæterum curſum atque immenſitatem fluxus refluxuſque ne repentia quidem vel audire vel videre ſuſtinent. Quocirca ad radices montium juxta confugiunt. Tempeſtate autem deſinente, in ſublime effervuntur voragines*

specie relucentis varia, turbinibusque ac motibus ventorum aut ingentium serpentium spiris non absimiles. Euripi pisces laudatissimi sunt, tum maxime murænæ & anguillæ. Quæ Macrobius ait, *olim accersebantur ad piscinas urbis abusque Euripo; & utræque ex illo loco plotæ à Græcis, à Latinis fluta, ideſt navigabiles vocantur quia in summo supernatantes sole torrefactæ curvare se non possent, & in aquam mergere desinunt, atque ita facile capiuntur*. De his Martialis ait:

Quæ natat in Siculo grandi muræna profundo.
Non valet exustam mergere sole cutem.

Et Archestratus apud Athenæum lib. 7.

Italiam si intra, pelagique angusta Sicani
Murænam captam videas, quæ fluta vocatur,
Hanc eme, namque illic epulum admirabile nosces.

Et rursus ibidem de Euripi anguillis inquit:

Anguillas omnes laudo, præstantior illa,
Quæ capitur Regii maris è regione profundi:
Hanc aliis cunctis mediam tu ponito: tales
Si comedas epulas, opulentius os erit ipsum.

Capitur etiam circa Rhegium piscis exormiston, de quo mox dicemus. Post Cænidem promontorium *Columella* est, sive columna Rhegia, cujus meminit Antoninus pius in itinerario, quam distare à Mathiis oppido ait, m. p. XIIII. à Nicotera XXXVIII ni locus sit depravatus. Commeminit de columna ipsa Cicero in oratione pro P. Sextio. De qua Strabo libro tertio inquit: *Rhegini Columellam turrim exilem super freto pro confinio locaverunt, cui e regione turris posita est, quam Pelori nuncupant*. Distat à Regio m. p. XII. cum dimidio. Supra Cænidem promontorium m. p. tribus, *Cænis*, sive, ut Stephanus ait, *Cænisium* oppidum est, licet ipse Siciliæ, ut alia Calabriæ oppida multa scribat. Abest à Medama, ait Strabo, m. p. XXXI. edito eoque pensili loco situm meridiem spectans, quod ejusdem nominis fluvius adlabitur. Quem quia utrinque frequentes mororum arbores sylvarum instar sunt, flumen *Morum* pro mororum vocant. Hic serica laudatissima fiunt, & horum copia ingens. Extant & horti nemorosi limonum & malorum aureorum. Novi ego Hieronymum Fabam presbyterum hujus oppidi civem integerrimæ vitæ virum, literarum latinarum minime expertem. Qui in numerato habet ingenium, nam & carpentariam & sutoriam artes, quandiu libuit, exercuit, picturam quoque & sculpturam optimè scit, fructus facit ex buxo cujusvis generis artificio mirabili, ut facile crederes veros esse, ac recenter decerptos ex arbore. Quare plerique decepti sunt. Rhedam fecit ex ligno magnitudine grani tritici (incredibilem videor fortasse quibusdam rem scribere, at vera refero) in qua statiunculæ, hoc est, viri ac mulieres sedentes, & boves, qui rhedam trahere videbantur, & rhedarium sedentem, rhedamque regentem. Aliam fecit, quam pulex catena lignea alligatus trahebat. Fecit item ex buxo opus, in quo tota passionis Christi series continebatur, ut cœna, in horto cum Apostolis, captura à Judæis & Juda, flagellatio ad columnam, coronatio spineæ coronæ, & delusio, damnatio à Pilato, & Christus crucem baculans, crucifixio cum latronibus, & resurrectio. Quod opus tanto erat artificio, ut in cortice nucis avellanæ contineretur. Fecit eodem artificio, ac magnitudine, domum Pilati cum ministris educentibus Christum per scalas, Crucem bajulantem, & Pilatum lavantem manus, erat ibi & hortus pensilis, in quo flores erant & aves, erat & cavea cum carduele ave, vasa item cum floribus. Fecit eodem artificio & magnitudine historias veteris testamenti, & alia ejusmodi pleraque. Ejus opera ad Carolum quintum Cæsarem, & ad Gallorum regem, & ad Philippum regem Hispaniarum pro miraculo advecta sunt. Post oppidum Gallicum & inde Lubonum amnes cadunt in fretum. Supra oppidum haud procul ab eo *Calanna* oppidum est in radicibus Appennini, quod pulchrum agnum sonat, cum serico & oleo nobili. In cujus agro pagi sunt *Alleſſium*, & *Stephanum*. Intus Apennini silva est nobilis miræ longitudinis procerîs arboribus & aquis recentibus referta, ac picis ferax optimæ, uberemque ad domorum tigna reliquave utensilia opera, & ad navigiorum fabricam materiam suggerens. Sunt & glandiferæ arbores alendis porcis opportunæ. Proveniunt & frugiferæ arbores sponte, erumpunt & herbæ nobiles medicinales. Lata ibi ac diffusa planicies, montibus virentibus herbis coronatis cincta, valles ibi amœnæ susurrantibus rivis irrigatæ. Pascua pabulave vulgo læta ac florida. Frequens illi & varia venatio: est enim ferarum lustrum, nam, ut semel atque iterum dixi, in Apennino Calabriæ varia silvestrium animalium genera stabulantur, congerunt & accipitres multigeni, in planis vero multarum avium genera sunt, quare in utraque Calabriæ ora aucupia & venationes uberes fiunt. Nascitur passim lapis phrigius, provenit anisum, cuminum, Crocus sylvestris, fraga, cythisus, & uberes, fontes in ea manant perspicui ac flumina prope innumera pisculenta, torentinis & anguillis fœcunda, quæ utranque Calabriæ oram ubertim irrigant. In loco dicto *Petrona* agri Synopolitani nascitur marmor. Hujus silvæ meminit Plinius, & Solinus, qui eam Rheginorum saltum appellat. De hac ita Pontanus hortorum libro secundo scribit:

Est nemus extremis Calabrum inviolabile terris
Diis sacrum patriis multa & pietate verendum.
Arborei dives fœtus, volucrumque rapinis
Opportuna domus, tuta & spelæa ferarum.
Hoc nemore in ipso, luciſque horrentibus olim
Advectam memini stirpem, quæ citron ab omni
Parte & odore quidem, foliis & flore referret

Sed

Sed fructus variata, & longe aliena figura
Vix orbem retinens, protento & corpore longo
Sese agit in ductus, varia & trahit agmine cauda.

LIBER TERTIUS.

RHegium *in Italiæ humero*, ait Plinius, *ſitum, à quo veluti cervicis incipit flexus, inter Lubonem & Calopinacum Taurocinium olim dictum amnes eſt*. Abeſt à Meſſana m. p. ſeptem; Urbs equidem longe nobiliſſima & vetuſtiſſima, totius Calabriæ metropolis, utpote quæ prima in Calabria, imo v. in Italia, Roma excepta, ut mox latius oſtendam, Chriſti fidem ſit complexa, primaque ut libro primo oſtendi à diluvio condita. Quæ multas colonias in Calabria deduxit: nam ante Oenotrorum in Calabriam adventum, qui è Græcia primi in eam adventaſſe dicuntur, Rhegium, *Aſchena* prius a conditore dicta, colonos per totam regionem, & ſi rare, emiſit. Quos Græci Auxones, & regionem Auxoniam, ut alibi retuli ab auxo, id eſt, augeo, quod rerum proventus ibi ſemper augeatur, appellavere. Fuit autem condita, non multo poſt diluvium Noe ab Aſchenaz ipſius Noe pronepote, filio Gomer, ut jam libro primo demonſtravimus. Qui Aſchenaz à Gomer in Italiam ad habitandum directus, cum is ſibi primus locus eſſet oblatus, loci amœnitate captus, hic conſedit, urbemque hanc ſtatuit, quam à ſuo nomine Aſchenam, atque incolas appellavit Aſchenezæos. Viget medius fidius in hac ora beata felixque quædam amœnitas, ubi ver perpetuum, arborum frondes perennes. Hinc horti nemoroſi omni optimorum fructuum genere referti: nemora inſuper malorum aureorum, citronum, & limonum arboribus oppleta, ut totus Rhegînus ager jam irriguus pomœrium videatur. Hic palmæ ob cœli gratam temperiem dactylos ferebant, qui ad maturam frugem perveniebant, ſed à Turcis exciſæ ſunt. Nam poſt virgineum partum anno M. D. XLIIII. Julio menſe à Turcarum & Gallorum claſſe Rhegium & omnes ejus pagi, templa quoque & monaſteria agri Rhegini directa & exuſta ſunt, vineta & arbores omnes ferè inciſæ. Quando Gallorum rex Franciſcus ſuimet, ac Chriſtianæ pietatis & religionis oblitus, ſocietatem, fœduſque cum Turcarum tyranno adverſus Carolum quintum Cæſarem iniens, claſſem Turcicam Conſtantinopoli acerſivit. Qui utramque Calabriæ & Lucaniæ, & Appuliæ oram diripiens igne concremavit, magnamque utriuſque ſexus, & omnis ætatis hominum turmam captivam duxit: inde anno à Chriſto nato M. D. LII. Julio itidem menſe Henricus Franciſci filius impia patris veſtigia ſecutus cum eodem tyranno paternam ſocietatem ac fœdus innovans claſſem iterum è Byzantio adverſus eundem Carolum accivit. Quæ rurſus eaſdem oras pervaſtavit, magnamque captivorum manum duxit. At ob tantum flagitium ſolvit partim jam multos annos Galliæ pœnas, penditque etiamnum. Nam Lutherana hæreſi infecta ſemet inteſtinis diſſidiis, cædibus, & direptionibus vexavit, & vexat. Vidi Rhegii (ut unde digreſſa eſt, redeat oratio) plantam, muſam vocant & paradiſi malum, quæ folia habet cubitali longitudine, lata palmo prope: ejus caulis haud diu perdurat, creſcit enim, & iterum pullulat, fructus fert digitali longitudine craſſos & gibboſos dulcis ſaporis, matureſcunt menſe Novembri; Fit Rhegii ſericum laudatiſſimum ubertim, naſcitur & vinum probatiſſimum: de quo Athenæus libro primo ait: *Vinum Rheginum cum Surrentino pinguius fit, uſque ad annum quintumdecimum eſt utile*. Sunt Rhegii figlinæ, ubi ollæ coquinariæ laudatiſſimæ fiunt. Olim etiam patinæ nobiles fiebant, ut Plinius libro trigeſimo refert. *Rhegium*, inquit, *figlina & plaſtice nobilitatur*. Et rurſus. *Nobilitatur Rhegium patinis*. Hic nundinæ nobiles in annos ſingulos celebrantur. In Rhegino littore poſt Cœnidem promontorium m. p. quatuor uſque ad Leucopetram, ſimulatque mare exieris, pede uno, & interim eo minus, terra effoſſa aquæ dulces ſcatent. In hoc agro vitex, ſiliqua ſilveſtris, & abſinthium ſponte proveniunt. Naſcitur & molaris lapis frumentarius & olearius. Palladiæ arbores, id eſt, olivæ affatim naſcuntur. Olivæ ad magnitudinem amygdalarum craſſæ, & carnoſæ conditæ in doliolis optimæ ſunt eſu. Sunt in hoc agro pagi Mota, Sabatelum, Diminitum, Boracianum, Orthium, quod rectum altumque ſignificat, Areſium, ab arezo placeo dictum: Cæſaretum, Tiretum, Trezenum a trezo gemo: Perlupum, Naletum, Pavilianum, Cannavum, Peratum, Velanedum: & ejuſdem nominis fluvius. Olim Rheginorum ditio à Poccolino, nunc Metauro amni, ut oſtendi, uſque ad Halecem fluvium protendebatur. De piſcibus, qui in Euripo, circa Rhegium capiuntur, diximus. Calliodorus epiſtolarum lib. duodecimo ad Anaſtaſium Cancellarium Lucaniæ, & Brettiorum præpoſitum ſcribens de Rhegina ora, ſic ait: *Rhegini cives ultimi Brettiorum iniqua ſuggerunt ſe exactorum præſumptione fatigari, implorantes non aurium, ſed oculorum noſtrorum nota remedia, qui poſſumus ſcire territorium eorum, quod petitur non habere. Rheginorum terra eſt montanis lapillis raviſſima, aridâ paſcuis, ſed undoſa vindemiis, ſegetibus adverſa, ſed olivis accommoda. Ideo cultura ejus omnis in ſarculis eſt. Quia ſuperficies ipſius ſicca nutrire non valet ſuperne naſcentia, Stercore illic ager nudus induſtria potius, quàm natura veſtitur. Nam Palladiæ ſilvæ viriditate contegitur, quæ in ſolo aridiſſimo approbantur. Talibus enim locis illa præſiciunt, quæ radicibus proceris ad humi penetrale deſcendunt. Segetes irrigantur ut vivant, & conditione mutata hoc ariſtis impenditur, quod olerib. exhibetur. In hortis autem ruſticorum agmen habetur operoſum, quia olus illic omnium ſaporum eſt marina irrovatione reſperſum, quod humana induſtria fieri conſuevit. Contra Maronis autem ſententiam intuborum illic fibræ dulciſſimæ ſunt, quæ præcinctæ foliis dulciſſimis tortuoſis calloſa teneritudine conglobantur. Unde in morem vitri aliquid decerptum frangitur, dum à fœcundo ceſpite ſegregatur. His victualibus, ſi vis*

Digitized by Google

nosse, regio ipsa facunda est. Nam & maris deliciis copiosa jucunditate perfruitur. Quia ibi mare superum atque inferum insertis fontibus adunatum delicias utriusque pelagi in unam congregationem sinus sui volubilitate perducitur. Necesse est enim illuc & pisces properare, ubi constat & undam posse defluere. Exormiston quoque inter pisces regium genus compar muræni corpore vel colore, distans naribus setosis, colostrea delicatitudine præditum, oleoso ac suavi liquore coagulatum, appetibilis grataque pinguedo. Cum spumis fluctuantibus inter aeris confinia cœpit enatare, nescit ad cubilia redire, quæ deserit. Credo immemor reversionis, aut teneritudine summa mollitus nequit undis elevantibus contraria obluctatione demergere. Fertur velut corpus exanime nullis nixibus periculum, nulla arte devitans, & hinc viribus destitutus creditur non redire, quia neque fugere posse sentitur. Hic plane tanta dulcedinis esse dignoscitur, ut & nullus piscium comparetur. Hæc sunt in littore Rhegino, quæ diximus, quod non alio referente cognovimus, sed visuali probatione retinemus. Quapropter laridi atque tritici species nullis temporibus coertionis nomine inde decernimus postulari. Quia nimis calumniosè petitur, quod loci beneficio non habetur. Deinde sufficere debet ostensio veritatis, & testimonium judicis. Quia nimis execrabile malum est, si cum aliud noverit conscientia, aliud lingua decernat. Additur etiam quòd tantis commeantium fatigatur adventibus, tanta exurentium laceratione deteritur, ut rationabiliter illi remitti debuisset, vel quod apud ipsam nasci posse constaret. Inde vero postea Chalcidenses una cum Messeniis è Peloponneso Rhegium incoluerunt, Aptisthene sive Antinesto duce, qui, ait Heraclides, in Rep. Aristocratiam constituerunt: nam mille optimates electione creati civitatem administrabant, licet Strabo eam à Chalcidensibus conditam dicat. Eam Græci Rhegium appellavere a fractura, ut quidam volunt. ῥήγνυμι n. ut dixi, fissuram significat: Sicilia. n. Italiæ conjuncta erat, sed terræmotibus avulsa est. Quocirca Strabo lib. 6. de Rhegio loquens ait: *Sed ei Æschylo teste, casu quodam hoc nomen inditum est: namque Siciliam ab continenti vi terræmotus avulsam, & ille & alii memoriæ prodiderunt, ex quo erhagine, id est à frangendo nomen assecutum: Reseratis enim tum oribus per que ignis respirat, & igneti lapides & aquæ effluunt, raro vicina freto tellus motibus quatitur: cum v. omnes ad superficiem meatus occluderentur, in subterraneis concavitatibus ardentes ignes, & spiritus vehementes terræmotus efficiebant. Agitati v. ventorum violentia loci cessere, & abscissi utrique mare admiserunt. Cum Sicilia tota cavernosa sub terra sit, fluviis & igne plenissima, sicuti Tyrrhenum mare usque Cumas est;* Idipsum scribit Trogus Pomp. apud Justinum libro quarto. Et Virg. lib. 3. Aeneid. id idem affirmans, ait.

Hæc loca vi quondam vasta convulsa ruina,
(Tantum ævi longinqua valet mutare vetustas)
Dissiluisse ferunt, cum protinus utraque tellus
Una foret, venit medio vi pontus & undis
Hesperium Siculo latus abscidit, arvaq; & urbes
Litore deductas angusto interluit æstu.

Cæterum credibilius est, ut alibi dixi, Rhegium ab aeris temperie cœlique clementia dictum, nam ῥήγνυμι utile jucundum, & bonum notat. Hebraicè autem pascua eorum. Callimachus autem Rhegium Joacasti urbem dixit, Nam Joacastus Æoli filius eam tenuit: id etiam Diodorus Siculus libro sexto asseverat. Meminit de Joacasto & Dyctis Cretensis libro quinto. Fuit enim non multò post excidium Trojanum. De Æolo Strabo libro primo sic ait: *Æolus in Euripi Siciliæ locis, qua percursus & recursus est, & navigationis asperitas per fluxus atque refluxus, aggrediendi signa præmonstravit: Itaque ventorum custodem, atque regem creditum fuisse Polybius refert.* Antiochus a, apud Dionysium Halicar. Rhegium *Neptuniam* appellavit. Quæ & *Possidonia* dicta est, Nam Possidon Neptunius dicitur. Quare Strabo à Cænide usque in Possidonium recessum, & Rheginam columellam angustum provenire meatum ait, Incoluerunt quoque Rhegium Arunci, ut Cato in Orig. ait. Dicti quoque sunt Rhegini Taurocini, ait idem, à fluvio. Frequens de Rheginis, Locrensibus, & Thuriis, apud Thucydidem fit mentio. Hanc & Hipponium inter septem illustriores & opulentiores Italiæ urbes, quæ substantia, & domorum pulchritudine, pavimentisque præstabant, Appianus bellorum civilium libro quarto, fuisse, memoriæ prodidit, Cicero in Verrem actione sexta, Siculos Rheginorum civitati invidere ait. Polybius etiam libro X. hanc & Locrum & Cauloniam, & Crotonem clarissimas urbes fuisse refert. Strabo quoque libro sexto ait: *Antiochus locum hunc universum circum Rhegium ab Siculis antiquitus habitatum, simul & à Morgantiis fuisse tradit. Qui deinde ab Oenotriis ejecti in Siciliam trajecere, Sunt qui Morgantium ab hisce nomen duxisse scribant, Ingens vero olim Rheginæ civitatis potentia fuit, validis quaqua versum castellis munita. Propugnaculum assidue imminens habens insulæ & priscis annis, & ætate nostra, Cum solicitante Sex. Pompeio Sicilia descivit à Romanis,* Cumque de separatione Siciliæ ab Italia, Rhegiisque ob id nomine disserusset, adiecit: *Verumtamen sive ob eam causam nomen civitati factum est, sive propter illius claritatem, considerare licet, utro veritas se modo habeat; Cum Samnites Latino sermone regiam illam appellarint: Et prisci eorum auctores regendis civitatibus communia cum Romanis instituta servarint, ac plurimum Latinam linguam usurparint, & in pleraque oppida colonias deduxit, ac permultos celeberrimos viros edidit, seu gubernandæ reipublicæ virtutem, seu doctrinæ magnitudinem proposueris.* Eam Dionysius solo æquavit, illa commotus causa; nam cum ex ea civitate puellam in matrimonium petiisset, Rhegini servi publici seu lictoris filiam ei protenderunt. Eius filius quandam urbis partem acceptam instaurans, Pyrrhi ætate *Phœbiam* nominavit. Inde Campanorum præsidium Rheginos maxima ex parte delevit. Terræmotibus quoque paulo ante bellum Marsicum urbis pars magna cor-

Digitized by Google

corruit. Postea Cæsar Augustus fugato ex Sicilia Pompeio cum desolatam hominibus urbem cerneret, acceptos è classe permultos ei dedit accolas. Nunc autem bona satis est civitas. Hinc Rhegium *Julium* dictum est. Julius etiam in libro de prodigiis inquit: L. Martio & Sex. Julio consulibus pars urbis muri Rhegii terræmotu diruta fuit. Atque L. Furio & Attilio Serrano consulibus Rhegium penè totum incendio consumptum sine ullo humanæ fraudis vestigio. *Dionysius*, ait Sex. Julius Frontinus Stratag. libro tertio, *multis urbibus captis, cum Rheginos aggredi vellet, qui copiis abundabant, simulavit pacem, petiitque ab eis, ut commeatus exercitui ipsius subministrarent, quod cum impetrasset, exhausto oppidanorum frumento, aggressus urbem alimentis destitutam, superavit.* Hic, Ait Aristoteles Oecon. libro secundo, *cum cepisset Rhegium convocato populo dixit, quam ob causam ab eo juste capti essent: nunc tamen impensas, quas in belli usum consumpsisset, percipiens, & insuper ab unoquoque minas tres, absolveret eos. Rhegini vero quæcunque absconderant in apertum eduxerunt, & egeni à ditioribus, & peregrinis mutuo accipientes, conflarunt summam, quam præceperat, quam ab ipsis accipiens, nihilominus omnium corpora vendidit, & cunctam supellectilem, universaque bona sive occulta sive aperta diripuit, à civibus accipiens pecunias ea lege, ut illas restitueret, cum ab eo repeterentur, jussit ad se afferri quantum quisque posset argenti, alioqui mortem mulctam indixit. Delato autem argento, nummum percussit novo charactere, deditque drachmam duarum drachmarum valore, sicque debitum penes ipsum remansit.* Hæc Rhegium à Sicula crudeli tyrannide, simultatione ac fraude perpessa est. Tulit & Rhegina civitas mala plurima a Siculis ipsis & Campanis, infidis & levibus hominibus. *Nam cum Rhegini*, ait Justinus in Trogo libro quarto, *discordia laborarent, civitasque per dissensionem divisa in duas partes esset, veterani ab altera parte ab Himera urbe in auxilium vocati, pulsis civitate, contra quos implorati fuerant, & exinde cæsis, quibus tulerant auxilium, urbem cum conjugibus & liberis sociorum occupavere, ausi facinus nulli tyranno comparandum.* Quippe ut Rheginis melius fuerat vinci, quàm vicisse; nam sive auctoribus captivatis jure servassent, sive amissa patria exulare necesse habuissent: non tamen inter aras & patrios lares trucidati crudelissimis tyrannis patriam cum conjugibus ac liberis prædam reliquissent. *Tempore autem*, ait Polybius libro primo, *quo Pyrrhus Epirotarum Rex in Italiam copias trajecit, adventu ejus territi Rhegini, simul quod Carthaginienses tunc mari dominantes metuebant, populi Romani opem, atque præsidium postularunt. Missi ab Romanis ad Rheginos milites aliquandiu urbem tutati, fidem civitati servaverunt, erant numero quatuor millia hominum, quibus duces præerant Decius, & Campanus, sed tandem Mamertinorum exemplo permoti, & eos tanti facinoris conspiratores habentes, ipsi quoque Rheginis fidem violant, tum rei opportunitate, tum Rheginorum opulentia pellecti, cives alios ex urbe depellunt, alios cædunt. Denique ut Mamertini fecerant, civitatem detinent.* Id etiam Livius ab urbe condita libro XII. scribit. At tanti sceleris legio ipsa meritas luit pœnas. Nam ut bel. Mac. libro primo Livius ipse tradit, *Romani eam bello persecuti in potestatem redactam tergo & cervicibus pœnas sociis pendere cum coegissent, urbem, agros, suaque omnia cum libertate, legibus Rheginis reddiderunt*; id ipsum scribit libro XV. *Rheginorum resp.* ait Arist. Pol. libro sexto, *in Anaxilai tyrannidem commutata* est. *Hic*, ait Thucydides lib. sexto, *exterminatis Samiis, qui antea Siculos e Zancla expulerant, Zancleam urbem promiscuis hominibus frequentem reddidit, & à sua quondam patria Messanam appellavit. Hic*, ait Justinus ex Trogo libro quarto, *justitia cum cæterorum crudelitate certabat, cujus moderatio haud mediocrem fructum attulit. Quippe decedens cum filios parvulos reliquisset, tutelamque eorum Micytho spectatæ fidei servo commisit, tanti amor memoriæ ejus apud eos fuit, ut parere servo, quam deferere filios mallent, principesque civitatis obliti dignitatis suæ regni majestatem administrari per servum paterentur.* Id etiam scribit Macrobius Sat. libro primo. Sunt Rhegini suapte natura summa humanitate ac benignitate præditi. Fuere Rhegini Tarentinis amicitia conjuncti. Horum ad tria millia, qui opem Tarentinis, ait Herodotus libro septimo, adversus Messapios tulerant, quo tempore Micythus regnum administrabat interiere. Ipse vero Rhegio excedens Tegeam Arcadum incoluit. *Cumque Tarentini*, ait Aelianus de Varia historia lib. 5. *à Romanis obsiderentur, & fere parum abesset quin præ nimia fame caperentur, Rhegini publico decreto sanxere decimum quemque diem jejunium agere, & illi cibos præbere, recedentibus postea Romanis servati sunt, & memores periculi illius festum agunt quotannis vocatum nistian, idest jejunium.* Magna etiam erga Athenienses usi sunt humanitate; *nam*, ait Thucydides libro sexto, *cum classis Atheniensium in Italia appulisset à nulla civitatum recepti sunt, neque in mercatum, neque in urbem, aquatione tantum eis & statione concessa, ac nec his quidem concessis à Tarentinis atque Locrensibus, donec ventum est Rhegium Italiæ promontorium, ubi contractis jam copiis extra urbem, quoniam intra muros non recipiebantur, castra tenuerunt, & apud Rheginos verba fecere, ut illi quia Chalcidenses essent, Leontinis, qui & ipsi Chalcidenses erant, auxilium ferrent. Rhegini negant se alterutris affuturos, sed quicquid Italicis cæteris communiter placeret, id esse facturos.* Verumenimvero *aliquando Rhegini*, ait idem libro tertio, *in bello Syracusanorum cum Leontinis, Locrenses vero Syracusanis studebant. Rhegini & Athenienses*, ait idem libro eodem, *cum triginta navibus Æolias insulas invaserunt, Rhegini & Locrenses*, ait Cicero in oratione pro Archia poeta, *Archiam ipsum civitate cæterisque præmiis donarunt.* Dionysius major Siciliæ tyrannus platanos arbores, ut Theophrastus libro quarto de plantis tradit, primus ex Sicilia in Italiam transtulit, & Rhegii

gii in hortis domus suæ miraculum plantavit, quæ in gymnasio stant, ibi enim postea factum est gymnasium, nec ullam magnitudinem capere possunt. Id etiam scribit Plinius lib. duodecimo, *Rhegii Q. Lucejus*, ait Cicero in Verrem actione septima, *argentariam maximam fecit*. Cicero Rhegii aliquando commoratus Topicorum libros edidit, ut ipse in epistola ad Trebatium scribit. Rhegini & Petelini in fide & amicitia P. R. ad ultimum permanserunt, ut Livius bel. Pun. libro tertio prodit. Fuit Rhegium Romana civitate donatum, ac colonia Romanorum, inde municipium nobilissimum, ut Nonius Marcellus & Festus Pomp. scribunt. C. Paterculus libro primo ait: *Scyllaceum & Neptunia coloniæ deductæ, Cosa donata civitas*. Et Cicero in Verr. libro sexto inquit, *Quid arbitramini Rheginos, qui jam jam cives Romani sunt, mereri, velle, ut ab iis marmorea Venus illa ne auferatur?* Et Philipp. prima: *Cum autem me ex Sicilia ad Leucopetram, quod est promontorium agri Rhegini, venti detulissent, ab eo loco conscendi, ut transmitterem, nec ita multum provectus jum in eum locum, unde conscenderam, Cumque intempesta esset, mansissemque in villa P. Valerii comitis & familiaris mei, postridieque apud eundem ventum expectans manerem, municipes Rheginі complures ad me venerunt*. Et in epistola ad Cornificium, eos tribui Cornificiæ attributos esse ostendit, ait enim: *Ego iratus temporibus in Græciam desperata libertate rapiebar, cum Auster adversus maximo flatu me ad tribules tuos Rheginos retulit*. Unicuique enim tribui Romanæ municipia attribuebantur, ut in Livio bel. Mac. libro octavo liquet. In foro Rhegino hæc inscriptio erat. *T. Tarefenus, T. F. Sabinus triumuir ad. Pot. 11. testamento legavit municipibus & Rheginis Jul. in pritaniaco statuam auream Mercurii, trullam argenteam anaglyptam p. 11. S. .., lares argenteos septem p. 11. S. pelvim aream corinthiam, Item in templo Apollinis majoris pugillares membraceos operculis eboreis: Pyxidem eboream; Tabulas pictas XIIII. Hæredes ejus ponenda curaverunt*. Extat & Rhegii lapis Græcis literis insculptus sic: ἀδάμ- μ@ τὸν ῥηγῖνον νικήσαντα τοὺς ἀθλους. Erat olim Rhegium, ut dixi, validum propugnaculum. Hanc urbem Hanno, ut Livius bell. Pum. libro quarto scriptum reliquit, obsedit, sed dies aliquot nequicquam absumpsit. *Gothi*, ait Procopius libro tertio de bello Gothico, *ubi Rhegium pervenere haud quaquam prius inter medium fretum trajiciunt, quam Rhegii præsidium pertentassent. Præerant tum ejus loci custodiæ Teremundus & Imereus per Belisarium præsides constituti, qui cum multos & fortissimos apud se milites tum forte haberent, à mœnibus non solum hostes erumpendo propellunt, sed vel pugnam cum his conserentes victoriam retulerunt. Verum cum numero essent longe inferiores intra muros quieti de cætero se continebant. Totilas vero exercitus ibi parte in obsidione relicta, potiturum se fame præsidium, & Romanos simul operiendo victurum ratus, Tarentum cætero exercitu misso sine ullo negotio præsidium cepit*, Idipsum scribit Agathias de eodem bello libro 4. In illa tàm furiosa persecutionis rabie Cretensium & Carthaginiensium, quam universa Calabria, & Lucania, & Appulia perpessæ sunt, nil adversi sensit Rhegium. Idque ob sanctitatem Eusebii Archiepiscopi Rheginі, cujus precibus servata est civitas. Franciscus Maurolycus homo Siculus neotericus scriptor, atque bonarum literarum nescius Sicula vanitate ac crassitudine delibutus, infans & jejunus, Arcadium Imperatorem Rhegium nobilissimam urbem Messenæ civitati assignasse peculium, nulla etiam proposita causa temere nugatur, & Militensem & Marcensem Calabriæ episcopatus Messenio Archiepiscopo olim subjectos fuisse blaterat, apertissimum & vanissimum commentum Siculæ genti peculiare. *Qui*, ut probe Plutarchus in Nicia de Timæo Siculo historico scribens, ait, *in historia scribenda sæpe ad ridenda quædam ac levia, minimeque ad historiæ contextum pertinentia digrediuntur, Qui Timæus*, ait in Bruto Cicero, *Lysiam Athenienſem oratorem quasi Licinia & Mutia lege repetit Syracusas*. Franc. Maurolycus in suo martyrologio divum Phantinum Taurianum sancti Basilii monachum, de quo dudum scripsimus, quasi Licinia & Mutia lege, ut Ciceronis verbis utar, repetit Syracusas, illiusque parentes martyrio vitam finisse blaterat. Beatam Dominicam Tropianensem Campaniæ tribuit. Quid multa? cum Siculi Calabros claros viros, ut se Siculos esse dicerent pecunia, quod ostendemus, subornarint. Messana autem colonia fuit Rheginorum: nam, ut dudum ex Thucydide ostendi, Anaxilaus Rheginorum tyrannus exterminatis Samiis, qui Zanclem incoluerant, urbem promiscuis hominibus frequentem reddidit, & à sua quondam patria Messanam appellavit. Jam vero Calabri, utpotè Locrenses, Messenæ, quod ostendam, aliquando dominati sunt. Ergo Messana nunc sub Rheginorum, nunc sub Locrensium ditione fuit. Nec Messenii sine Calabro commeatu vivere possunt: nam cuncta, vel quidem certe ligna & saxa ipsis ex Calabria subministrantur. Effingebant Rhegini in nummo leporem & currum: *nam*, ait Arist. Julio Pollucè referente, *Anaxilaus cum Sicilia ante lepores non gigneret, hic invehens nutrienſque simul rheda in Olympia vincens, Rheginorum monetæ rhedam insculpsit & leporem*. Imprimebant etiam in nummo interdum musam, & ex postico lyram fortasse in Ibici poetæ gloriam, inscriptione Græca ῥηγίνων: interdum ex postico musæ signabant leonem gradientem, Quandoque insculpebant Mercurium altera manu caduceum, altera marsupium tenentem, & ex altera facie Castorem & Pollucem. Interim effingebant Jovem & ex altera parte Minervam sertum dextra tenentem, Aliquando signabant Proserpinam, & ex altera parte Jovem, sive Æsculapium sedentem. Quandoque signabant lunam biformem, & ex postica facie Jovem sedentem. Signabant & solem sub imagine leonis quasi custodem: leo enim dormit apertis oculis, vigilat clausis, Imprimebant nonnunquam Apollinem, & ex altera facie solem, Plerumque signabant Ca-

stos

florem & Pollucem, ex postico militem sacrificantem super aram tenentem craterem. Item Apollinem & Dianam, & ex altera parte tripodem. Item Jovem & ex altera facie salutem, hoc est, Ygiam Æsculapii filiam dextra serpentem tenentem. Item Martem, & ex postico Minervam tenentem scutum & Victoriam. Rhegina autem Ecclesia Archiepiscopalis sedes est vetustissima ab Apostolo Paulo fidem edocta, totius Calabriæ metropolis. Et Archiepiscopus Rheginus in generalibus conciliis post Romanum Pont. sivè eius legatum semper primas tenuit. Cum enim, ut alibi dixi, Paulus Apostolus ex Judæa Romam peteret, Rhegium divertit, ut Lucas in Actis Apostolorum tradit; Qui diem totum hic commoratus, & Dei verba apud populum, ut suus erat mos, faciens, Rheginos ad Christum convertit, & Stephanum quemdam Archiepiscopum Rheginum constituit. Extat Rhegii ipsius beati Stephani vita è Græco in Latinum versa hunc in modum: *Paulus Apostolus Rhegium perveniens, ac die uno ibi moratus, Deique verbum apud Rheginos adhuc idola colentes concionatus, ipsos ad Christi fidem convertit. Et sicut bona terra semen recipiens centuplum reddit: ita Rhegini verbum divinum receperunt, in eoque usque perstiterunt, quos beatus Paulus instruxit, & plurimos eorum baptizavit in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Quibus Stephanum Nicænum hominem, qui ipsum è Judæa fuerat comitatus Archiepiscopum constituit. Cumque Stephanus ipse septem & decem annos Rheginam ecclesiam optime rexisset, & multos circumvicinos populos prædicatione ad fidem duxisset, atque episcopos & presbyteros ordinasset, orta in Christianos persecutionis rabie, ipse & Suera circumvicinæ civitatis episcopus, nec non Agnes, Felicitas, & Perpetua mulieres beati Stephani discipulæ Christum constanter confitentes, idola vero ligna & saxa insensata esse libere fatentes, Rheginæ civitatis præsidis Hieracis nomine jussu taxis pesiti, ac fractis oculis in fornacem proiecti fuerunt, ex qua illæsi egressi sunt. Quod videntes, qui adhuc erant idolatræ, clamantes Deum beati Stephani & Suera verum & magnum esse, crediderunt in eum. Illi vero Nonis Julii interempti sunt. Corpus autem beati Stephani intempesta nocte à viris catholicis in australi parte civitatis milliario ab ea in secessu, oratorio suo sepultum est. Aliorum vero corpora eodem loco humata sunt, ubi fuerant trucidati.* Haud dubium & Rheginos, et circumvicinæ regionis ac demum universæ Calabriæ utriusq; sexus fideles per multos postea usque ad Costantini & Sylvestri tempora martyrii palmam fuisse assecutos, plurimosque absque martyrio sanctitate floruisse. Nicenæ synodo primæ Constantini & Sylvestri tempore celebratæ, interfuit præsens Marcus Archiepiscopus Rheginus solus ex tota Italia Victore & Vincentio Romanis presbyteris exceptis, qui gessere vices Papæ. Joannes Archiepiscopus Rheginus una cum Joanne episcopo Portuensi, & Abundantio episcopo Paternensi, quæ civitas, ut ostendam, in Calabria est, gessit vicem Papæ Agathonis Rhegini civis in synodo Constantinopolitana sexta, & Constantinus Archiepiscopus Rheginus interfuit synodo Nicenæ secundæ sub Adriano Papa celebratæ. Anno à partu Virginis CCCCXXXVIII. sub Sixto Papa tertio, & Theodosio juniore, & Valentiniano Imp. habita fuit Rhegii provincialis synodus Hilario Archiepiscopo adversus Briaticensem episcopum qui minime legitime fuerat ordinatus. Gregorius Papa libro quinto ad Bonifacium archiepiscopum Rheginum scribens Cariatensem Ecclesiam ob civium paucitatem Rheginæ Ecclesiæ committit. Erat enim olim, ut dixi, Rhegina ecclesia totius Calabriæ metropolis, quæ cum opus erat, provincialia concilia indicebat. Sed ambitione Archiepiscopalem dignitatem affectante, & ne uni subiiciatur, suffragante superbia, quatuor nunc sunt in ea Archiepiscopales sedes, quot vix fermè sunt in reliqua Italia. Atqui certe sicut unum corpus non plura capita, ut monstrum, sed unum dumtaxat habere expedit, & una provincia unum præsidem, cui universi pareant, habere decet: ita unum præsulem, cui omnes episcopi ac sacerdotes obtemperent, habere convenit. Et in una provincia non plures sed una dumtaxat synodus est habenda, ad quam cuncti provinciales episcopi coeant. Quare mea quidem sententia, optime provideretur, si uni Rhegino Archiepiscopo in tota provincia primatus dignitas deferatur, cujus unius partes sint provincialem synodum cum oporteret, cogere, & ad quem unum habeatur relatio, qui jure Archiepiscopus dicitur. Archon enim Græcè, Latinè principem significat. An autem episcoporum princeps dicendus sit is, qui in tres tantum in provincia episcopos, aut in duos, & in nullum prorsus potestatem habeat, non video. Jam vero Consentinus Archiepiscopus tres solummodo episcopos subditione sua habet; Severinas duos Rossanensis nullum prorsus. Elegit Rhegina ecclesia beatum Brunonem Carthusiensis ordinis initiatorem in suum Archiepiscopum Vrbani secundi temporibus, qui ipsum in Archiepiscopum confirmavit, ut Dionysius Carthusiensis in Acta Apostolorum scribit, sed ille eremiticam vitam prætulit Archiepiscopatui. Cumque Rhegium locuples olim ac potens urbs fuerit, & ut semel dixi, prima a diluvio in Calabria condita, coloniasque in ea plurimas emiserit, ac prima Christi fidem susceperit, plurimumque Græcam, & Latinam linguam usurpaverit, haud dubio plurimos præstantes viros, & gubernandæ reip. idoneos, & doctrina ac sanctitate præditos protulit. Quorum plerique simul cum aliis Calabris multis, aut memoriæ ascriptoribus traditi non sunt, aut sub Siciliæ nomine sunt scripti, idque scriptores sive dolo Calabriæ gloriæ invidentes egerunt, sive inscitia, sive quia Rhegium Rheginaque regio Siciliæ insulæ vicina est, ut libro primo ostendi, olim à Siculis habitata, Sicilia dicta est, vel quidem certe Thucydidis tempore: apud quem libro tertio Rhegium, & Messanam opulentissimas Siciliæ urbes fuisse scriptum est. Et Steph.

By-

Byzan, ut alibi dixi, multa Calabriæ loca sub Siciliæ nomine scribit: & Rogerius Guiscardus Calabriæ, & Trinacriæ insulæ dominus utriusque Siciliæ citra, & ultra Pharum Innocentii secundi tempore ab Antipapa Anacleto rex cognominatus est. Sed certe cum quælibet regio suo proprio, & peculiari vocabulo nominetur, & ut de aliis nunc taceam, Trinacria insula Sicilia, citrà Pharum vero, Italiæ pars usque ad Talaum, & Sirim amnes Calabria dicatur, nequaquam res Calabriæ confusè, & indistinctè sub Siciliæ nomine scribi debent, nam, ut alibi dixi, nulla regio, nulla urbs, nullus locus, nullus homo sua propria laude fraudandus est. Quod si qui eximii ac memoria digni viri confuse, & indistincte sub Siciliæ nomine ab auctorib. scripti sunt utique hi Calabri intelligendi sunt. Nam Calabria, & antiquitate, & quod non insula, sed in continenti Italiæ, ejusque non minima pars sit, nobilior est, quam Trinacria insula, & primo à Siculis habitata, Sicilia dicta est. Et ob id rex, qui Calabriæ, Apuliæ, Lucaniæ, Campaniæ, & Samnio dominatur, citra Pharum rex cognominatur: non quod hæ regiones, præter Calabriam, aliquando a Siculis habitatæ Siciliaque dictæ sint. Cæterum nequaquam me fugit, aliquos fore, qui claros viros ab auctoribus confuse, & indistincte sub Siciliæ nomine scriptos propriis Siciliæ insulæ locis asserent, id quod jam hucusque de aliis multis egerunt. Fuerunt ex Rhegina civitate, aut certe ex Rhegina regione Leo junior; Stephanus tertius sive quartus; & Agatho Romani Pontifices sub Siciliæ nomine indistinctè ab aliis scripti, quorum postremus Ioannem Archiepiscopum Rheginum, & Abundantium Episcopum Paternensem conterraneos suos synodo Constantinopolitanæ sextæ præfecit. Fuit & ex hac urbe beatus Cyprianus divi Basilii Monachus divi Nicolai monasterii Abbas, quod est in Calamitio pago. Fuit & beatus Thomas ejusdem divi Basilii monachus abbas monasterii in Tireto pago. Fuere & nostra memoria Ludovicus divi Francisci Assisini monachus sanctæ vitæ vir, & Georgius integræ vitæ vir Ludovici socius. Cumque, ut semel atque iterum dixi, Rhegina civitas Paulo concionante Christi fidem amplexa sit, ambigendum non est plurimos utriusque sexus homines pro ea vitam cum sanguine fudisse, aliosque post Constantini baptismum sanctitate floruisse. Qui & si ab hominibus, sive dolo, sive incuria scribi prætermissi fuere, in Dei tamen libro stylo ferreo exarati sunt. Nunc scribendi sunt qui disciplinis claruerunt. Sed primum is est scribendus, qui non philosophiæ præcepto, sed suo ipsius exemplo qualis in patriam charitas esse debeat docuit. *Python Rheginus*, ait Philostratus de vita Apollonii Tyanei, *exul, cum ad Dionysium Siciliæ tyrannum confugit, atque honoratius ab eo susceptus, quàm exuli convenire videretur, tyranni mentem intellexit Rhegii capiendi percupidam, cumque id Rheginis per epistolam nunciasset, à tyranno deprehensus est. Quapropter tyrannus illum uni ex machinis, quas pro Rhegio expugnando construxerat, vivum suspendit, eumque muris admovit, existimans Rheginos ne Pythonem vulnerarent adversus machinam tela non emissuros. Ille autem magnis vocibus exclamans Rheginos hortabatur, ut in machinam tela torquerent, se namque ajebat signum libertatis esse propositum.* Hic Academicam disciplinam secutus sapiens liberque evasit. Eruditos a. homines ex hac urbe complures fuisse opinandum est, cum, ut relatum est, Rhegini plurimum Græcam & Latinam linguam usurparint: tum quidem maxime Pythagorica disciplina instructi fuere. Nam præter eos, qui agente Crotone Pythagora eo commigrantes ejus discipuli extitere, *Pythagorici*, ait Jamblychus, *exustis ducibus philosophiæ Rhegium contendere, ibique diu versati sunt. Pythagoræ autem discipuli præclarissimi viri fuere*, aft idem Jamblychus in libro de secta Pythagorica, *Aristides, Aristocrates, Demosthenes, Athosion, Calais, Eurythcles, Elicaon, Hipparchides sive Hipparchus, Mnesibolus, Obsimus, Phetius, Selinuntius, & Theocles*. Horum Elicaon, & Hipparchus, item Phytius philosophi clari fuerunt & legumlatores, qui Rheginas resp. constituerant, & eam, quam gymnasiarcham vocant, & eam, quæ sub Theocle dicebatur. Hipparcho Plato librum inscripsit de studio lucrandi. Ex Hipparchi autem dictis, hæc sunt apud Stobæum in sermone, quod eventus. *Homines, qui brevissimum vitæ tempus habent, si totius mundi ævo comparetur, optimam in vita veluti peregrinationem transigent, si vixerint in tranquillitate. Hoc autem assequentur, si imprimis diligenter scientiam, & cognitionem sui habuerint: nempe quòd mortales sint, ex carne constent, corpus offensu facile & corruptibile gerant. Denique gravissima quæque ad ultimum usque spiritum expectare cogantur. Primum enim lugenda sunt, quæ circa corpus eveniunt, morbi cestales, pulmonarii, phrenitides, podagræ, stillicidia urinæ, tormina, veterni, comitiales, putredines, & infinita alia. Circa animam vero longe maiora & difficiliora contingunt. Siquidem omnia quæ per vitam committuntur nefanda mala, illegitima, & impietates ex animi affectibus oriuntur. Nam propter immoderatas contra naturam cupiditates, multi in affectus effrenatos incidexunt, & nec à filiabus, neque à matribus suis impiissima voluptate capienda sibi temperaverunt: quin etiam parricidæ facti sunt, & multi eorum suos liberos jugularunt. Quid illa recenseam, quæ foris impendent nobis, per imbres, squalloresque, æstus immodicos, & nimia frigora, itaut frequenter propter inæqualem aeris intemperiem pestis & fames, & alii multi diversique casus fiunt, & integræ civitates desolentur? cum igitur huiusmodi multa nobis immineant, neque corporis dotibus gloriantes efferri debemus, ut quæ vel exigua febricula Deum voluntate immissa statim immarcescant, nec externa prosperitate, ut putatur: & hæc enim ut plurimum citius pereunt, quàm oriri solet. Quippe hæc omnia incertam atque instabilem obtinere naturam, & in multis variisque mutationibus gigni explera-*

Digitized by Google

vatum habemus, & nil ipsorum permanere, neque immobile, aut firmum aut continuum esse. Quapropter si hæc cogitemus, tranquille vivemus, quosvis eventus fortiter sustinentes. Nunc vero multi omnia, quæ natura, fortunave ipsis contulit, quam optima fore animo secum præsumentes, & non qualia sunt reputantes, sed qualia in præstantissimo sui statu fieri possent, subito illis privati animam onerant multis magnisque, & illegitimis, ac temerariis malis: atque ita usu venit ipsis, ut vitam acerbissimam tristissimamque agant. Contingunt autem talia amissis pecuniis, vel amicis mortuis, aut liberis, aut alterius rei pretiosæ existimatæ facta jactura. Deinde flentes ac lugentes se solos infortunatos & infelices esse putant. Nec meminerunt quod similes casus & aliis multis acciderunt, & adhuc accidant: neque animo perspicere possunt, vel aliquot nostri sæculi hominum vitam, vel jam defunctorum in quantis calamitatibus & malorum tempestatibus ibi quidem adhuc sint, illi quidem quondam fuerint. Considerantes igitur quod multi pecuniis amissis ipsi deinde servati sint propter pecuniæ jacturam, cum aliter in periculum à latronibus, aut à tyranno patiendi aliquid venturi fuissent. Item quod multi cum amore & maxima benevolentia prosecuti quosdam essent, eosdem paulo post vehementer odio habuerint. Hæc inquam omnia postquam cognovimus ex historia nobis tradita, & intellexerimus, quòd multi à liberis & amicis dilectissimis perditi sint, vitamque adeo nostram cum infelicioribus contulerimus, & eventus omnes humanos nec nobis solum contingentes reputaverimus, tranquillius degemus. Non enim æquum est hominem aliena mala levia putare, sed propria etiam leviter ei ferenda sunt, cum videat omnem humanam vitam multis adversitatibus obnoxiam esse. Qui autem flent ac lugent, præter id quod rem pereuntem aut discedentem nihil plane juvant, in majores perturbationes animam suam impellunt, in medio multorum pravorum affectuum constitutam. Quamobrem convenit ut abnuentes ac repugnantes modis omnib. nævos illos in philosophiæ corpore iam induratos abstergamus. Hoc autem faciemus si prudentiam & temperantiam colamus, præsentib. utamur, & non multa desideremus. Quid est quòd homines multi sibi conquirant, cum post illud vitæ tempus usus eorum nullus sit futurus? Utamur igitur bonis præsentibus, quæ per philosophiam decora & honorifica sunt, & insatiabili malorum cupiditate liberabimur. De hoc Plinius libro 2. ait: *Utriusque sideris cursum in sexcentos annos præcinuit Hipparchus, menses gentium, dies, & horas, ac situs locorum & vicos populorum complexus ævo tenste, haud alio modo, quam consiliorum naturæ particeps.* Et infra: *Ducentos annos Hipparchi sagacitate compertum est, & lunæ defectum aliquando quinto mense à priore fieri, solis vero septimo. Eandem bis in triginta diebus supra terras occultari, sed ab aliis, atque aliis cerni, quæque sunt in hoc miraculo maxime mira, cum conveniat umbra terræ lunam hebetari: nunc ab occasus parte hoc ei accidere, nunc ab ortus.* Et rursus: *Hipparcus nunquam satis laudatus, ut quo nemo magis approbaverit cognationem cum homine siderum, animasque nostras partem esse cœli, novam stellam & aliam in ævo suo genitam deprehendit. Ejusque motu qua die fulsit ad dubitationem est adductus, an ne hoc sæpius fieret, moverenturque & eæ, quas putamus affixas.* Et rursus: *De terræ universæ mensura Eratosthenes ducentorum quinquagintaduorum millium stadiorum prodidit. Quæ mensura Romana computatione efficit trecenties quindecies centena millia passuum. Hipparchus & in coarguendo eo, & in reliqua omni diligentia mimus, adiecit computationi illius stadiorum paulominus vigintiquinque millia.* Item *Hipparchus nomina stellis omnibus imponens, siderum stellarumque numerum explicavit.* Eius epitaphium apud Stobæum sic erat: *Sepulchrum hoc Hipparchi est. Perge justiciam animo complectens.* Fuit & ex Rhegina urbe Androdamus philosophus & legislator, qui, Aristotele Pol. lib. 3. referente, Chalcidensibus leges scripsit, iis, qui sunt in Thracia, cuius extant de cæde leges, & de hæreditatibus. Fuit & Theæthetus philosophus & legislator, cui Plato librum de scientia inscripsit: fuit & Lycus philosophus Pythagoricus, Alexandri magni temporibus, ad quem magnum librum scripsit. De quo Suidas inquit: *Lycus & Buteras historicus adoptione pater Lycophronis tragici; qui fuit sub Alexandri successoribus. Insidiis pettius à Demetrio Phalereo.* Hic historiam Libyæ & Siciliæ scripsit; meminit huius Stephanus. Fuit & Hippias sive Hippis philosophus, & orator, poeta, & historicus, ut Suidas tradit. Qui floruit Persicis temporibus primus Siculas res scripsit, quas postea Myes in compendium redegit. Scripsit de Italia constructa, de rebus Siculis libros quinque, de temporibus totidem, de rebus etiam Argolicis libros tres. Qui & prius parodeam, chos liambrumque & alia scripsit. De quo Plutarchus de oraculis deficientibus meminit, aitque de eo mentionem fecisse Phaniam. Meminit huius & Galenus in libro de historia philosophica. Qui materiam ignem & aquam esse dixit, & fœminas non minus maribus semen effundere opinatur, quicquam tamen ipsum ad conformationem fœtus non conducere, cum extra uterum incidat. Hic mulieres aliquot, viduas præsertim absque virili concubitu semen interdum emisisse, Hic, ait Stobæus in sermone de invidia, *dicit duplicem invidiam esse, justam quidem cum quis invidet improbis honoratis, injustam vero, cum bonis. Et invidi duplo magis quàm cæteri calamitosi sunt: non enim propriis malis gravantur, ut alii, sed alienis quoque bonis.* Hic, ait Plutarchus in libro de calumnia apud ipsum Stobæum, *gravissimam rem calumniam esse dicit, quia nulla pœna lege sancita sit calumniatoribus ut furibus, quamvis amicitiam, quæ optima est possessio, furentur. Quamobrem contumelia licet malefica sit, justior tamen est, quam calumnia; quæ quia latet nocentior est.* Xenophon facit interlocutores de justo Hippiam & Socratem, cui Plato duos libros inscripsit, de pulchro, & de mendacio. *Utebatur Hippias*, ait Ælianus

nus de varia historia libro duodecimo, *vestibus purpureis*. Fuit & Glaucus sive Glaucia philosophus Pythagoricus & musicus excellentissimus Democrito contemporaneus, qui scripsit de poetis & musicis antiquis, ait Plutarchus in musica; scripsit, & alia, cuius meminit Laertius Diogenes in Democrito. Fuit & Theagenes poeta clarus, qui, ut Eusebius libro decimo de præparatione evangelica refert, Cambysæ regis patris Cyri temporibus floruit. *Qui*, ut Tatianus in libro contra Græcos prodit, *ante omnes alios perscrutatus est Homerum, scripsitque de eius poesi ac tempore*. Fuit & Cleonymus poeta dithyrambicus. Scripsit ad Alexandrum Magnum epistolas & dithyrambos, ut Athenæus libro nono auctor est. Fuit & Ibycus poeta Lyricus & historicus & musicus Certandis filius: quem decantat Aristophanes in Cerealibus; *Ibycus*, inquit, *poeta circa musicam & concentum versatus est*. Fuit unus ex novem lyricis universæ Græciæ, ut Isacius in Lycophronem, & auctor quidam epigrammatum ajunt. A quo Ibycium metri genus dictum est; pluraque lingua Dorica scripsit. De quo Suidas inquit: *Ibycinum dictum, sed Ibycini versus*. Ipsum ait idem Suidas, & Plutarchus in Symposiis, nequid erga Deos peccans pœnam ab hominibus acciperet, est autem consonum cum Sacerdotio; Hic, ait idem Suidas, Certandis Rhegini filius fuit, Samumque petiit Olymp. xliiii, Polycrate Polycratis tyranni patre regnante. *Ibycinum instrumentum*, ait idem, *ab Ibyco inventore in conflictu Celtarum cum Romanis*, Erat autem innumerabilis tibicinetarum & tibicinum multitudo simul totius exercitus canentium pæana, Clamor erat commixtus, ut & vicina loca resonarent, & videbantur edere vocem terrificam. Id magno adiumento tum Romanis fuit. *Fuit etiam Ibycus*, ait Athæneus lib. 4. *inventor Ibyci instrumenti musici triangularis trigonum dictum. Scripsit libros sexaginta, & triangularem citharam invenit, quæ Sambuca dicitur, Sambuca*, ait Porphyrius, *est triangulum instrumentum, quod ex inæqualibus longitudine, sicut & crassitudine nervis efficitur*. Hic diluculum cliton appellavit, quod eo tempore clyn, hoc est audire jam & loqui liceat. *Hic* etiam, ait Athenæus libro 1. *affirmat Ambrosiam ad mellis naturam decuplam habere dulcedinem, mel dicens nonam Ambrosiæ partem habere secundum suavitatem*. Ab eo Ibycus equus proverbium est; ait enim Plato in Parmenide; *Ibyci equo athletæ & seniori curruum subituro certamen, & propter experientiam eventuum extimescenti, Ibycus ipse se conferens, intuitus inquit, & ipse jam senex ad amores regredi cogor, unde Ibycius equus proverbium*, Fuit autem puerorum amator, de quo Cicero Tusc. Quæst. lib. quarto ait: maxime vero omnium flagrasse amore Rheginum Ibycum apparet ex scriptis, De quo auctor epigrammatum ita scribit;

Rhegium Italiæ palustris extremum cano
Semper Trinacriam gustans aquam
Propterea quod amplexi gyram, amatem pueros
Ibicum frondosa posuit sub ulmo.
Hic multa passus, multam sub sepulchro hederam
Fundit, Et candidi plantam calami.

Fuit autem occisus à latronib. de cuius morte Plutarchus de futili loquacitate ait: *Ibycus cum in latrones incidisset jam occidendus grues forte supervolantes obtestatus est. Aliquanto post tempore cum iidem latrones in foro sederent, rursumque grues supervolarent, per jocum inter se susurrabant in aurem, adsunt Ibyci grues. Eum sermonem assidentes in suspicionem rapuerunt, maxime desiderato jam pridem Ibyco. Rogati quidnam sibi vellet ea oratio, hæsitanter atque inconstanter responderunt: subiecti tormentis facinus confessi sunt, atque ita velut gruum indicio pœnas Ibyco dederunt, ac potius suo ipsorum indicio, ut dicitur, perierunt: Unde paræmia orta est, Ibyci grues*. Simile quidpiam Crotone Pythagoræ tempestate accidisse Jamblychus in libro de secta Pythagorica, de nautis quibusdam, qui quosdam e navi in mare demersserunt, refert, Fuit ex hac urbe & Aristo musicus, de quo meminit Strabo, ut in Locris dicemus. Fuit & Sillax pictor celebris, qui, ut Athenæus lib. 6. tradit, porticum in Phliunte egregiè pinxit, quod polemachio dicebatur. Fuit & Clearchus statuarius celeberrimus; de quo Pausanias in Laconicis ita scribit: *in dextra Chalcioeci parte Jovis ex ære signum factum est omnium, quæ ex eadem sunt materia vetustissimum: neque n. una & eadem fuit universi operis fabricatio, sed particulatim membra excusa inter se deinde sunt aptè clavis confixa, ataque ita ne dissolvi possint coagmentata; fecisse ajunt, Clearchum hominem Rheginum, quem Dipoemi & Scyllidis nonnulli, alii Dædali discipulum dicunt fuisse*. Fuit & Pythagoras Græcis litteris eruditus statuarius & fictor clarissimus, qui primus statuarum proportionem contideravit; *Foruit*, ait Laertius, *tempore Pythagoræ philosophi & primus numerorum ac modorum repertor fuit*. Qui, ut Pausanias in Eliacis, prodit, discipulus fuit Clearchi Rhegini in plastica arte celebris, ut siquis alius, ideò fictor. Fecit imaginem Astyli, quam stadio, dromostylon vocant, Fecit in Olympia statuam Mnasei cursoris cognomento Lybin. Fecit statuam Euthymi, & Leontisci cuiusdam, Fecit, ut idem Pausanias in Phocaicis scribit, in Olympia statuam Protolii Mantinei athletæ, qui pueros in pugilatu vicit. Fecit Tarenti ex ære egregiam imaginem tauri exportantis Europam Agenoris filiam ex Phœnice, ut Varro linguæ Latinæ lib. 1. scriptum reliquit. De hoc Plinius lib. 34. infit: *Pythagoras Rheginus statuarius vicit Myronem diligentissimum statuarium pancratiaste Delphis posito. Licet ipse primus multiplicasse varietatem videtur, numerosior in arte, quàm Polycletus, & symmetra diligentior. Fuit*, ait idem Plinius *Olympiade* lxxxvii. *circiter urbis annum* cccxvi. Fuit & alius Pythagoras Samius initio pictor nepos ex sorore & discipulus Rhegini, eique indiscreta facie similis, Ergo Pythagoræ Rhegini statuarii soror Samio homini nupsit. Fuit p. in Calabria urbs Samos, quam ædifica-

ficaverunt. Samii, ut Locri Naritii Locrum, & Milesii Asiæ Miletum urbes in Calabria condiderunt. Sunt, ut retuli in Calabria & alia loca complura iisdem appellata nominibus, quibus & orientalis Græciæ loca, quare haud quidem ab re D. Thomas & Pythagoram philosophum ex Samo Calabriæ urbe fuisse dicit. Fuit ex Rhegio Nicolaus medicus eximius, Latina, Græcaque lingua apprime eruditus, qui Nicolaum Alexandrinum medicum, atque omnia Galeni opera è Græco in Latinum vertit, sed pauca extant. Edidit librum de Cemate, qui Græcè desideratur, collationem locorum Galeni & Hippocratis emendatiorem. Eius exemplaria castigatissima & integerrima si extarent, non tot erratis scateret Galenus. Floruit à natali domini anno M.cccclx. Fuit & ex hac urbe C. Antistius vir magnæ prudentiæ præditus, & in re militari peritus, legatus C. Julii Cæsaris in bello Gallico, ut lib. 6. bell. Gall. scriptum est. Fuit & Lucius Romæ tribunus plebis, cuius meminit Val. Max. libro quarto. Fuit & Ludovicus Chereus Jureconsultus, edidit opus quoddam ad jus civile attinens. Post Rhegium Calopinacum flumen Taurocinum olim dictum excurrit. A partu Virgineo anno MDLXII. non procul à fluvio hoc dissiluit refeditque tellus jugeris spacio, & mare ingressum est. Supra Rhegium m. p. quatuor *Agatha* Græcum oppidum est, quod bonum significat, edito loco natura satis munitum, quod undique rupibus clauditur, & ejusdem nominis fluvio florentinis & anguillis fœcundo abluitur, ab Ausoniis conditum. Cum enim, ut semel atque iterum, ac tertio dixi, Ausonii ideft Aschenazei utranque Calabriæ oram primum incoluerint, oppidaque plurima, licet, ut dixi, rarò condiderint, certe haud dubium in hac Rhegina ora oppida condidere, coloniasque deduxere. Inde Oenotrii & Itali Oenotrii genere, deinceps Morgetes, postea Phocenses, & in ora Crotoniata Philoctetes urbes in Calabria condiderunt. Hic serica & olea optima fiunt, nascuntur cappares. Sunt in hoc agro pagi *Cardetum* & *Missripha*. Incolæ in communi sermone Latina & Græca lingua utuntur, sem vero divinam Græca lingua Græcove ritu faciunt. Post Calopinacum amnem Agatha fluvius excurrit. Inde est Leucopetra portus, distat à Rhegio millibus pass. quinque. Et supra est ejusdem nominis Græcum oppidulum olim P. Valerii Villa ut dudum ostendi, abest à Rhegio m. p. octo. Incolæ in communi sermone Latina & Græca lingua utuntur, sacra vero Græca lingua Græcove more faciunt. Inde est Leucopetra promontorium, distat à Rhegio m. p. duodecim. De quo Strabo ait: *E Rhegio ad orientem navigantibus Leucopetra promontorium occurrit, quod à colore Leucopetram*, id est saxum album *appellant, per stadia quinquaginta, ubi montis Apennini finem adesse ajunt*. De hoc promontorio plurimi veteres scriptores meminere, ut Strabo ipse, & Plinius, & Mela, & Dionysius Apher, & Cic. ad Att. lib. 16. & Phil. prima. Quare miror Paulum Manutium Leucopetram Tarentinorum semel atque iterum impressisse. In hoc mari corallium capitur, in agro hoc nascuntur cappares. Inde est *Pentedactylum* castellum, quod quinque digitos significat, milliario a freto distans, in cujus agro sesama fit, & amygdalarum & capparum ubertas, fiunt & mella optima, nascitur cos aquaria nobilis. Fit in hoc mari optimarum trichiarum captura ingens, quas sale in cadis condunt. Ex hoc castello fuit Petrus sancti Basilii monachus Cryptæ ferratæ, quod monasterium ab urbe m. p. duodecim distat, Abbas utraque lingua satis eruditus, acrique ingenii, & integræ vitæ vir. Interfuit Florentinæ synodo Eugenio Rom. Pont. huius nominis quarto. In qua adversus Græcos pro Romana ecclesia doctissime disputavit. Opus sane egregium absolvit multa ad utranque linguam attinentia continens. Quædam eius opuscula reperiuntur, ut epistolæ, logistices libri, arithmetica, de numeris, geometria, super inventione festi paschæ, theologica speculatio. Fuit præceptor Pauli Perusini legislatoris. Supra est *Montibelluna* tenue castellum imo loco situm cum amygdalarum copia. In littore sal marinus fit. Dehinc est *Laurentum*, oppidum edito loco, quod ejusdem nominis fluvius adlabitur, abest à mari m. p. octo, à Pentedactylo decem. Hic lina optima fiunt, & caseus probatissimus, provenit terebinthus, nascitur lapis molaris frumentarius & olearius, nascuntur cappares, cuminum sylvestre, & fœniculum marinum, & Seriphium, sive absynthium marinum, quod & Santonicum vocant. Nascitur herba, quam alii votumum vocant, Græci Calabri lixin, & sinnacum appellant, nascitur & spartum teres est & lini modo, sed crassius, bulliunt, & terunt, macerantque. In templo divo Angelo dicato beati Gerasmi huius oppidi civis corpus quiescit. Eius festum decimo octavo Cal. Julii agunt. Exin Halex fluvius labitur torentinis & anguillis uber, qui Locros, ait Strabo, à Rhegio disterminat. Qui per vallem profundam cursum habet. Peculiare quiddam de cicadis obvenit: quæ enim in Locrorum ripa versantur sonantius stridentibus aliis aliis vox nulla contigit, cuius rei causam suspicantur esse: nam cum iis omnino umbrosa regio sit, unde roscidas alarum pelliculas minimè pandant, illis sole fervida, est, quæ asidas & uti corneas habeant, unde apte stridor emittitur. Diodorus Siculus lib. 5. de antiquorum gestis fabulosis, huiusce rei aliam causam tradit: *Cum*, inquit, *Hercules ad fines Rheginorum & Locrensium pervenisset, deque via fessus quiescere, cicadarum stropitu pertæsus Deos orasse fertur, ut eas inde amoverent, exaudita prece non solum tunc, sed etiam postmodum cicadæ nunquam sunt his locis repertæ*. Id quod asseverat Granius apud Solinum. Athenæus lib. 15. & Ælianus in libro de historia animalium negant huiusce rei causam scirì posse. *Canunt autem cicadæ*, ait Ælianus, *membranulæ verberatione, & non ore; ut cætera animalia*. Quod si ita est, vera est causa, quam scribit Strabo. Juxta Halecem amnem *Amygdalia* oppidum est, *Peripolis* quondam dictum, edito loco natura satis munitum cum linis, & caseo, & melle optimis, à mari m. p. quatuor di-

distans, à Laurento totidem, Locrensium quondam nam, ut dixi, olim Halex fluvius Locrensem agrum à Rhegino diterminabat. Fuit hoc oppidum simul cum tota ora hac Romana civitate donatum, ut Plinius tradit. De quo Thucydides libro tertio sic ait: *Athenienses, qui circa Siciliam agebant, cum in Locridem navigassent, Peripolim oppidum in congressu quodam Locros qui loco auxilium ferebant, superantes ceperunt.* In hoc agro lapis Phrygius nascitur, proveniunt & asparagi omnibus anni mensibus; suntque pagi Rigudum, Arocha, & Gallicum. Ex peripoli oppido hoc fuit Praxiteles ille statuarius & pictor celeberrimus, qui arte sua naturam est imitatus: cujus simulachra vivis adeo similima erant, ut vel bruta animalia deciperentur, & homines ad concubitum allicerentur. De quo Plinius libro trigesimo tertio ita scribit: *Praxiteles primas spectata fecit magni Pompei aetate CIIII. Olymp.* Et quadragesimo quarto: *Praxiteles marmore felicior, ideo clarior. Fecit tamen ex aere pulcherrima opera Proserpinae raptum, item Catagusam, & ebriitatem, & Liberum patrem, nobilemque unà Satyrum, quae Graeci periboeton cognominant. Signa etiam, quae ante Felicitatis aedem fuere, Veneremque, quae cum ipsa aede incendio cremata est Claudii principatu, marmoreae illi suae per terras inclytae parem. Item Stephusam, Spelumenen, Oniphorum, Harmodium, & Aristogitonem Tyrannicidas, quos à Xerxe Persarum rege captos, victa Perside, Athenienses remisit magnus Alexander. Fecit & puberem Apollinem subrepente lacerto cominus sagitta insidiantem, quem Sauracto non vocant. Spectantur & duo signa eius diversos affectus exprimentia, flentis matronae, & meretricis gaudentis. Hanc putant Phrinen fuisse, deprehenduntque in ea amorem artificis, & mercedem in vultu meretricis.* Et libro trigesimo quinto: *Possumus laudat Praxitelem, quia plasticen matrem statuariae sculpturaeque & caelaturae esse dixit.* Et libro trigesimo sexto: *Praxiteles marmoris gloriâ superavit etiam semet, opera sunt Athenis in Ceramico, sed ante omnia, & non solum Praxitelis, verumetiam in toto orbe terrarum Venus, quam ut viderent multi navigaverunt Gnidum. Duas fecerat, simulque candebat, alteram velata specie, quam ob id quidam praetulerunt optione, quarum conditio erat Coi, cum alteram etiam eadem pretio detulisset. Severum id ac pudicum arbitrantes, rejectam Gnidii emerunt immensa differentia famae. Voluit eam postea à Gnidiis mercari rex Nicomedes, tatum aes civitatis alienum, quod erat ingens, dissoluturum repromittens. Omnia perpeti maluere, nec immerito, illo enim signo Praxiteles nobilitaverat Gnidum. AEdicula ejus tota aperitur, ut conspici possit: undique effigies deae, favente ipsa, ut creditur, facta, nec minor ex quacunque parte admiratio est. Ferunt amore captum quendam, cum delatuisset nocte simulachro cohaesisse, ejus cupiditatis esse indicem maculam. Sunt in Gnido & alia signa marmoreae illustrium artificum, nec majus aliud Veneris Praxitelicae specimen, quam quod inter haec sola memoratur. Ejusdem est Cupido objectus à Cicerone Verri: ille, propter quem Thespiae visebantur, nunc in Octaviae scholis positus. Ejusdem est alter nudus in Pario colonia Propontidis; par Veneri Gnidiae nobilitate, & injuria. Adamavit enim eum Alcidas Rhodius, atque in eo quoque simile amoris vestigium reliquit. Romae Praxitelis opera sunt Flora, Triptolemus, Ceres, in hortis Servilianis, bonni eventus, & bona fortuna simulachra in Capitolio, item Menades, & quas Thyadas vocant & Caryatidas, & Silani in Asinii Pollionis monumentis, & Apollo, & Neptunus, Praxitelis filius Cephisodorus nec & artis haeres fuit. Cujus laudatum est Pergami Symprega signum nobile, digitis corpori versus, quam marmori impressis. Romae ejus opera sunt Latona in Palatii delubro, Venus in Asinii Pollionis monumentis, & intra Octaviae porticus in Iunonis aede Aesculapius, ac Diana. Etrusci fuit infra: Admiratur & Praxiteles quidetiam quinque volumina scripsit nobilium operum in toto orbe. Natus hic in Graeca Italiae ora, & civitate Romana donatus cum iis oppidis. Jovem fecit eburneum in Metelli aede, qua campus patitur. Accidit vero ei, ut cum in nervibus, ubi feras Africanas erant, per cavearum intuens leonem caelaret, ut ex alia cavea panthera erumperet non levi periculo diligentissimi artificis. Fecisse operae complura dicitur, sed quae fecerit nominatim non refertur.* Et libro 35. *Ceris pingere ac pictura inurere quidam Aristidis inventum putant, postea consummatum à Praxitele.* De quo Varro. *Praxiteles propter artificium egregium nemini est paulo humaniori ignotus.* Et Cicero de divinatione lib. 1. *Praxiteles caelavit argento Rescium puerum circumplicatum serpentis amplexu, quod ejus futurae probitatis indicium fuit.* Et in Verrem actione sexta. *Apud Hejum erat signum Cupidinis marmoreum Praxitelis. Idem opinor artifex ejusmodi cupidinem fecit illum, qui est Thespiis, propter quem Thespiae visuntur, nam alia visendi causa nulla erat.* De hoc etiam meminit Strabo lib. 9. qui & libro 13. aedem templi Dianae Ephesinae, totam Praxitelis operibus plenam fuisse tradit. Et Val. Max. lib. 8. *Praxiteles Veneris statuam in marmore quasi spirantem in templo Guidiorum collocavit, propter pulchritudinem operis libidinoso cujusdam amplexu parum tutam. Equus etiam visa quae statua hinnitum edere coactus est. Et canum latratus aspectu picti canis latratus, taurusque ad amorem & concubitum vaccae Syracusii nuntiae similitudinis irritamenta compulsus.* Hunc quoque decantavit Propertius sic: *Praxitelem Parius vindicat arte lapis.* Fecit & Niobis statuam pulcherrimam à Graecis poetis celebratam. Extat hoc epigramma ad verbum Latinum factum.

Ex vita me dii fecerunt lapidem, ex lapide vero
Vitam Praxiteles iterum fecit. Item Ausonius.
Vivebam, sum facta silex, quae deinde polita,
Praxitelis manibus vivo iterum Niobe.
Reddidit artificis manus omnia, sed sine sensu.
Hanc ego cum dixi nimium non habui.

Et

Et Pausanius in Atticis. *Bellonæ signum Praxitelis filiarum opus. Fecit & statuam equestrem militari ornatu non longe à porta Atheniensium. Fecit & equum ipsum & hominem insidentem. In Cereris templo ipsius deæ, & filiæ, & Inachi facem præferentis signa fecit. Fecit & deam Suadelam, & deam, quam patrogon, hoc est, consolatricem vocant, & Satyrum in sacello Dionysii, è Pario lapide, quem patrium vocant, & alterum Dionysium, quem Dasyllum appellant è lapide Pario. In templo quodam fecit duodecim deorum signa. In arce Atheniensium fecit Dianam. In templo Veneris fecit ipsam eburneam cognomento praxim à nomine suo. Fecit & Fortunam in templo ejus, & Latonam, & Dianam, & Apollinem in templo ejus longe præclarum, & Dianam Brauroniam. Phryne interim cum percontanti quodnam ejus esset pulcherrimum opus, Praxiteles dicere noluit. Accurrens autem Phrynes famulus dixit, multa Praxitelis opera consumpta esse igne accenso in domicilio, non tamen omnia absumpta fuisse. Praxiteles respondit, nil refert, duos ignis Satyrum & Cupidinem non absumserit. Tum Phryne dixit Praxiteli, nil dubites, nam nihil amissum est, nec ignis in domicilio accensus est. Hoc commentu mulieris confessus est Praxiteles quod pulcherrimum opus fecerit. Tum Phryne petiit ab eo Cupidinem. Fecit*, ait idem in Arcadicis, *signa Latonæ & ejus filiorum. Fecit & Junonem in templo ejus sedentem in sella, & Hebem filiam ejus, & Minervam Junoni assistentes. Fecit & Platensi*, ait idem in Boeticis, *Rheam quæ saxum fascis involutum pro puero, quem pepererat Saturno habet, & Faleam, idest adultam Junonem è lapide Pentelesio. & Cupidinem ex eodem lapide, & commercium Phrynes in ipsum. Quem Cupidinem Gaius Imperator abstulit, Claudius vero eum remisit Thespias, quem rursus Nero abstulit, quem postea ignis consumpsit. Fecit & Phrynen & Venerem. Fecit & in laquearibus Thebanorum majorem partem duodecim laborum Herculis, & Bacchum quoddam, ingenti magnitudine, utrumque è lapide Pentelesio. Fecit & Æsculapium. Fecit*, ait idem in Eliacis, *& Mercurium portantem Bacchum infantem in templo Junonis, & Dionysium in templo ejus. Fecit*, ut idem in Phocaicis, *Dianam dextra facem, sinistra canem, in humeris vero pharetram habentem.* Callistratus etiam de Cupidine Praxitelis duobus locis plura scribit. Cephisodorus autem Praxitelis filius, præter ea, quæ Plinius scribit, *fecit*, ait Pausanias in Atticis & Boeticis, *Bellonam & Cadmum*. Post Peripolim, hoc est Amygdaliam *Bovæ* civitas offertur, sedes Episcopalis in montis cacumine sita, distat à freto m. p. quinque, ab Amygdalia tribus. Laurentius Episcopus Bovensis interfuit Synodo Romanæ sub Symmacho Papa. Ex hac urbe fuit beatus Helias Abbas divi Basilii monachus, beati Nili contemporaneus, eique benevolentia conjunctus. Ejus corpus Calatri esse creditur. Cujus festum agunt tertio Idus Septembris. In hoc agro est *Africum* pagus, ex quo fuit beatus Leo divi Basilii monachus, cujus corpus Bovæ jacet in æde Episcopali. Ejus festum agunt tertio Nona Maii. Fit hic caseus laudatissimus, item vina, olea & mella præclara. Extant & sylvæ glandiferæ ad porcos alendos commodæ, congerunt & accipitres multigeni. Fiunt & coturnicum aucupia non vulgaria. A Leucopeta villa hucusque incolæ in familiari sermone Latina & Græca lingua utuntur: sacra vero Græca lingua Græcoque ritu faciunt. Post Bovam, *Palitium* tenue castellum est, humili loco & quod ejusdem nominis fluvius præterfluit, abest à Bova m. p. sex, à freto totidem. Hic quoque caseus laudatissimus fit, & vina, olea & mella clara, extant & sylvæ glandiferæ ad porcos alendos commodæ. Fit in hoc agro sesama, nascuntur cappares affatim, & tubera. Est & ager hic frumenti & aliarum frugum ferax. In hac orientali Calabriæ plaga provenit passim & ubertim siliqua silvestris, azoialum vocant indigenæ, & terebinthus, quam alii acroscinum, idest silvestrem schinum, alii transpositis dictionibus Schinocraston vocant. Schinus autem lentiscum significat, item oleander rufus & albus, vitex, Lachanum vocant græco vocabulo, quod herbosum & fructicosum significat. Item tamarix, lentiscus, & eringium. Item in hac ora vulgò, & præsertim Palatii agro, & Brancaleonis Bianci, Geoliosæ, Arocellæ, Cutri, Crotonis, Coriolani, Castrovillari, atque alibi herba nascitur, quæ masticem fundit. Quam Plinius libro duodecimo in Asia & Græcia reperiri tradit, de qua sic scribit: *Sed mastix quoque gemina est, quoniam & in Asia Graciaque reperitur herba è radice folia emittens, & carduum similem malo, seminis plenum lachrymaque erumpit incisa parte summa, vix ut dignosci possit à mastice vera. Fit autem vera mastix è lentisco.* Post Palitium Herculeum promontorium occurrit ab Hercule dictum, portum habens ab occasu. Distat à Leucopetra promontorio m. p. XXXVI. De quo sic scribit Strabo: *Herculeum promontorium extremum ad meridiem inclinatur, nam eum deflexeris, statim vento navigandum est Africo usque in Iapygiam: postea in Septentrionem semper, & magis in occasum vergit in sinum Jonium.* A Leucopetra hucusque optimarum trichiarum ubertim captura fit, quas sale asservant in cadis. Nascitur & in ora hac vulgo votumum herba. Deinde est *Brancaleonum* pusillum castellum in montis supercilio locatum, abest à mari milliario cum dimidio, ab Herculeo vero promontorio m. p. quatuor. Hic mel optimum fit & gossipium, & sesama, fiunt aprorum, & aliarum quadrupedum venationes, & aucupia minutarum alitum, nascuntur tubera, provenit terebinthus, nascitur lapis molaris frumentarius & olearius, item magnesia lapis, quo utuntur figuli. Exinde est Bulsanum oppidum super saxum conditum, distat à Brancaleono m. p. tribus, à freto quatuor. Huc Cretensium, Maurorum, & Carthaginiensium classis primo applicuit anno post Christum natum M. LXXV. qui & oppidum id, & totam Calabriam, Appuliam, & Lucaniam diripuerunt. In monasterio D. Mariæ, Epesaca cognomine, agri Tabennensis, scriptura quædam est, in qua scriptum est Bulsanum, sive Brettianum sedem

dem episcopalem fuisse, & eius dioecesim partim Bovensi, partim Locresi additam. Ager hic frugifer est, fiunt aucupia parvarum avium, proveniunt tubera. Est in hoc agro *Motavicus*. Inde est *Crepacorium* castellum edito loco cum melle spectato, abest à mari m. p. quinque, fortasse *Samos* olim dicta, per hæc enim loca Samii Samum urbem condiderunt. In hoc agro Agatha vicus est, ubi cos aquaria eximitur. Postea *Zephyrium* promontorium extat, distat à promontorio Herculeo m. p. xii. De quo Strabo sic scribit: *Zephyrium promontorium agri Locri, à quo Locrenses Zephyrii dicti sunt, portum habens ab occasu venientibus commodum, unde & nomen accepit, habet & portum alterum ab ortu. Hic Locrus urbs primo condita fuit. Hic*, ait Plinius, *includitur Europæ sinus, ab eoque Maria nuncupatur; & rursum primus Europæ sinus à Calpe Hispaniæ extimo monte Locros & Zephyrium usque protenditur immenso ambitu*. Pomponius Mela in hac ora tres sinus ponit, primum inter promontoria Salem & Lacinium, qui Tarentinus & Thurinus dicitur ab oppidis; in quo Tarentum, Metapontum, Thurium, & Crotonem locat. Secundum inter Lacinium & Cocynthum promontoria (licet mendose pro Cocyntho Zephyrium legatur) qui Scyllaticus sinus nuncupatur, in quo portum, Castra Annibalis, Peteliam, Scyllaceum, & Cæcinum locat; ejus ambitus lxx. m. p. est. Tertium inter Cocynthum & Zephyrium (licet mendose pro Zephyrio Brettium legatur) qui Locrensis sinus appellatur: in quo Consulinum, Cauloniam, & Locrum ponit. Plinius autem inter Zephyrium & Cocynthum, Mistram, Consulinum, Locrum, Cauloniam, Sagram, & Locanum ponit. Qui libro trigesimo quarto ait: *Molybdena, ideſt Galena laudatissima, quæ in Zephyrio fit*. Mare hoc pluribus locis scopulo sum est secus littus. Post Zephyrium, *Biancum* oppidum est edito loco situm, distat à freto milliario cum dimidio, a Zephyrio vero m. p. tribus. Hic vinum bonitate mirificum nascitur, album est & austerum, semper seipso melius, cujus & magnus numerus fit. Sunt in agro hoc sylvæ glandiferæ alendis porcis commodæ: oriuntur cappares, nascitur cos aquaria probatissima; est & *Casignana* pagus. Inde est *Potamia* oppidulum cum melle spectato abest à freto m. p. sex. hic tubera nascuntur, & lapis phrygius. Dein est *Bovolina* oppidum cum vino bonitate præcipuo, distat à Bianco m. p. sex, a fretu duobus. Aer hic saluberrimus est. In hoc agro legitur manna, nascitur gypsum, & rubrica fabrilis, & aetites lapis, proveniunt tubera, nascuntur cappares, fit gossipium & sesama. Extant & perpulchra pabula ubi medicarum sponte nascentium copia est ingens. Hic regia equorum armenta pabulantur, laginanturque. Fiunt & pulchra perdicum, coturnicum, turdorum, rusticularum, gallinaginum, ardearum, & aliarum minorum alitum aucupia: congerunt & accipitres multigeni. Extant & horti nemorosi limonum, citrorum & malorum aureorum. Supra est *Charetbum* exiguum castellum, ubi aetites & tubera nascuntur, legitur manna. A Bovolina ad quartum lapidem *Condojanum* oppidum est edito loco situm abest à mari milliario cum dimidio. Id *Uriam* esse arbitror, nam, ut ostendi, Varro dicit Idomeneum classe Locros appuliſſe, ibique oppida aliquot condidisse, in queis est Uria, & Castrum Minervæ nobilissimum, licet Strabo & Plinius Uriam alibi ponant: fortasse ibi ejusdem nominis oppidum fuit. In hoc agro aetites nascuntur, proveniunt cappares, fit gossipium & sesama & amygdalarum copia. Fiunt vina & mella optima, & aucupia qualia Bianci agro. A Leucopetra hucusque & inde vulgò in montibus apri, cervi, capreæ, meles, sciuri, lutræ, martes, lynces, viverræ, & istrices stabulantur, & lepores extant testudines terrestres, & erinacei, passim nascuntur cappares ubertim, item vitex, oleander, terebinthus, tamarix, lentiscus, siliqua sylvestris, & votumum herba. Extant & perpulchra pabula pascendis saginandisque armentis gregibusque opportuna, ubi, præter alias herbas medicas sponte affatim provenit. Post Condojanum, *Hieracium* est, sedes Episcopalis, *Locrus* olim dicta, edito eoque saluberrimo, ac statura mundissimo loco sita inter duos amnes Mericum & Novitum, distat à freto m. p. 5. *à Rhegio*, ait Strabo, *septuaginta quinque*. Est autem vetustissima ac nobilissima, ab Ajace Oileo & Locris Naritiis super Zephyrium promontorium primum condita, unde & Locri Epizephyrii dicti sunt, inde huc, ubi nunc est, translata fuit urbs, quia is locus illo tutior & salubrior sit. Est enim, ut dixi, locus eminens, quod ipsum Dionysius etiam Apher & Strabo scribunt. *Fuit enim mos priscis*, ait Dionysius Halicar, *condendi urbes parvas & crebras in montibus*. Strabo quoque libro 5. de Populonia loquens inquit: *Conditores urbium maritimas fugitabant oras, vel ante illas tuta jaciebant propugnacula, ne illi incursantibus prædonum navigiis in promptu jacerent, exuviæque illorum fierent*. In condendis autem urbibus locus opportunus Ortum aut Meridiem spectans deligendus, & si regionis situs patitur, editus in saxo, ne cuniculis sit obnoxius, natura munitus, aut certe semimunitus, rupibus vallatus undique aut maxima parte, qui manu adjutus facile muniri possit, quo incolæ tutari se, & hostes lædere possint. Item cœli temperies requirenda est, & aquarum ubertas bonitasque Hæ loci dotes Hieracio, Locro olim, conspiciuntur, in qua & duæ arces erant paulum inter se distantes, ut Livius lib. 9. scribit. Quare longe hallucinantur, qui urbem Locrum secus littus in loco, quem Peripolim vocant, olim fuisse opinantur. Nam quod in Livio bel. Pun. lib. 4. de Locri obsidione scriptum est: *Amilcar loco superiore castra ponit, unde agros urbemque possit conspicere*. Et libro 7. *Crispinus Locrum oppugnare conatus obsedit, naves ex Sicilia accersivit, quæ vergentem ad mare partem urbis oppugnarent*: Non quidem, ibi, loco superiore, comparative accipiendum est, ut locus ille superior urbe, hoc est eminentior fuerit: cum neque circum urbem locus sit ea editior, sed superiore pro edito intelli-

Digitized by Google

ligendum est: nam Latinitas identidem comparativo pro positivo utitur. Partem autem urbis ad mare vergentem naves oppugnabant, ne oppidani per ea loca vagarentur, neve commeatus in urbem inveheretur, præsidiumque adventaret. Urbes enim vicinæ mari, marique terraque obsidentur, oppugnanturque. Secus vero littus suburbia erant, nam Locrus potens olim & opulens urbs fuit. Peripolis autem ubi sit, ostendimus. A Locro urbe cives Locri & Locrenses dicuntur. A quibus autem condita sit Locrus varia est Scriptorum opinio. Dionysius enim Apher in libro de situ orbis à Locrorum regina hanc urbem conditam scribit, ait enim;

Hinc ad boream Zephyrii, quæ summa vocatur,
Sub qua sunt Locri celeres, qui tempore prisco,
Illuc reginam propriam venere secuti:
Ausoniamque tenent, qua currit flumen Halecis,

Maro lib. 3. Æneidos eam à Locris Naritiis conditam scribit, Vbi ait; *Hic & Naritii posuere mœnia Locri*. *Hi*, ait Servius, *socii fuere Ajacis Oilei, qui post tempestatem montis Capharei huc concessere, & urbem hanc condidere*. Strabo autem libro 6. ita de ea scribit: *Locri Epizephyrii urbs insignis. Quoniam è Locris Cresoum habitantibus sinum coloni huc profecti sunt. Evanthe ductore paulo post conditam Crotonem atque Syracusas. Qua in re fallitur Ephorus, eos ab Locris Opuntiis descendisse inquiens triennio, aut quadriennio cum Zephyrium incolerent. Postmodum urbem transtulerunt, opem ferentibus Syracusanis una cum iis, apud quos est lacus Lucrinus, ubi Locri in expeditionem profecti fuerant, Nam è Rhegio usque Locros m. p. lxxv. intersunt, Situm est autem oppidum in quodam montis supercilio, quod Esopis vocatur; Eos autem primos legib. scriptis usos esse opinio est, Et plurimum temporis rempublicam optimis rexisse institutis, At Dionysius ejectus à Syracusanis flagitiosissime omnium abusus est. Quippe ornatis sponsalibus puellas cubicula & thalamos irrumpens vitiabat, Formosas vero & maturas viro virgines in unum congregabat, Debinc dimissas integris alis columbas in convivio illas nudas in circuitu quæritare captare videbat, Nonnullasque sandalia soluta calciantes partim supernè, partim infimè sectari dicebat dedecoris causa. De quibus pœnas dedit postmodum, cum recuperaturus imperium rursus in Siciliam regressus esset, Locri n. cæso Dionysii præsidio, primo quidem in libertatem sese vendicarunt, debinc uxorem illius ac liberos in potestatem suam redegerunt, Erant autem filiæ quidem duæ, filius vero unus minor natu, sed jam ad adolescentiam perveniens. Alter enim Apollocrates nomine unà cum patre in expeditionem comes reversionis in regnum causa profectus fuerat. Cum autem Dionysius pariter ac pro eo Tarentini multis eos fatigarent precibus ut corpora redderent redemptione, quæcunque collibuisset, accepta, nulla pacto restituerunt. At obsidionis incommoda, ægrorumque populationem potius toleraverunt, Et iracundiam furorem-*

que omnem in filias evomuerunt. Easque passim constupratas demum strangularunt, corpora deinde concremaverunt, ossaque cum molendo attrivissent in mare dissipaverunt. Clearchus quoque hac de re sic scribit; *Dionysius junior Doridis Locrensis filius cum ad Locrensium civitatem venisset, serpillis ac rosis amplissimam totius civitatis domum constravit, Locrensiumque virgines vicissim arcessebat, cum quibus denudatis nudus ipse superstratis volutatus, nihil omnino turpitudinis intentatum relinquebat. Quare multò non post qui injuriam acceperunt eius uxorem liberosque comprehensos in via statuerunt omneque contumeliæ genus in eos exercuerunt, qua demum exaturati acubus sub ungues præfixis interfecerunt. Et ut in defunctas quoque sævirent, earum ossa in mortariis contuderunt, carnesque reliquas partiti, eos, qui non degustassent execrati sunt, reliquas in mare projecerunt. Ipse vero Dionysius postremo in Cibelis sacris tripudians tympanum gestans miserabiliter vitam finivit.* Item Trogus Pompejus Justino libro vigesimoprimo referente, ait: *Dionysius junior à Syracusanis dejectus exulque à Locrensibus sociis acceptus, velut jure regnaret, arcem occupat, solitamque sibi sævitiam exercet, conjuges principum ad stuprum rapiebat, virgines ante nuptias abducebat stupratasque sponsis reddebat, locupletissimos quosque aut civitate pellebat, aut occidi imperabat, bona eorum invadebat. Deinde cum rapinæ occasio deesset, universam civitatem callido commento circumvenit. Nam omnes feminas impensius ornatas in templum Veneris convenientes immissis militibus spoliavit, quarundam viros ditiores interfecit, quasi am ad prodendas virorum pecunias torquet. Cum his artibus per annos sex regnasset, conspiratione Locrorum civitate pulsus in Siciliam redit.* Quæ tyrannorum ferax & nutrix tales sæpe emittebat flagitiosissimos & lethiferos fructus. Dionysius autem major, inter cætera flagitia, Proserpinæ templum Locris spoliavit. De quo Cicero libro 3. de Nat. Deorum ait: *Dionysius cum fanum Proserpinæ Locris expilasset, navigabat Syracusas, isque cum secundum cursum teneret, videtis ne inquit, amici, quam bona à diis immortalibus navigatio sacrilegis detur?* Hoc ipsum scribit Val. Max. lib. 1. *Aristides Locrus ex Platonis familiarib. unus*, ait Plut. in Timoleone, *cum superior Dionysius unam natarum eius in uxorem peteret respondit: suavius sibi fore illam mortuam, quam tyranno nuptam aspicere. Paulo post cum Dionysius eum morte damnaret, & contumeliæ causa illum interrogasset, si quemadmodum prius de collocatione filiæ sentiret, respondit, rerum gestarum mœstitia affici, dictorum autem nulla pœnitentia detineri.* Fuit Locrus, teste Platone, flos Italiæ, nobilitate, & divitiis & gloria gestarum rerum. Quæ non modo quotam Calabriæ orientalis oræ partem ab Halecio amni usque ad Crotolaum flumen, sed non modicam quoque occiduæ Calabriæ oræ partem possedit. Nam, ut ostendi, Metauria, Medama, Hipponium, & Temesa Locrensium fuere. Cum itaque Metauria & Medama, & Hipponium sub Locrensium ditio-

ditione essent, haud dubium & ora hæc maritima omnis à Pacolino ideſt Metauro amni Lametum flumen usque (id n. flumen Vibonienſem agrum à Terineo disterminabat) necnon mediterranea regio sub illorum ditione erat. Erant & præter cætera oppida sub Locrenſium ditione Itone & Melæa ipsorum finitimæ, ac coloniæ, quæ aliquando ab ipsis descivere, ut mox ex Thucydide liquebit. Jamvero Itonem urbem & alibi, & in Italia quoque fuisse scribit Stephanus. Cæterum in qua parte hæ urbes finitimæ essent Locrensium, an in orientali plagacis Cæcinum amnem, an in occidua ora cis Lametum flumen, an in agro Temesæ, quæ etiam ut ostendi, Locrensium erat, & an maritimæ an mæditerraneæ incertum est. Redegerunt etiam Locrenses in potestatem suam Messanam urbem, ut Thucydides tradit, qui libro 4. sic scribit. *Decem Syracusanorum naves totidemque Locrensium Messanam in Sicilia ceperunt ab ipsis oppidanis acciti. Defecit autem ab Atheniensibus ea civitas præcipue opera cum Syracusanorum, qui cernentes id oppidum invadendæ Siciliæ opportunum, metuebant ne se majoribus copiis aggrederentur, illinc profecti Athenienses tum Locrensium, qui Rheginos sibi inviſos volebant utrinque oppugnari. Itaque in eorum agrum cum omni exercitu invadunt, simulne Mamertinis illi ferrent auxilia, simul inducti ab Rheginis, qui apud ipsos erant exulibus. Nam Rhegium permulto tempore seditionib. agitabatur, nec in præsenti poterant Locrenses arcere, quo magis illi ingruebant; qui posteaquam agrum populati sunt, rediere cum peditatu: nam naves ad Messanam in præsidio erant, in eodemque aliæ quæ instruebantur venturæ atque illinc bellum gesturæ.* Et libro quinto: *Pheax Athenienſium legatus cum rediit in Italiam, cum nonnullis civitatibus de amicitia Athenienſium sermonem habuit, atque cum Mamertinis apud Locros agentibus, quo relegati erant, cum post Sicilienſium pacificationem orta inter Mamertinos seditione ab adversa factione accitis Locrenſibus ejecti essent, factaque aliquandiu Messana Locrensium. Hos itaque Pheax illuc receptus nihil læsit, quia cum Locrenſibus transegerat Athenienſium nomine. Soli enim omnium sociorum in reconciliatione Sicilienſium fœdus abnuerant cum Athenienſibus, ne tum quidem admissuri, nisi bello adversus Itones & Melæos occupati fuissent finitimos suos atque colonos.* In bello Syracusanorum Leontinis, Locrenses Syracusanis, Rhegini Leontinis studebant, ut Thucydides lib. 3. prodit. In bello vero Athenienſium cum Syracusanis, Locrenses Syracusanis, Rhegini Athenienſibus favebant, quo tempore Locrenses Rheginorum agrum depopulabantur, ut idem auctor libro quarto scribit. Polybius etiam libro decimo, Locrum & Rhegium & Cauloniam, & Crotonem clarissimas urbes fuisse scribit. *Romani*, ait idem libro primo, *Locrensium & Tarentinorum, & Neapolitanorum navibus usi cum exercitu in Siciliam transfretarunt.* Pulso quoque Italia Annibale Romani, ut libro primo ostendi, naves à Locrenſibus sociis accepe-

A runt. Hanc urbem decantavit Accius poeta qui in Erigona, Nonio referente, ait: *Locrorum loca viridia, & frugum ubera junt.* Hanc urbem Ovid. Met. libro quintodecimo, *Naritiam* vocat, quod eam Naritii condiderint. Cicero etiam libro tertio hic ad Atticum scribens: *Nariti Locridis.* Et Virgilius Georg. lib. 2. picem, quæ in Apennino huius urbis agro fiebat, laudans ait: *Et juvat Naritiæ picis spectare lucos.* Huius & Crotonis aeris salubritatem Plinius lib. 2. his

B verbis ostendit: *Locris & Crotone pestilentia nunquam fuit, nec ullo terræmotu laboratum annotatum est.* Et rursus: *In Italia Locris nullo non die apparet arcus.* Ineſt enim natura occultum quidpiam, quod ad loci felicitatem facit, unde ob gratam cœli temperiem hic clara ingenia usquequaq; claruerunt. Usus erat Locrensibus, ut matronæ ex lectis floribus necterent coronas. *A Locris*, ait Plinius, *Italiæ frons incipit magna Græcia appellata, in tres sinus incedens Ausonii maris, quoniam Ausones tenuere primum, Obtulerunt Locrenses*, ait Pausanias

C in Eliacis, *Sicyoni Apollinis statuam ex buxo, capite vero aureo, quam Patroclus Crotoniatæ Catylli filius fecit. Locrenses, ait Cicero* in oratione pro Archia poeta, *ipsum Archiam civitate, cæterisque præmiis donarunt.* Fuit Cicero ipse Locrensium ac totius Calabriæ patronus. Libro enim secundo de Legibus clientes suos appellat. *Locrenses*, ait Polyænus lib. 6. *fœdus & cum Siculis*

D *inientes aliorum capita sub tunicis super humeros imp fuerunt, & terram iniectam calceis sub pedibus habentes, jurarunt, se firmam, ac solidam ipsis rempub. conservaturos donec eam terram calcarent & capita in humeris ferrent. Jusjurando fidem habentes Siculos omnes postridie Locrenses interfecerunt, quasi jam non amplius in eadem terra gradientes, nec capita in humeris ferrent.* Causa autem, ut Locrenses eam potentiam ac felicitatem amitterent, fuit Dionysii tyran-

E ni affinitas. Duxit enim uxorem Doridem Locrensem, ait Diodorus Siculus lib. 14. Xenoti filiam, qui cives suos illis temporibus gloria amplitudine superabat: ex ea Dionysium juniorem suscepit, ut idem in Philippo tradit. Meminit huiusce rei Cicero, Tusculan. libro 5. qui flagitiosissimus fuit, & lævissimus tyrannus. Ait itaque Arist. Pol. lib. 1. *Causa fuit ut Locrorum civitas interiret propter Dionysii affinitatem, quod non contigisset in populari statu, neque*

F *in ea optimatum gubernatione, quæ optimè mixta temperataque fuisset. Locrenses enim*, ait Plato libro primo de legibus, *optimis legibus usi sunt.* Et Strabo lib. 6. *Ephorus describendis Locrorum legibus memoriam faciens, quas ex Cretensibus & Spartanis, & Areopagitarum institutis Zaleucus conscripsit, inquit, Illud imprimis novum induxisse Zaleucum, ut cum pristinæ leges definiendarum condemnationum in singulis delictis modum judicibus ipsis concederent, ille per leges ipsas terminavit. Putavit enim judices ipsos haud eandem easdem de re habituros esse sententiam, oportere autem easdem approbare. Et de contractibus iisdem simpliciori quodam modo in-*

stitue-

Digitized by Google

stituere. Thurios postea cum præter Locros a-
cutius expliçare voluissent, celebriores quidem
cæterum deteriores evasisse. Nonos quidem le-
gumlatores esse non qui omnia accusatorum
acta cavetint, sed qui in simpliciter latis con-
sistant. Hoc a Platone dictum est. Quibus leges adsunt plurimæ ac pene plurimæ iis, & vivendi ritus depravatos esse: sicut quibus plures adsunt medici, iis & ægritudines permultas adesse probabile est. Fuerunt Locrenses Romanis amici ac socii. Quos, ut Siciliam transmitterent, suis navibus, ut retuli, adiuverunt, *Horum & Brettiorum ægrum*, ait Polybius lib. 1. *Amilcar classis Præfectus vastavit. Cumque ab Hannone obsiderentur, urbem omnibus necessariis rebus, quo Pœnis resisterent, munierunt*, ut in Livio bel. Pun. lib. 1. liquet, Quam autem ob causam se Annibali dederunt idem Livius bel. Pun. lib. 4. prodit, ubi sic ait: *Hanno adiuteribus & ducibus Brettiis Græcas urbes tentavit, eo facilius in societate manentes Romana, quod Brettios, quos & oderant & metuebant, Carthaginiensium partis factos cernebant. Rhegium primum tentatum est, dieſque aliquot ibi nequicquam absumpti. Interim Locrenses frumentum lignaque & cætera necessaria usibus ex agris in urbem rapere etiam, nequid relictum prædæ hostibus esset, & in dies major omnibus portis multitudo effundi. Postremo ii modo relicti in urbe erant, qui reficere muros ac portas, telaque in propugnacula congerere cogebantur. In permistam omnium ætatum, ordinumque multitudinem & vagantem in agris magna ex parte inermem, Amilcar Pœnus equites emisit, qui violare quempiam vetiti, tantū ut excluderent ex urbe fuga dissipatos turmas obiecere. Dux ipse loco superiore castra ponit, unde agros urbemque posset conspicere. Brettiorum cohortem adire muros, atque vocare principes Locrensium ad colloquium jussit, & pollicentes amicitiam Annibalis, adhortari ad urbem tradendam. Brettiis in colloquio nullius rei primo fides est; deinde ut Pœnus apparuit in collibus, & refugientes pauci aliam omnem multitudinem in potestate hostium esse afferebant, tum metu victi consulturos se populum responderunt, advocataque extemplo concione cum & levissimus quisque novas res novamque societatem mallet, & quorum propinqui extra urbem intercluſi ab hostibus erant, velut obsidibus datis pignoratos haberent animos, pauci magis taciti probarunt constantem fidem, quam probatam tueri auderent; haud dubio in speciem consensu fit ad Pœnos deditio L. Attilio præfecto præsidii, quique milites cum eo Romani erant, clam in portum deductis atque impositis in naves ut Rhegium deveherentur. Amilcarem Pœnosque ea conditione, ut fœdus extemplo æquis legibus fieret, in urbem acceperunt. Cujus rei prope non servata fides est deditis. Cum Pœnus dolo dimissum Romanum incusarent, Locrenseſque profugisse ipsum causarentur, Locrensibus jussu Annibalis data pax, ut legibus suis liberi viverent, urbs pariter, & portus in potestate Locrensium esset. Societas eo jure staret, ut Pœnus Locrensem, Locrensis Pœnum pace, & bello juvaret. Cæterum non multo post ad Romanos redierunt. Nam, ut idem bel. Pun. lib. 9. refert; Locrenses alterius factionis, qui Romanis studebant, & qui in civitate erant, & qui Rhegij ab adversa factione pulsi exulabant, Scipionem ex Sicilia advocarunt, ut urbem reciperet: qua recepta Scipio vocatos ad concionem Locrenses graviter ob defectionem incusavit, de auctoribus supplicium sumpsit, bonaque eorum principibus alterius factionis ob egregiam fidem erga Romanos concessit. Inde Q. Pleminio legato præsidioque, quod arcem ceperat ad tuendam urbem relicto, cum quibus venerat copiis Messanam trajecit: Ita superbe, & crudeliter habiti Locrenses a Carthaginiensibus post defectionem ab Romanis fuerant, ut modicas iniurias non æquo modo animo pati, sed prope libenti videri possent. Verum enimuero tantum Pleminius Amilcarem præsidii præfectum, tantum præsidiarii milites Romani Pœnos scelere atque avaritia superaverunt, ut non armis, sed vitiis viderentur certare. Nihil omnium, quæ inopi invisas opes potentiores faciunt, prætermissum in oppidanos est abduce, aut a militibus. In corpora ipsorum in liberos, in conjuges infandæ contumeliæ editæ. Iam avaritia ne sacrorum quidem spoliatione abstinuit; nec alia modo templa violata, sed Proserpinæ etiam intacti omni ætate thesauri, præterquam quod a Pyrrho, qui cum magno piaculo sacrilegii sui manubias retulit, spoliati dicebantur. Ergo sicut ante regiæ naves lacerata naufragiis nihil in terram integri, præter sacram pecuniam deæ, quam asportabant, extulerunt: Tum quoque alio genere cladis eadem illa pecunia omnibus contactis ea violatione templi furorem objecit, atque inter se ducem in ducem, militem in militem rabie hostili vertit. Nam cum conclamatum esset ad arma, Pleminii milites victi sunt a militibus tribunorum. Inde tribuni virgis cæsi a Pleminio jussi sunt. Rursus Pleminius a militibus tribunorum pene exanguis, naso, auribusque mutilatis relictus tribunos postea laceratos omnibus, quæ pati corpus ullum potest, suppliciis interfecit. Nec satiatus vivorum pœna insepultos projecit. Simili crudelitate & in Locrensium principes est usus, quos ad conquerendas iniurias ad P. Scipionem profectos audivit, & qua antea per libidinem, atque avaritiam fœda exempla in socios ediderat: tunc ab ira multiplicia edere infamiæ atque invidiæ non modo sibi, sed etiam imperatori esse. De templo autem Proserpinæ, ita Locrensium legatorum unus de Pleminio conquerens Romæ in Senatu retulit: Fanum est apud nos Proserpinæ, de cujus sanctitate credo aliquam famam ad vos pervenisse, Pyrrhi bello; qui cum ex Sicilia rediens Locros classe prætervheretur inter alia fœda, quæ propter fidem nostram erga vos in civitatem nostram facinora edidit, thesauros quoque Proserpinæ intactos ad eam diem spoliavit. Atque ita pecunia in naves imposita, ipse terra est profectus. Classis postera die fœdissima tempestate lacerata, omnesque naves, quæ sacram pecuniam habebant, in littora nostra ejecta sunt; quo tanta clade edoctus tandem Deos esse superbissimus agnovit rex. Pecuniamque omnem conquisitam in thesauros Proserpinæ referri jussit. Nec tamen illi unquam postea prospere quicquam evenit, pul-

saſque Italia ignobili atque inhoneſta morte temere nocte ingreſſus Argos occubuit. Et poſt pauca: *Majores noſtri cum gravi quondam Crotonienſium bello premerentur, hanc pecuniam, quia extra vrbem templum erat, transferre in urbem voluiſſent, nocte audita de delubro vox eſt, abſtinerent manus, deam ſua templa defenſuram. Quia movendi inde theſauros incuſſa erat religio, muro circumdare templum voluerunt. Ad aliquantulum jam altitudinis excitata erant mœnia, cum ſubito collapſa ruina ſunt.* Quibus legatis ita a Senatu per Fabium reſponſum eſt: *Senatui placere Pleminium legatum vinctum Romam deportari, & ex vinculis cauſam dicere, & ſi vera eſſent, quæ Locrenſes dicebant, in carcere necari, bonaque ejus pubblicari. Locrenſibus coram Senatum reſpondere, quas ſibi injurias factas quererentur, eas neque ſenatum, neque populum Romanum velle factas, viros bonos, ſociosque, & amicos eos appellari: liberos, conjuges, quæque alia erepta eſſent reſtitui. Pecuniam, quanta ex theſauris Proſerpinæ ſublata eſſet, conquiri duplamque pecuniam in theſauris reponi. Pleminius autem in vinculis conjectus prius mortuus eſt, quam de eo populi judicium perficeretur.* Meminit hujus rei, & Val. Maxim. libro primo. Fuerunt ex hac præclariſſima vrbe viri præexcellentes quamplures, ſed quorum memoria habetur, ſunt ij. Zaleucus Philoſophus, & Legislator, Pythagoræ diſcipulus, velut Laertius, & Iamblycus tradunt. Qui civibus ſuis Locrenſibus leges dedit, ut dudum oſtendimus. De quo Ariſtoteles Pol. lib. 2. inquit: *Scripſerunt leges Zaleucus Locris iis, qui ad occidentem pertinent, & Charondas Catinenſis ſuis civibus, aliiſque Chalcidicis civitatibus, quæ ſunt Italiæ, & Siciliæ finitimæ.* Et rurſus. *Zaleucus primus legum ferundarum peritus.* Item Cicero ad Atticum libro 6. ait: *Quis Zaleucum leges Locris ſcripſiſſe non dixit?* Et de Legibus lib. 2. *Zaleucus, & Charondas non ſtudii, & delectationis, ſed reipublicæ cauſa leges civitatibus ſuis ſcripſerunt, quos imitatus eſt Plato. Zaleucum commemorant ipſius cives noſtri clientes Locri. Dedit etiam leges Thuriis,* ait Athenæus libro undecimo: *& quia erant utiles ſuaſit quibusdam Græcis illis uti.* Ephorus autem, & Chameleon Heracleotos in opere de ebrietate, & Ariſtoteles de republica Locrorum, Clemente Alexandrino Stromate primo referente, Zaleucum Locrum leges a Minerva accepiſſe litterarum monumentis mandarunt. Id etiam refert Plutarchus ad Herculanum ſcribens. Item Valer. Max. libro tertio infit: *Zaleucus ſub nomine Minervæ apud Locrenſes prudentiſſimus habitus eſt.* Zaleuci autem legum proœmium, deorum pluralitate excepta, divinæ cuidam actioni haud quaquam quidem abſimile eſt. Quod hoc fuiſſe Stobæus de lege teſtatur: *Omnes, qui urbem, ac regionem inhabitant, perſuaſos eſſe oportet, exiſtimareque deos eſſe, quod manifeſtum ſit cœli, & totius mundi inſpectione, rerumque in ipſis diſpoſitione pulcherrima, & ordine. Haud n. fortuita, aut humana hujuſmodi opera putare convenit. Deinde colendi honorandique dii ſunt, ut bonorum omnium nobis auctores, quæ aliqua ratione ſiunt. Singulos igitur habere, & comparare animam quemque ſuam oportet, ut ab omnibus malis pura ſit. Nam ab improbo homino non honoratur Deus, neque ſumptibus colitur, neque tragœdijs capitur, inſtar hominis mali, ſed virtute, atque inſtituto bonorum operum, & juſtorum. Quocirca opus eſt unumquemque pro virili bonum eſſe tum factis, tum voluntate, qui modo futurus ſit Deo charus, & non metuere pecuniarum iacturam magis, quam vitæ, & famæ dedecora, & civem meliorem exiſtimare, qui opes amittere mavult, quam honeſtatem, & juſtitiam. Cæterum illos, quorum voluntas non facile ad hæc perſuaderi poteſt, animus ad iuſtitiam pronus eſt, viros, & feminas, cives alioſque cohabitatores admonitos velim meminiſſe deorum, ut qui & ſint, & pœnas ab injuſtis ſumant: atque ob oculos ponere tempus iſtud, quod unicuique finis eſt vitæ futurum. Morituros enim omnes injuriarum, quas commiſerunt, memores pœnitentia invadit, & vehemens cupiditas, qua vellent exactam ſibi vitam omnem fuiſſe iuſſum. Quamobrem ſingulos oportet ſemper in ſingulis actionibus illud tempus adeo ſuis cogitationibus familiare facere, ac ſi præſens eſſet. Ita enim maxime honeſti iuſtique cura vigebit. Si quis vero a malo genio quopiam aſſiſtente ſibi ad injuſtitiam inſtigatur, is ad templa, araſque, & delubra verſetur fugiens injuſtitiam ceu dominam impiiſſimam, moleſtiſſimamque, & deos oret, ut opem ad propellendam ipſam ſibi ferant. Accedat quoque viros probitatis nomine claros, ut de vitæ fœlicitate, & malorum hominum vindicta diſſerentes audiens, ab iniuſtis facinoribus animum avertat. Mali genij a ſuperſtitioſis metuuntur. Cæterum qui urbem habitant deos omnes venerari debent ritibus patriis, qui omnium optimi cenſendi ſunt. Præterea cunctos oportet obedire legibus, principes revereri, eiſque aſſurgere, & quod præcipitur facere. Siquidem poſt deos, dæmones, & heroes, proximis honoribus affi-*
ciuntur parenti, leges, ac principes apud homines, qui mentem habent, atque incolumes agere ſtudent. Civitatem vero chariorem ſibi facere nemo debet, quam patriam ſuam: de his enim dii patrii ulciſcuntur. Tale enim ſtudium proditionis initium eſt. Adhuc autem deterius eſt patria deſerta vitam in aliena degere. Nihil enim natura nobis, quam patria conjunctus eſt. Sed neque quiſquam pro hoſte inreconciliabili reputato aliquem de numero civium, quem leges voluerunt reipublicæ muneris participem eſſe. Talis n. vir neque imperare, neque iudicare poterit recte, ut qui iraſcibilem animæ partem ratione ſuperiorem habeat. Nemo etiam maledictis petat neque civitatem communiter, neque civem ullum privatim, ſed legum cuſtodes eos, qui delinquunt, obſervent admonendo primum, deinde, niſi pareant, mulctando. Ceterum ex conditis legibus ſi qua videbitur non bene lata eſſe, in meliorem formam mutetur. Confirmatis vero, & permanentibus omnes obediunto. Nam poſitas leges ab hominibus vincinet debet neque conducit: contra homines ſuperari a lege præſtantiori honeſtum ſimul, & utile eſt. Iſta autem traſgredientes puniendi, ut

qui

Digitized by Google

qui inobedientiam maximorum malorum principium in civitate excitent. Porro principes non sint contumaces, neque ad contumeliam judicium ferant, neque judicando amicitiæ inimicitiæve meminerint, sed justiciæ. Sic enim judicia, quam justissima proferent, & officio sui digni erunt. Siquidem servos certe convenit ob timorem aliquid iustè facere, liberos vero propter reverentiam, & honestatem. Quocirca præfectos quoque tales esse oportet, ut subditis digni videantur, apud quos erubescant. Quod siquis voluerit leges sanctas movere, aut novam statuere, is collo in laqueum immisso de lege verba faciat, & si per suffragia videatur legem veterem esse tollendam, aut eam, quæ nova infertur, bonam esse indemnis maneat. Contra si prior lex melius habere videatur, aut quæ nova proponitur, iniusta sit, is, qui movit, infertque legem, laqueo attractus moriatur. Dicere solebat Zaleucus, ait idem Stobeus, *leges esse similes telis araneorum, nam si musca, aut culex impegerit detinetur, si vero vespa, aut apes dirupta tela advolat, ita se res habet in legibus.* Extat aliquot legum Zaleuci memoria apud auctores. Aristoteles Pol. lib. 2. ait: *Apud Locros lege cautum est, nequis patrimonium alienare possit, nisi evidentem calamitatem ostenderet supervenisse. Locrenses*, ait Ælianus de varia historia, *mortuos non lugebant, sed postquam cadaver efferrent, & humarent, convivabant. Nec caupona apud eos erat mutabilis, sed agricola vendebat sua. Siquis apud Locros*, ait idem Ælianus, & Athenæus lib. 10. *merum hausisset medicinæ causa medico non imperante mortis multa afficiebatur, Zaleuco legem ferente. Laudanda*, ait Plutarcus de Furiositate, *Locrensium lex, quæ siquis peregrè reversus rogasset, nunquid novi, eum mulcta afficiebat. Lege etiam excepit Zaleucus*, ait Lucianus, *ne liceret mulieri aureis ornamentis circumponi, neque contextis indumentis, arteque laboratis venustari, nisi cum scortari, atque amatorem sibi moliri studuerit, Legem quoque tulit*, ait Suidas, *liberam mulierem in forum prodeuntem candidis vestibus indutam cum domesticis incedere ancillam unam habentem. Alias vero in floridis, ideſt varii coloris. Tulit etiam legem*, ait Ælianus itemque Val. Max. lib. 6. *ut in adulterio deprehensis oculi eruerentur. Quam legem cum ejus filius temerasset, ut eam exemplis firmius probaret, filio oculos effodi iussit. Et cum universa civitas eum precaretur, ut necessitatem pœnæ adolescentulo remitteret, aliquandiu repugnavit, ad ultimum precibus populi victus, suo prius, deinde filio oculo eruto, usum utrique videndi reliquit, æquitatis admirabili temperamento inter misericordem patrem, & iustum legislatorem partitus est! Lege etiam cavit*, ait Hierocles apud Stobæum in sermone de patria, & Eustatius in primum Iliad. Homeri, *nequis ensem in concilium ferret. Cumque ipse interim imminente bello eum detulisset, atque de hoc a quopiam, qui prope ipsum erat quod ipse legislator eam temerasset, inquit, modo eam sanciam, mox eidem ensi districto incumbens, sibimet mortem conscivit*. Licet apud Valerium Maximum hanc legem Charondam tuliſſe mendose legatur. *Locrenses*, ait Athenæus lib. 6. *neque per legem possidere licebat servos aut servas*. Fuit & ex hac urbe Locro Stenidas Pythagoricus legislator, qui scripsit de regno. Qui, præter cætera, ut scribit Stobæus, de regno, dixit: *Oportet regem sapientem esse, sic n. venerandus erit, atque æmulator summi Dei, qui natura premus est rex & princeps. Ille vero creatione, iste imitatione. Deus quidem in omnib. & in universo, ille in terra solum. Deus omnia semper gubernat & vivit, in se possidens sapientiam: ille vero per aliquod tempus scientiam habet. Imitabitur autem Deum quam optime, si magnanimum, sapientem, & paucorum indigum sese præstiterit, paternum animum in subditos gerens. Hanc n. ob causam præcipue Deus existimatur primus esse parens deorum, atque hominum, quoniam omnibus sibi subiectis benignum se præbet, nec unquam cessat gubernatione sua neglecta. Nec satis putavit se creatorem tantum rerum omnium esse, quinetiam nutritor præceptorque bonorum omnium, ac legislator omnib. ex æquo est. Talis & ille debet esse, qui in terra & inter homines rex futurus est. Nihil vero citra regnum imperiumq; laudandum est. Sine sapientia vero & scientia neque rex neque princeps ullus esse potest. Itaque Dei imitator & minister legitimus erit vir sapiens & rex*. Fuit & ex hac urbe Locro Onomacritus legum ferendarum peritus, ait Aristoteles Pol. lib. 2. & in Creta circa legislationem exercitatus ad Thaletem profectus. Fuit & Timares, ait Iamblychus optimus legislator. Fuit & Gyptius, ait idem Iamblychus. Fuit & Philistion medicus nobilis, cuius Athenæus lib. 3. & Plinius libro primo læpius, & trigesimo, & Gellius lib. 17. & Galenus lib. 1. methodorum meminere. *Hic*, ait Athenæus, *panes similagineos magis ad robur conferre asserit, quam alicarios, secundo loco hos collocat, tertioque triticeos.* Fuerunt & Timæus, & Euthycrates, & Acrion philosophi Pythagorici celeberrimi, a quibus Plato plura didicit, ut Cicero lib. 5. de finibus tradit, ubi ait: *Plato ad Euthycratem, Timæum, & Acrionem Locros Pythagoricos peragravit, ut cum Socratem expressisset, adjungeret Pythagoreorum disciplinam, eaque, quæ Socrates repudiabat, addisceret.* Et Tusc. lib. 1. *Plato à Timæo Pythagoreo omnia dicit*, Hic sagacis animi vir philosophus & mathematicus & medicus & primus de animorum æternitate, & de universi natura scripsit, ut Laertius tradit, ad quem videndum venit Locros Plato, qui ei librum de mundi natura inscripsit. De quo in eo ipso libro inquit: *Timæus quidem hic ex Locris, quæ urbs in Italia justissime gubernatur, nobilitate & opibus præstantissimus, summis magistratibus & honorib. functus est, & ad summa totius philosophiæ, ut opinor, ascendit*. Et rursum: *Timæus in astronomia nostrorum omnium peritissimus, maximeque in rerum natura cognoscenda versatus primus edisserat; itaut à mundi generatione exordiens usque ad generis humani naturam deveniat.* Aristoteles, ut Laertius prodit, ex Timæi & Architæ disciplinis excerpens scripsit librum unum. Timæus, ut Theodoritus libro

secundo de principiis, & Eusebius libro 13. de præparatione evangelica, & Clemens Alex Stromate quinto testantur, negat Deum esse genitum. Ait enim. *Unum omnium est principium, quod non est genitum, si sit, non utique erit principium potius illud, unde id sit exortum, quod vocamus principium. Scripsit*, ut ait Suidas, *librum de mundo & anima, mathematica, & de vita Pythagoræ. Soluſque*, ut ait Proclus in libro de anima & dæmone, *omnem animæ essentiam declaravit. Dicit etiam essentiam animæ nostræ non ex primis omnino generibus constitutam quemadmodum superiores animas, sed ex secundis tertiisve, atque ex individua dividuaque natura constitutam.* Rursus Proclus ait: *Timæus omnem animæ ortum atq; creationem ex formis complevit mathematicis, omniumque causas in ipsa collocavit. Hic erudiendi viam mathematicarum disciplinarumq; appellat cognitionem, quoniam sane eam habet rationem ad universorum scientiam, primamque philosophiam, quam eruditio ad virtutem.* Et rursus: *Timæus de omnium natura contemplationem mathematicis nominibus patefecit, elementorumque ortus numeris atque figuris exornat, & vires & passiones, actioneſque ipsorum ad ea refert; tum angulorum acumina, & obtusitates, tum laterum levitates, vel vires contrarias, & multitudinem, ac paucitatem pervariæ elementorum mutationis causam esse sentiens.* Et rursus: *Timæus nos docuit universorum unionem, & divisionem identitatem unà cum diversitate. Et præter hæc, statum & motum ad animam complendam rerum opifex suscepit, & hisque generibus ipsam constituit. Miraculorum effectrix triplex est, alia ponderibus, quorum motus in æquilibrium, status vero æquilibrium Timæus determinavit.* Et rursus: *Timæus ex rectis circularibusque lineis animam constituit. Ille qui animam produxit ad omnia providis progreditur actionibus, ad seseq; reversus est, manens in suo quodammodo more.* Et rursus. *Sunt enim, ait Timæus, purissimæ atque perfectissimæ pulchritudine animarum figuræ, quæ cum vita quidem plenæ per seseque nobiles sint, quæ ab alio moventur præexistunt, cum vero immaterialiter & sine ulla dimensione subsistant, iis, quæ dimensionem & materiam habent, præcellunt, de quibus & Timæus nos docuit, qui opificam essentialemque animarum explicavit figuram. Timæus cum universi elementa rectilineis constituisset figuris, motum ipsis circularem & informationem ab ea, quæ mundo insidet anima, præbuit.* Item *Timæus*, ut Aristoteles in libro de anima refert, *animam movere corpus erectione quadam atque intellectione dicit, eo enim quod movetur, & corpus movere, propterea quod connexa est ad ipsum. Tradit etiam animas per affectiones prius elegisse forzes formasque vitarum palàm obiecta, secundo dæmonas accepisse, tertio motiones attigisse fatales per vehicula sua scilicet cœlestia earum corpora cœlestibus influxibus motionibus conzigua. In motu vero animæ verum esse numerum musica proportione concentuque constantem dicit. Neque autem humanas animas in bestias transire, sed id inductum falso esse ad terrorem hominum impiorum: negat quoque eas ex homine in hominem transmigrare, utpotè qui in corporibus aereis putat eas interea vivere, atque ita vexatione purgari. Mundum autem*, ut Cælius lib. 1. refert, *duobus constare Timæus astruit, mente & necessitate, ideſt actu formali, qui sanè est divinæ mentis voto præcipuus, mentisque imago: Item ex necessitate, ideſt materia, quæ non tam intentione propria, quàm necessaria quadam conditione ad hoc opus accipitur.*

Plato Timæum præceptorem suum summopere coluit, nec tamen per omnia est eum æmulatus. Nam cum divinus Timæus ante mundum eius architectum fuisse, mundumque ipsum factum, atque ab alio factum ingenue fateatur, Plato longe secus sentit. Nam hic, Petro Comestore in Genesim referente, tria ab æterno fuisse dicit, deum, ideas, hylen hoc est materiam, & in principio temporis de hyle mundum factum fuisse. Aristoteles duo, mundum & opificem, qui de tribus principiis, scilicet materia & forma operatus est sine principio, & operatur sine fine. Epicurus duo inane & atomos, & in principio natura quosdam atomos solidavit in terram, alios in aquam, alios in aerem, alios in ignem. Timæus triplicem mundi causam perscrutatur efficientem, ideſt, divinam mentem, exemplarem, ideſt, Idearum seriem, divina mente conceptam, & finalem. Quam apud sapientes optimam arbitratur habendam. *Utq; mundus*, inquit, *perfectus foret, animalia cuncta tam divina, quam caduca sunt genita.* Ait etiam Deum mundi opificem cum creavisset mundum requievisse, dicens mundi opificem in circumspectum suum se recepisse. Quod quidem cum divina philosophia convenit: nam, ait Petrus Comestor in historia Eccl. super Genesim, Deus requievit ab opere in semetipso, ideſt, à mutabilitate operum eius immutabilitas apparuit. Plotinus in libro de cœlo ait: *Cum igitur Timæus mundi corpus ex igne primum terraque componat, ut per ignem quidem videri, per terram solidum esse tangique valeat: consentaneum esse videtur, ut & astra non totum quidem, sed plurimum habeant ignem.* Quandoquidem astra soliditatem habere videtur. Forsan vero recte se id habebit, quippe cum Plato sententiam hanc probabili & apparenti ratione confirmat. Cœlum autem Timæus ipse nominavit universum. Ait enim: *Deus autem animam mundi creavit suo corpore priorem tum potestate, tum tempore.* Quod Platonis expositores Plotinus, Porphyrius, & Proclus, aliique sic exponunt, ut potestas & tempus, quibus anima præcedit corpus, non sit extrinsecum intervallum, sed ut successio quædam in anima in ipsa formarum discursione antecedat origine mundi motum, ut hic sit motus ab illo, atque ille sit sæculum sæculorum. Rationales autem animas non ab anima mundi, sed ab eodem auctore, à quo & illam, & ex generibus consimilibus asserit constitutam. Dicit quoque intellectum in nullo unquam alio præterquam in anima fieri. Obiecta autem intellectus præstantiora verioraque esse quàm obiecta sensus. *Timæus*, ait

ait Plutarchus libro tertio de placitis philosophorum, & Galenus in libro de historia philosophica, *complures fluvios è Celtarum montibus in Atlanticum pelagus labi putat, horum incursu pertundi, & inundare mare credit, defectu revocare & subsistere. Infantes*, eodem Plutarcho, eodem in libro referente, *in utero novem menses permanere existimat, cum alii decem putent*. Timæus, & Neocles Crotoniata apud Ælianum libro octavo de historia animalium, ajunt ruberas duo jecora habere, & alterum quidem occidere, alterum alteri adversantem salutem afferre. *Scripsit* etiam *Timæus*, ut Plinius lib. 1. tradit, *de medicina metallica*. Et lib. 2. ait, *Timæus millia de medicina scripsit*. Et rursus: *signiferi autem ambitum peragit incertis & duo de quinquagenis diebus ab sole nunquam absistens partib. sex atq; quadraginta longius, ut Timæo placet*. Et libr. 5. *Timæus mathematicus Siris Asiæ fluminis incrementi occultam protulit rationem phialem appellari*. Et libro 15. *Folia decidere Timæus mathematicus sole Scorpionem transeunte sideris vi, ut quodam veneno aeris putat*. Fuerunt & alii philosophi Pythagoræ discipuli, ut Jamblychus scribit, ut Adicus, Evethes, Euthemus, Gyptius, Philodamus, Sosistratus, Stenonides, & Xenon. Fuit & Eurytus, ait Constantinus Lascaris, vir doctus, & citharœdus eximius. De quo Strabo sic ait: *Eurytus philosophus, quem vidit Plato*. Fuit & Xenocrates poeta heroicus per illustris, & musicus excellentissimus, qui, ut Heraclides tradit, ex nativitate cœcus fuit. De quo Plutarchus in musica ait: *De Xenocrate Locrense ex Locris urbe Italiæ dubitari video, utrum poeta pæanus fuerit. Argumenta heroica gesta continentia condidisse proditum est memoriæ, ac propterea nonnulla argumenta dithyrambos vocitasse*. De hoc etiam meminit Plinius lib. 1. Fuit & Herasippus, ut scribit Heraclides. Fuit & Glaucus, qui ut Julius Pollux, & Athenæus libro nono produnt, scripsit de obsoniis ac re coquinaria. Fuit & Teano mulier poetrix lyrica nobilis. Scripsit cantica lyrica, & cantus permultos, ait Suidas, scripsit lyricis versibus de patria sua multa. Vivit modu Fabius Monteleonius juréconsultus, qui de quatuor literis arbitralib. scripsit. Fuit & Eunomus citharœdus clarus, de quo sic Strabo: *Locris Eunomi Locrensis cytharœdi statua ostenditur, quæ insidentem cicadam habet. Timæus tradit in Pythiorum quodam certamine Eunomum Locrensem & Aristonem Rheginum citharœdos aliquando in contentionem venisse uter præmium sortiretur. Aristonem fusis precibus Apollinem invocasse Delphicum, ut sibi adjutor afforet. Eunomum dixisse, Rheginis nunquam de musica ab eorum primordio fuisse certamen. Cum quidem apud eos cicadæ cunctorum animalium cantu suavissimo, omni sono destitutæ sint. Nihilominus Eunomum victorem declaratum, statuam in patria posuisse, quæ cicadam insidentem habet. Nam cum inter cantandum chorda una fracta defecisset, cicada supervolans astitit, quæ vocis supplementa faceret*. Fuit & Euthymus athleta sanè quam fortissimus, *qui*, ut Plinius libro septimo tradit, *solus vivus consecratus est, sentiensque oraculi ejusdem jussu, & Jovis Deorum Juxami ad stipulatu Euthymus pytha semper Olympiæ victor, & semel victus. Patria ei Locri in Italia, ubi imaginem eius esse, & Olympiæ alteram eodem die tactam fulmine, Callimachum, ut nihil aliud miratum video, eumque jussisse sacrificari, & quod vivo factitatum & mortuo, nihil adeo mirum quàm hoc placuisse Diis*. Et Ælianus de varia historia libro septimo, *Euthymus Locrus ex Italia Pytha inclytus & robore incredibili insignis fuit. Lapidem gestabat ingenti magnitudine, qui Locris ante fores ostenditur, & Temesæum heroa, quod cuiq; per vim abstulerat, reddere coegit etiam cum fœnore, ut inde natum sit adagium iis, qui & injustos quæstus faciunt, Affore Temesæ genium*. Euthymus autem ad Caecinum amnem oculis hominum apparere desiit. De hoc Pausanias in Eliacis ita scribit: *Quæ autem ad victorias & reliquam Euthymi gloriam pertinent, præteriri minimè decet. Fuit quidem Euthymus ex Locris Italiæ patre Astycleo, vel, ut indigenis persuasum est, e Caecino amne. Vicit in Olympia quarta & septuagesima Olympiade semel à Theagine Thasio victus, non tamen quidem justo certamine, sed ab eo circumventus dolo. Unde nec à Græcis judicibus Theagini decretus honor. Insuper damnatus Theagenes & multæ nomine talentum sacrum dandum Deo, & aliud Euthymo ob injuriam solveret. Sexta autem & septuagesima Olympiade argentum debitum deo solvit, & nec in certamen eadem Olympiade, neque insequenti prodire sibi concessum est. Euthymus autem coronam suscepit. Eius statuam fecit Pythagoras celeberrimam. Cum postea rediisset in Italiam, pugnavit adversus heroem Nam Ulyssem erroribus actum post captam Trojam & ventis in Italiam delatum fuisse, atque cum ad alias Italiæ urbes, tum etiam ad Temesam cum navibus applicuisse memoriæ proditum sit, unumque è nautis temulentum virginem violasse, ob quam injuriam ab incolis lapidibus obrutum fuisse. Ulyssem autem hominis interitu nihil prorsus commotum naves conscendisse, atque abiisse. Dæmon vero interfecti hominis nunquam posteà destitit, in omne tempus. Temesenses exturbare. Pythia eos ex Italia omnino fugere decernentes, nec Temesam relinquere permisit. Verum heroem placare jussit, suasitque templum dæmoni ædificari, atque ut quotoquoque anno virginem pulcherrimam ex Temesa illi exp nerent. Itaq; Pythiæ parentes dæmoni omnia, quæ jussi fuerant, sedulo curarunt, nihilque amplius incommodi à dæmone perpessi sunt. Cum autem Euthymus post octavam & septuagesimam Olympiadem patriam repetisset, ad Temesamque forte fortuna pervenisset, ad constitutam illius celebritatis diem, rem, ut erat, eductus, & templum illud ingredi & virginem expositam, videre concupivit. Quam cum conspexisset pietate primum motus, mox etiam eius amore inceusus fide prius ab ea accepta, si eam servasset, non alium, quàm se virum habituram accinxit se ceu cum dæmone pugnaturus. Qui adventantis dæmonis impetum sustinuit facile, & eum demum luctando superavit in solum prosternens. Quare dæmon ipse Temesam destituit, & vicinum mare cum strepitu subintravit. Nuptiasq; Euthymo & Virgini celebres regio universa à dæmone liberata celebravit, vixitque cum ea Temesæ per quandiu;*

alio-

ulioque, quàm cæteri mortales solent, modo excessit. Audivi ego hæc ab homine ad me ad emporium veniente. Vidique talem perlegens scripturam. Et in quadam tabula vetustissima juvenili effigie Sybaris & Calaber fluvius simul cum fonte Calyeo, aderat Juno, & Temesa civitas, & inter has dæmon ille, quem è regione Temesæa expulerat Euthymus colore plane admodum niger, forma vero terribili, quæ plurimum inspectantes perterrere posset: lupi autem pellem indutus videbatur. Nomen appositum erat dæmoni libantis. Inde statuam Euthymi Pytarchus posuit Mantineus. Fuit & Agesidamus Archestrati filius Athleta Olympionica valde quam fortissimus, Pyndari tempestate. Qui in Agesidami laudem scripsit hymnum. Unde ode decima musas omnes & inter alias, veritatem cum filia Jovis in Agesidami laudem invocat. Ubi etiam Locrum urbem à loci amœnitate, à veritate, à poesi, & à rebus bellicis commendans ait:

Olympiorum victorem ad memoriam revocate,
Mihi Archestrati filium, quo Locrorum
Mentis meæ scriptus sit.
Dulce nanq; ipsi melos debens,
Eius oblitus sum, ò Musæ.
Atq; tu una veritas Jovi filia
Recta manu arcete mendaciorum, in amicos delinquentem sermonem.
At longe nanq; adveniens futurum tempus meum pudefacit ingens debitum
Attamen dilationem tardam fœnus persolvere potest.
Nunc ubi præefluens fluctus submergit volutatum in littore calculum,
Et ubi jam communem ad charam iam oblectationem sermonem exolvemus.
Porrò synceritas urbem Locrorum administrat Zephyriorum.
Illisq; cura est Calliope, & ferreus Mars.
Convertit autem in fugam cyanea pugna & viribus præstantem Herculem.
At pugil Agesidamus Olympiade vincens Hylæ referat gratiam.
Quemadmodum Achilli Patroclus, sic alium virtute magnum virum alius exercens
Ad sublimem evexit gloriam dei numine. Et post pauca.
Sic est quando is, qui egregia facinora peregit,
Sine hymno Agesidamus ad ditis ædes accesserit.
Inaniter enim spirans labore suo breviter admodum delectatus est.
Tibi vero suavissima lyra, dulcisq; tibi gratiam parit ac variat.
Sed & Pierides Jovis filiæ longe lateq; tuam adaugeant famam:
Et ego adiunctus Musis inclytam Locrorum gentem incidi, melleq; fortem irrigans amaridem
Archestrati filium laudavi.
Quem vidi manus robore, ad aram Olympiam præstantem,
Eo quidem tempore forma pulchrum, ætate temperatum.
Quæ impudentem à Ganymede mortem unà cum Venere prohibuit.

Et ode undecima laudans eum à pugilatu, à corona victoriæ, à liberalitate tum ipsum, tum Locros à sapientia, & à fortitudine & hospitalitate ait:

Abundans autem laus Olympiorum victoribus constituta est.
O noster, quam & lingua nostra dispensare gestit.
Dei enim providentia sapientibus aliquis perpetuo curis floret.
Noveris itaq; nunc Archestrati fili Agesidame tuæ pugilatoriæ causa.
Qua aurea olea corona coronatus es,
Hanc suasionum ornatum resonabo,
Locrorum Epizephyriorum genus magni ducens.
Illic & vos una mecum ò musæ chorum ducite.
Spondeo enim vos non aversantem hospites excetitum, neque honesti inexpertum.
Cæterum ad sapientissima belligeratores accessuras.
Natura nanq; insitum arte, neq; astuta vulpecula, neq; terribiles leones facile permutarint.

Hylas autem fuit Alyptes Agesidami, qui cum videret ferè succumbentem primo Agesidamum: ita ei animum addidit, ut protinus suum adversarium vinceret. Sculpebant Locrenses in nummo Iovem, & ex postico asteriam alitem pedibus leporem habentem, quam Græci Hieracem vocant, a qua urbs nomen est mutuata inscriptione Græca λόκρων. Interdum ex postico signabant fulgur, & caduceum, & Amaltheæ cornu: aliquando cancrum. Interim imprimebant Bellonam, ideſt, Minervam galeatam, & ex postico Pegasæum equum & fulgur, & ex altera facie etiam Cererem & stellam cum Amaltheæ cornu stantem. Aliquando signabant Minervam & ex altera parte mulierem sedentem, altera manu crepitaculum, altera craterem habentem. Nonnunquam sculpebant Minervam, & ex postico Pegasum, aliquando ex postico fulgur. Quandoque Apollinem & ex postico aquilam fulgur pedibus habentem, & post tergus palmam. Aliquando signabant Iovem habentem fulgur & campum plenum fructibus, & ex postico Castorem, & Pollucem. Interim signabant martem gladio & scuto pugnantem, & ex adverso Minervam galeatam, quam sapientiæ deam significare volebant, quod arma, prævia sapientia, quæ ex scientia comparatur, sumi debent. Est Hieracium sedes episcopalis antiquissima. Petrus Episcopus Locrensis interfuit Synodo Romanæ sub Felice tertio. Et Stephanus Episcopus Locrensis interfuit Synodo Constantinopolitanæ sextæ sub Agathone Papa. In æde Episcopali asservantur frustula crucis dominicæ, Thomæ, & Simeonis Apostolorum, Stephani Prot. Petronillæ, Mariæ Egyptiacæ, Iudithis Virginis, & Martiris Agathæ, capitis Ioannis Baptistæ Gervasij, Felicis, Hyppoliti, Moisis, & Vestis Beatæ Mariæ Virginis. Est & arcula multorum aliorum sanctorum frustulis referta. Est & Beatæ Mariæ Virginis Imago, quæ in magna religione & pietate ab oppidanis & circumvicinis populis veneratur. Ex hac urbe fuit beatus Antonius divi Basilii Monachus, ejus festum agitur decimo cal. sept. Et beatus Ieiunius itidem divi Basilii monachus, cuius festum agitur octavo Cal. Iunij. Et beatus Nicodemus etiam divi Basilii Monachus. Et beata Venera Virgo, eius festum agitur quinto cal.

Aug.

Digitized by Google

Aug. Exuberat urbs hæc aquarum scaturiginibus, & iis optimis. Est & fons Francica dictus, cujus aqua est bonitate præcipua. Extant & balnea clara, sunt enim sulfureæ aquæ & salsæ multis morbis utiles, conferunt & mulierum sterilitati. Fiunt Locris figlina opera nobilia, patinæ, gutti, capsares, amphoræ, lances, disci, cannæ, & alia id genus. Fit & sericum & oleum nobile, legitur manna, oriuntur cappares, nascitur rubrica fabrilis, & lapis molaris frumentarius & olearius, item magnesia, silex, & lapis gilvus, quo figuli utuntur, provenit rheuponticum, fit gossipium, & sesama. In hoc agro pagi sunt *Nicolum*, *Aduriun* ab ardo verbo Greco quod irrigo; significat; *Bombilium*, *Cannabum*, *Partitevola*, & *Antonimina*. In hac ora ab agro hoc usque Cocyntum promontorium, & alibi, novilunio terra evomitur, Maramuscam vocant, ceu cum a talpis mota assurgit, quæ sine aqua cocta rubrica fabrilis fit optima. Ab urbe m. pas. duobus Novitum flumen navigabile excurrit, Buthrotus olim dictum, cujus meminit Livius belli Pun. libro nono, quod haud procul ab urbe Locris abesse dicit. Inde est *Sideronum* vicus. Postea Proteriatum flumen navigabile anguillis & torentinis uber labitur, Locanus olim dictus, cujus meminit Plinius. Qui ait: *In hac ora flumina innumera, sed memoratu digna Locanus, Sagra*. Supra est *Cripteria* oppidum edito ac pensili loco super saxum conditum, orientem solem spectans. Distat a freto m.p. sex, a Locris decem, olim *Castrum Minervæ* dictum, quod condidit *Idomeneus* Cretensium rex eruta Troia. Iam vero, Varro, ut ostendi, Idomeneum aliquot oppida iuxta Locros condidisse scribit: in queis est *Vria*, & *Castrum Minervæ* nobilissimum. Hic emporiu m in annos singulos celebratur. Fiunt olea, mella, & serica clara, & fructus optimi, & amygdalarum copia, extant & horti nemorosi, limonum, citrorum, & malorum aureorum arboribus instructi. Extant & sylvæ glandiferæ ad porcos alendos opportunæ; nascitur marmor, & plumbum, & aurum. Provenit terebinthus, & siliqua Sylvestris. In hoc agro pagi sunt *Mammola*, ubi pars calvitij beati Nicodemi monachi Sancti Basilij, de quo supra mentio facta est, asservatur. Fiunt hic figlina opera, hoc est pilæ & hujusmodi e terra subruffa: item *Joachum* pagus cum fluvio, & *Martotonum*. M. Antonius Glurifrigus hujus oppidi regulus, ob multa in oppidanos flagitia, Melitæ in perpetuum damnatus exulat. Post Cripteriam *Geolioſa* oppidum exiſtit, edito ac pensili loco situm, orientem solem spectans, quod Galitium flumen præterfluit, abest a freto m.p. trib. *Mistra* olim dictum, cujus meminere Stephanus, & Plinius & Mela: licet in Mela mendose in sinu Scyllatico scribatur. Hic serica, vina, & olea laudabilia fiunt. Fit & gossipium & sesama; est & nativum sal, nascitur lapis, quo pictores imagines inumbrant, tener est & subater: nascuntur cappares. Extant & horti nemorosi citrorum, limonum, & malorum aureorum. Ad mare *Arocella* oppidum est edito loco, eoque natura munito, distat a Locris m.p. XII. *Amphissia* olim dictum, cujus meminit Ovid. Met. lib. 15. ubi de hujus oræ oppidis loquens ait: *Levibusque Amphissia remis Saxa fugit*. Etenim mare hoc aliquibus locis saxosum. Vbi Corallium capitur. Fit in hoc agro Xylon & sesama, proveniunt cappares. Secundum flumen aurum nascitur. Dehinc Alaeus fluvius navigabilis cadit in mare, Sagra olim dictus, Crotoniatarum strage & auctorum scriptis celebris. Quem Strabo inter Locros, & Cauloniam ponit, qui sic scribit: *post Locros Sagra fluvius labitur, quem femininè vocant, in cuius ripa Castoris, & Pollucis aræ sitæ erant. Apud quem decem Locrorum millia una cum Rheginis adversus Crotoniatas numero CXXX. millia marte collato victores evaserunt. Quo ex negotio ortum est adversus incredulos proverbium hoc*: re apud Sagram gesta verius est. *Qua die certamen initum est ad Olympia existentibus illis nunciatus est belli exitus, & tanta celeritate nunciatæ pugnæ veritas comperta est. Hanc ipsam vero cladem Crotoniatis, ne magno ulterius perdurarent tempore, causam extitisse memoriæ proditum est. Tanta quidem mortalium occisorum fuerat multitudo*. De hac paræmia mentionem facit Menander, ut ait Apostolus Byzantius proverbiorum scriptor. Trogus vero Pompejus libro vigesimo, Iustino referente, belli causam scribens de numero dissentit a Strabone, ni horum alterius textus depravatus sit. Ait itaque, *Crotonienses cum Sybaritanis, & Metapontinis pellere cæteros Græcos Italia statuerunt. Cum primum urbem Sirim cepissent, in expugnatione eius quinquaginta iuvenes amplexos Minervæ simulacrum, sacerdotemque dea velatum ornamentis inter ipsa altaria trucidarunt. Ob hoc cum peste, & seditionibus vexarentur, priores Crotonienses Delphicum oraculum adierunt. Responsum his est, finem mali fore, si violatum Minervæ numen, & interfectos manes placassent, itemque cum statuas iuvenibus iustæ magnitudinis, & imprimis Minervæ fabricare cæpissent, Metapontini cognito oraculo deorum occupandam manum & pacem deæ rati, iuvenum modica & lapidea simulacra ponunt, & deam panificiis placant. Atque ita pestis utrolibi sedata est: cum alteri magnificentia, alteri velocitate certassent. Recuperata sanitate non diu Crotonienses quievere. Itaque indignantes in oppugnatione Syris auxilium contra se a Locrensibus latum, bellum his intulerunt. Quo motu territi Locrenses ad Spartanos decurrunt auxilium supplices deprecantes. Illi longinqua militia gravati auxilium à Castore & Polluce petere eos jubent. Neque legati socia urbis responsum spreverunt, profectique in proximum templum, facto sacrificio, auxilium deorum implorant litatis hostiis, obtentoq; ut rebantur, quod petebant, haud secus læti, quam si deos secum adventuri essent, pulvinaria iis in navi componunt, faustisq; profecti hominibus solatia suis pro auxiliis reportant. Iis cognitis Crotonienses & ipsi legatos ad oraculum mittunt, victoriæ faculatem, belliq; prosperos eventus deprecantes.*

Re-

Responsum prius votis hostes, quam armis vincendos. Cum vovissent Apollini decimas prædæ, Locrenses & voto hostium, & responso Dei cognito, nonas voverunt, tacitamque eam rem habuerunt, ne votis vincerentur. Itaque cum in aciem processissent, & Crotoniensium centum viginti millia armatorum constituissent, Locrenses paucitatem suam circumspicientes (nam sola quindecim millia militum habebant) omissa spe victoriæ in destinatam mortem conspirant; tantusque ardor ex desperatione singulos cepit, ut victores se putarent, si non inulti morerentur. Sed dum mori honeste quærunt, feliciter vicerunt. Nec alia causa victoriæ fuit, quàm quod desperarunt. Pugnantib. Locris aquila ab acie nunquam recessit, eosque tandiu circumvolavit, quoad vincerent. In cornibus quoque duo juvenes diverso à cæteris armorum habitu, eximia magnitudine, & albis equis & coccineis paludamentis pugnare visi sunt, nec ultra apparuerunt, quàm pugnatum est. Hanc admirationem auxit incredibilis famæ velocitas: nam eadem die, qua in Italia pugnatum est, & Corintho & Athenis, & Lacedæmone nunciata est victoria. Olympiæ etiam belli eventus nunciatus est. Cicero quoque de Nat.Deorum lib.2.infit. *Atque etiam cum ad fluvium Sagram Crotoniatas Locri maximo bello devicissent, eo ipso die auditam esse pugnam ludis Olimpiæ memoriæ proditum est.* Et libro 3. *De Sagra Græcorum est vulgare proverbium: Qui quæ affirmant certiora esse dicunt, quam illa, quæ apud Sagram.* Id etiam scribit Plinius. Inde est *Castrovetum* oppidum edito salubrique loco situm inter Alarum, & Musam amnes torentinis & anguillis fœcundos, undique rupibus septum. Distat a mari m. p. tribus, a Locris duodeviginti, *Caulonia* olim dicta, a qua abest Lacinium LXX. m.p. ut apud Plinium prodidit Agrippa. Fuit quidem Caulonia vrbs nobilissima. Hanc & Rhegium & Locrum & Crotonem clarissimas urbes fuisse Polybius lib. decimo tradit, ad quam oppugnandam Fabius Consul, ait Livius bel.Pun. libro septimo, octo millia hominum misit, quibus additi sunt Brettiorum perfugæ. Qui tunc sub adventum Annibalis ne opprimerentur in tumulum a præsenti impetu tutum, ad cætera inopem se recepere, quos Annibal in deditionem accepit. De hac urbe Strabo sic scribit: *Post Sagram Caulonia extat prius Aulonia, quasi vallonia a vicina valle denominata, ab Achivis condita.* Solinus vero a Crotoniensibus conditam scribit. Aulon quidem vallem, Planitiemque ac florida loca significat, Caulonia vero iactantiam, quod ob loci salubritatem, rerumque opulentiam præcellat, monsque Aulon, & Caulon est appellatus, Maronis & Flacci præconio decantatus. Ait enim libro 3. Æneid. *Cauloniſque arces.* Hic vero secundo Car. libro: *Et amicus Aulon Fertilis Baccho minimum Falernis invidet uvis. Ille te mecum locus, & beatæ postulant arces: Ibi tu calentem debita sparges lacryma favillam Vatis amici.* Et Martialis lib.13. *Nobilis & lanis, & felix vitibus Aulon, det preciosa tibi vellera, vina mihi.* Servius autem in Virgilium, Horatium Caulon scripsisse dicit. Sed & Aulon & Caulon dici potest. Opinandum est hic Horatium villam habuisse. Hanc & Rhegium diripuit infida & scelerata Campana legio, quam Romani Rhegium, & in hanc vrbem præsidium miserant Pyrrhy bello, ut alibi diximus. De hac urbe Pausanias in Eliacis ait: *Caulonia, quam Auloniam Hecatæus appellavit propterea, quia iuxta vallem sit, inde Achæorum colonia. Cuius etiam colonus fuit Typhon Aeginensis. Hanc direptam fuit a Campanis Romanorum militibus, qui in præsidio erant, eo tempore, quo Pyrrhus cum Tarentinis adversus Romanos bellum conflarunt.* Et Arist. Pol. libro secundo: *Quo tempore ea in regione Italiæ, quæ tunc Magna Græcia appellabatur, cœtus Pythagoreorum ob clandestinam coniurationem concrematus fuit, magna rerum publicarum mutatio facta, utpotè principibus uniuscuiusque civitatis temere interfectis, accidit ea loca, easque vrbes maximis cædibus seditionibusque vexari. Quocirca variæ ad eos undecumque legationes componendarum rerum gratia confluxere. At illi cæteris posthabitis, Achæorum dumtaxat fidei res suas commiserunt. Quin etiam non multo interiecto tempore omnino instituta illorum imitari, atque eam Rempublicam effingere decreverunt. Siquidem Crotoniatæ, Sibaritæ, Cauloniatæ compositis inter se unanimiter rebus, primo Omenii Iovis templum publice constituerunt, ubi & conciones fieri, & cum populo agi posset. Præterea acceptis ab Achæis institutis & legibus, iis dumtaxat uti, suamque Rempublicam componere volebant; sed a Dionysio Syracusanorum tyranno, & vagantibus per id tempus circum ea loca Gallis, desistere ab incepto coacti sunt.* Cauloniæ materia ad fabricandas naves idonea, quæ Atheniensibus præparata erat, a Syracusanis concremata est, ut ait Thucydides lib.7. Quo tempore Dion Siracusanus patriam in libertatem vendicare simulabat, arma adversus Dionysium suscipiens. Dionysius ipse ad Cauloniam agebat, ut Diodorus Siculus in Philippo tradit. Ex hac urbe fuere, ut Iamblycus ait, Callibratus, Drymon, & Dicon philosophi Pythagoræ discipuli. *Dicon autem Callibrati Filius,* ait Pausanias in Eliacis, *quinque in Pythicis ludis cursu victorias reportavit, tres autem ab Isthmicis, quatuor à Nemeis, Olympicam unam dum esset puer inter pueros, duas alias inter viros, sibique tot statuæ extant in Olympia, quot victoriæ. Hic se Cauloniatam, ut erat, dicebat: postea vero propter pecunias, quas a Syracusanis accepit, Syracusanum.* Signabant Cauloniatæ in nummo cervum cum vase, & ex altera facie, Cresum Cauloniatam manu olivæ ramum habetem, qui cum cervum fugaret in fluviũ cadens suffocatus est, inscriptione Græca Καυλονιατων. Fiunt Cauloniæ vina bonitate mirifica, item olea & mella clara, & caseus & hippaces laudatissimi, & figlina opera non vulgaria, Fit gossipium, & sesama, nascuntur cappares, provenit terebinthus, nascitur gypsum, magnesia lapis, rubrica fabrilis, item sal nativum, plumbum & aurum. Extant & sylvæ ad domorum tigna & ad navigiorum fabricam aptæ, item sylvæ glandi-

fe-

diferæ & caſtaneta porcis alendis, & pabulis opportuna. Fiunt venationes uberes aprorum, cervorum, & aliorum ſylveſtrium animalium. Sunt & teſtudines & erinacei. In fano divi Hilarionis brachium ejus præſervatur, Ioannes Baptiſta Carafa hujus oppidi regulus, ob plurima in oppidanos patrata ſcelera, Neapoli capitali ſententia damnatus obtruncatus fuit. A Caulonia ad quatuor lapides *Pacanica* oppidum exiſtit edito loco, quaſi panaca ideſt, ſalutaris, quod Pacanitum flumen navigabile & piſculentum adlabitur, diſtat a freto m.p.quinque. Fit Xylon & ſeſama, naſcuntur cappares, naſcitur hematites. Inde eſt *Monaſteracum* tenue caſtellum inter Stilarum & Aſſam fluvios millario a mari ſemotum, Pacanica m.p.quinque. Hic etiam caſeus probatiſſimus fit, & lina clara, fit & goſſipium & ſeſama, naſcuntur cappares. Supra eſt *Stylum* oppidum nobile cum annuo emporio edito loco ſuper ſaxum a ſtylo, hoc eſt columna dictum, quod ſtylarum flumen adlabitur, a quo oppidum nomen ſumpſit. Cui mons ſaxeus imminet celſus, diſtat a freto m.p. quinque, *Conſulinum* olim dictum, cujus meminit Mela, itemque Plinius, qui illud in hoc Locrenſi ſinu ponunt inter Cocynthum & Zephyrium promontoria. In quadam ſcriptura Græca, quæ eſt in monaſterio D.Mariæ è peſaca ſcriptum eſt, Stylum ſedem epiſcopalem fuiſſe, & eam Scyllatico adiunctam. In hoc agro fit goſſipium & ſeſama, fiunt & lina clara, Naſcuntur cappares, provenit Crocus, & ſiliqua ſilveſtris, & terebinthus, naſcuntur & herbæ medicinales, ut panax trigèna, ariſtolochia, centaurum, chamæleon, daucus, ſticas, ciſtus, hipociſtus, turbit, peucedanum, pyretrum, hypericon, chametreos, ameos, cyperus, ſtaphyſagria & aliæ multæ. Naſcitur æs, & chalcanthum, rubrica fabrilis, & lapis ophites optimus ejus generis, quo columnæ, quæ in Romano pantheon extant. Naſcitur argentum, & ferrum tribus locis conflatur & nunc hic ferrum. Non longe ab oppido Ioannis Abbatis divi Baſilij monachi cognomine tereſti, ideſt meſſoris, templum exiſtit; ubi ipſius corpus quieſcit, qui beati Nili coævus & amicus fuit, de quo alibi fati ſumus, ejus feſtum agitur ſexto Kal. Martias. Hic etiam & beatorum Bartolomæi & Nicolai divi Baſilij monachorum corpora iacere dicuntur. In hoc agro pagi ſunt *Patianum*, ubi aurum & argentum & cyaneus color naſcitur, ſunt & ferrifodinæ: *Camenum* ubi tubera naſcuntur: *Stenianum*, ubi lapis molaris frumentarius & olearius naſcitur. *Reatium* oppido par, & *Virdivallis* Guilelmo Syrleto nobilis. Hic Latinis, Græcis & Hebraicis literis, divinæque ſcripturæ ſcientia apprime eruditus eſt, & a Pio Rom. Pont. hujus nominis quarto S. R. E. Cardinalium ordini eſt additus. Inde eſt *Cocynthum* promontorium Locrenſem ſinum efficiens. *Quod*, ait Plinius, *longiſſimum Italiæ promontorium eſſe aliqui exiſtimant. Id*, ait Polybius libro ſecundo, *unus eſt Italiæ angulus meridianam plagam ſpectans Ionium, ac Siculum dividit mare*. A freto enim hucuſque, Siculum mare dicitur, a Cocyntho vero uſque Hydruntum Ionium mare nuncupatur, inde Adriaticum, *Hydruntum*, ait Plinius, *ad diſcrimen Ionii & Adriatici maris*. Diſtat Cocynthum a *Zephirio* promontorio m. p. circiter L. A Cocyntho rurſus Scyllaticus ſinus incipit, & *Lacinio* promontorio terminatur. Ovidius Met. lib. XV. in navigatione Æſculapij meminit Lacinij & Scyllacei, inde Cocynthi & Zephyrii promontoriorum, & Amphiſſiæ & Cauloniæ, & Naritiæ, ideſt, Locri; licet metri cauſa locorum ordinem minime ſervet. Ait enim, de Æſculapio loquens;

Italiam tenuit, præterque Lacinia templa
Nobilitata dea, Scylaceæque littora fertur.
Linquit Iapigiam, levibuſque Amphiſſia remis
Saxa fugit, dextra prærupta Cocynthia parte,
Zephyriumque legit, Cauloniamque, Naritiamque
Evincitque fretum, Siculique anguſta Pelori.

Iam vero oſtendimus inter Lacinium templum & Scillaceum tria Japigum promontoria eſſe. Sed quidam codices depravatos accipientes, magis depravant. Sunt enim qui pro Scyllacia legunt Scyllea, cum Scylleum poſt Euripum contra Pelorum ſit; pro Amphyſſia legunt Amphriſia, cum Amphryſus fluvius ſit in Theſſalia; pro Cocynthia legunt Ceraunia, cum Cerauni montes ſint in Epiro; pro Zephirio neſcio quod Romechium ſomniant. Non animadvertentes quod Ovidius Æſculapium ex Epidauro Romam navigantem Italiam attigiſſe navigio apertè ſcribat. Et nunc orientalis Calabriæ oræ loca, per quæ erat Aeſculapius tranſiturus deſcribit, inde reliqua Romam uſque non Epiri, aut alterius alicujus regionis, *Levibus*, inquit, *remis fugit*, *ſaxa Amphiſſia*: nam contra Amphiſſia ſaxa ſunt, inter quæ & urbem navigat, aut levibus remis quod mare illud, ut dixi ſaxoſum ſit, poſt Cocynthum promontorium ad ſextum lapidem Chaterena oppidum offertur edito loco, diſtat a mari m.p.quatuor, In hoc agro ſal foſſile naſcitur, & rubrica fabrilis, naſcuntur & cappares, provenit terebinthus, fit goſſipium & ſeſama, fiunt olea, & mella nobilia, oritur ciſtus, & hipociſtus, & aliæ nobiles herbæ. Hic panni fiunt ex lana coloria, nigri coloris haud ignobiles: fiunt enim multis modis, ex ſtamine ſerico, vel goſſipino, vel lineo, & ſubtegmine laneo. Item panni goſſipini tenues, quibus mulieres peplis utuntur, Inde *Badolatum* oppidum ſeſe offert edito loco a *βάδομαι* verbo Græco, quod diligo ſignificat, quod is locus dilectione dignus ſit. Secundum oppidum Bruda fluvius labitur, abeſt a *Catherena* m.p.tribus, a mari duobus. In hoc agro goſſipium & ſeſama fiunt, item vina olea & mella, & ſerica inſignia, provenit terebinthus. Fiunt hic & goſſipini panni quales Chatarenæ. Sunt in hoc agro pagi *Andreas* & *Iſca*. Non procul ab oppido Calipparus amnis navigabilis fluit. Inde Alaca fluvius alter labitur. Dehinc *Satrianum* oppidum occurrit edito loco, *Cacinum* olim dictum, diſtans a freto m.p.quatuor, a Badolato

lato decem, quod Cæcinos amnis navigabilis adlabitur. De *Cæcino* oppido meminit Mela, qui ipsum in Scyllatico sinu ponit: de Cæcino fluvio meminit Plinius: qui *in hoc sinu*, inquit, *amnes navigabiles sunt Cæcinos, Crotalus, Semiris, Arocha, Targines.* Item Stephanus, *Cæcinum*, inquit, *oppidum & fluvius*: meminit & Thucidides libro 3. ubi ait: *Laches & Athenienses egressi e navibus nonnulla in loca Locridis iuxta Cæcinum amnem. Locrenses ad arcendam vim occurrentes, cum Proxeno Capatonis filio circiter trecentos cæperunt, detractisque armis abierunt. Ad Cæcinum amnem*, ait Pausanias, *Euthymus apparere desiit.* Hic mel optimum fit, fit & gossipium & sesama, nascitur terebinthus, & gypsum e terra foditur. In hac orientali Calabriæ ora, ut semel atque iterum ac tertio dixi, passim & ubertim provenit terebinthus, & vitex, & tamarix, & oleander, & lentiscus. Sunt in hoc agro pagi *Sestum*, & *Daulum*, quod pingue sonat. Post Cæcinum *Galeatum* vicus est. Inde *Petritium* castellum, salubri loco situm cum vino & melle optimis, abest a marim. p. tribus. Hic etiam terebinthus provenit. Non longe est *Claravallis* castellum alterum cum linis optimis non cedentibus Alexandrinis. Inde est *Suberatum* castellum supra mare paulum edito loco, quod Beltrana fluvius præterfluit, abest a Cæcino m. p. quatuor, in æde divæ Mariæ beati Francisci Sapanensis corpus quiescit. Sunt in hoc agro pagi *Argutum*, & *Cardinalum* cum linis optimis, qualia fiunt Claravalli, fit & caseus optimus, extant & horti nemorosi citrorum, limonum, & malorum aureorum. Inde est *Montipaonum* tenue oppidum, distat a Suberato m. p. duobus, a freto milliario. Hic iuxta Melitæum frontem quercus est nunquam folia dimittens. Exinde est *Scyllaceum* civitas nobilis & vetustissima sedes episcopalis edito ac natura munito loco sita, undique rupibus vallata, inter duos amnes, qui subtus urbem in unum coeunt, abest a freto m. p. tribus ab Auxonijs, aut ab Oenotriis condita, & inde ab Athenienſibus colonia deducta. Quandoquidem, ut sæpe dictum est, Auxonii in utraque Calabriæ ora multas condidere urbes, inde Oenotrii ea potiti, urbes crebras & parvas construxerunt. Postea Athenienses, & Phocenses, & Philoctetes, & Idomeneus complura oppida in Calabria aut ædificaverunt, aut colonias deduxerunt. De hac autem urbe ita Strabo scribit: *Scyllaceum Athenienſium colonia, qui Mnesthei comites fuere.* Hoc tempore *Scyllaceum* vocatur. Tenentibus autem Crotoniatis, Dionysius Locris terminum statuit. Ab urbeq; sinus ipse Scyllaticus nomē accepit; qui ad Hipponiatem sinum isthmum, quem diximus efficit. Conatus est autem Dionysius isthmum illum mœnibus munire, in ea expeditione, quam contra Lucanos suscepit. Verbo quidem ut intra isthmum habitantes redderet adversus barbaros tutiores; re autem vera, ut communem Græcorum invicem concordiam dissolveret, & securius interiores suo subderet imperio. Verum exteriores incursione facta vetuerunt. Mnestheus autem, cuius comites hanc urbem coloniam deduxerunt rex fuit Athenienſium electus, Theseoq; suffectus; qui Ilium in expeditionem Græcorum est profectus, ut Plutarchus in Theseo scribit. Plinius etiam ait: *Sinus & Scyllaceum, quem occurrens Terineus sinus peninsulam efficit, & in eo portus, qui vocatur castra Annibalis nusquam angustiore Italia, XX. m. pass. latitudo est.* Id etiam Strabo & Aristoteles asserunt. Fuit Scyllacium Romanorum colonia, ut C. Velleius Paterculus lib. primo scribit. De nobilitate Scyllatici agri Athalaricus rex nepos ex filia Theodorici ad Severum scribit. Ex hac urbe fuit Cassiodorus vir & doctrina & sanctitate perspicuus, ut mox ex epistolis eius liquebit, qui, præter cætera, se huius urbis patriotam appellat. Item Theodoricus rex in Epistola quæ est ad Cassiodorum clarè ostendit, ipsum fuisse Calabrum, in qua eius virtutes scribit & laudes. Cui postquam Siciliam insulam gubernandam attribuit, Brettiam i. Calabriam genitale solum, regendam tribuit. Libuit hic regis epistolam innectere, quæ hæc est: *Cassiodoro viro illustri atque Patricio Theodoricus rex. Quamvis proprio fruatur honore quod est natura laudabile, nec desunt probatæ conscientiæ fasces, cum generant animo dignitates (Omnia siquidem bona suis sunt iuncta cum fructibus: nec credi potest virtus, quæ sequestratur à præmio) tamen iudicii nostri culmen excelsum est, quoniam qui à nobis provehitur, præcipuis plenus meritis extimatur. Nam si æquabilis credendus est, quem iustus elegerit, si temperantia præditus, quem moderatus ascivit, omnium profecto capax potest esse meritorum, qui iudicem cunctarum meruit habere virtutum. Quid enim maius quæritur, quàm ibi invenisse laudum testimonia, ubi gratificatio non potest esse suspecta? Regnantis quippe sententia iudicium de solis actibus sumit, nec blandiri dignatur animus domini potestate munitus. Repetantur certe quæ te nostris sensibus infuderunt, ut laboris tui fructum capias, ut nostris animis singula suaviter inhæsisse cognoscas. In ipso quippe imperii nostri devotus exordio, cum adhuc fluctuantibus rebus provinciarum corda vagarentur, & negligi rudem dominum novitas ipsa pateretur, singulorum suspicantium mentes ab ostinatione præcipiti deviasti, culpam removens illis, nobis necessitatem subtrahens ultionis. Egit salubris persuasio, quod vehemens non poterat emendare districtio. Lucratus es damna provinciæ, quæ meruit sub devotione nescire. Ubi sub præcincto marte civilia iura custodiens, publica privataque commoda inavarus arbiter extimabas. Et proprio censu neglecto sine invidia lucri, morum divitias retulisti, excludens vel querelis aditum vel derogationibus locum. Et unde vix solet reportari patientiæ silentium, voces tibi militavere laudantium. Novimus enim testante Rullio, Siculorum natura quam sit facilis ad querelas, ut solita consuetudine possint iudices etiam de suspicionibus accusare. Sed nos eorum præconiorum fine contenti, Lucaniæ & Brettiorum tibi dedimus mores regendos, ne bonum quod peregrina provincia meruisset, genitæ*

Digitized by Google

nitalis soli fortuna nesciret. At tu consuetudine devotiones impendens eo nos obligasti munere, quo tibi putabamus omnia reddidisse. Inde ampliando debitum, unde credi poterat absolutum, egisti te per cuncta judicem totius erroris expertem, nec invidia quenquam deprimens, nec gratia blandientem sublimans. Quod cum ubique sit arduum, tamen sit in patria gloriosum, ubi necesse est, aut gratiam parentela provocet, aut odium longæ contentiones exasperent. Oblectat igitur actus præfecturæ recolere totius Italiæ notissimum bonum, ubi cuncta provida ordinatione disponens, ostendisti quam leve sit stipendia sub judicis integritate deprehendere. Nullus graviter intulit, quod sub æquitate persolvit. Quia quicquid ex ordine tribuitur, dispendium non putatur. Fruere nunc bonis tuis, & utilitatem propriam, quam respectu publico contempsisti, recipe duplicatam. Hæc est enim vitæ gloriosa commoditas dominos esse testes, cives habere laudantes. His ergo tot amplissimis laudib. incitati Patritiatus tibi apicem justa remuneratione conferimus, ut quod aliis est præmium, tibi sit retributio meritorum multæ summæ, vir felicitate laudabili: qui ad hanc vocem dominantis animos impulisti, ut bonorum tuorum potius fateremur esse, quod credimus. Sed hæc divino perpetrata auxilio, ut cum hæc pro remuneratione tribuimus, ad meliora iterum tuis meritis exigamur. Ipse vero Cassiodorus libro 12. in epistola ad Maximum præpositum de laude Scyllacei patriæ suæ, & muris sui scribens, sic ait: *Scyllaceum prima urbium Brettiorum, quam Troiæ destructor Ulysses creditur condidisse, irrationabiliter dicitur præsumentium nimietate vexari, quod nobis præsidentibus non oportuisset assumi: quia læsiones eius cogimur plus dolere dum patriotica nos probetur affectione contingere. Civitas supra sinum Adriaticum constituta in modum botrionis pendet in collibus, non quòd difficili ascensione turgescat, sed voluptuose campos virentes, & cærulea maris terga respiciat. Hæc nascentem solem ab ipsis cunabulis intuetur, ibi ventura dies non præmittit auroram, sed mox ut oriri cœperit lampadem suam vibrans fulgor ostendit. Gaudentem respicit Phœbum, propria illic luminis claritate resplendet, ut ipsa magis solis putetur esse patria, Rhodi opinione superata, fruitur luce perspicua. Aeris quoque temperatione dotata, apricas hyemes, refrigeratas sentit æstates, & sine aliquo mœrore transigitur, ubi infecta tempora non timentur. Hinc & homo sensu liberior est, quia temperies cuncta moderatur. Patria siquidem fervens leves efficit, & acutos frigida tardos, & subdolos, sola temperata est, quæ mores hominum sua qualitate componit. Hinc est quòd antiqui Athenas sedem sapientum esse dixerunt, quæ aeris puritate peruncta lucidissimos sensus ad contemplativam partem felici largitate præparavit. Nunquid n. tale est corpori aquas cœnosas sorbere, quale perspicuitatem lucidissimi fontis haurire? sic animæ vigor oneratur, dum spiritu graviore comprimitur. Subiacemus n. necessariò talib. rebus, quando nubilo tristes efficimur, & iterum naturaliter ad serena gaudemus: quia cœlestis animæ substantia ad infecta quæq; & purissima lætatur. Fruitur marinis quoque copiosa deliciis, dum possidet vicina, quæ nos fecimus, claustra Neptunia. Ad pedem siquidem Moscii montis saxorum viscerib. excavatis, fluenta Nerei purgitis decenter immisimus, ubi agmen piscium sub libera captivitate ludentium & delectatione reficit animos, & admiratione mulcet obtutus. Currunt avidi ad manus hominum, & antequam cibi fiant, escas expetunt. Pascit homo delicias suas, & dum habet in potestatem, quod capiat, frequenter evenit, ut repletus omnia derelinquat. Spectaculum quoque pulchrè admirandum non adimitur in civitate sedentibus. Cernuntur affatim copiosæ vindemiæ, arearum pinguis tritura conspicitur, olivarum quoque virentium vultus aperitur. Non eget aliquis agrorum amœnitate, cui datum est de urbe cuncta conspicere. Hanc quia modo non habet muros civitatem, credis ruralem, villam judicare possis urbanam, inter utrunque posita copiosa nascitur laude ditata. Hanc dum frequenter invisere desiderant commeantes, dum tædia laboris refugere cupiunt, amœnitate civitatis in paraveredorum & annonarum præbitione propriis cives fatigantur expensis. Quapropter ne lædat urbem amœnitas sua, aut res præconii fiat causa dispendii, paraveredorum, & annonarum præbitionem secundum evectiones concessas, in assem publicam constituimus imputari. Pulveratica quoq; judicis funditus amputantes, trium tantum etiam dierum præsulibus annonas præberi, secundum vetera constituta decernimus, suis expensis facta tarditate vecturæ. Leges enim administrantes, remedio non oneri esse voluerunt. Qua de re æquitatis intuitu civitas vestra relevare judiciarium est, quod tibi referimus, non remissum. Vive juvante Deo justicia sæculi, & securitatis gaudio singulari. Alii dicant insulas, ego vero habitationes tuas appellarem potius fortunatas.* Civitas *vestra*, & habitationes *tuas* dicit, quia Maximus, ad quem scribit, Scyllaticæ regionis præpositus erat, & Scyllacei residebat. Et libro eodem ad Anastasium Cancellarium Lucaniæ & Brettiorum præpositum de caseo & vino Brettiano, & præsertim Scyllatico vino loquens, ait: *Cum apud rerum dominum solemni more pranderemus, & diversæ provinciæ de suis deliciis laudarentur, ad vina Brettiorum & Scyllatica ei suavitate currente, ut assolet, sermone perventum est. Quod herbarum beneficio tanta ibi naturæ jucunditate conficitur, ut non credas deesse mellis gustum, quem nulla conspicis qualitate permixtum. Manet illic leviter provocatum lac uberib. fistulosis, & quasi in alios ventres naturæ ubertate collectum, non guttis impluit, sed quibusdam repentinis torrentib. influscit. Redolet suavis & varius odor herbarum, naribus agnoscitur pecudum pastus, qui flagrans virtute diversa, thuris sentitur inspirare similia. Huic tanta pinguedo sociatur, ut arbitreris simul decurrere Palladium liquorem, nisi quod ab illa prasina viriditate niveo candore discernitur. Tunc cadis late patentibus copia illa mirabilis læto nimium pastore suscepta cum admixtione coaguli in callosam cœperit teneritudinem condurari, ad*

pulcherrimum orbem forma perducitur, quæ sub terraneis horreis aliquantulum congregata diuturnam caſei facit eſſe ſubſtantiam. Hoc quanto eius ſuperimpoſitum navigiis deſtinabis, ut deſideriis regalibus parvo munere ſatis feciſſe videamur? Vinum quoq; quod laudare cupiens Palmatianum nominavit antiquitas, nos ſtipſm à ſpiritu, ſed gratum ſuavitate perquiere. Nam licet inter vina Brettia videatur extremum, factum eſt tamen penè generali opinione præcipuum. Ibi n. reperitur & Gazaro par, & Sabino ſimile, & magis odoribus ſingulare. Sed quia illud famam ſibi nobiliſſimam vendicavit: Hoc & in ſuo genere nimis elegans perquiratur, ne prudentia majorum aliquid appellaſſe videatur improprium. Eſt n. ſuavi pinguedine molliter craſſum, vivacitate firmiſſimum, nare violentum, candore quoq; perſpicuum. Quod ita redolet ore ructatum, ut merito illi à palma nomen videatur impoſitum. Viſcera defecta conſtringit, vulnera madida deſiccat, lapſum reficit pectus, & quod vix valet implere potus arte conpoſitus, hic naturaliter præſtat infectus. Sed provide, ut ſupradictas ſpecies exactas debeas deſtinare, quia falli non poſſumus, qui hoc patriotica veritate retinemus. Ad præſens enim de cellariis noſtris quæ deſiderabantur obtulimus, tu autem tuo periculo diſſimilia facis, quorum jam indicia tenere poſſe cognoſcis. Item de admirabili cujusdam fontis natura agri Scyllatici, qui Arethuſa dicebatur, ad Severum præpoſitum ſcribens libro octavo, ita dicit: *Cum Niſandus vir ſublimis pro cauſis ſuis ad comitatum ſacratiſſimum feſtinaret, itineris longinquitate confectus, animalia feſſa reparare contendens ad fontem Arethuſæ in Scyllatico territorio conſtitutæ elegit ponere manſionem. Eo quod ipſa loca & paſturarum ubertate fœcunda ſint, & inundatione aquarum pulchreſcant. Eſt enim, ut dicitur, ſub pede collium ſupra maris arenam fertilis campus. Ubi fons vaſtus egrediens cannis in coronæ ſpeciem cingentibus riparum ſuarum ora contexit, amœnus admodum, & arundineis umbris, & aquarum ipſarum virtute mirabilis. Nam cum ibi tacitus homo & ſtudiosè ſilentioſus adveneriſ, aquas fontis irrigui repperit ſic quietas, ut in morem ſtagni non tam currere, quàm ſtare videantur. At ubi concrepans tuſſis emiſſa fuerit, aut ſermo clarior fortaſſe ſonuerit, neſcio qua vi aquæ ibidem concitatæ proſiliunt. Os illius gurgitis ebullire videas graviter excitatum, ut putes aliquam rigentem ſuccenſæ ollæ ſuſcepiſſe fervorem. Silenti homini tacitè, loquenti ſtrepitu & fragore reſpondens, ut ſtupeſcas ſic ſubito perturbatam, quam nullus tactus exagitat. En nova vis, inaudita proprietas, aquas voce hominum commoveri. Et quaſi appellatæ reſpondeant, ita hominum ſermonib. provocatæ neſcio quid immurmurant. Credas ibi aliquod animal proſtratum ſomno quieſcere, quod excitatum magno ſtrepitu tibi reſpondeat. Arethuſa n. fons multis locis eſſe fertur, diciturq; ab irrigando.* Fuit Caſſiodorus in ſecularib. diſciplinis, omnium ſuo ſeculo facile eruditiſſimus. Sed ſeculi honorib. contemptis divi Benedicti monachus factus divinarum ſcripturarum ſcientia atque etiam ſanctitate effulſit. Fuit Abbas Cœnobii, quod eſt Ravennæ; ſcripſit epiſtolarum libros 28. Hiſtoriam tripartitam in libros duodecim, in epiſtolas Catholicas libros ſeptem: in Actus Apoſtolorum librum unum: Inſtitutionem ſecularium literarum libros novem: Inſtitutionem divinarum lectionum libros duos: de ratione animæ librum unum: In Cant. Canticorum librum unum: Memoriale ſcripturarum lib. unum: Complexiones in Apocal. lib. unum. Sacerdotem prænominatum lib. unum: in totum pſalterium lib. unum, ubi pſalmorum occulta pracipuè potentiſſime reſeravit. Catalogum Conſulum Romanorum lib. unum: de etymologiis lib. unum: de orthographia lib. unum: de ſchematibus & tropis lib. unum. Claruit temporibus Juſtini ſenioris uſque ad imperii Juſtini junioris finem. Obiit annum agens XCVI. à Chriſto nato DI.XXV. Functus eſt autem Romæ magnis ac ſummis honoribus ac magiſtratibus: nam fuit Senator & Quæſtor, & Conſul, & magiſter officii, & præpoſitus officiorum Theodorici & Alarici regum, & totius Italiæ præfectus. Eſt Scyllatica Eccleſia vetuſtiſſima. Zacharias epiſcopus Scyllaticus interfuit Synodo Romanæ ſub Vigilio Papa, & Paulus epiſcopus Scyllaticus interfuit Synodo Conſtantinopolitanæ ſextæ ſub Agathone Papa, & Gaudentius epiſcopus Scyllaticus interfuit Synodo Romanæ ſub Hilario Papa. In æde Epiſcopali divi Agathii corpus quieſcit, aſſervantur & fruſtula dominicæ crucis, & crinium Beatæ Mariæ Virg. & Mariæ Magd. & Beatorum Apoſtolorum Matthæi & Bartholomæi. In calamitate illa, quam univerſa Calabria & Lucania ab Agarenis, & Cretenſib., Mauris & Carthaginienſibus perpeſſæ ſunt, Rhegium ob Archiepiſcopi ſanctitatem, & Scyllaceum quod tuto ac munito loco eſt, nil adverſi tulerunt. Credebatur hic nobile emporium annuatim. Fiunt figlina opera inſignia, utpote patinæ, lances, diſci, & alia id genus. Fiunt & vina, olea, mella, & linea optima; ſunt aurifodinæ & argentifodinæ; naſcitur marmor. Effoditur gypſum trigenum, ſpeculare, & marmoroſum, & alabaſtritæ ſimile, ſive ut quibusdam placet, alumen ſciſile. Fit goſsipium, & ſeſama, & oriza cum libet, fit & triticum laudatiſsimum, provenit therebinthus, vitex, tamarix, & oleander. Sunt in hoc agro pagi *Stalarum*, a ſtalizo ſtillo, & mons ſive promontorium eodem nomine *Moſcius* olim dictus, in ima parte cujus ſecus littus Caſsiodori villa fuit. Hic tubera producuntur, & aſparagi ſponte omnibus menſibus anni intyborum campeſtrium fimbriæ dulces ſunt. In templo hujus pagi eſt corpus beati Gorgonij. *Montaurum*, ubi divi Pantaleonis fruſta quædam aſſervantur. *Gaſparina*, *Vitum* cum linis optimis minimum invidentibus Alexandrinis. Hic ſanctorum Viti, Modeſti, & Creſcentiæ corpora iacere dicuntur. *Lucedanum*, *Olivadum*, *Centracum*, *Palermitum*, ubi effoditur marmor, *Helia*, *Amaronum*, *Florum*, & *Borgia*; ſunt & in Scyllatico agro caſtaneta morſalium uſui & porcis alendis opportuna. Intus

Digitized by Google

tus est *Gemilianum* oppidum, quod Crotalus amnis præterfluit, abest a Scyllaceo m. p. novem, a freto duodecim. Oppidani ligneis vasis conficiendis navant operam. In hoc agro chalcanthum nascitur, & cos olearia oleo trahens aciem. Ex hoc oppido fuit Tiberius Rosellus philosophus Augustini Niphæ auditor. Qui Neapoli post præceptorem suum primum locum inter philosophos obtinebat. Salerni plures annos philosophiam publicè est professus. Inde Africæ visendæ impatiens eam adiit, ubi a suo manci-B pio sopore sepultus interfectus est. Viget modo Joannes Chrysostomus divi Benedicti Monachus spectatæ vitæ vir Latina & Græca lingua impensè eruditus Archiepiscopus Dyrrhachinus m. p. octo ab oppido divæ Mariæ a Coratio cognomine templum extat Cistercienſium monachorum cœnobium ubi multorum sanctorum frusta asservantur. Ad secundum lapidem a Gemiliano *Tyrium* oppidum est vetustissimum edito loco situm, distat a freto m. p. duodecim, a Scyllaceo novem. Fuit ab Athenienſibus aut conditum, aut deducta colonia, Hierone ductore, circiter Olymp. septuagesimam, ut Plutarchus in Nicia tradit. Ubi sic ait: *Hieron colonia, quam Athenienses in Italiam miserunt, ductor constitutus fuit, & Tyriorum civitatem ædificavit.* Licet quidam Thuriorum legant. Sed porro allucinantur; nam Thurium coloniam deduxit Pericles, quo cum sene Nicias iuvenis præturam gesit. Hic caseus laudatissimus fit. Extat mons D sublimis nobilibus herbis medicinalibus refertus, sunt enim Apennini juga. In hoc agro vicus est *Sitigianam*, nec longe *Marcionaria* vicus alter. Inde fretum redeunti *Arocha* castellum occurrit, quod Crotalus fluvius adlabitur. Ex hoc castello fuit Agathius Guidacerius presbiter integræ vitæ vir Latina, Græca, & Hebraica lingua apprimè eruditus. Romæ Hebraicas literas publicè docuit Leone & Clemente Pont. Inde bibliotheca quam multo studio sibi compara-E verat amissa, ea in direptione, quæ per Carolum Borbonium facta est, Parisios adijt, ibi plures annos eadem literas publicè est professus. Edidit rudimenta Grammaticæ Hebraicæ linguæ. Scripsit ad Clementem septimum super cantica, & super aliquot psalmos, & in Danielem. Migravit è vita Parisiis Pauli tertij Pont. anno octavo, ætatis suæ anno sexagesimoquinto. Exinde est *Girifarcum* castellum cum oleo optimo, cujus ager frumenti & aliarum frugum ferax F est, & pabulis, necnon phasianorum, externarum, & coturnicum aucupio commodus: nascitur reoponticum. Secus littus a Scyllaceo m. p. sex cujusdam oppidi vestigia visuntur, quod a Cretensibus, Mauris, & Carthaginiensibus excisum fuit. Iuxta locum hunc Crotalus amnis navigabilis in mare defluit, cuius, ut dixi, meminit Plinius, qui olim Crotoniensem agrum a Locrensi dispescebat, nam antea illum Cæcinos disterminabat. Siquidem Scyllaceum Crotoniensium erat, ut dudum ex Strabone ostendi. Qui & alibi ait: post Scyllaceum Crotoniatarum fines sunt: sed Dionysius Tyrannus illud Crotoniatis adimens Locrensium iuris fecit. Tota nempe ora hæc a Cæcino prius ut dixi, inde a Crotalo amni usque ad Hyliam, nunc Triontum flumen sub Crotoniensium ditione erat: ab Hylia vero usque ad Acalandrum flumen Thuriorum. A

LIBER QUARTVS

POst Crotalum flumen *Catazanum* civitas nobilis extat inter Crotalum ipsum, & Allium amnes edito, salubrique situ locata, loci natura & inde manu munita; distat a freto m. p. sex, a Scyllaceo duodecim, est sedes episcopalis. Novum opus. Fuit autem a Fagitio Nicephori Imperatoris in Italia procuratore conditum, post vastitatem eam, quam universa Calabria, Lucania, & Apulia perpessa est. Condidit etiam Fagitius C ipse in hac vrbe Ecclesiam in honorem Michaelis Archangeli, quam Stephanus Archiepiscopus Rheginus consecravit. Dictum est autem Catazanum a *Cathao* verbo Græco, quod significat sedeo, quòd hoc condendæ urbis loco delecto, hic consederint. Vel a *cata* idest super, & *Zao* hoc est vivo, & oros idest mons, quod super hunc montem, aeris temperie cœlique amœnitate præstantem, condita sit urbs. Vnde *Catazarum* esset appellanda. Quæ adeo coaluit, ut hac tempestate inter primas Calabriæ urbes annumeretur. Hic omnis generis, & versicolores sericei panni, & ii optimi texuntur, quibus conficiendis textores adsunt plurimi, telariaque plurima in ea sunt. In æde Episcopali, beati Vitaliani membra aliquot, & beati Teodori brachium asservantur. Nuper excessit e vita Joannes Jacobus Parisius huius urbis civis philosophus. Qui Patavij, & inde Romæ plures annos philosophiam publicè est professus. Scripsit super primam philosophiam, & super animam Arist. & alia. In hoc agro vina clara fiunt, gypsum speculare, & color cyaneus, provenit terebinthus, & vitex, & oleander, fit gossipium, & sesama, & oriza. Inde est *Taberna* civitas nobilis iuxta Silam Sylvam (hic n. incipit Sila) *Trischenes* urbis reliquiæ, quam Allium flumen torentinis, & anguillis uber adlabitur. Abest a Catazaro m. p. octo, a freto quatuordecim. Fuit autem Trischene civitas nobilis, & magna ac populosa muris & turribus cincta inter Crotalum, & Semirim amnes non longe à freto. Quæ cum a Cretensium, Maurorum, & Carthaginiensium exercitu graviter obsideretur, cives se diu viriliter tutati sunt, sed longa obsidione & insidiis expugnata tandem fuit & direpta. Fuit & sedes Episcopalis antiquissima, nimirum Lucius episcopus Trium tabernarum interfuit Synodo Romanæ sub Hilario Papa. Et Decius Episcopus Tabernarum interfuit Synodo Romanæ sub Felice Papa. Hæc sedes, ut in codice Vaticano scriptum est, ad sanctam Romanam sedem pertinebat. In monasterio D. Mariæ è Pelaca epistola extat Gregorij Papæ

pæ ad episcopum Ioannem Scyllaticum, qua ei Tabernensem episcopalem ecclesiam regendam committit. Extat & epistola Callisti Papæ ad populum Tabernensem, qua Ioannem episcopum Tabernensem consecrasse scribit. Gregorius Papa hanc ecclesiam ob civitatis vastationem Ioanni archiepiscopo Rhegino commendat, Ecclesiæque suæ unit. Dicta autem fuit *Trischene*, ideſt tres tabernæ sive tria tabernacula, quod cum ibi tres principales Ecclesiæ essent, episcopus urbis in eis alternatim principalibus festis diebus divina facere consueverat. Cæterum post vastitatem illam Nicephorus Græcorum Imperator Gorgolanum in Calabriam misit, ut urbes diutas resarciret, aut alib eas transferret, Terina, & Taurianum & Arocha, & Trischene in novas sedes translatæ sunt, reliquæ eisdem in locis resarcitæ. Restituitq; eis Gorgolanus episcopales cathedras. Trium tabernarum Ecclesiam Stephanus archiepiscopus Rheginus consecravit. In templo Minoritarum beati Matthæi Mesurgacensis corpus quiescit. Tabernenses mortuo episcopo Nicolaum Marinum in suum episcopum delegerunt. Incolæ plurimum Latinam linguam usurpant, liberalibusque disciplinis, & juri civili navant operam, atque ob gratam cœli temperiem præclara ingenia gignuntur. Affluit & urbs optimarum aquarum scaturiginibus. Nascuntur in hoc agro vina clara. Nascitur & Chalcanthum, & lapis specularis. Provenit Terebinthus affatim, extant & sylvæ glandiferæ, & castaneta saginandis porcis commoda. Suntque pagi *Sorbum*, *Nucum*, *Mardanisum*, *Sabutium*, *Fossatum*, *Pentonum*, *Ioannum*, *Album*, *Dardanisum*, *Magisanum*, *Viculsium*, *Petrium*, ubi stibium nascitur; lapis est plumbeo colore, unctuosus & tener, qualis nascitur in Britannia, & Romam deportatur. Ab urbe ad secundum lapidem est divæ Mariæ templum, divi Basilij monachorum cœnobium, ubi una costarum divi Laurentij, & frusta divi Basilij, & Senatorij, & Cassatorij, & Dominatorij, & Pancratii, Polycarpi, Sebastiani, Trifonis, & aliorum Sanctorum asservantur. A Taberna ad fretum tendenti *Asylia* castrum occurrit edito loco inter Allsum, & Semirim amnes, quod defensaculum significat. Ager hic frugifer est, nascuntur vina præclara, fit gossipium, & sesama, nascitur color cyaneus, provenit terebinthus. E regione Asiliæ parte læva *Zachariſum* oppidum est edito loco secundum Silam sylvam, quod nomen utile significat. In hoc agro spina pontica, & rheuponticum, & lapis phrygius producuntur. Subtus Asiliam *Semiris* oppidulum est, edito loco, & iuxta ejusdem nominis amnis navigabilis anguillis fœcundus excurrit, cuius, ut alibi dixi, meminit Plinius, a quo oppidum nomen sumpsit, distat a mari m. p. quinque, a Catazaro sex. Ager hic frumenti & aliarum frugum ferax est, & pascuus. Fiunt vina, & mella nobilia, legitur manna, fit gossipium, sesama, & oriza; nascuntur cappares, provenit terebinthus, & vitex, fit & caseus optimus. Post Semirim amnem *Crotanum* oppidum est; abest a Semiri m. p. octo, a freto quatuor. Ager hic Campestris est, & frugifer. Fit amygdalarum copia, & gossipium ac sesama. Scaturit & fons salsus, legitur manna, fiunt vina, olea, mella, & serica optima. A Semiri amni Cariatum tenus vulgò agri feraces sunt, & campi pascui, & novales roscidi, triticum candidum ferunt. Non longe a Cropano Arocha fluvius navigabilis defluit, cuius meminit Plinius. Dein est *Belicastrum* civitas, sedes episcopalis edito loco sita, distat a Cropano m. p. quatuor, a mari octo. Hanc *Chonam* esse arbitror, quam Lycophron appellat opulentam. Et Strabo ipsam Philoctetem circa Peteliam, a qua abest m. p. decem, condidisse ait. Necnon eundem circa Peteliam ipsam super Crimissam promontorium, de quo paulo post, Crimissam urbem, aliasque deinceps urbes construxisse tradit. Ait enim, ubi de Petelia fatus est: *circa loca ipsa Philoctetes, & vetustam condidit Crimissam.* Apollodorus quidem in expositione navium Philoctetæ mentionem inferens nonnullos dixisse ait, ut Philoctetes ad Crotoniatarum agrum profectus promontorium Crimissam habitari fecerit. Et supra illud oppidum *Chonin*, a quo Chones incolæ dicti. Et *Pumenum*, & *Versinæ* interius, & *Calaserna*, & exigui quidam alii vici usque Venusam urbem celebrem extant. Philoctetes enim in Crotoniata regione oppida quædam condidit, quædam ab Auxonijs, & Oenotrijs condita, veluti colonias suis habitanda præbuit. Chonam autem, hoc est, Belicastrum Nascarus fluvius, Syrus olim dictus adlabitur, De quibus Lycophron in Alexandra ait. *Et Syrus celer fluvius fluit irrigans profundam Choniæ fertilitatem.* Id quod urbi huic convenit. Ager enim hic frumenti, & aliarum frugum ferax est; nascuntur vina nobiliſſima, & olea, ac mella optima fiunt. Non caret urbs aquarum scaturiginibus; extat & fons nobilis Charia dictus, quod gratiosum significat. Extat & fons sallam aquam manans, ex qua fit muries. Nascuntur cappares; fit gossipiũ, & sesama; provenit terebinthus; nascitur gypsum speculare, & marmorosum, & alabastritæ simile; nascitur & rubrica fabrilis, & terræ genus quoddam, ex qua fit color gilvus; nascitur & silex; legitur manna. Quocirca non abs re belicastrum ei nomen inditum est. Ex hac urbe fuit divus Thomas cognomine Aquinus, doctor eximius, prædicatorum ordinis, cœnobita Landulphi, qui hujus urbis, & vicinorum oppidorum dominus erat, filius matre Theodora. Non enim Aquinus dictus est, quod Aquini natus sit, quæ urbs in Frentanis in Samnio est, non in Campania, ut Geographiæ rudes quidam falsò scribunt: sed quod id vocabulum Aquinas divi Thomæ familiæ gentilitium nomen est. Extat etiamnum in Calabria multis locis Aquina familia, ut Consentiæ, ut Tropeæ, & alibi, ubi viri nobiles sunt & locupletes, ac præter cæteros, viget modo Cæsar Aquinus divi Thomæ agnatus, ac gentilis, Castioni, quod oppidum, ut ostendi in Calabria est, dominus. Quare altius nobis repetenda est historia. Nimirum divi Thomæ familia initio a nobili Frangipani.

Digitized by Google

pani Romana familia, quæ olim potens admodum fuit, originem ducit, ex qua & divus Gregorius papa fuit. Huius familiæ unus quispiam, inter cætera oppida Aquinum etiam Samnij oppidum possidebat, a quo Aquina, sive Aquinia familia cognomen sumpsit, quod ad posteros manavit deinceps. Qui cognominandi mos etiamnum Romæ viget, nam ferè omnes oppidorum domini ab oppidis ipsis cognomina mutuantur. Aliique prope innumeri vel ab oppidis ubi orti sunt, aut quibus imperant, cognomina sumunt: quinetiam plerique a provinciis quoque cognomina mutuantur. Divi autem Thomæ maiores, qui ea ratione, qua diximus, Aquina, sive Aquinia cognomine dicti sūt, urbi huic Belicastro dominabantur, in eaque agebant, in qua & divus ipse Thomas est ortus. In annalibus enim magistrorum ordinis prædicatorum, sic scriptum est. *Thomas de Aquino in linea paterna natus est ex genere Comitum Aquinorum, qui dicuntur de Loreto & de Belcastro, & antiquitus dicebatur de Frangipanis Romanis. Quæ fuit progenies sanctissimi Gregorii papæ primi huius nominis, & progenies est antiquissima. Retulit dominus Bernardus comes de Loreto se habere unum instrumentum apud se pertinens ad progeniem suam, in quo Boethius Senator summus philosophus & theologus, qui alias sanctus Severinus appellatur, pro teste inducitur, in quo ipsa domus de Loreto & de Belcastro vocatur de Francipanis, ut reperitur in quadam chronica antiqua in conventu sanctorum Ioannis & Pauli Venetiis. In linea vero materna habuit matrem Neapolit anam Theodoram nomine, quæ habuit duas carnales sorores, quarum una mater extitit Petri serenissimi regis Aragonum; altera autem mater fuit inclyta Ludovici regis Siciliæ.* Comitum, inquit, Aquinorum plurativo numero, hoc est Aquinæ familiæ, qui dicuntur de Loreto, & de Belcastro, id est, qui his oppidis dominabantur, Matre tantum Neapolitana fuit. Constat ergo Aquinam familiam vel Boethij tempestate Belicastro dominatam fuisse. Quamquam non desunt Calabræ gloriæ parum faventes, qui nolint Thomam Calabrum fuisse: qui præter rem mihi subirascentes, locum illum annalium prædictorum, ceu falsum, immutandum, aut delendum se curare dixerunt. Iam vero constans apud cives suos Belicastrenses memoria hucusque durat, Thomam ipsum hic fuisse ortum. Extat insuper in huius urbis arce ædicula, in qua pictura est vetustissima hujusmodi. Pictus est Thomas ipse puerili specie aperto sinu rosas recentes patri ostendens. Cum enim in hac regione ingens caritas esset, Thomas iam tum puerulus pietate incensus quidquid habere poterat erogabat egenis. Cumque aliquando huiuscemodi præclaro facinore ipsius pater hyberno tempore deprehenderet, sciscitareturque quidnam gestaret in sinu, ipse pavore perculsus se rosas gestare respondit, illicove sinum aperuit, & veræ rosæ recentes visæ sunt, proinde atque si tum ex rosario decerptæ essent. Hoc miraculum ostendit Deus illius futuræ sanctitatis indicium. Edidit animam in Monasterio Fossæ Novæ agri Terracinæ; quod oppidum non in Campania est, ut quidam scribunt, sed in Latio, humanæ salutis anno MCCLXXIIII. dum proficisceretur ad Lugdunense concilium a Gregorio X. eò accersitus. Nihil aliud de eo a me scribendum censui: nam reliquam eius vitam scripsere alii. Id unum tantum addere mihi visum fuit, quod divus ipse Thomas, & homo calaber patria, charitate devictus, ex historia tamen Pythagoram philosophum calabrum conterraneum suum fuisse in primum Meteor. Arist. scripsit. Cæterum sunt & alii quidam qui indignantur, ac permoleste ferunt divum Thomam calabrum fuisse, & ipsum, ut alios calabros multos, aliis regionibus falsò ac maligne asserunt. Perinde ac si calabra regio in Italia vilis sit & abiecta, & non ea, quæ huiusmodi homines edere possit. Cum Calabria, ut ostendi (fremant, ac disrumpantur invidi omnes licet, ubi eorum pervertitas id me scribere adegit, dicam id quod res est) omnium Italiæ regionum (Latium tantum ob Romæ maiestatem excipio) & habitationis, & Christianæ religionis vetustate, ac populorum claritate, utpote a pronepote Noe, & a claris Græciæ populis Oenotriis, & Athenienſibus, postremo a Romanis, cæterisque Latinis habitata; nam ex triginta in Italia coloniis, novem in Calabria sunt, quot in nulla alia Italiæ regione, multis oppidis municipale ius datum; sola primò Auxonia, Hesperia, Oenotria, & Italia dicta, & in omni scientiarum genere, ac rerum omnium tum quæ natura sponte gignuntur, tum quæ industria fiunt copia, ac varietate est nobilissima. Quæ enim Italiæ regio, Latio excepto, tot claros doctrina, & robore præstantes viros protulit, quot Calabria? quæ ob plurima virorum præclara ingenia eruditorumq; multitudinem Magna Græcia (ut quidam volunt) dicta est, qui & multarum rerum fuere inventores. Proinde apponant obsecro digitum ori, & obmutescant maligni obtrectatores, & desinant de cætero aliorum laudi ac gloriæ ac virtuti invidere, ac detrahere. Post Belicastrum *Messurga* oppidum est, *Reatium* olim dictum ab Oenotriis conditum, a Reatio flumine nuncupatum, ut ait Stephanus, quod secundum oppidum excurrit. Est autem oppidum inter Reatium & Virgarim amnes, qui Targini miscentur, civis Reatinus; abest a Belicastro m. p. quinque, a freto sexdecim. Dictum est autem Messurga, quasi Messurgus exempto *a* quod cantorem significat, quod ob agri fertilitatem incolæ cantu, hoc est lætitia gestirent. Est enim Ager hic frumenti & aliarum frugum ferax. Fiunt figlina opera ex argilla, & ex luto subrufo. Fit in hoc agro golsipium; nascuntur cappares, & terebinthus; oritur rubrica fabrilis, & terra ex qua fit color gilvus; nascitur & marmor in Sylla Sylva. Fiunt aucupia multarum avium. Ex hoc oppido fuit beatus Matthæus Vidius minorum ordinis cœnobita, cujus corpus Tabernæ quiescit. Mesurgacenses anno a virgineo partu MDXXVII. tale quidpiam patrarunt in regulum, quale quondam Locrenses in Dionys. nam Io. And. Caracciolum, &

eius

eius coniugem, & filium, ac filias omnes, A præter unam quæ ab amicis ſervata eſt, ob plurima in ipſos flagitia iugularunt. Subinde eſt *Policaſtrum* oppidum in radicibus Silæ edito loco validum propugnaculum, loci natura munitum, rupibus undique ſeptum inter Soleum, & Cropam amnes, torrentinis, & anguillis fœcundos: diſtat a Meſurga m. p. quinque, a mari viginti, a Crotone totidem, *Petelia* olim dicta, Mela enim itemque Plinius Peteliam in hoc Scyllaceo ſinu ponunt. Rurſus Plinius eam me- B diterraneam eſſe oſtendit, cum ipſam intus eſſe dicit. Sex. Iulius Peteliam undecim menſes obſidionem ab Annibale ſuſtinuiſſe ſcribit. Livius hanc Annibalem multo ſuorum ſanguine cepiſſe prodit, atque non vi ſed fame: quæ res argumentum eſt Peteliam validum propugnaculum eſſe. Proinde Policaſtrum Peteliam eſſe minimè eſt ambigendum, licet Raphael Volaterranus ex Peteliæ occaſu vicinum oppidum Altimurum ædificatum eſſe nugetur: cum neque Petelia in- C terierit, & Altimurum in Apulia ſit. Eſt Petelia urbs vetuſtiſſima ac nobilis, ſed non adeo magna, ab Auxoniis, vel ab Oenotriis, ut opinari licet, condita: qui multas urbes in utraque Calabriæ ora condiderunt, inde a Philoctete habitata. Quidam vero eam a Philoctete ipſo Pœantis filio & Herculis comite haud multo poſt Ilii excidium conditam volunt: ait enim Virgil. Æneid. libro tertio: *Hic illa ducis Melibœi Parva Philoctetæ ſubnixa Petilia muro*. Et D Strabo lib. 6. *Petelia Lucanorum metropolis putatur ſatis ad hoc tempus incolarum habens.* Hanc Philoctetes è melibœa per ſeditionem profugus ædificavit egregiis munimentis validam, adeout Samnites eam quandoque caſtellis ædificatis corroborarint. Fuit Petelia amica, & ſocia P.R. *Petelini* enim, *& Rhegini*, ait Livius Bell. Pun. lib. 3. *ſemper in fide, & amicitia Romanorum ad ultimum permanſerunt*. Et rurſus. *Petelinos, qui uni ex Brettiis manſerant in amicitia Romana, non Car-* E *thaginienſes modo, qui regionem obtinebant, ſed Brettii quoque cæteri ob ſeparata a ſe conſilia, oppugnabant: quibus cum malis ſiſtere nequirent Petelini, legatos Romam ad præſidium petendum miſerunt; quorum preces lacrymæque (in quoſtus enim flebiles cum ſibimetipſi conſulere iuſſi ſunt, ſeſe in veſtibulo curiæ profuderunt) ingentem miſericordiam patribus, ac populo moverunt. Conſultique iterum a M. Pomponio Prætore patres circumſpectis omnibus imperii viribus fateri coacti* F *ſunt, nil iam longinquis ſociis in ſe præſidii eſſe: redire domum fideque ad ultimum expleta conſulere ſibimetipſos in præſenti fortuna iuſſerunt. Hæc poſteaquam renuntiata legatio Petelinis eſt, tantus repente mœror, pavorque ſenatum eorum cœpit, ut pars profugiendi quà quiſque poſſet, ac deſerendæ urbis auctores eſſent. Pars adiungendi ſe cæteris Brettiis, ac per eos dedendi Annibali. Vicit tamen ea pars, quæ nihil raptim nec temere agendum, conſulendumque de integro cenſuit. Relaxata poſtero die, per minorem trepidationem, re tenuerunt optimates, ut convectis omnibus ex agris urbem ac muros firmarent.* Et paulo poſt. *Expugnata tandem Petelia fuit ab Amilcare Annibalis præfecto aliquot poſt menſibus, quam cœpta oppugnari erat. Sed ſanguine multorum ac vulneribus ea Pœnis victoria ſtetit. Nonulla magis vis obſeſſos quam fames expugnavit. Abſumptis enim frugum alimentis, carniſque omnis generis quadrupedum, ſutrinæ poſtremo coriis, & herbis, & radicibus, & corticibus teneris, ſtrictiſque rubis vixere. Nec antequam vires ad ſtandum in muris ferendaque arma deerant, expugnati ſunt.* Et Sex. Iulius Frontinus Stratag. libro quarto: *Petelina Pœnis obſeſſi parentes & liberos propter inopiam eiecerunt, & ipſi coriis madefactis, & igne ſiccatis, foliisque arborum, & omni genere animalium vitam trahentes undecim menſes obſidionem toleravcrunt.* Idipſum ſcribit Athenæus libro duodecimo. Ad Petelinos montes, ut Plutarchus in M. Craſſo tradit, Spartacus fugit, Q. Craſſi legatum & Schrofam quæſtorem in fugam vertit. Sub tumulo Peteliæ, ut Livius bell. Pun. libro ſeptimo prodit, Equitum duo, peditum tria millia ab Annibale in occulto locata, in quæ inexplorato euntes Romani cum incidiſſent, ad duo armatorum millia cæſa, & mille dugenti ferme vivi capti, alii diſſipati fuga per agros ſaltuſque rediere. Tumulus erat ſylveſtris inter Punica, & Romana caſtra a neutris primo occupatus, ibi M. Marcellus conſul, qui ſuorum cladem percepiſſet e Venuſio cum Criſpino collega, atque exercitu eo conceſſerat, ab Annibalis militibus in inſidiis collocatis occiditur. De hoc tumulo ſic Plutarcus in Marcello infit: *Inter Romana, & Punica caſtra munitus admodum ſurgebat tumulus varia denſus ſylva, acclives utrinque ſpeculæ, inde fontani labuntur rivuli.* Signabant Petelini in denario Bacchum Apollinem habentem in capite ſertum hederæ, & ex poſtica facie citharam, & ſertum lauri hac Græca inſcriptione ΠΕΤΗΛΙΝΩΝ. Interdum ſignabant Iovem fulminantem & ſiniſtra manu ſceptrum habentem, & iuxta ſtellam, & ex altera parte Cererem. Interim effingebant Iovem coronatum lauro, & ex altera facie itidem Iovem fulgurantem, & ſiniſtra habentem ſceptrum, & juxta caduceum. Aliquando effingebant Iovem coronatum lauro, & contra victoriam palmam manu tenentem, aliquando ex poſtico Iovis ſignabant tripodem. Fuit Petelia Romanorum civium colonia nobilis a Sempronio conſule deducta. Fuit & nobile municipium Romanorum, ut ex duobus ſaxis literis inciſis, quæ Strongili ſunt, apparet ſic. M. Megonio M. F. M. N. M. Pron. Cor. Leoni. æd. iiij. Vir. leg. Cor. Q. P. P. iiij. vir decuriones Auguſtales populuſque ex ære conlato ob merita eius. Et in alio ſic: M. Megonio M. F. Cor. Leoni æd. iiij. vir leg. cor. quæſt. pec. P. patrono, municipi Auguſtales ob merita eius l. d. d. d. Decreverunt enim Petulini ſtatuas Marco Megonio municipi, quibus locus datus decreto decurionum fuit. Peteliæ in æde divæ Mariæ una ſpinarum coronæ dominicæ aſſervatur. Hic mercatus in annos ſinguios celebratur. In hoc agro vina optima fiunt, fit goſsipium, & ſeſamum, & crocus, legitur manna, provenit terebinthus

Digitized by Google

thus, naſcitur marmor. Sunt & ſylvæ glandiferæ, ad porcos alendos opportunæ, necnon ſylvæ ad domorum tigna, reliquave utenſilia commodæ; fiunt venationes ſylveſtrium animalium, & aucupia multarum avium; nec longe eſt *Crotonæum* caſtellum. Inde Targines fluvius navigabilis & piſcoſus fluit, cuius meminit Plinius: & iuxta eſt eodem nomine oppidum, nunc *Vernauda* dictum a vernante aere, cum emporio, abeſt a Petelia m. p. quatuor, a mari duodeviginti. Ager hic frugifer eſt, & paſcuis commodus, fiunt vina & olea & mella præclara, fit goſsipium, & ſeſama, naſcitur ſal foſsile. Non procul eſt Clibanus mons, cuius meminit Plinius, *Viſardum* vocant accolæ. Exinde eſt *Siberena* civitas nobilis, ac vetuſtiſſima ſedes Archiepiſcopalis celſo eoque ſaxeo loco ſita, natura validiſſimum propugnaculum ingentibus ſaxeis rupibus cautibusque undique cincta, abeſt a Vernauda m. p. tribus, a Crotone duodecim, ab Oenotriis condita, ut auctor eſt Stephanus, quam imperitum vulgus *Sanctam Severinam* appellat: & oppidani hiſtoriarum gloriæque ſuæ neſcii puerile, & anile quiddam ineptiarum plenum narrant, cum urbs hæc ante Chriſtum natum annis M.CCL. ab Oenotriis condita ſit. Signabant Siberenates in numo Dianam cum pharetra, & ex poſtica facie cervum Græca inſcriptione σιβερήνων hunc numum aureum vidi Romæ pendentem drachmas duas. Signabant & Minervam galeatam, & in galea delphinum, & ex altera facie noctuam Minervæ alitem cum capſace, & circum olivarum rami inſcriptione eadem. Hic emporium haud ignobile quotannis celebratur, fiunt vina præclariſſima, quæ Plinius lib. XIIII. cum aliis Calabris vinis quibusdam laudat, ait enim: *Ab Auſonio mari non carent gloria Siveriniana, & Conſentiæ genita*, & quæ ſequuntur, ut alibi relatum eſt. Licet quidam Servitiana mendoſe legant: nullum enim in hac ora oppidum eſt, quod Servitium fuerit appellatum, & vina Siveriniana talia ſunt, quæ jure a Plinio inter generoſa ab hoc Auſonio ideſt Calabro mari numerentur. Fit & oleum optimum, olivæ ad amygdalarum magnitudinem craſſæ, & carnoſæ conditæ in doliolis optimæ ſunt eſu. Sunt & viridaria citrorum, limonum & malorum aureorum arboribus inſtructa. Fit goſsipium & ſeſama, provenit terebinthus. In æde epiſcopali beatæ Anaſtaſiæ brachium aſſervatur. Ab urbe ad ſecundum lapidem Neæthus fluvius navigabilis & piſcoſus labitur. Eſt & eodem nomine caſtrum. Hic montes nativi ſalis candidiſſimi ſunt, quod lapicidinarum modo eximitur. Intus gemmam ſalis habet. In hoc agro pagi ſunt *Maurum, Ioannum, Scavalium*. Eſt & *Cutrum* caſtrum cum linis non vulgaribus, & agro paſcuo, ac tritici, & aliarum frugum feraci. Hic opera figlina fiunt. Ad mare *Poſterionum* promontorium extat, inde *Caſtella* oppidum eſt cum portu nobili, qui *Caſtra Annibalis* appellatur, cujus meminit Mela, qui portum Caſtra Annibalis in hoc Scylletico ſinu ponit. Item Plinius ait: *A Scylaceo Scyllaticus ſinus nomen accepit, & in eo portus, qui vocatur Caſtra Annibalis, nuſquam anguſtiore Italia XX. m. p. latitudo eſt.* Item Solinus, *Italia*, inquit, *arctiſſima eſt ad portum, quem Annibalis portum dicunt.* Hic Annibal claſſem habebat, qua cum opus erat, exercitum quo voluiſſet traiiciebat. Guido Ravennas & eum ſequutus Blondus portum Caſtra Annibalis Troiam Apuliæ eſſe ſomniant. In hoc mari corallium capitur. Huius oppidi ager frugifer eſt, & pabulis aptus: naſcuntur vina clara, exciditur lapis molaris frumentarius, & olearius. Juxta oppidum Pilaca fluvius defluit, Aiax olim dictus. Cuius meminit Lycophron in Alexandra, ubi ſic ait,

Vbi errantem moleſtam videbit vitam
Lacmonii bibentis Aiacis aquas,
Crathis autem vicinus & ſaxoſis finibus locus,

Super quibus verbis Iſacius ait: *Nereus Charopi, & Aglaiæ filius, poſt navigationis errores habitavit iuxta Lacinium montem, & Aiacem fluvium. Crathis autem vicinus eſt fluvio Aiaci, & locus vicinus ſaxoſis locis.* Ab hoc oppido atque a mari m. p. tribus *Iſula* Civitas eſt ſedes epiſcopalis, cuius meminit Abbas Joachimus, licet mendoſe pro Iſulenſis Geſulentis legatur. A Caſtellis oppido ad ſextum lapidem *Lacinium* promontorium occurrit, abeſt à Cocyntho promontorio m. p. circiter 70. à Crotone 18. Habet ab occidua parte ſtationem, ab altera vero portum. In hoc promontorio cedri ſponte naſcuntur. Fuit autem dictum Lacinium à Lacinio prædone hanc oram rapinis & latrociniis infeſtante, quem Hercules occidit, ac juxta templum Junoni conſtruxit, quam Laciniam à nomine occiſi prædonis templumque ipſum & promontorium Lacinium vocavit. Diodorus Siculus libro quinto de antiquorum geſtis fabulosis ait: *Hercules cum bobus in Italiam profectus cum juxta littus progrederetur, Lacinium furem bobus furantem peremit. Crotonem vero cum invitus cecidiſſet, ſepulcro ei conſtructo ſepelivit egregiè, incolis prædicens futurum tempus, quo ibi civitas inſignis ex mortui nomine conderetur.* Theocriti vero interpres a Lacinio Corcireo dictum voluit, qui Crotonem hominem fugientem hoſpitio ſuſcepit. Qui Croto Lacinii ſui hoſpitis beneficii memor, hoc promontorium illius nomine appellavit, & Lauram Lacinii filiam duxit uxorem, ut ſcribit Iſacius in Lycophronem, & Crotonem urbem condidit, ut idem Theocriti interpres vult. *A Lacinio promontorio*, ait Plinius, *ſecundus Europæ ſinus incipit, magno ambitu flexus, & Acroceravno Epiri Promontorio finitur, a quo abeſt LXXV. m. p. A Lacinio*, ait Strabo, *Tarentinus ſinus incipit, cuius navigationis circuitus ad CCXL. m. p. eſt ut autem regionis deſcriptor Artemidorus, eſt CCC. & LXXX. expedito viatori.* Eſt autem ſinus hic in hemicicli ſpeciem, in cuius utroque exitu duo oppida ſunt ſita, *Croto* ad occidentem ſolem, *Tarentum* ad orientem, in medio autem Thuriorum civitas iacet. Hunc ſinum Ovid. Met. lib. XV. *Thurinum* appellat. Quem tractum vocat *Iapygiam*. Ante oram

Lacinii, *ait Plinius*, insula parva est X. m p. a terra, *Dioscoron*, altera *Calipsus*, quam *Ogygiam* appellavit Homerus. Et tres *Sinerussæ meloessæ*. A Lacinio m.p. sex promontorium aliud est cum statione, *Manna* vocant accolæ. Ab hoc promontorio m. p. septem aliud extat promontorium, cum statione; *Naum* vocant, quod significat templum, *Storthynghum* olim dictum. Hæc promontoria Strabo *Iapygum* appellat, ait enim: *post Scyllaceum Crotoniatarum fines sunt, & Iapygum terna promontoria.* Hic quoque cedri nascuntur, & fœnicula marina, critamos vocant. In hoc mari corallium rubeum & album capitur. In hac ora Manna promontorio usque Crotonem secus littus vulgò fontes dulces scatent. Abest Naum promontorium a Crotone m. p. sex. Hic quondam nobilissimum illud, & augustissimum Junonis Laciniæ templum fuit, quod ante Trojanum excidium Hercules, ut dudum diximus, statuit. In quo Æneas thure fecit, cui & muneri dedit pateram æneam suo nomine inscriptam, veluti Dionysius Halicar. libro primo memoriæ prodidit. Ait enim: *Æneas in templo Junonis pateram æneam reliquit scriptura vetere demonstrantem Æneæ nomen donantis deam.* De hujus templi nobilitate, ac magnificentia Strabo libro sexto inquit: *Lacinium Junonis templum superiori ætate locupletissimum, donisque frequentissimis plenum fuit, Intervalla quidem non iudicatu, non dictu facilia.* Et Livius bel. Pun. lib. quarto ait: *Sex millia aberat ab urbe Crotone nobile templum ipsa urbe nobilius Laciniæ Junonis, sanctum omnibus circa populis. Lucus ibi frequenti sylva, & proceris obiectis arboribus septus. Læta in medio pascua habuit, ubi omnis generis sacræ deæ pascebatur pecus sine ullo pastore, separatimque egressi cuiusvis generis greges nocte remeabant ad stabula. Nunquam insidiis ferarum, non fraude violati hominum. Magni ergo fructus ex eo pecore capti, columnaque inde aurea solida facta, & sacrata est. Inclitumque divitiis etiam, non tantum sanctitate fuit. Ac miracula affinguntur plerumque tam insignibus locis. Fama est aram esse in vestibulo templi, cuius cinerem nullus unquam moveat ventus.* Id etiam scribit Plinius libro secundo, & Val. Max. libro primo. De Columna autem illa aurea sic scribit Cicero lib. primo de divinatione: *Annibalem Calius scribit, cum columnam illam auream, quæ esset in fano Junonis Laciniæ auferret, dubitaretque, utrum ea solida esset, an extrinsecus inaurata, perterebravisse: cumque solidam invenisset, statuissetque tollere, ei secundum quietem visam esse Junonem prædicere, ne id faceret, minitarique si id fecisset se curaturam, ut eum quoque oculum, quo bene videret, amitteret, Idque ab homine acuto non esse neglectum. Itaque ex eo auro, quod exterebratum esset, bacculam curasse faciendam, & in summa columna collocasse.* Hic in annes singulos Panegyris, id est, solemnis publicus conventus, celebrabatur, ad quam universa Italia confluebat. Erat templum hoc marmoreis tegulis tectum, quod Q. Fulvius Flaccus violavit tegulas subtrahens, ut Livius libro quadragesimo secundo scriptum reliquit, ubi ait: *Q. Fulvius Flaccus Censor ædem Fortunæ equestris, quam in Hispania Prætor bello Celtibero voverat, faciebat enixo studio. Ne ullum Romæ amplius, aut magnificentius templum esset, magnum ornamentum se templo ratus adiecturum, si tegulæ marmoreæ essent. Profectus in Brettios ædem Junonis Laciniæ ad partem dimidiam detegit. Id satis fore ratus ad tegendum quod ædificaret. Naves paratæ fuerunt, quæ tollerent, atque asportarent, auctoritate censoria sociis deterritis id sacrilegium prohibere. Postquam Censor rediit, tegulæ expositæ de navibus ad templum portabantur, quamquam unde essent, silebatur, non tamen celari potuit, fremitus igitur in curia ortus est. Ex omnibus partibus postulabatur, ut Consules eam rem ad Senatum referrent. Ut vero accersitus in Curiam Censor venit, multo infestius singuli, universique præsentem lacerare, templum augustissimum regionis, quod non Pyrrhus non Annibal violassent, violare parum habuisse, nisi detexisset fœde, ac prope diripuisset, detractum culmen templo, nudatum tectum patere imbribus putrefaciendum, Censorem moribus regendis creatum, qui sarta tecta exigere sacris pubblicis, & loca tuenda more maiorum traditum esset. Eum per sociorum urbes, diruentem templa ædium sacrarum vagari, & quod, si in privatis sociorum ædificiis faceret, indignum videri posset.* Et paulo post: *Cumque priusquam referretur, appareret quid sentirent patres, relatione facta in unam omnes sententiam iere, ut hæ tegulæ reportandæ in templum locarentur, piacularique Junoni fierent, tegulas relictas in ara templi, quia reponendarum nemo artifex inire rationem potuerit, redemptores nunciarunt.* Et paulo post scribit, ipsum Flaccum ob id sacrilegium luisse pœnas, ait enim: *Q. Fulvius Flaccus pontifex, qui priore anno fuerat Censor, hic fœda morte periit. Ex duobus filiis, qui tum in Illyrico militabant, nunciatum est alterum decessisse, alterum gravi & periculoso morbo ægrotum esse. Obruit animum simul luctus, metusque, & mane ingressi cubiculum servi laqueo dependentem invenere. Erat opinio post censuram minus compotem fuisse sui. Vulgò Junonis Laciniæ iram ob spoliatum templum alienasse mentem ferunt.* Licet in Val. Max. mendose legatur templum istud Locris fuisse. Violavit & id Junonis templum Annibal, qui, ut Livius bello Pun. libro decimo tradit, *cum ex Italia in Africam transire decrevisset, multos Italici generis, quia in Africam sequuturos. abnuentes concesserant in Junonis Laciniæ delubrum, inviolatum ad eam diem, in templo ipso fœde interfecit. In quo templo,* ait idem bello Pun. libro octavo, *Annibal aram condidit dedicavitque cum ingenti rerum ab se gestarum titulo Punicis Græcisque literis insculpto.* Plutarchus vero non aram, sed arcum condidisse ait. Pompejus quoque junior, ut Appianus bel. civilium libro 5. prodit, templum hoc Junonis Laciniæ donariis refertum ad Antonium paraturus fugam prædæ exposuit. De hoc templo meminit Lycophron in Alexandra, ubi Menelaum & Achil-

Digitized by Google

& Achillem huc veniſſe ſcribit. Ait enim de Menetio loquens:

Venietque errans in Iapigum exercitum
Et dona dicabit virgini prædatrici
Temeſium cratera, & ex pelle bovis agreſtis confectum clypeum,
Et uxoris calceos faciles ad induendum.
Venietque ad Sinim, & Lacinii receſſus
In quibus juvenca hortum parabit deæ,
Hoploſomiæ plantis ornatum.
Mulieribus vero erit lex incolis ſemper
Lugere novem cubitorum Aeaci tertium,
Et Doridis flammam miſeræ pugnæ
Et neque auro pulcra ornare membra
Neque tenuiſſimo filo contexta induere pepla
Purpura variegata quando deæ deus
Terræ magnam Storthygam donavit condere.

Super quibus verbis Iſacius eius interpres ait: *Temeſa civitas eſt Calabriæ optimum æs habens. De qua inquit Homerus, in Temeſam pro ære duro, ſed ſplendens ferrum. Hoploſmiæ Junonis epithetum, quæ in Elide civitate Peloponneſi honorabatur. In Lacinii locis mulieres accolæ ſedentes & nigras veſtes habentes, plorabunt Achillem, quem novem cubitorum magnitudine fuiſſe affirmat. Cuius rei gratia deæ Thetis Junoni gratificata dicabit magnum promontorium Storthyngum Crotonis, ut fabricet nemus ſeriatim benique cultum, & ornatum plantis. In hoc templo Sacerdos brevi ſcuto ſuperſtans ſacrum faciebat, & victimam Junoni cædebat.* Per hæc loca *Laurete* urbs erat, à Laura Lacinii filia dicta, quam Croto duxit uxorem. Ab hoc templo m. p. ſex eſt *Croto* urbs vetuſtiſſima, ac longe nobiliſſima amœniſsimo, ac ſaluberrimo loco ſecus mare ſita. De ædificatione autem eius varia eſt Scriptorum opinio. Quidam enim à Lacinio Corcyræo eam conditam volunt. Ovidius vero & Strabo à Micylo. Pythagoras his vetuſtior, cui magis eſt adhibenda fides, ab Hercule. Ait itaque Ovid. Met. libr. XV.

Dives ab Oceano bobus Jove natus Iberis
Littora felici tenuiſſe Lacinia curſu
Fertur, & armento teneras errante per herbas,
Ipſe domum magni, nec inhoſpita tecta Crotonis
Intraſſe, & requie longum relevaſſe laborem:
Atque ita diſcedens ævo dixiſſe nepotum
Hic locus urbis erit; promiſſaq; vera fuerunt.
Nam fuit Argolico generatus Alemone quidam
Miſcelus, illius dis acceptiſſimus ævi.
Hunc ſuperincumbens preſſum gravitate ſoporis,
Claviger alloquitur: patrias, age, deſere ſedes;
Et pete diverſi lapidoſas Cæſaris undas:

Et mox de Micyli in Italiam profectione Crotoniſque ædificatione adiecit:

Navigat Jonium, Lacedæmoniumq; Tarentum
Præterit, & Sybarim, Salentinumq; Neæthum,
Thurinoſq; ſinus, Temeſenq; & Japygis arva,
Vixque pererratis quæ ſpectant littora terris
Invenit Aeſarei fatalia fluminis ora:
Nec procul hinc tumulum ſub quo ſacrata Crotonis
Oſſa tegebat humus, juſſaque ibi mœnia terra
Condidit, & nomen tumulati traxit in urbem.

Secundum itaq; Ovidium per hæc loca ante Crotonis ædificationem oppidum aliud erat, & ut conijci poteſt ab Auxoniis, aut ab Oenotriis conditum. Et ſi quidam pro Meleſen mendosè Temeſen legant. Non quidem fugiebat Ovidium Temeſam in occidua Calabriæ plaga eſſe. Quippe qui non ſemel atque iterum, ſed ſæpe de ea, ut oſtendimus, meminit: ſed certè locum depravatum eſſe liquidò conſtat, & *Meleſen* legendum eſt, quæ urbs etiamnum in hac ora non longe à Crotone extat, de qua mox. Aut certè Aretemq; legendum eſt, qui fluvius non procul à Neætho defluit. Sed meo quidem judicio melius Meleſen legendum eſt. Strabo quoq; ut ad rem redeam, lib. 6. inquit: *Croto à Lacinio decem & novem m. p. diſtat ab Achivis condita. Cum n. Achivi à deo oraculum accepiſſent, ut Crotonem conderent, Micyllus ad conſiderandum locum acceſſit, qui cum jam ædificatam cerneret Sybarim à vicino flumine cognomen habentem, hanc præſtantiorem eſſe judicavit. Ea propter reverſus ad oraculum denuo rogavit, nunquid hanc pro illa condere datum eſſet? Cui Deus has reddidit voces* (erat enim gibbus.)

Terga brevis Miſcelle tuo de pectore mitte,
Cætera perquirens fruſtra venaris iniqua:
At tectum quodcunque datur in laude probato.

Reverſus igitur, Crotonem conſtruxit Archiæ auxilio, qui Syracuſas condidit: cum forte adnavigaſſet, quo tempore Syracuſanorum domicilia conſtituebat. Antea ſane Japyges Crotonem Ephoro teſte, incolebant. Dicitur etiam, quod cum Miſcellus & Archias ad Pythium oraculum profecti eſſent, à Pythia interrogati, utrum divitias an ſanitatem vellent, cum Miſcellus bonam valetudinem, Archias opulentiam velle reſpondiſſent: huic ut Syracuſas, illi ut Crotonem conderent, conceſſit. Itaque factum eſt, ut Crotoniatæ ſaluberrimam incolerent civitatem, validiſsimique fuerint athletæ. In unius etiam Olympiadis ludis ſeptem viri, qui ſtadio cæteros ſuperant, Crotoniatæ fuere omnes. Jure itaque dici viſum eſt, qui Crotoniatarum poſtremus eſt, is aliorum Græcorum primus eſt. Vetus quoque proverbium alterum, Crotone ſalubrius aſſerit. Quod inde ortum eſt, quia locus ipſe ad ſalubritatem, & bonas valetudines propter athletarum multitudinem plurimos ad Olympia victores habuit. Ex his Strabonis verbis propalam eſt in hoc loco, ubi *Croto* condita eſt, oppidum aliud, ac circum etiam alia oppida fuiſſe ab Japicibus habitata, oramque hanc Japygiam fuiſſe. Quippe cum alibi Strabo ipſe dixerit: *Poſt Scyllaceum Crotoniatarum fines ſunt, & Japygium terræ promontoria.* Et Ovid. in hoc Thurino ſinu, qui & *Tarentinus* dicitur, Japygis arva ſcribit. Hanc eandem oram Ovidius Salentinam vocatam oſtendit, quippe qui Neætum flumen *Salentinum* appellat. Sed hac de re plura libro 1. diximus. Nunc autem quia tranſverſum unguem diſceſſiſſe videor, ad inſtitutum redeundum eſt. Pythagoras Crotonem ab Hercule, qui iam ante Trojanum excidium migravit

gravit è vita, conditam astruit. Qui, ut Iamblicus ait, Crotoniatis dicere erat solitus eorum urbem Herculem condidisse, quo tempore per Italiam boves agebat; cum n. a Lacinio iniuria fuisset affectus, & Crotonem opem ferentem noctu per ignorantiam, quasi esset hostis, interfecisset, pollicitus est postea circa eius monumentum urbem illi cognominem se esse conditurum, ubi immortalitatem fuisset adeptus. Idcirco debere ipsos gratiam beneficij conservare, quod Hercules ipsis patrius esset, cui templum augustum erectum erat. Ajebat etiam Pythagoras, dum Crotoniatarum urbs conderetur, promisisse Apollinem duci conditionis se progeniem concessurum si in Italiam coloniam duxisset. Itaque liquet nempe Crotonem sive ab Hercule, sive post eius mortem a Micylo Herculis iussu ante excidium Troianum fuisse conditam, licet quidam aliter sentiant. De perenni autem loci hujus salubritate, cœlique temperie Plinius etiam libro secundo infit; *Crotone, & Locris pestilentia nunquam fuit, nec terræmotu ullo laboratum annotatum est. Inest enim natura occultum quippiam, quod ad felicitatem facit.* Polybius libro x. Crotonem clarissimam urbem fuisse scribit. Cujus Remp. ut Laertius & Jamblycus ferunt, trecenti viri administrabant. Val. Max. vero libro octavo, mille hominum; ait enim: *Enixo Crotoniatarum studio a Pythagora petierant, ut Senatum eorum, qui mille hominum constabat, consiliis suis uti pateretur, opulentissimaque civitas tam frequenter venerati sunt post mortem, domum eius Cereris sacrarium fecerunt, quamque illa urbs viguit, & dea in hominis memoria, & homo in deæ religione cultus est.* De Rep. Crotoniatarum scripsit Aristoteles, ut tradit Athenæus. Non solum enim ora hæc a Cæcino primum, inde a Crotalo amni usque ad Hyliam flumen Crotoniatarum ditioni subiecta erat; sed non modica quoque occidentalis Calabriæ pars; nam Terina, ut ostendi, Crotoniatarum erat. Hanc urbem decantaverunt etiam Theocritus, & Dionisius Apher poetæ, Ait enim ille in Eidyllio quarto,

Laudoque Crotonem, pulcra civitas,
Et orientale Lacinium, ubi quidem pugil
Aegon octoginta solus comedit panes,
Illic & taurum a monte duxit capiens
Ungula, & dedit Amaryllidi.

Super quibus verbis eius interpres ait: *excellebat Croto omnibus Italicis urbibus fortitudine, & cæteris omnibus, quæ ad felicitatem pertinent, inde proverbium tritum erat: Aliæ urbes si ad Crotonem conferantur vanæ, nihilque sunt.*

Hic vero in libro de situ orbis inquit:

Mœnia cernuntur Metaponti, deinde Crotonq;
Quam pulcher gratam præterfluit Aesarus urbē,
Vlterius pergens hinc templa Lacinia cernes, (tōis
Amabile & delectabile oppidum bene coronati Cro-
Habitati sub Aesari gratiosi fluentis.

Super quibus verbis Eustathius ejus interpres. infit, *Ideò hæc dicit Dionysius, quia Crotoniatæ in certaminibus Græcis victores coronati fuerunt, & propterea honoribus, & coronis patriam exornarunt. Aesarus autem dictus est ab Aesaro venatore, qui cum cervam insectaretur, in id flumen cecidit, unde & flumini Aesari nomen mansit.* Et Cic. lib. 2. de inventione. *Crotoniatæ quondam cum florerent omnibus copiis, & in Italia imprimis beati numerarentur, templum Iunonis, quod religiosissime colebant, egregiis picturis locupletare voluerint. Itaque Heracleotem Zeusim, qui tum longe cæteris pictoribus excellere existimabatur, magno precio conductum adhibuerunt. Is & cæteras tabulas complures pinxit, quarum nonnulla pars usque ad nostram memoriam propter fani religionem remansit. Et ut excellentem muliebris formæ pulcritudinem muta in se imago contineret, Helenæ se pingere simulacrum velle dixit. Quod Crotoniatæ, qui eum muliebri in corpore pingendo plurimum aliis præstare sæpe accepissent, libenter audierunt. Putarunt enim eum, si quo in genere plurimum posset, in eo magnopere elaborasset, egregium sibi opus illo in fano relicturum. Neque tum eos illa opinio fefellit. Nam Zeusis illico quæsivit ab eis, quasnam virgines formosas haberent; illi autem statim hominem deduxerunt in palæstra, atque ei pueros ostenderunt multos magna præditos dignitate (etenim quodam tempore Crotoniatæ multum omnibus corporum viribus, & dignitate antecelluerunt, atque honestissimas ex gymnico certamine victorias domum cum maxima laude retulerunt) cum puerorum igitur formas & corpora magno hic opere miraretur, horum, inquiunt illi, sorores sunt apud nos virgines. Quare qua sint illæ dignitate potes ex his suspicari. Præbete igitur mihi, quæso, inquit, ex his virginibus formosissimas, dum pingo id, quod pollicitus sum vobis, ut mutum in simulachrum ex animali exemplo veritas transferatur. Tum Crotoniatæ publico de consilio virgines unum in locum conduxerunt, & pictori quas vellet eligendi potestatem dederunt. Ille autem quinque delegit, quarum nomina multi poetæ memoriæ tradiderunt, quod eius essent iudicio probatæ, qui verissimum pulcritudinis habere iudicium debuisset.* Licet in Plinio libro XXXV. mendose legatur Zeusim hanc tabulam in templo Iunonis Laciniæ ponendam Agrigentinis fecisse. Item Livius lib. 1. un. libro tertio de nobilitate, & potentia huius urbis ita scribit. *Recepta Petelia Pœnus ad Consentiam copias traducit, quam minus pertinaciter defensam intra paucos dies in deditionem accepit. Iisdem ferme diebus & Brettiorum exercitus Crotonem Græcam urbem circumsedit, opulentam quondam armis virisque, iam tum adeo multis, magnisque cladibus afflictam, ut omnis ætatis minus viginti millia civium superessent. Itaque urbe defensoribus vacua facile potiti sunt hostes: arx tantum retenta, in quam inter tumultum capta urbis è media cade quidam effugere.* Et libro quarto, *Brettii fremebant, quia Rhegium, ac Locros, quas urbes direpturos se destinaverant, intactas Pœni reliquissent. Itaque per se ipsi conscriptis armatisque iuventutis suæ millibus*

XV. ad

XV. ad Crotonem oppugnandam pergunt ire, Græcam & ipsam urbem, & maritimam; plurimum accessurum opibus, si in ora maris portum, ac urbem mœnibus validam tenuissent, credentes. Ea cura angebat, quod neque non accersere ad auxilium Pœnos satis audebant, ne quid non pro sociis egisse viderentur, & si Pœnus rursus magis arbiter pacis, quam adiutor belli fuisset, ne in libertatem Crotonis, sicut ante Locrorum, frustra pugnaretur. Itaque optimum visum est ad Annibalem mitti legatos, caverique ab eo, ut receptus Croto Brettiorum esset. Annibal cum præsentium eam consultationem esse respondisset, & ad Annonem eos rejecisset, ab Annone nihil ceri allatum. Neque enim diripi volebant nobilem atque opulentam urbem, & sperabant, quum Brettii oppugnarent, Pœnos nec probare, nec juvare eam oppugnationem appareret, eò maturius ad se defecturos. Crotone nec consilium unum inter populares, nec voluntas erat. Unus velut morbus invaserat omnes Italiæ civitates, ut plebs ab optimatibus dissentiret, senatus Romanis faveret, & plebs ad Pœnos rem traheret eam dissensionem in urbe perfuga nuntiat Brettiis: Aristomachum esse principem plebis, tradendæq; auctorem urbis, & in vasta urbe latèque omnibus dejectis mœnibus partitas stationes, custodiasque Senatorum, ac plebis esse, quacunque custodiant homines plebis, ea parte patere aditum. Auctore, ac duce perfuga Brettii corona cinxerunt urbem, acceptique à plebe primo impetu, locos omnes, præter arcem, cœpere; Arcem optimates tenebant, præparato jam ante ad talem casum perfugio. Eodem Aristomachus perfugit tanquam Pœnis non Brettiis auctor urbis tradendæ fuisset. Urbs Croto habuit murum in circuitu patentem duodecim millia passuum habuit ante Pyrrhi adventum in Italiam. At post vastitatem eo bello factam, vix pars dimidia habitabatur. Flumen, quod medio oppido fluxerat, extra frequentia tectis loca præterfluebat muros, procul iis, qui inhabitabantur. Et arx Crotonis una parte eminet mari, altera vergente in agrum, an situ naturali quadam munita, postea & muro cincta, quà per aversas rupes ab Dionysio Siciliæ tyranno per dolum fuerat capta. Eam tum arcem satis, ut videbatur, tutam Crotoniatum optimates tenebant, circumsedente cum Brettiis eos etiam plebe sua. Postremo Brettii cum suis viribus inexpugnabilem viderent arcem, coacti necessitate Annonis auxilium implorant. Is conditionibus ad deditionem compellere Crotoniatas conatus, ut coloniam Brettiorum eò deduci, antiquamque frequentiam eorum recipere vastam, ac desertam bellis urbem paterentur: Omnium neminem præter Aristomachum movit, morituros se affirmabant citius, quam immixti Brettiis in alienos mores, ritus, leges, & mox linguam etiam verterentur. Aristomachus unus quando nec suadendo ad deditionem satis valebat, nec sicut urbem prodiderat, locum prodendæ arcis inveniebat, transfugit ad Annonem. Locrenses brevi post legati cum permissu Annonis arcem intrassent, persuadent, ut traduci se in Locros paterentur, nec ultima experiri vellent. Jam hoc, ut sibi liceret, impetraverant & ab Annibale, missis ad ipsum tum legatis, ita Crotone excessum est, deductiq; Crotoniatæ ad mare naves conscendunt, Locros omnis multitudo abeunt. Armavit Croto quondam adversus Locros, Leonymo duce, centum triginta millia hominum, ut in Sagra diximus. Verum, ait Strabo, Crotoniatæ ex clade, quam in Sagra fluvio habuerunt, tanta fuit occisorum multitudo, ut non multo ulterius tempore perdurarint. Attamen Dionysio tyranno fortiter restiterunt. Nam Dionysius Siciliæ tyrannus, ait Trogus Pomp. lib. XX. qui à Sicilia exercitum in Italiam traiecit, bellumque Græcis intulit, expugnatis Locris Crotonienses vix vires longo ocio ex prioris belli clade resumentes aggreditur, qui fortius cum paucis, tanto exercitui eius, quam antea cum tot millibus Locrensium paucitati restiterunt. Tantum virtutis paupertas adversus insolentes divitias habet: tantoq; insperata interdum victoria certior est. Soli Crotoniatæ, ait Herodotus libro septimo, Græciæ periclitanti, auxilium una navi tulere, cui præerat Phaylus vir ter Pythionicus. Sunt enim Crotoniatæ genere Achæi. Crotoniatæ, ait Timæus, Athenæo libro duodecimo referente, ubi Sybaritas ejecerunt in luxum dilapsi sunt, ut & dux ipsorum purpurea veste indutus, aurea corona coronatus, necnon albis calceis calceatus urbem lustraret. Quidam autem tradunt id eos egisse non ob delicias, sed propter Democidem medicum Crotoniatam. Adamabant Crotoniatæ, ait Maximus Tyrius, oleastrum, Sybaritæ luxum. Imprimebant Crotoniatæ in numo Milonem juvenem Leonis tergum in capite habentem perinde atque alterum Herculem, item palmam victoriarum illius notam, & ex postico clavam itidem Herculis, & discum, & columnam, quam ipse in gymnasio Pythagoræ labantem sustinuit, inscriptione Græca κροτωνιάτων: aliquando signabant heroem, fortasse Crotonem pileatum, sive Junonem, & ex altera facie Herculem stratum super exuvias leonis seminudum cubantem, cubito humi fixo innixum, ac dextra siphum, sive poculum tenentem, & supra ipsum arcum cum pharetra: quandoque loco horum clavam. Interdum signabant Herculem nudum stantem leonis exuvias à capite dependentem, & clavæ innixum, hac inscriptione ΚΡΟΤΩΝ, & à tergo Minervam galeatam. Interim aquilam tenentem palmam, & ex altera parte tripodem. Quandoque effingebant Herculem, & ex postico noctuam Mineryæ alitem. Interdum signabant Apollinem, & altera facie Herculem infantem, & in cunis cubantem duos angues manibus prementem atque oblidentem. Censendum est haud dubium Crotoniatas in suis numismatibus cunctos Herculis labores sculpsisse. Interim effingebant Apollinem & ex postico tripodem. Croto, ait Eutropius libro secundo, a Romanis invaditur P. Sempronio & Appio Claudio consulibus. Cornelius Ruffinus cons. ait Sex. Julius Frontinus Stratag. libro tertio, cum aliquanto tempore Crotonem oppidum frustra obsedisset, quod inexpugnabile faciebat assumpta in præsidia Lucanorum manus, simulavit se cœpto desistere: captivum dein-

deinde magno præmio solicitatum misit Crotonem (tanquam ex custodia effugisset) qui persuasit discessisse Romanos. Id verum Crotonienses arbitrati, dimisere auxilia, destitutique propugnatoribus inopinati etiam invalidi capti sunt. Fuit Croto colonia nobilissima Romanorum, ut Livius bel. Maced. lib. 4. auctor est. Deduxerunt eam triumviri C. Octavius, L. Æmilius, C. Lectorius. *Crotoniatæ*, ait Procopius de bello Gothico lib. 3. *à Totila Gothorum rege obsessi, & si ab hostib. prementur, & rerum necessariarum penuria urgerentur: tandiu tamen in fide Imperii perstitere, quandiu Justinianus Imp. tum Constantinopoli agens, de hoc certior factus ipsis auxilium misit.* Floruit Crotone diu famosissimum illud ampliſſimumque studium philosophiæ Pythagoræ primum, inde vero postea Pythagoreorum, à quibus Italicum philosophiæ genus nuncupatum est, ut Laertius, & Aug. lib. 8. de civitate Dei scribunt. *Atq;*, ait Cicero Tusc. 1. *multa secula sic viguit Pythagoreorum nomen, ut nulli alii docti viderentur.* Et Tusc. 4. scribit, Romanos Pythagoreorum disciplinam amplexos fuisse. Ait enim: *Quis est n. qui putat, cum floreret in Italia Græcia potentissimis & maximis urbibus ea, quæ magna dicta est, in hisq; primum ipsius Pythagoræ, deinde postea Pythagoreorum nomen esset, nostrorum hominum ad eorum doctissimas voces aures clausas fuisse?* Et in Lælio: *Apud me valet auctoritas eorum, qui in hac terra fuerunt, magnamq; Græciam, quæ nunc quidem deleta est, tunc florebat, institutis, & præceptis suis erudierunt.* Item Laertius: *Ad Pythagoram ex Italicis Picentes, Lucani, Messapii, & Romani disciplinæ studiorum causa proficiscentes cum eo perdurabant.* Et Constantinus Lascaris Bizantius eo in libro, quem ad Alfonsum Aragonium Calabriæ principem de philosophis Calabris scripsit, sic ait: *Video per Calabros philosophos Italiam, Siciliam, ac partem Græciæ nostræ illustratas fuisse. Fuit nempe Pythagoras Italus ex Calabria magna olim Græcia dicta. Aristoxenus enim, & Aristarchus, & Theopompus, vetustissimi, & gravissimi auctores apud Theodoretum; & Laertius Pythagoram Italum fuisse testantur, sed ideo Samium dictum, quia pater eius Sami habitavit.* Constantinus etiam Lascaris dicit Timesarchum patrem Pythagoræ Italum Græcum aurificem fuisse. Multi vero, ut Plutarchus refert in convivio, Pythagoram Locrensem fuisse asserebant, atque etiam eius tempestate huiusce rei constans erat opinio. Divus autem Thomas Aquinus in primum Met. Arist. Pythagoram Calabrum ex Samo Calabriæ urbe fuisse astruit. Equidem Samum urbem in Calabria à Samiis conditam fuisse, mirum videri non debet, cum, ut sæpe dixi, pleraq; loca in Calabria fuere iisdem appellata nominibus, quibus & orientalis Græciæ loca, ut Tempsa, Pandosia, Miletus, Scylleum, Locrus, Amphissa, Melissa, Thebæ, Thuria; urbes Acheron, Butrothus; Crathis Sybaris amnes. Quo autem tempore Pythagoras floruerit, varia quoq; est Scriptorum opinio. Cicero n. & Livius ipsum longe post Numam fuisse scribunt: Epicharmus autem Comicus vetustissimus, & Pythagoreæ disciplinæ particeps apud Plutarchum, Numam, qui anno 3. XVI. Olympiadis in regnum fuit constitutus, Pythagoræ philosophi auditorem fuisse tradit. Idipsum asseverat divus Hieronymus, qui adversus Jovinianum scribens, ad Romamq; apostrophans inquit: *Adhuc sub regibus, & sub Numa Pompilio facilius maiores tui Pythagoræ continentiam, quam sub Consulibus Epicuri luxuriam susceperunt.* Id idem astruit Ovidius antiquitatis non nescius; qui lib. 3. de Ponto ait:

Præmia nec Chiron ab Achille talia cepit
Pythagoræq; ferunt non nocuisse Numam.

Et Fast. lib. 3.

Primus oliviferis Romam deductus ab armis;
Pompilius menses sensit abesse duos.
Sive hoc à Samio doctus, qui posse renasci
Nos putet.

Et Met. libro 15.

Destinat Imperio clarum prænuncia veri
Fama Numam, non ille satis cognosse Sabinæ
Gentis habet ritus, animo majora capaci
Concipit, & quæ sit rerum natura requirit.
Huius amor Curæ patria, Curibusque relictis
Fecit ut Herculei penetraret ad hospitis urbem,
Grata quis Italicis auctor posuisset in oris
Mœnia quærenti, sic è Senioribus unus
Retulit indigetis, veteris non inscius ævi.

Et post pauca enumeratis aliquot, quæ Numa à Pythagora didicit, subdit:

Talibus atque aliis instructo pectore dictis
In patriam remeasse ferunt, ultroq; petitum
Accepisse Numam populi Latialis habenas,
Conjuge, qui felix nympha, ducibusq; camœnis
Sacrificos docuit ritus, gentemque feroci
Assuetam bello, pacis traduxit ad artes.

Plutarchus multis rationibus & coniecturis Numam Pythagoræ philosophi alumnum fuisse asseverat, & ob sapientiam & eruditionem Pythagoricam, quam habuit Numa, & ob fastum exteriorem, & cultum, eodem Pythagoræ instituto Numam sumpsisse. Item taciturnitatem, & mysterium, ut quæ de deorum simulacris instituit, sacraq; ritum, & sanctimoniam à Pythagora sumpsit, & uni filiorum suorum Numa Mamercum nomen indidit, propter Pythagoræ filium appellatum Mamercum, & ab hoc Æmiliorum familiam nominatam fuisse ferunt. Iam vero Cassius Hemina, & C. Piso, apud Plinium lib. XIII. in arca Numæ septem, sive, ut Antias vult, duodecim libros de jure pontificio, & totidem Græcos de disciplina sapientiæ inventos fuisse ferunt. In quibus nulla scripta erant, nisi philosophiæ Pythagoricæ, & à Q. Petilio prætore combustos, quia philosophiæ scripta erant. *Quæ*, ait Plinius, & Livius lib. XL. & Val. Max. libro primo, *ad solvendam religionem* (utiq; de pluritate deorum) *videbantur*. Quanquam enim in Latio Latinarum, ac Græcarum literarum studia (in Sabinis quidem literarum studia tum nulla erant, ut in libris pro lingua Latina ostendi) ut temporibus illis essent: nusquam tamen legitur in eo Numæ tempore quenquam præstantissimum phi-

Digitized by Google

philoſophum floruiſſe, a quo ille philoſophiæ præcepta didicerit. *Qui*, ait Livius libro primo, *conſultiſſimus vir fuit, ut illa quiſquam ætate poterat, omnis divini atq; humani juris.* Et Ovid. Met. lib. XXV. de eo ait: *Mente deos adiit, & quæ natura negabat Viſibus humanis oculis ea pectoris hauſit.* Et ſi Livius fieri nequaquam potuiſſe dicat Numam è Sabinis per tot diſſonas linguas (erant enim tum in Italia, ut in libris pro lingua Latina oſtendi, tot linguæ quot Regiones) Crotonem penetrare: quaſi Pythagoras, & Plato, & alii non in Egyptum penetrarint. Immo vero perfacile fuit Numæ adire Crotonem. Nam cum in Latio Græcarum literarum ſtudia tum multis locis eſſent, potuit Græcam linguam ediſcere, atque eius commercio ſe in Calabriam recipere: præſertim quod plerique Campanorum, Picentum, Lucanorum, & Meſſapiorum Græcæ linguæ navabant operam, & Romani nonnulli, ut oſtendi, ſe ad Pythagoram contulere. *Pythagoras*, ait Laertius, *primus amicorum omnia communia dixit, amicitiamque æqualitatem.* Eius diſcipuli facultates omnes in unum deponebant, communeſque faciebant. Quinquennium item totum ſilebant, ſolum quæ dicerentur audientes, ac donec probarentur, nunquam Pytagoram videntes. Hinc iam ad domum ipſius aſpectumque admittebantur, unde adagium ortum erat, ait Suidas *taciturnior Pythagoreis.* Sed de ſilentio Pytagoræ, & de recipiendis inſtituendiſque diſcipulis plura Gellius lib. 1. Fertur diſcipulos admonere ſolitus, ut iſta quotidie, cum domum ingrederentur, dicerent: *Vbinam excidi? quid feci? quid ex his, quæ facere debui omiſi?* Item, *mala operatus dole: bona lætare. Imperare aſſueſce his, ventri primum, ſomno, luxuriæque, & iræ.* Super ianuam Academiæ lapidem habebat propria manu inſcriptum. *Qui neſcit id, quod eum ſcire oportet, brutus eſt inter bruta: qui non ſcit plus quam ſibi opus eſt, homo eſt inter bruta: qui ſcit omne quod ſciri poteſt, Deus eſt inter homines.* Hunc lapidem M. Aurelius Imperator habebat. Monuit Senatum Crotoniatam, ut Muſarum templum extruerent, quo præſentem concordiam conſervarent. Earum n. chorus conſonantiam, concentum, rhythmum, cæteraque, quæ concordiam efficiunt, complectitur, verſaturque circa pulcherrimas contemplationes. Quod templum Crotoniatæ fecerunt, & pellices, quas habere gentile ipſis erat, dimiſerunt, rogaruntque, ut ſeparatim & ad filios ſuos in Pytheo, & ad uxores in Iunonis templo verba faceret. *Siquidem Crotonienſibus*, ait Trogus Pompejus libro 20. *poſt adverſam ad Sagram pugnam nulla virtutis exercitatio, nulla armorum cura fuit.* Oderant enim quæ infeliciter ſumpſerant, mutaſſentque vitam luxuria, ni Pytagoras philoſophus fuiſſet, qui eos in luxuriam lapſos auctoritate ſua ad uſum frugalitatis revocaret. Laudabat quotidie virtutem, & vitia luxuriæ contemnebat, caſuſque civitatum hac peſte perditarum enumerabat. Tantumque ſtudium ad frugalitatem multitudinis provocavit: ut aliquos ex his luxuriatos in optimam frugem converſos fuiſſe, incredibile videretur. Matronarum quoque ſeparatam a viris doctrinam, & puerorum a parentibus frequenter habuit. Docebat nunc has pudicitiam & obſequia in viros, nunc illos modeſtiam & literarum ſtudium. Inter hæc velut genitricem virtutum frugalitatem omnibus ingerebat. Conſequutuſque aſſiduitate diſputationum erat, ut matronæ auratas veſtes, cæteraque dignitatis ſuæ ornamenta velut inſtrumenta luxuriæ deponerent, eaque omnia delata in Iunonis ædem ipſi deæ conſecrarent, præferrentque vera ornamenta matronarum pudicitiam non veſtes eſſe iventutem quoque quantum profligatum ſit, victi feminarum contumaces animi manifeſtant. Interrogatus quod Deo ſimile facerent homines? reſpondit, cum veritatem exercent. *Item interrogatus*, ait Stobæus in lib. de patria, *quomodo oporteat ſe gerere erga patriam ingratam, ut erga matrem reſpondit.* Dixit quoque, eodem Stobæo in libro de rep. referente, primum luxuriam civitates ingredi, deinde ſaturitatem, poſtea contumeliam, poſtremo exilium. *Cum iuvenibus quibusdam*, ait divus Baſilius in libro de inſtituenda ratione ſtudiorum, *vino, ſertis, ſaltuque per civitatem laſcivientibus Pythagoras obviaret, dixiſſe dicitur ei, qui modos tibia faciebat, ut mutata harmonia Doricum perſonaret. Quod ubi factum eſt, bacchantes illos adeo reſipuiſſe ferunt, ut ſerta abiicerent, & rubore vultus verecundiam confeſſi domum abirent.* Cicero in libro de ſenectute Pythagoram principem philoſophorum vocat. Et rurſus ait: *Vetat Pythagoras in iuſſu Imperatoris, id eſt, dei, de præſidio & ſtatione vitæ decedere.* Et rurſus: *Audiebam Pythagoram Pythagoreoſque incolas penè noſtros, qui eſſent Italici generis philoſophi quondam nominati, nunquam dubitaſſe, quin ex univerſa mente divina delibatos animos haberemus. Pythagoras*, ait Laertius, *primus philoſophiam, ſeque philoſophum appellavit*: quod ipſum Cicero aſſeverans, ita Tuſc. libro quarto refert: *Pythagoram, ut ſcribit auditor Platonis Ponticus Heraclides vir doctus imprimis, Phliuntem ferunt veniſſe, cumque cum Leonte principe Phliaſiorum docte & copioſe diſſeruiſſet quædam, cuius ingenium & eloquentiam cum admiratus eſſet Leo, quæſiviſſe ecqua maxime arte confideret? at illum: artem quidem ſe ſcire nullam, ſed eſſe philoſophum: admiratum Leontem novitatem nominis quæſiviſſe, quinam eſſent philoſophi, & quid inter eos, & reliquos intereſſet? Pythagoram autem, ſimilem ſibi videri vitam hominum & mercatum eum, qui haberetur maximo ludorum apparatu totius Græciæ celebritate. Nam ut illic alii corporibus exercitatis gloriam, & nobilitatem coronæ peterent, alii emendi aut vendendi quæſtu & lucro ducerentur, eſſet autem quoddam genus hominum, idque vel maxime ingenuum, qui nec plauſum, nec lucrum quærerent, ſed viſendi cauſa venirent, ſtudioſeque perſpicerent, quid ageretur, & quo modo: Ita nos quaſi in mercatus quadam celebritate ex urbe aliqua ſic in hanc vitam ex*

alia

alia vita & natura profectos, alios gloriæ ser-
vire, alios pecuniæ, raros esse quosdam, qui
cæteris omnibus pro nihilo habitis rerum na-
turam studiosè intuerentur: hos se appellare
sapientiæ studiosos, id est, philosophos, ut &
illic liberalissimum esset spectare nihil sibi ac-
quirentes, sic in vita longa omnibus studiis
contemplationem, rerum cognitionemque præsta-
re. Nec vero Pythagoras nominis solum inventor, sed rerum etiam ipsarum amplificator fuit. Qui cum post hunc Phliasium sermonem in Italia venisset, exornavit eam Græciam, quæ magna dicta est, & privatim, & publicè præstantissimis institutis & artibus. Pythagoricis, ait idem libro primo de div., interdictum putatur, ne faba vescerentur, quod habeat inflationem magnam is cibus, tranquillitati mentis quærenti vera contrarius. Et libro secundo: *Faba quidem Pythagorei utique abstinuere, quasi vero eo cibo mens, non venter infletur.* Utebatur Pythagoras, ut Nicolaus Alexandrinus ait, contra omnia, quæ in stomacho dolent, antidoto, quo multos ab hoc vitio liberavit, & illud expertum dilectis communicavit. Recipe Irios drach.XVIII. & scrup. duos: gentianæ drach.V.Zingiberis drach.IIII.& semis: melanopiperis drach. IIII. mellis quod sufficit. Datur in modum nucis febrientibus cum tepida. *Scripsit Pythagoras*, ut Laertius tradit, *tria volumina, de institutione, de civilitate, & de natura. Moritur*, ait idem, *in domo Milonis, in qua cum sociis consederat, quam quidem ex his, quos ille admittere noluerat, per invidiam incendit.* Et Romani statuam erexerunt, ut Plutarchus scribit in Numa, qui sic ait: *Romanis aliquando reddito oraculo, de illius erigenda apud se statua, qui prudentissimus Græcorum & fortissimus extitis, duas in foro æneas imagines statuisse, Alcibiadis alteram, alteram vero Pythagoræ.* Et Plinius libro XXXIIII. *Romani statuam Pythagoræ in cornibus comitii positam dicarunt Apollinis Pythii iussu, stetitque donec Sylla dictator ibi curiam fecit. Ex schola Pythagoræ*, ait Iamblycus, *prodiere prope innumeri eruditi, ac sapientes viri.* Duxit Pythagoras, ut Laertius, & Suidas ferunt, uxorem Theano Brontini Crotoniatæ filiam, quæ docta ac sapiens fuit, philosopha & poetrix. Ex qua suscepit Thelaugem, & mamercum, & tres filias Myan, sive Alyam, Arignotim, sive Erigonem, quæ doctæ fuere, quarum, ait Costantinus Lascaris, extant epistolæ, & Damon, sive Dameam, quæ etiam longe docta fuit. Scripsit Theano, ut Suidas, & Plotinus tradunt, commentaria philosophica, Apophthegmata, & poema quoddam heroico carmine, ac mortuo Pythagora scholas cum Thelauge & Mamerco filiis regendas suscepit. Hæc philosophiæ sectatrix multa pulchra, ac scitu digna de pueris educandis scribit ad Eubolam. Ait enim: *Audio te pueros delicate educare, sed certe optime genitricis est liberos non delicioſè, & licenter enutrire, sed modestè, ac sobriè. Animadverte obsecro, ne non diligentis, sed adulantis opus agas. Siquidem voluptuosa educatio pueros assentatores reddit. Quid suavius iuvenibus do-*
mestica voluptate? Oportet equidem puerorum educationem carere perversitate. Naturæ autem perversitas est, cum pueri animo fuerint voluptuarii, corpore vero delicati, ac molles, laboresque omnes effugerint, ac molliores evaserint. Oportet autem, cum educantur, exercere eos, ne terribilia metuant, sive cum affligi, sive cum laborare opus fuerit, ne turpium affectuum servi reddantur. Nam ob voluptates guloſi efficiuntur, & ob desidiam labores effugiunt. Debent pueri res honestas summopere complecti, abstinere a vitiis, & perseverare in virtutibus. Cavenda est pueris ciborum satietas, & sumptuosa voluptas, & superflua licentia ludorum. Neque permittendi sunt, ut intemperate, & imprudenter in ludis seſe exerceant, neque ut omnia dicant, aut agant. Neque metuas si interim plorent, neque læteris, & rideas, cum nutricem pulsaverint, aut tibi maledixerint. Neque in æstate frigus, aut in hyeme calorem suppedites, aut multas delicias, quibus inopes pueri omnino carent. Qui quidem facilius educantur, & crescunt nihilominus, ac longe meliores efficiuntur. Tu vero veluti Sardanapali progeniem educas pueros, marium naturam voluptatibus effeminas. Quid enim faciet aliquis puero, qui nisi celeriter comedat, plorat, & si comederit, delectabilia obsonia quærit? Quod si æstum senserit, debilitatur; si frigus, concidit; si obiurgatur, reluctatur. Et nisi ei ad voluptatem res administrabuntur, tristatur, & si non prænansum in os inferatur, ægre fert, & ad voluptatem pravo ocio utitur, ac molliter & effeminate circumagitur. Studioſè autem cum scias, quod pueri delicantes dum pubescent in viros, mancipia reddentur, huiusmodi voluptates auferas, & educationem austeram, non delicatam adhibeas: ac permittas eos famem, sitim, frigus, æstum, & erubescentiam pati, & ab æqualibus, & a præceptoribus. Sic enim & exercentur animo impigro, & corpore adolescunt. Labores enim quædam corroboramenta sunt pueris ad virtutem, quibus imbuti, quod satis sit, virtutis colorem apprehendunt. Vide igitur ne quemadmodum vites male cultæ fructum non afferunt, ita propter delicias pueri petulantiæ, & multarum nugarum malitiam gignant. Hæc, ait Stobeus in nuptialibus, Pythagoræ dogmatum studiosa cuidam interroganti quomodo celebris evasisset, respondit, *contexens telam, & meum curans coniugium*: item quærenti, quod officium esset matronæ, respondit, *viro suo placere.* Rogata etiam ait Laertius, quando mulier a viro munda sit, ad Cererisque sacrarium veniret, respondit: *a suo quæque continuò, ab alieno nunquam. Ei vero, quæ ad virum pergeret, in mandatis dabat, uti cum veste & verecundiam poneret, exurgensque denuo cum ipsa illam una resumeret. Rogata quænam hæc?* inquit, *per quæ mulier vocor.* Hæc, ait Plutarchus in nuptialibus, vestem induens brachium nudavit cum quidam dixisset, *o pulcrum cubitum; at non pubblicum* inquit. Hæc ait Clemens Alexandrinus Strom. primo, ex mulieribus prima philosophiam, & Apophtegmata scripsit, ditque: Esset re vera pulchrum vita convi-

vitque:

Digitized by Google

vium iis, qui se scelerate gesserunt, deinde moriuntur, si non esset anima immortalis, mors esset lucrum. Brontinus autem Theano Pater, ait Iamblycus, scripsit de mente, & cogitatu, & alia. *Thelauges*, sive *Teages*, Pythagoræ, & Theano filius philosophus eximius fuit, & patri in philosophia successit, ut ait Laertius, & scholas cum matre, & fratre Mamerco regendas suscepit. Fuit & mathematicus, ut ait Suidas, scripsit de numero quaternario libros quatuor inuens quatuor esse elementa, sive ut alii, profundum, silentium, mentem, & verum. Pro quo Ægyptii, ait Lascaris, ipsum deum habebant. Hunc plurimi & Empedocles Agrigentinus audierunt, cui Plato librum de sapientia titulum fecit, Thelauges. *Mamercus* quoque cognomento *Æmylios* Pythagoræ filius non modo philosophus doctus fuit, sed nimia etiam præditus humanitate, a quo Romanorum Æmilia gens cognomen sumpsit, ceu Sex. Pomp. scribit, qui ait: *Æmiliam gentem appellatam dicunt a Mamerco Pythagoræ philosophi filio, cui propter unicam humanitatem cognomen fuit Æmilios.* Item Plutarchus in Paulo Æmilio ait: *Æmiliorum familiam in urbe Roma patriciam fane atque vetustam fuisse plurimi tradunt: quod vero primus, qui nomen ei familiæ reliquit, Marcus Æmilius propter sermonis lepiditatem, quam Æmiliam Græci vocant, appellatus Pythagoræ philosophi puer fuerit, nonnulli ex iis tradunt, qui doctrinam Numæ Pompilii regis in Pythagoram auctorem referunt.* Mamercus, ut dixi, cum Thelauge fratre, & matre scholas rexit. Iamblycus autem tradit Pythagoræ in disciplinis successorem fuisse *Aristæum* Crotoniatam Demophontis filium, is ætate Pythagoræ viguit septem generationibus post hunc Mamercum, huic successit Bulgaras, inde Gartydas. *Damea* Pythagoræ & Theano filia philosophiæ sectatrix admodum erudita fuit. Quæ ingenium in exponendis paternis sententiarum involucris exercuit. Fuit summa prædita castitate. De qua Hieronimus adversus Iovinianum ait: *Timæus scribit Pythagoræ filiam virginem choro virginum præfuisse, & castitatis eas instituisse doctrinis.* Habuit filiam Biscalam, ait Lascaris eruditam. Fuerunt Pythagoræ discipuli Crotoniatæ philosophi docti, ait Iamblycus, Ageas, Agylus, Antimedon, Arignotis, Ægon, Boythius, Bulgaras, Bryas, Cleosthenes, Chalciphon, Cleophron, Damodes, Dymas, Dinono mulier, Episylus, Eratus, Enandrus, Gartydas, Hippostratus, Hipposthenes, Itaneus, Leophron, Millias, Menon, Milo, Ecphantus, Onatus, Philolaus, Phiciadas, Rodippus, Silio, Timicha uxor Mylliæ, Philtis filia Teophrii, Mea uxor Milonis, & Neocles. Ergo novem mulieres Crotoniatæ, præter cæteras, doctrina excelluere. Porro opinandum est per ea tempora omnes prope Crotoniatas & mares & feminas in Græcas literas, ac philosophiæ, aliarumque disciplinarum studia incubuisse, & si non omnes in ipsis adeo profecerint, excelluerintque doctrina. Ita & Locrenses & Rheginos, reliquosque Calabros, ut olim Romæ, in reliquove Latio in Latinis literis factitatum est. *Philolaus* Pythagoræ discipulus, præceptor Platonis, & Archytæ fuit, veluti Cicero libro tertio de Orat. insinuat, ait enim: *Pythagoreus ille Lysias Thebanum Epaminundam haud scio an summum virum unum omnis Græciæ, aut Xenophon, Agesilaum, aut Philolaus Archytam Tarentinum, aut ipse Pythagoras totam illam veterem Italiæ Græciam, quæ quondam magna vocitata est, doctrinis omnibus expolivit, atque instituit.* Plato, ut Hermippus apud Laertium & Plutarchum in Platone ferunt, tres Philolai libros Pythagoricæ sectæ emit ab eius consanguineis argenti minis Alexandrinis quadraginta, sive ut alii centum, sive, ut Gellius decem millibus denarium mercatus est. Quam argenti summam a Dionysio tyranno accepit, ex quibus libris Plato, plura in suum Timæum transcripsit. Quos tanto studio lectitabat, ut ad eius defuncti caput sint reperti. Opinatur Philolaus omnia harmonia, ac necessitate fieri. Terram iuxta primum circulum moveri dicit. Hic primus de natura rerum scripsit. Quorum est initium: *In mundo natura coacta est ex infinitis, ac finitis, mundusque totus, & quæ sunt in ipso omnia.* Hic Dei unitatem asseruit; quare Athenagoras ad Antoninos Cæsares scribens, unum Deum esse ex Philolai scriptis asseruit. Hic, ut Plutarchus scribit, mundi corruptionem bifariam esse dixit, tum ex cœlo ignis defluxu, tum ex aqua lunari vertigine ex aere effusa. Horum enim suffimenta mundi esse alimoniam. Dicebat etiam, ut Plutarchus de placitis philosophorum libro secundo, & Galenus in libro de historia philosophica tradunt, solem vitri modo perlucentem accipere ab igne cœlesti splendorem, acceptumque ad nos transmittere, & tanquam percolare adeo cœlestem ignem soli assimilem, ex quo prodire solem, & simile quid speculi, tertiamque inde a speculo lucem ad nos per reflexionem dissipari. Hanc enim nos solem vocare, quasi imaginis imaginem. Dicebat etiam, ut iidem ferunt, moveri circa ignem per obliquum circulum, eo modo, quo sol, & luna: ignem vero in medio statuit, quem totius naturæ focum, ac meditullium censet. Supra quem terram, huic nostræ contrariam, & inde terram collocat, quam ex opposito sitam illic dicit, & circa eam ferri. Quamobrem eos, qui illic sunt, a nobis videri non posse. Hic, ut Marcus Vitruvius libro primo auctor est, multas res organicas & gnomonicas numero naturalibusque rationibus inventas, atque explicatas posteris reliquit. Item: *numerus est*, inquit *imperiosa quædam & ex se progenita sempiternæ mundanorum perseverantiæ continentia.* Proclus ait: *Plato multas admirabilesque de Deis sententias per mathematicas formas nos edocet, Pythagoricorumque phialis utens velaminibus sacram divinarum scientiarum tegit disciplinam. Talis enim est & universus sacer divinusque sermo Philolai in bachis, totusque modus enarrationis Pythagoræ de diis.* Iure Philolaus trianguli angulum diis quatuor consecravit, ac iuxta tertium angulum ipsorum unionem colligit. Hic omnia, ac co-

lestem harmoniam, coactionumque naturæ retulit. Dicere quoque solebat, cum in sacrum perveneris ne spectes a tergo. Hic, ait Suidas, suspicionem maxime omnibus cavendam monet: *Et si enim, inquit, nihil committis, sed tantum videaris, infelix es.* Eum Crotoniatæ tyrannidis suspicione sustulere, ut Laertius prodit. Fuit & *Alcmæon* Crotoniata Pyrithi filius, Pythagoræ alumnus philosophus & medicus excellens cognomento physicus (maxime enim valuerunt Crotoniatæ medicina) qui, ait Laertius, plurimum in medicina versatus est, deque ea complura conscripsit, plerumque de natura disputat, dicens multas rerum humanarum causas. Videtur autem primus de naturæ ratione scripsisse, ut Phavorinus in omnimoda tradit historia, Lunamque hanc sempiternam habere naturam. Quod autem Pyrithi filius fuerit, testatur ipse in principio sui operis sic: *Alcmæon Crotoniata hæc ait Pyrithi filius Brotino, & Leoni, & Bathyllo de invisibilibus rebus. Manifestam quidem scientiam habent Dii, quantum vero coniicere hominibus licet*, & quæ sequuntur. Hic, ait Proclus, *primus rerum naturam literis explicavit. Animam vero immortalem dixit, moverique perpetuo instar solis.* Huius meminit Cicero libro primo de natura Deorum: *Alcmæon*, inquit, *qui soli, & lunæ reliquisque sideribus, animoque præterea divinitatem dedit.* Et Themistius libro primo de anima: *Alcmæon Crotoniata ille, qui cognomento Physicus dicebatur, animam*, inquit *immortalem esse oportet ratione ea, quia semper agitetur, eoque simillima rebus immortalibus videatur: moveri n. & reliqua immortalia incessabili agitatu.* Et Arist. lib. 1. de an. *Alcmæon dicit animam esse immortalem, propter hoc quod assimiletur immortalibus.* Et lib. 7. de historia animalium: *Alcmæon Crotoniata ait, mas primum semen genitale magna ex parte incipit ferre anno peracto bis septimo, simul etiam pubescere incipit eodem tempore, ut stirpes semen laturas primum florere.* Et Galenus in libro de historia philosophica & Plutarchus in libro de placitis philosophorum dicunt: *Alcmæon stellas vagas ex adverso fixis incedere dicit, hoc est ab occasu in orientem. Auditum fieri, quod aures intus vacuæ sint, vacua autem omnia resonare quoties in ipsa vox aliqua feratur. Olfactum autem in cerebro præcipuam animæ partem constituit, atque ipsam odores inter respirandum attracto percipere. Gustum vero cum humiditate, & temperato calore, tum mollitie sapores internoscere linguam. Somnum autem sanguinis recessu in venas ipsius confluxui deputatas fieri. Mortem vero si prorsus omnis illuc abscedat, quia frigidum corpus ita nimium redditur. Expegisci autem nos sanguinis eiusdem reditu. At sanitatem constare credit ex æqualitate caloris & siccitatis frigoris, & humiditatis, item dulcedinis, & amaritudinis, & id genus aliis. Morbos autem excitari quoties istorum unum aliquod cæteris dominetur. Singulorum namque excessus societatem dissolvit, atque ita morbum fieri. Dicit etiam Alcmæon ipse*, ut Plutarchus scribit, *mulini generis mares quidem steriles propter genituræ tenuitatem, item seminis fragiditatem, feminas vero propter vulvarum non debiscentem, item non se laxantem.* Hic primus exactionem aggredi ausus est. Primusque fabulas adinvenit, ut Isidorus etymologiarum libro tradit, ubi sic ait: *Fabulæ ideo sunt introductæ, ut ficto mutorum animalium inter se colloquio imago quædam vitæ hominum nosceretur. Has primus inveniisse traditur Alcmæon Crotoniensis, appellanturque Æsopicæ, quia is apud Phrigiam in hac re polluit.* Scripsit lingua Deorica, ait Suidas. Fuit & *Neocles* Crotoniata philosophus & medicus illustris, cuius meminit Athenæus: *Hic*, ait Ælianus de historia animalium libro octavo, *dicit rubetas duo secora habere, alterum quidem occidere, alterum alteri adversantem salutem afferre.* Fuit & *Asto*, sive *Ascon* Crotoniata, philosophus celebris Pythagoræ auditor, qui Laertio libro octavo prodente, complura scripsit, sed Pythagoræ inscribuntur. Fuit & *Ecphantus* Crotoniata Pythagoræ discipulus, qui scripsit de regno. De quo Stobæus in admonitionibus de regno meminit, & hæc eius dicta ponit: *Quod uniuscuiusque animalis natura ad mundum, & eius partes accommodata sit, multis mihi videtur argumentis constare. Sic enim consentiens, connexaque singulorum natura optimam simul & necessariam sequitur seriem, quæ ex motu universi constituta, ut communem rerum omnium ornatum, ita singulorum quoque officio durationem conservat. Quare mundus etiam appellatur, & perfectissimum est animalium. In partibus vero eius, quæ multæ sunt, & diversæ natura, id animal primas tenet, quod plus divinitatis continet. Quare inter cœlestia quidem, quæ immortalis Dei natura participant, & primario maximeque sequentur, planetæ stellæ salutantur. In regione vero infra lunam, ubi corporum motus est rectus, dæmonis natura versatur. Cæterum in terra, & apud nos optimus quidem natura est homo, divinissimus autem rex, & meliori conditione inter cæteros affluens, similis quidem corpore reliquis, utpote ex eadem materia natus, ab optimo quidem artifice productus, qui fabricavit eum, archetypum imitatus seipsum. Quare rex unicum, & excellens quoddam opus est, imo imago illius regis creatori suo semper familiaris, a subditis vero in regno tanquam lumine conspicuo. Examinatur enim & probatur dignitas regia non secus, quam avium princeps aquila obversis soli oculis. Eadem est ratio de regno, ut quod divinum sit, & propter nimiam claritatem oculos obtundat omnibus præterquam legitimis. Etenim multi splendores oculis obversantes, atque vertigines arguunt spurios, qui ascenderunt tanquam in altitudinem insolitam. Illis vero, qui, ut par est, propter naturæ similitudinem regni cacumen adiverunt, habitari potest, & usum sui commodum præbere. Est igitur regnum res sincera, incorrupta, & propter excellentiam divinissima, atque homini difficilis accessu. Oportet autem illum, qui suscepit regnum purissimum, & lucidissimum natura esse, ne quod clarissimum eius est obscuret suis maculis, quemadmodum nonnulli sanctissima loca inquinaverunt, & execrabiles quidem eos, quibus obviam facti sunt. Rex*

igitur naturam habeat minimè pollutam, & quanto reliquis divinior sit, agnoscat, ac cæsura, quibus decenter instructus tum seipso, tum subditis optimè uti poterit. Cæteri quidem homines a vitiis suis sanctissimè purgantur, si principibus suis similes evadant, sive legem principem, sive regem habuerint. Principes vero, qui non habent, quod natura sua præstantius imitentur, illi non longius abire debent, sed statim a Deo utilitatem petere. Nam neque mundum aliquis quæsiverit, in ipso agens, & pars eius existens: neque is, qui aliis imperat, illum ignorare debet, a quo ipse regitur. Maximum autem hoc ornamentum est, quod nihil non gubernatum non inveniatur. Oportet principem etiam oribus imperium docere. Sic enim statim imperii pulchritudo eluceſcit, Qui Dei virtutem imitatur, & ei charus est, quem cumulatus fuerit, & amplius subditis. Nullum enim Deo charum homines odio prosequuntur. Nam neque sidera, neque universus mundus Deum odit: nam si ducem suum odissent, non utique ei parerent: Sed quod bene imperat, id in causa est, ut subiecta bene regantur, & pareant. Equidem existimo, terrenum regem nullius virtutis expertem esse debere, qua cœlestis ille præditus est. Sed ut ipsa res est peregrina & admiratione digna, utpote cœlitus ad homines profecta, ita nimirum & virtutes ipsius Dei opera existimandæ sunt, diuno beneficio ei accessisse. Quod si rem a principio consideres, verum esse, quod dico, intelliges. Per communionem enim omnium primam & maxime necessariam hominum genera terrestris rex conciliat. Similiter facit ille, qui cuncta in universo gubernat. Nihil etenim, si tollas amicitiam & communionem consistere potest, quod etiam in civitatibus ita se habet, si familiarem societatem abstuleris, & si multo inferior sit, quàm divina natura & regia, quæ nihil huiusmodi sibi desiderant, utpote perfectæ virtutis: sed aliis indigentibus suppeditant, & communi utilitati consulunt. Amicitia autem civitatis communem, mutuo finem spectans, ipsius universi concordiam imitatur. Porrò citra constitutionem magistratuum nulla civitas habitari posset. Requiruntur autem ad illam constitutionem leges, civilis gubernatio, subditique & præfecti, si per se conservanda sit. Hæc sequitur commune bonum, concinnus quidam status, & multitudinis consensus cum persuasione concordi. Ille, qui imperat iuxta virtutem nominatur rex, atque est eadem amicitia consensuque subditis conjunctus, qua Deus mundo & in ipsis contentis jungitur. Cæterum oportet omnem benevolentiam institui, primum a rege in subditos, deinde vicissim a subditis erga regem, qualis nimirum patris erga filium, pastoris erga gregem, & legis adversus utentes ipsa, una eademq; virtus, tum cæteris imperat, tum vita propria moderatur. Nullus a, ad vitam sibi propter inopiam alterius ministerium accersat, quod ipse sibi secundum naturam satis ministrare potest. Quamvis enim omnium sit communio, nihilominus quisq; per se suis contentus vivet. Videtur etenim is, qui rebus suis contentus est, nullo alio ad vitam transigendam opus habiturus. Quod si vitam activam degere oporteat, liquet, quod etiamsi alia quapiam ei accesserint, nihilominus tamen statu suo contentus manebit. Nam & amicos habebit sua virtutis gratia, quibus cum agens non alia virtute eis utetur, quam illa, qua reliquam suam instituit vitam. Necesse est enim, ut cætera omnia hanc virtutem sequantur, cum nihil ipsa præstantius ei adiungi possit. Deus sane citra famulorum & ministrorum operam, neque imperans cuiq; neq; coronens aut præconis voce celebrans obedientes, aut ignominia notans immoderatos, ipse solus tantam imperii molem gubernat. Sed præbens seipsum imitatione dignum, omnibus desiderium & æmulationem iniicit naturæ suæ. Est autem bonus ipse, atque hoc solum opus agit, idque facile. Qui vero imitantur ipsum hoc studio melius omnia peragunt, & illius assimilatio singulis sufficit. Non n. alia virtus est, qua Deo accepta facit, & alia qua ipsum imitatur. Cæterum rex terrenus apud nos cur non similiter sit suique contentus, & in statu suo absolutus sit? Assimilabit enim seipsum uni tantum optimo, & omnes alios sibi undecunque similes fieri studebit. Quod si vis & necessitas coget subditos, singuli promptitudinem imitandi remittere solent. Non enim fieri potest, ut absque benevolentia, alterum alteri simile evadat, quam imprimis obliterat timor. Vtinam humanum ingenium nulla persuasione opus haberet. Est n. persuasio terrena gravitatis vestigium, qua mortale animal participat. Nam persuasio res est vicina necessitati, ut quæ ea perficere sua opera conetur, quæ necessitatem declinarunt. Atque sponte naturæ honestum amplectuntur, nulla persuasionis reverentia movetur, nec enim timent necessitatem. Posset a, solus rex in hominis animo etiam hoc bonum efficere, ut quod melius est imitando, decorum sequeretur. Illos vero qui tanquam ebrietate corrupti sunt, & propter malam educationem melioris oblivionem inciderunt, oratio adhibita restituit, laborantes sanat, ejectaque oblivione pravitatis vitio ipsis innata memoriam inserit. Ex qua persuasio dicta nascitur, qua licet malis orta, boni tamen aliquid produxit terram inhabitantibus, in qua quod vitio naturæ deest, propter eius imbecillitatem, oratio inter homines usurpata resarcit, atque explet. Et rursus: Revera rex erit, qui sacram & divinam habuerit animi meditationem, hac enim imbutus persuasusque bonorum auctor erit omnium, mali vero nullius. Quin etiam quod futurus sit iustus, utpote ad communicandum promptus, cuius constat; communicatio n. in aqualitate, & eius distributione sita est. Antecedit justitia, communicatio participat: Nam fieri nequit, ut iniustus æqualiter distribuat, aut ut non sit ad communicandum promptus, qui distribuit ex æquo. Continentem vero esse illum, qui contentus sit suo statu, quis negaverit? Sumptuositas enim incontinentiæ parens est, incontinentia contumeliæ, unde pleraque hominum mala enascuntur. Virtus autem, quæ suis rebus contentos facit, sumptuositatem, & quæ sequuntur eam, haudquaquam probat. Sed cum ipsa princeps quædam sit, præest quidem omnibus, subesse vero nulli potest, quod primum Dei, deinde

inde regis proprium est, ut nulli subiiciantur. sibi vero ipsis imperant. Unde & ἀνεμπαις apud Græcos dictus videtur παρὰ τὸ μὴ ἄλλου δεῖσθαι. Quod autem ista sine prudentia fieri nequeant, apparet, & quod prudentia mundi Deus sit, manifestum est. Ordine enim & constitutione decenti coniungantur, absque mente vero non possent fieri. Proinde rex quoque sine prudentia non poterit sibi comparare istas virtutes, iustitiam dico, continentiam, communicandi virtutem, & istis cognatas. Et rursus de magistratu: *Homines in terra tanquam in exilio sunt, & essentia putrori multum inferiores, plurima terra gravantur, adeoque a parente sua egrè extollantur, nisi quis diviniorum flatus miserum hoc animal meliori parti coniungat, sacrum genitoris aspectum monstrans, qui a nemine conspici potest. In terra quidem & apud nos optimum sane ingenium præ cæteris animantibus homini datum est. Divinior autem inter homines rex, ut qui multum supra communem naturam emineat, corpore reliquis non dissimilis, utpote natus ex eadem materia, sed ab optimo artifice factus, qui fabricavit ipsum, archetypo ex sese sumpto. Utinam fieri posset, ut humana natura nulla persuasione egeret. Reliquiæ enim terrestris malitiæ, quæ animal efficiunt mortale, causa sunt, ut sine ipsa degere nequeant. Si quis vero animo fuerit præ aliis divinior, ille nulla in re persuasione opus habebit.* Fuit & *Arignotus* Crotoniata philosophus Pythagoræ discipulus, *qui*, ait Lucianus, *sacer cognominabatur.* Fuit & *Saleibus* Crotoniata philosophus & legislator, qui Crotoniatis civibus suis leges dedit, atque inter cætera, lege excepit, ait Lucianus in Apologia, ut mœchi vivi cremarentur. Cumque ipse fratris uxorem polluisset, deprehensus orationem lucubrantem habuit, ut cives remittere pœnam vellent, atque exilium tantum eum damnare; at ille magnitudinem culpæ intelligens in ignem ultro insiliit. Fuit & *Orpheus* Crotoniata poeta Epopeus, ait Suidas, id est, qui vera non ficta scripsit. Quem Pysistrati Atheniensium Tyranni familiaritate usum fuisse Asclepiades inquit in sexto Grammaticorum libro, qua tempestate apud Hebræos Iudices rerum summa gerebant. Cuius sunt Ecanteria, Argonautica Heroico carmine, & alia nonnulla. Fuit Oeagri filius, & primi Orphei Threicei in suo poemata personam induisse videtur; qui se Oeagri fluminis, & Calliopes filium cecinit. Orpheum autem Threicium Troiana tempora præcessisse perspicuum est. In Orphei vero Crotoniatæ Argonautico multa referuntur, quæ post excidium Troianum peracta sunt, & Alcinoi regis mentio fit, & aliorum, qui in Odyssea celebrantur. Licet Aristoteles apud Cic. de Nat. Deor. lib. 3. dicat, Orpheum poetam nunquam fuisse, & hoc Orphicum carmen Pythagorici cuiusdam Cercopis fuisse ferunt. Plato vero sæpissime de Orpheo meminit. Asclepiades, & Suidas dicunt Orpheum dixisse rerum omnium principium esse phanoum, id est, ambrem, qui primus ex dia apparuit. Fuit a Pythagoricis eruditus, ait Constantinus Lascaris. Fuit & *Democides* Crotoniata Calliphontis filius medicus celeberrimus, Darii tempore, cuius meminit Plinius lib. 1. è cuius libris nonnulla excerpsit. De quo Herodotus lib. 3. ita scribit: *Polycrates ad Orœtem navigans, cum alios, tum vero Democidem Calliphontis filium Crotoniensem medicum, qui eam artem apud suos præclarissime omnium exercebat, secum duxit. Sed Orœtes Polycratem Cruci suffixit, Darius mandat Persis, qui in Sardibus erant, ut Orœtem interimant. Contigit ei non diu post, ut in venatu ferarum Darius rex, dum ab equo desilit, pedem intorserit, vehementerque luxaverit: nam talus è iunctis axis amotus est. Existimans itaque apud se, ut prius, habere ex Aegyptiis eos, qui primi putarentur arte medicina, eorum opera utebatur. At illi torquendo pedem, ac violenter tractando plus mali faciebant, adeo quidem, ut septem dies totidemque noctes Darius præ molestia, qua afficiebatur, transegerit insomnes. Octavo die eidem male habenti quidam Democidis Crotoniensis mentionem facit, cuius de artificio prius iam inde in Sardibus audisset. Darius hominem quam celerrime accersi ad sese jubet, ille ut inter captivos Oœtis inventus, ubi pro neglecto habebatur, in medium productus est, sicut erat pannosus, ac compedes trahens. In medio positum Darius interrogat, nunquid eam noscet artem? Democides veritus ne si se proderet, usquequaque Græcia privaretur, dissimulavit. Sed dum videretur notitiam artis præ se ferre, Darius iussit eos, qui hominem adduxerant, verbera & tormenta afferre in medium: tum ille simulatione missa, se plane scire artem illam negavit, sed aliquantulum eius consuetudinem, quam cum medico habuisset. Factaque ei potestate curandi Græcis medicamentis utens, & levia post acria admovens Darium compotem somni fecit, & brevi tempore incolumem reddidit, cum iam se invalidum fore ad incedendum desperasset. Ob quam curationem cum eum Darius duobus aureorum compedum paribus donasset, interrogavit Democides, nunquid ideo duplici se malo remuneraudum putaret, quod ab eo sospes ipse foret effectus? Hoc dicto Darius delectatus ad suas uxores hominem misit. Eunuchi, qui eum deducebant ad feminas, dicebant hunc esse, qui restituisset animam regi. Tunc earum singulæ auream phialæ thecam suffigentes Democidi donaverunt, tam amplo munere, ut excidentes ex percussione phialarum stateres, famulus, qui sequebatur, nomine Scitox collegerit non parvam auri summam. Hic Democides hunc in modum è Crotone profectus cum Polycrate consuetudinem habuit. Cum a Patre sane iracundo Crotone cohiberetur, nec eum tolerare posset: illo relicto abiit in Aeginam, ubi commoratus unum annum primos medicos transcendit, & si imparatus erat, & nihil instrumentorum habens, quæ ad artem medicinæ pertinerent. Ex quo factum est, ut sequenti anno Æginetæ eum talento conduxerint. Athenienses tertio anno centum minis. Polycrates 4. anno talentis duobus. Ita in Samum profectus est. A quo viro non minimum Crotonienses medici specimen acceperunt. Tunc videlicet enim per Græciam medici Crotonienses primi numerabantur. Secundi Cire-*

mei. Tum Sub tempus Democides Dario fuga-
ce maximas ædes ædificabat, & cum rege ad
mensam sedebat omnibus rebus affluens, nec
non hanc unam, quod in Græciam redire non
posset. Quinetiam Aegyptios medicos regem ser-
vare solitos, cum essent patibulis suffigen-
di, quod a Græco medico superati forent, im-
petrata a rege venia, liberavit. Liberavit
item Vaticinum quendam Deum, qui Pollicra-
tem sequutus fuerat, & inter captivos pro
neglecto relictus. Denique maximi momenti
apud regem Democides erat. Interiecto deinde
brevi tempore inter alia contigit, ut Atossa
Ciri filia (erat Darii uxor) in mamilla ul-
cus oriretur, deinde rescisum porro grassare-
tur. Quod ipsa quoad fuit exiguum pro pudo-
re occultans nemini indicavit; sed ubi ma-
jam habebat accersito Democide rem ostendit.
Ille se redditurum sanam affirmans edixe-
rat tum, ut sibi vicissim ipsa inferoiat in eo,
quod oraverit: oraturum autem nihil, unde
dedecus redundaret. A quo, postaquam cura-
ta est, edocta Darium, dum cum eo cubat,
ut Democidem virum maxime idoneum ex
omnibus ad demonstrandas Persis res Græcas,
atque exponendas mitteret, monet. Darius, ubi
primum illuxit, accitis quindecim Persarum
spectatis, præcipit ut sequentes Democidem
omnia Græciæ maritima collustrarent, neve
committerent, ut Democides ab ipsis aufuge-
ret, sed rursus eum omnino reducerent. Hac
illis ubi præcepit, secundo loco Democidem
ipsum ad se accersitum orat, ut exposita at-
que demonstrata Persis omni Græcia, rursus
rediret. Jubetq; eum dono ferre patri, ac fra-
tribus, omnia sua ntensilia, affirmans se alia
multo plura illi daturum, ac præter dona
missurum ait quæ una iter faciat onerariam
navim omnifariis bonis refertam. Hæc Darius
astuto-doloso consilio, ut mea fert opinio man-
davit. Ille tamen veritus, ne se Darius tenta-
ret tanquam fugitivum, si cuncta sibi oblata
naperet, respondit, se quidem sua illic relin-
quere velle, ut ea reversus sibi habeat. Verum
navim onerariam, quam Darius promittebat
dono fratribus accipere. Darius postquam hæc
Democidi præcepit, homines ad mare dimi-
sit, isti cum Phœnicem descendissent, & ea
Phœnice in urbem Sydonem, confestim duas
triremes instruxerunt, & simul ingentem one-
rariam multifariis bonis impleverunt. Compa-
ratis; omnibus in Græciam traiecunt, &
adeuntes maritima eius loca intuebantur, atq;
describebant, tum pleraque, ac celeberrima
loca Græciæ contemplati in Italiam Tarentum
transmiserunt. Ibi Aristophilides Tarentinorum
rex & ipse Crotoniensis gubernacula Medica-
rum navium resolvit, pariter ipsos Persas di-
mittit tanquam certos exploratores. Interea
dum isti patiuntur hæc, Democides Crotonem
abiit in domum suam, quo abeunte Aristophi-
lides Persas missos facit, restitutis his, quæ
de navibus abstulisset. Illinc Persæ navigantes,
ac Democidem persequentes Crotonem perve-
niunt, nactiq; in foro Democidem prehendunt.
Cum Crotoniensium quidam rem Persicam re-
formidantes tradere parati erant: quidam e
diverso ini ctis manibus Persas fustibus cæde-
bant his verbis commonefacientes: viri Croto-
niensis considerate quid facitis, qui hominem
regis fugitivum recipitis. An ex nobis veris
hanc injuriam regi Dario intulisse, ac vobis
hoc cedat ipsa facietis, si non dimiseritis? cujus n. prius, quam huic urbi bellum infe-
ramus? Aut quam priorem diripere conabi-
mur? hæc dicendo nihil magis Crotoniensibus
persuaserunt, quinimo non modo Democide,
sed eam onerariam navi quam secum duxerant,
privati sunt. Atque ita in Asiam reversi omis-
so jam studio discendi ulteriora Græciæ duce
fraudati. Quibus tamen in digressu iste man-
daverat, ut Dario dicerent, Democidem du-
cere uxorem Milonis filiam. Erat n. apud re-
gem celebre nomen Milonis luctatoris. Quas
nuptias mihi videtur Democides eo tempore
properasse magna erogata pecunia, ut ipsum
etiam in patria sua spectatum esse Dario ap-
pareret. Scripsit Democides librum. Quo tem-
pore, ait Timæus apud Athenæum lib. 12.
Persæ coperunt Democidem, Crotoniatæ con-
ti sunt solvere festum Olympicum, proponen-
tes præmium argentum opulentissimum. Qui-
dam vero id feciſſe aiunt Sybaritas. Ante e-
nim victores coronis coronabantur aut laureis,
aut myrteis & hujusmodi. Talentum autem
(quia de eo hic mentio facta est) sexcen-
tis aureis nummis scutatis valebat, ut latius
in libro de æternitate urbis ostendimus: mi-
na vero attica centum dragmis sive dena-
riis Romanis, hoc est decem aureis nu-
mis scutatis. Fuit & Dinonen Brontini Cro-
toniatæ uxor, socrus & discipula Pythagoræ.
Quæ admodum docta fuit & sapiens & vir-
tutibus præcellens, cujus pulcrum illud di-
ctum extat: *Mulierem a viri sui congressu sur-
gentem sacrificare eodem die debere*, Quod
ipsum in Theanonem eius filiam nonnulli
referunt. Fuit & Phintys sive Phryntys Cro-
toniata filia Theophrii, sive ut alii, Calli-
cratis Pythagoræ discipula, eiusque dogma-
tum studiosa. Scripsit quædam. Hæc in li-
bro de temperantia mulieris apud Stobæum
in nuptialibus, præter cætera ait; *Mulier
omnino bona & modesta sit, nam sine vir-
tute nunquam talis fieri potest. Omnis
virtus enim id cui contingit laudabile reddit.
Videndi virtus oculos, audiendi aures, equi
equum, viri virum, sic & mulieris mulie-
rem. Est autem prima virtus mulieris tempe-
rantia, qua virum suum colere & amare po-
terit. Multi forensis existimant philosophari
non decere mulierem, nec nec equitare, neque
concionari. Ego autem sentio opera quædam
propria viri esse, alia mulieris, nonnulla ex
utriusque communia: item alia potius ad mu-
lierem, quam ad virum pertinere, alia con-
tra. Viri propria sunt exercitum, aut rem
publicam gubernare, concionari: Mulieri au-
tem peculiare est custodire domum, manere
domi, expectare, & bene tractare maritum,
utriusque communia nomino fortitudinem, justi-
ciam, & prudentiam. Quippe cum corporis
virtutes & virum, & mulierem possidere de-
cet, tum animæ similiter. Et ut corpus habe-
re sanum utriusque prodest, sic etiam animæ
sanitas. Corporis virtutes appello sanitatem,
robur, sensuum integritatem, pulcritudinem.
Cæterum sunt ex virtutibus quæ magis viro con-
veniunt, ut fortitudo, prudentia, cum propter
corporis habitum, tum animæ facultatem.

Alia

illo multitudo magis decent, ut temperantia. Quocirca hac virtute instituendam scire opus est ex quot, quibusq; hoc bonum mulieri consistat, constat igitur ex istis quinque: & primum ex sanctitate ac pietate circa matrimonium: deinde ex ornatu corporis: tertio ex egressibus à domo propria: quarto abstinendo a bachanalibus, & matris Deum festis: quinto ut sacrificiis erga Deum cura sit & moderata. Ex iam dictis maxima & præcipua causa temperantiæ est, quæ facit, ut circa coniugium incorrupta sit uxor, nec alieno viro commisceatur. Principio enim hac parte si pectet, offendit natalitios deos, ut qua domui & cognationi non germanos auxiliatores, sed spurios exhibeat. Quinetiam perfida est erga naturæ deos, per quos iuruverit una cum parentibus & cognatis suis se convictura legitime cum marito ad vitæ communionem, & liberorum procreationem. Et in patriam quoque peccat, non persistens in eius statutis. Deinde in hisce rebus delinquere, quibus maxima pœna constituta est, mors ipsa propter magnitudinem sceleris, quod voluptatis causa & petulantiæ commiserit, omnino nefarium. omnique venia prorsus indignum est. Petulantiæ autem finis pernicies est. Considerandum est & illud, quod nullum inventura sit remedium purificatorium huius delicti, ut templa deum ingrediens, aræque accedens casta, & amabilis Deo esse possit. Nam huic sceleri maxime Deus etiam infestissimus est, atque ignoscit minime. Imprimis vero honestum est matronæ pudicitiam suam erga virum per formam liberorum suorum testari. Quod sit si liberi referant typum similitudinis sui generis. Et hactenus de ipso confugio. Cæterum quod ad corporis ornatum, illum probo, qui albus, simplex, & minime superfluus fuerit. Vestes translucidas, varias, discolores, & a lombice contextas corpori non induat. Sic enim nimium ornatum, luxuriam, & comptum effugiet, nec improbo zelo alios afficiet. Aurum & smaragdum omnino non usurpet: nam & nimio constat, & superbiam præ popularibus arguit. Civitatem autem bene institutam per omnes sui partes ex aquo recte constitui, afficique mutuo consensu, & similibus uti legibus, atque huiusmodi rerum opifices expellere oportet. Facies vero non ascititio & alieno colore deceretur, sed genuino & proprio corporis, & aqua simplici abluatur, ac pudore potissimo ornetur, ita enim tum virum, tum seipsam honorabilem magis efficiet. Egrediantur autem domo matronæ populares sacra facturæ Deo civitatis, principi, & custodi pro se & maritis suis, totaque familia. Verum nec instante nocte, neque vespera, sed foro hominibus pleno palam esset mulier, vel ad spectandum aliquid, vel emendum ab una ancilla aut plurimum duabus honeste deducta. Fiant autem sacrificia diis frugalia, & pro facultatibus. Cæterum Bachi & matris Deum sacris domi celebrandis abstineat. Etenim civitatis publica lege constitutum est, alioqui nec festis huiusmodi interfint. Et sane inducunt ebrietates, mentemque alienant ista cerimonia. Matrem familias autem, qua domui regendæ præest, temperantem, pudicam, & intactam esse convenit. Erubescant nunc Christianæ mulieres luxu, & deliciis delinimentis. Fuit & *Dameas* Crotoniata statuarius celebris. Opus eius in septo ostenditur, quod Altim vocant. Hic Milonem celebravit, ait Pausanias in Eliac. Fuit & *Patroclus* Cretylli filius statuarius, cuius meminit Pausanias in Eliacis. Qui fecit simulacrum Apollinis, capite inaurato in Olimpia dedicatum a Locris Zephyriis. Maxime quoque valuerunt Crotoniatæ palæstra, in gymnico certamine. Fuerunt itaque ex ipsa urbe Achiltæ Olympionici celeberrimi complures, qui multas victorias domum reportarunt. *Olympionicem autem esse*, ait Cicero in Oratione pro L. Flacco, *apud Græcos prope maius erat & gloriosius, quam Romæ triumphasse.* Fuerunt igitur septem, quos in unius Olympiadis ludis cæteros studio superasse Strabo prodit. Fuit & *Glaucias* Crotoniata, qui, ait Pausanias in Phocaicis, vicit Olymp. [illegible] Tertio vero anno huius Olympiadis iudicem præmia posuerunt. Fuit & *Diognetus* item athleta, qui ait idem Pausanias ibidem, vicit anno primo lviii. Olymp. Fuit & *Phayllus* tris Olympionicus celeberrimus, quem decantavit Aristophanes poeta in Acharnibus Qui Græcis periclitanti in rebus Persicis una navi auxilium tulit. In honorem cuius magnus Alexander multas exuvias Crotoniatis dono misit, uti Plutarchus in Alex. commeminit, ita scribens: *Alexander ad Croteniatas quoque in Italiam magnam exuviarum partem transmisit, ob Phayllidecus & gloriam in pigri & fortis athletæ, qui Medico bello cum Græcos cæteri destituissent Italo, propria triremi Salaminam navigavit, illius periculi communicationem susceperturus. Adeo omnia virtutis opera summo studio & benevolentia observabat.* In ludis Pythicis, ait Pausanias in Phocicis, *duas victorias est consequutus, tertiam stadio. Eius statua est in Delphis.* Et rursus: *Is vero, qui eas exerceret Pentathlus dicebatur. Pentathlum autem certamen seu exercitatio quinque artes gymnasticas continebat, discum, cursum, saltum palæstram, & jaculationem. Visit enim Phayllus,* ait Ioannes Tzetzes, *luctæ, pugillatu, disco, cursu, saltu, & omni genere ludorum. Saltavit pedes quinquagintasex.* Iecit *discum pedes nonaginta quinque.* Item Suidas inquit: *Phayllus cursor optimus Olympionicus, de quo Aristophanes in Vespis* (adhuc *Quando cursorem Phayllum exiſtens valde iuvenis Capi, impellens convitii calculis duobus.*

Fuit autem & armatus, cursor celebris, quem hodometrum, id est viæ mensorem vocabant. Fuit etiam quinquennio: de quo est distichum: *Quinq; super quinquaginta pedes latavit Phayllus Iecit autem discum centum quinque minus.*

Fuit & *Philippus Butacides*, Olympionicus. De quo Herodotus lib. 5. inſit: *Dorico & vitæ & mortis comes fuit Philippus Butacides vir Crotoniata, qui desponsa sibi Tely, Sybarita Crotone profugerat, abnegato matrimonio transmisit Cyrenem, ex hac discedens sectatus est familiarem triremem, ac familiarium virorum sumptum, quod esset Olympionices, ideſt victor certaminis ad Olympia, & omnium illic Græcorum speciosissimus. Ob quam corporis speciem ab Ægeſtanis ea, quæ nemo*

alius

ejus reportavit. Nam sepulturæ ejus heroico monumento extructo, Aegestani hostias offerunt. Fuerunt & *Astylus*, qui & philosophus fuit Pythagoræ discipulus, & *Ischomachus*, & *Tisicrates* athletæ: de quibus Dionysius Halicar. commeminit, qui plures in Olympiacis ludis victorias sunt assequuti. Quorum Astylus, ait idem lib. 8. *vicit Olymp. trigesima septima, C. Julio, & P. Pinario Rufo Coss. Ischomachus autem, ait idem lib. 5. vicit bis Olimp. sexagesima octava, quo tempore Porsenna Romanis bellum intulit, & anno quinto Olymp. lxix. post reges exactos.* Tisicrates itidem bis vicit Olymp. lxxi. cons. Aulo Semnio & M. Minutio. Et Olymp. lxxii. cons. Aulo Virginio & Tito Vetusio. Astylo cum tribus continuis Olympicis vicisset stadio, diaulo, & dolicho posita est statua. Quem perpetua virginitate fuisse præditum Plato lib. 8. de leg. tradit. Est autem diaulus cursus reciprocus, ideſt duplex obeundi scilicet stadium, ac mox redeundi spacium duorum stadiorum longitudine, ideſt ccl. pass. dolicus vero est spacium duodecim stadiorum, ideſt, M. D. pass., vel ut Svidas, viginti quatuor, ideſt m. pass. De Astylo Pausanias in Eliacis ait: *Astylus Crotoniata Pythagoræ quidem opus, tres continuas victorias Olympiacas stadio, & diaulo est consequutus. Quoniam autem in duabus ultimis in gratiam Hieronis tyranni se Syracusanum prædicavit, Crotoniatæ domum eius carcerem esse constituerunt, & statuam eius juxta Junonem Lacedæmoniam existentem sustulerunt, & bona insuper publicarunt.* Ergo Siculi duos, quod scimus, Calabros claros viros hunc & Diconem Caul. ut se Siculos dicerent pecunia subornarunt. Fuit & *Timasitheus* athleta, quem ætate juvenem Milo in Olympia superare non quivit. Fuit & *Ægon* athleta robustissimus, qui & philosophus Pythagoræ discipulus, qui à Milone persuasus in Olympiam ivit certaturus. Quem decantavit Theocritus Eidyllio quarto. Ubi Corydonem Ægonis bubul cum sic facit loquentem.

Interdum quidem ipsam in Aesaro pasco,
Et mollis graminis bonum fasciculum do:
Aliquando autem saltat obscurum circa Latymnū
Et quidē in Malimnū impellitur, atq; partes Physci.
Et in Neæthum, ubi bona omnia nascuntur,
Egipyrus, & Cnyza, & odorifera meliteia
Laudo illamque Crotonem, & illum in orientem
Lacinium, ubi ille pugil
Aegon, qui octuaginta solus devoravit panes.
Hic & taurum à monte humeris duxit prehendens
Vngula, & dedit Amaryllidi.

Eius interpres. *Latymnus*, inquit, *mons est Crotonis nemorosus; Physcus mons ibidem pascua nimium bobus idonea habens: Malimnus os paludis juxta Crotonem; Aegon*, ait Ioannes Tzetzes, *in montes currens tauros superabat, & ungulas à tauris viventibus avellebat, quos humeris sustollens amicis puellis, & mulieribus donabat.* Fuit & *Milo*, ille sane quam robustissimus Diotimi filius, Pythagoræ discipulus adolescens. *Qui*, ait Solinus, *supra hominum naturam erat*, Florvit ut quidam tradunt, Tarquinii Prisci temporibus, De quo Plinius ait: *Milo Crotoniates taurum quatrimum in Olympico certamine ictu nudæ dextræ occidit, & humeris sustollens stadii spatio portavit, eumq; eodem die consumpsit. Huic parœmia orta est, bovem in faucibus portat.* Huiusce rei meminit quoq; Cicero in lib. de senectute, & Athenæus lib. 10. qui sic ait: *Milo Crotoniata minas viginti carnium comedebat, totidemque panum, bibebatq; tres choas vini, velut Theodorus Hieropolites in libro de certaminibus testatur. At in Olympicis quum quadrimum bovem suprà humeros assumpsisset, per stadiumque circum tulisset, ac postea cecidisset, solus eodem die totum comedit. Titormusque Aetolus cum eo bove depositō decertavit, ut narrat Alexander Aetolus.* Scribit Philarchus in lib. 3. Milonem taurum ediſſe, cum ante aram Iovis esset vocatus, quare hæc in eum scripsit Borieus poeta:

Talis erat Milo, qui inter certamina Olympi
Quadrimum è terra sustulit ille bovem (est
Supra humeros, agnus velut, ingens victima capta
Quam leviter circum pertulit hic spacium.
Horror erat certe hoc, magis ac mirabile fecit,
Ante sacrum Pisæ vir peregrine locum,
Non taurū tulit in carnē, qui haud coniugis expers
Quem cædens edit solus, & ille die.

Huic, ait Pausanias in Elias, *sex Olympiæ palestræ victoriæ fuere. Ex quibus una inter juvenes. In Pythiis autem certaminibus sex inter viros, una inter juvenes*, Profectus est & septimo in Olympia luctaturus. Sed Timasitheum civem suum Crotoniatam ætate juvenem superare non valuit: quin neque prope eum accedere. Dicitur autem Milo suam ipsius statuam in Altim tuliſſe. Est autem Altis lucus sive adytus in Olympia circum templum Jovis. De quo Milone Pindarus ode x. & Aristodemus. Ajunt autem ipsum ita malum Punicum continuisse, ut nec conantibus eripere permitteret, nec malum ipse premendo collideret. In disco præterea ita constitisse, ut omnes irruentes trudentesque, ac de disco educere nitentes derideret. Præbebat autem & alia huiusmodi complura ad ostentationem. Alligata etiam fronti chorda æque, ac si teniam aut coronam circumposuisset, anhelitum intra labia continebat, & capitis venas ita sanguine replebat, ut præ venarum viribus chordam disrumperet. Dexteræ quoque manus quod ab humero ad cubitum lateri admovebat, quod verò à cubito extat in rectum digitorum protendebat, ex quibus pollice sursum versus reflexo, reliquis sibi invicem per seriem incumbentibus nemo ne maximo quidem conatu minimum digitorum correxisset. Et divus Basilius in libro de instituenda studiorum ratione: *Milo*, inquit, *in clypeo uncto stabat, nec depelli ab eo ulla vi poterat, sed resistebat non secus ac statua quædam plumbo affixa.* Et Plinius lib. 7. *Crotoniatam Milonem athletam, cum stetisset, nemo vestigio educebat, malum tenenti nemo digitum corrigebat, cucurrisse M. ccxl. stadia ab Athenis Lacedæmonem biduo.* Item Strabo lib. 6. *Fama est columna quandoque in philosophorum conturbernio laborante Milonem subeuntem salvos reddidisse universos, denique seipsum extraxisse. Hic*, ait Plinius lib. 7. itemq; Solinus, *alectoriis gemmis in ventriculis gallinaceorum inventis cristallina specie, magnitudine*

Digitized by Google

vine fabæ in certaminibus usus invictus fuit. A *Atque*, ait Ioannes Tzetzes, *Crotoniatis in bello adversus Sybaritas præfuit. Qui ut Hercules à Crotoniatis coronatus fuit: nam cum centum millibus Crotoniatarum trecenta Sybaritarum millia trucidavit*, ut Diodorus & Herodotus ajunt. Hunc Crotoniatæ Iunonis sacerdotem instituere. *Hic*, ait Cicero in libro de senect. *cum senex esset jam, athletasque se in curriculo exercentes videret, aspexisse lacertos suos dicitur, illacrimansque dixit: at hi quidem jam mortui sunt: Notans* B *quòd corporis vigorem adimit ætas, animi vis ad extremam usque durat ætatem*. Item Ovid. Met. 15.

Fletque Milo senior, cum spectat inanes
Illos, qui fuerant solidarum more ferarum
Herculeis similes fluidos pendere lacertos.

De morte autem ejus scribit Strabo: *Milonem ferunt, cum profundam densamque per sylvam iter faceret, longe a tramite deviasse,* C *truncum deinde ingentem adactis cuneis invenientem, insertis manibus pariter ac pedibus in scissuram eius hiantem, ut penitus discinderet, esse conatum: tantum autem solummodo valuisse, ut exilirent cunei, ligni vero partibus statim in sese coeuntibus derelictum in eius generis laqueo a feris devoratum fuisse.* Id etiam Ovid. in Ibin. & Cicero, & Valer. Max. commemorant. Eius statua ænea Epheris erat, ut Philostratus lib. 4. prodit, ubi sic ait: *Ephoris Milonis ænea statua erat hoc* D *modo. Erat Milo super discum positus, simulque vinctis pedibus inniti videtur, sinistra autem malum punicum tenet, dextræ vero manus digiti recti & rigentibus similes apparent, caput victa redimitum.* Fuit & *Phormio* dux rei militaris peritus: de quo Svidas ait: *Phormio, de quo & Theopompus in Philippicis mentionem facit. Fuit autem Crotoniata, & in Sagræ pugna vulneratus est. Cum autem vulnus curatu difficile esset, oraculum accepit, ut Lacedæmonem adiret, eum* E *fore illi medicum, qui primus ad cœnam se vocarit. Vbi igitur Spartam venit, cum è vehiculo descendisset, ad cœnam a iuvene invitatus est. Atque inter cœnandum, ad quid venerat interrogatus, oraculum exposuit. Quod cum ille audisset, ab hasta abradens vulneri imposuit, utque è cœna discesserunt, cum sibi videretur ad currum ascendere ad ianuam suæ ipsius domus apud Crotonem deprehenditur. Verum & divina hospitalia munera ipsum agentem vocaverunt Iovis filii Battum, qui a-* F *pud Cirenem erat ac surrexit balsami virgam habens*. Proverbium autem est, *Phormionis thori*, de stratis sordidis ac frugalibus. Hic n. Phormio bonus fuit militiæ dux, & in instruendis militiæ ordinibus videtur fuisse per quam laboriosus. Scribitur autem Phormio duabus navalibus pugnis Lacedæmonios vicisse. Fuit & *Leonymus* Crotoniata, qui Crotoniatarum exercitus ad Sagram dux fuit De quo Pausanias in Laconicis ait: *In Euxino ad Istri ostia insula est nomine Leuca viginti stadiorum ambitu, sylvis densa, ferisque, ac cicuribus animantibus referta Achilli consecrata, in qua eius templum est, ac simulacrum. Ad hanc dicitur primum navigasse Leonymum Crotoniatam. Nam bello a Crotoniatis conflato adversus Locros, Locrensibusque ob familiaritatem, quam cum Opuntiis habebant, Aiacem Oileum in prælio invocantibus Leonymus Crotoniatarum dux ab hostibus vulneratus fuit in pectore, ob quod graviter laborabat. Oraculum autem prædixit, quod ibi ab Aiace vulnus curaretur. Itaque cum sanatus ex insula rediisset, vidisse aiebat Achillem, & Oilei ac Telamonis Aiacem, & cum iis Patroclum, atque Antilochum: Helenam præterea cum Achille habitare asserebat, sibique mandasse, ut Himeram profectus Stesichoro nunciaret ex Helenes ira ipsum oculorum morbo laborare. Stesichorus hac de causa palinodiâ composuit.* Est Croto sedes episcopalis vetustissima, utpote divi Dionysii Areopagitæ discipula. Constans fama est apud Crotoniatas, ab usque Dionysii tempore posteris per manus tradita, Dionysium ipsum Romam petentem Crotonem divertisse, & Crotoniatas ad Christi fidem convertisse. Quocirca Crotoniatæ in signo civitatis Dionysii effigie utuntur. Joannes Episcopus Crotonienſis interfuit synodo Romanæ sub Vigilio Papa. Et Petrus Episcopus Crotonienſis interfuit synodo Constantinopolitanæ sextæ sub Agathone Papa. Et Theotimus Episcopus Crotonienſis interfuit synodo Nicenæ secundæ sub Adriano Papa. Celebratur Crotone quotoquoq; anno nobile emporium. De aeris autem salubritate, ac cœli clementia jam dictum est. Solum hoc quoque felix est & amœnum, & amplum, non vastis rupibus, non stagnis impeditum, sed aut campestre est, aut amœnis collibus distinctum. Cerealium inaudita fœcunditas ac bonitas. Arva insuper locave herbida sunt & pascua armentorum gregumque pabulis accommodata, cingitur & urbs vivis ac perspicuis fontibus & hortis irriguis. In molendis frugib. pistrinis utuntur. Fit hic similago triticea ac globuli probatissimi, ac figlina opera non vulgaria. Fiunt & vina clara. Nascitur in Crotoniato agro rubrica fabrilis, & cappares laudatissimi. Fit sesama & gossipium. Oritur & herba, quæ masticem fundit, de qua alibi diximus. In æde cœnobitarum divi Francisci beati Pyrrhi corpus quiescit. Secundum urbem Æsarus fluvius labitur, qui olim per mediam urbem, ut ostendi fluebat. Quem Dionysius Apher vocat amœnum. Et ejusdem nominis portus, ait Strabo lib. 6. Inter Crotonem & Syberenam Leonii urbis vestigia visuntur. Extat adhuc Episcopalis sedes. A Crotone m.p. (ex. Neæthus fluvius navigabilis labitur. De quo Strabo lib. 6. sic scribit: *Æsarus fluvius & portus, & fluvius alter Neæthus nomine, quorum cognomina casu provenisse dicitur. Nam in Achivorum errore quosdam ab Iliaca classe applicuisse, & ad locorum explorationem egressos, Trojanas mulieres navigationis comites tam longi pertæsas pelagi cursus naves incendisse, quas viris desertas esse noverant, qua ex causa illi manssisse coacti sunt. Præsertim cum terrarum virtutem cernerent, è vestigioque plurimos alios adventantes, & pro sanguinis necessitudine ipsos invitantes, multas habitandi effecisse sedes, à quibus plures Trojanorum si-*

milem

milem appellationem assecuti sunt. Neæthumq; etiam ex malorum eventu vocabulum vendicavit. Et Lycophron in Alexandra.

Et Neæthus ubi fluit ad mare
Interficient autem illum Auxones, Pellœi.

Super quibus verbis Isacius eius interpres ait: *Secundum Apollodorum & alios Laomedontis filias, Priami sorores Aethyllam, Astyochen, & Medesicasten, postquam illuc in Italiam cum reliquis captivis pervenissent, vitantes Græcorum servitutem suasisse aliis, ut naves Græcorum viris vacuas, cum in terram descendissent, comburerent. Unde fluvius Neæthus dictus est, à naus, ideſt navis, & Aetho ardeo, & mulieres illæ naupresties dictæ sunt. At Græci, qui cum illis erant, exustis navibus ibi habitarunt.* Plutarchus vero scribit fuisse captivam Romam nomine reliquis consulentem ut exurerent Græcorum naves: Lycophron autem Setæam fuisse ait auxilium ferentem Lydis, sociamque, ut dixi, Rhodiis. Quæ mulieres hoc deliquio pavidæ viros osculis & amplexibus placaverunt, ut Plutarchus in problematibus auctor est. Hinc mos remansit, ut mulieres propinquos, & affines osculo exciperent. Combustæ sunt & aliæ Græcorum naves a Trojanis mulieribus captivis circa Sybarim & Crathim Calabriæ amnes, ut ibi ex Lycophrone dicemus. Hoc flumen Naso *Salentinum* appellat. Post Neæthum m. pass. sex. *Strongilis* civitas est, sedes Episcopalis edito loco, rupibus undequaque fere septa: abest a freto m. p. tribus, à Severena duodecim, à Crotone totidem. *Macalla* sive *Macælla* olim dicta, ab emolliendo, ait Stephanus, quod ibi emollitus sit Philoctetes: gentile nomen Macelleus. Est quidem vetustissima ab Ausoniis, aut certe ab Oenotriis condita. Hujus urbis meminit Lycophron in Alex, ubi ait:

Et rursus in Macalla templum incolæ magnum
Super tumulum extruentes gravem Deum
Libationibus honorabunt, & sacrificiis boum.

Super quibus verbis Isacius ait: *Macalla urbs est Italiæ, ubi sepulchrum est, & templum Philoctetis ab Incolis conditum, eique dicatum, cui boum sacrificia immolant, uti, Deus immortalis esset.* Inde, ut apud quendam scriptorem legi, dicta fuit *Tiropolis*, quæ persecutionis rabiem passa est à Mauris, Cretensibus, & Carthaginensibus. Aquarum scaturiginib. affluit, circum n. urbem fontes plurimi scatent. Fit hic similago triticea laudatissima. Ager hic optimi frumenti & aliarum frugum ferax est, & armentorum, pecorumque pabulis accommodatus. Fit gossipium, & sesama, nascuntur cappares & fœnicula marina: sunt & testudines terrestres. Fiunt aucupia turturum, turdorum, palumborum, & aliarum parvarum alitum. In molendis frugibus utuntur pistrinis & molendinis vento agitatis. Hic lapis est Latinis literis sculptus, aliunde huc delatus: In quo capita sunt duo testamenti cuiusdam, quo testator vineam collegio Augustalium urbis Petelenæ legat. Hinc quidam Strongilem Peteliam fuisse opinati sunt. Sed longe decipiuntur: nam Peteliam alibi esse ostendimus. Parte læva m. p. tribus *Melissa* vetustum oppidum est, edito loco ab ape dictum, aut fortasse à Melisso Cretesium rege, aut Melisseis Cretæ populis conditum: civis Melisseus & Melissius. Cuius meminit Ovid. lib. 15. ut dudum ostendimus. Distat a mari m. p. septem. Ager hic fertilis est. Sunt aquæ sulphureæ. Fit Xylon, & sesama provenit juniperus. Supra Strongilim parte dextra m. p. quatuor *Casuonum* castellum est. Abest à freto m. p. septem. In hoc agro Alabastrites nascitur. Et gypsum è terra foditur. Est & sulfur, & juxta *Cinga* vicus est ubi fontes sunt salsam aquam manantes. Intus est *Cacurium* oppidum edito loco, in radicib. Silæ sylvæ situm, distat à Crotone m. p. duodeviginti, à Polycastro, ideſt, à Petelia octo. Hic sal fossile nascitur. Extant & sulfureæ aquæ. Fit olei copia. Provenit rheuponticum. Ex hoc oppido fuit *Franciscus Simoneta* utroq; jure peritus, vir medius fidius prudens, & apud Franciscum Sfortiam Mediolanensium principem magnæ auctoritatis, atque Mediolani prætorem egit. *Joannes* eius frater magni ingenii vir bonarum literarum peritus, apud eundem principem magnæ extimationis, ingens opus unius & triginta librorum Francisci Sfortiæ gesta continens edidit. Viget etiamnum Mediolani Simonetarum familia, ex qua fuit *Jacobus Simoneta* utroque jure doctus, & divinis literis eruditus. Ob quas virtutes à Paulo tertio Rom. Pont. Cardinalium numero fuit adscriptus. A Cacurio m. p. quatuor est divi Joannis a floro cognomine ædes Cisterciensium monasterium, à Joanne Joachimo Abbate constructum, in quo multorum Sanctorum frusta asservantur. Post Cacurium Lesa fluvius labitur. Inde *Cerenthia* sive *Gerentium* est, quasi mellificium. *Pumentum* olim dictum ab Oenotriis, sive ut Strabo fert, à Philoctete edito loco super saxum conditum. Validum propugnaculum undique ingentib. saxeis rupibus cinctum. Aer hic saluberrimus est. Distat à Cacuri, m. p. quatuor, a mari quatuor & viginti. Fuit sedes Episcopalis, cuius meminit Joannes Joachimus Abbas, licet pro *Gerentinus*, *ma* syllaba interposita *Germaentinus* depravatè legatur. Huius urbis Episcopus fuit Bernardus Abbas socius sive discipulus Joannis Joachimi sanctæ vitæ vir. Hic vina, olea & mella clara fiunt. Olivæ ad Amygdalarum magnitudinem crassæ, & carnosæ conditæ in cadis optimæ sunt esu. Aer hic fertilis est. Fit similago triticea optima Extant sulfureæ aquæ multis locis. Fit sulfur, nascitur sal fossile, & alabastrites, sive lapis alabastritæ similis: & lapis, ex quo fit alumen, quo oppidani ob inscitiam in fabricandis ædib. utuntur. Proveniunt cappares, siliqua silvestris, & glycirrhiza affatim. Fiunt & oleræ pulchra. Non longe sunt *Spinellum* & *Belliuiderium* pagi. A Gerentia m. p. sex *Vertiuæ* oppidum exiſtit ab Oenotriis, sive ut Straboni placet, a Philoctete conditum, abest à mari m. p. undeviginti. Hic caseus probatissimus fit, & mel optimum. In hoc agro alabastrites albus & niger nascitur, item sulfur, & alumen, & rubrica fabrilis, &

chalcanthum, & ſal foſſile, & lapis ſive terra Samia gilva & alba, qua aurum & gemmæ expoliuntur, tripolim vocant aurifices: naſcitur & ferrum, & argentum, item lapis albus argenti materia, ut quidam volunt. Proveniunt rheuponticum, eupatorium, meum, eufragia, centaureum maius, & aliæ nobiles herbæ. Naſcitur & rhus arbor, item atrolices arbor, & cardus, qui maſticen egerit. Extant & ſylvæ glandiferæ omnigenæ & tedæ. Fiunt venationes aprorum, caprearum & aliorum ſylveſtrium animalium. Sunt & teſtudines: fiunt & aucupia multarum avium. Inde eſt *Bryſtacia*, nunc *Briaticum* civitas ſedes Epiſcopalis, ex Paterno urbe, de qua mox, huc translata, cuius meminit Joannes Joachimus Abbas, & ſi Antiblacenſis depravate legatur. Situm eſt oppidum in vertice montis ſaxei, ab Oenotriis conditum, ut alt Stephanus. Abeſt à Vertinis m. p. quatuor à freto tredecim. Coniiciendum eſt Pumentum, Cacurium, Vertinas, & alia huius regionis oppida ab Oenotriis condita, a quibus & Severena & Bryſtacia ſed a Philoctete poſtea habitata. In æde epiſcopali veſtis Chriſti, & beatæ Mariæ Virginis, & ſanctorum Gregorii Papæ, Cataldi, Laurentii, Donati, Stephani, Georgii, & Petronillæ fruſtula aſſervantur. In hoc agro legitur manna, fit goſſipium, & ſeſama. Provenit terebinthus, & cappares. Naſcitur alabaſtrites, & gypſum marmoroſum, & lapis molaris. Extant & ſylvæ glandiferæ. Fiunt venationes, quales Vertinis. Ad mare rediens *Alecium* promontorium reperies cum ſtatione, *Crimiſſa* olim dictum, diſtat a Crotone m.p. quatuor & viginti. In quo laurorum, & iuniperorum ſponte naſcentium copia eſt. Et iuxta Crotonem verſus Lipuda fluvius cadit in mare, Aretan quondam dictus, Crotoniatæ regionis, ait etymologicus, ab Areta uxore Alcinoi, cuius ſepulchrum erat. Super promontorium hoc *Cirum*, ſive *Cirrha* civitas edito loco. Abeſt a Strongili m. p. octo, a mari quatuor. *Crimiſſa* olim dicta a promontorio: ab Oenotriis condita, cuius meminit Stephanus, qui ait: *Crimiſſa urbs & eiuſdem nominis promontorium, & amnis, quam habitavit Philoctetes.* Strabo eam Philoctetem condidiſſe refert. De hac Lycophron in Alex. de Philoctetete loquens ſic ſcribit.

Illum verò & Aeſari fluenta, & parva civitas,
Oenotriæ terræ, & Cenchrinæ punctum,
Crimiſſa torris recipiet interfectorem.

Super quibus verbis Iſacius ait; *Philoctetem Alexandri interfectorem fluenta Æſaris fluminis Crotonis, & Crimiſſa civitas parva Oenotriæ & Italicæ terræ recipient. Philoctetes bellum inferens Campanis prope Crotonem & Thoryngium Crimiſſam habitavit, & ceſſans ab oberratione Haleo Apollini templum erexit, cui etiam arcum obtulit, ut ſcribit Orion, hoc modo Philoctetes ſublatus eſt. Ab ea Crimiſſeus.* Et Ariſtoteles in libro de mirabilibus: *Apud Sybaritas aiunt Philoctetem coli, qui ex Troia profugus inhabitavit, quæ vocantur mollia Crotoniatis, atque Herculis arcus in Apollinis Halei templo conſecravit, quos per vim a Crotoniatis in Apollinium translatos ferunt. Aiunt iis locis mortuum eſſe auxilia ferentem Rhodiis, qui cum Tlepolemo ad ea loca delati contra incolas depugnarunt.* Inde urbs hæc Crimiſſa dicta fuit *Paternum*, cuius meminit Antoninus Pius in itinerario, quam a Roſſano m.p. duodetriginta diſtare dicit. Nunc, ut dixi, *Cirum* dicitur. Fuit ſedes Epiſcopalis, quæ poſt vaſtationem regionis a Pœnis, Cretenſibus, & Mauris in Bryaticum translata eſt. Abundantius Epiſcopus Paternenſis interfuit ſynodo Conſtantinopolitanæ ſextæ ſub Agathone Papa, qui una cum Ioanne Archiepiſcopo Rhegino, & Ioanne Epiſcopo Portuenſi geſſere vicem Papæ. Hic ſimilago triticea optima fit. Exuberat urbs hæc aquis recentibus. Fiunt vina, olea, & mella clara. Naſcuntur cappares, & tubera, & fœnicula marina, provenit terebinthus, legitur manna. Naſcitur & rubrica fabrilis, & ſilex. Ager inſuper hic frugifer eſt. Extant & horti nemoroſi limonis, citris, & malis aureis arborib. inſtructi. Fiunt & arborum fructus optimi. Non longe à freto locis quibuſdam uvæ maturæ dureſcunt, at præcipui ſaporis ſunt. In hortis Epiſcopalis ædis arbor eſt, quam Plinius lib. 12. in Baſtris eſſe ſcribit. Quæ eſt inquit, terebintho ſimilis, pomo amygdalis, minor tamen magnitudine, præcipuæ ſuavitatis, aliqui terebinthum eſſe proprii generis potius, quam ſimilem ei putaverunt. Fiunt in hoc agro aucupia palumborum, turturum, turdorum, ficedularum, & aliarum parvarum alitum. Poſt *Cirum* Flumica fluvius labitur, Crimiſſa & ipſe ut oſtendi, olim dictus. Inde eſt *Crucolum* caſtellum, ſive *Charocalum*, quod charum bonum ſignificat. Diſtat à Ciro m.p. quatuor, à mari totidem. Hic rubrica fabrilis naſcitur, & cos aquaria, legitur manna. Non procul eſt *Scala* caſtellum alterum cum oleo & melle optimo, fit goſſipium, & ſeſama. Eſt & *Marcellus* vicus. In hac ora paſſim cardus provenit, qui maſticen fundit. Inde lacanetum fluvius labitur. Ad mare *Chariatum* civitas eſt, ſedes Epiſcopalis mari abluitur. Menecrates Epiſcopus Chartatenſis interfuit Synodo Romanæ primæ ſub Symmacho Papa. Hoc mare piſcoſum eſt, piſces laudatiſſimi capiuntur. In Chariatenſi agro fit Xylon & ſeſama, naſcuntur fœnicula marina, naſcitur lapis molaris frumentarius, & olearius. Ager hic herbidus eſt pabulis egregie accomodatus, fiunt & perpulchra aucupia cotunicum, turturum, palumborum, turdorum, ſturnorum & aliarum parvarum avium. Hæc urbs cremata fuit à Turcis eodem anno, quo & Rhegium. Poſt urbem Leos & Valgius amnes labuntur. Supra eſt *Campana* oppidum, *Calaſerna* olim dictum, ab Oenotriis ſive, ut Strabo vult, a Philoctete conditum. Diſtat à Chariato m. p. undecim, à Bryatico ſex. In huius oppidi templo ſanctorum Stephani Prot., Fabiani, Martini Xiſti, & Precopis fruſta aſſervantur. Hic vina, olea, & mella clara fiunt. Naſcitur cos aquaria, & ſilex, & rubrica fabrilis, & chalcanthum, & lapis molaris, legitur manna. Provenit rheuponticum, & cardus maſticen fundens.

Fit

Bit pix, naſcuntur tedæ arbores. Sunt & glandiferæ arbores, & caſtaneta ad porcos alendos opportuna. Eſt & ager hic herbidus paſcuuſque. A Campana ad quartum lapidem *Bochilerium* oppidum eſt inter Santocrucium & Laurentiam amnes, abeſt à mari m. p. duodecim. In hoc agro cos aquaria probatiſſima naſcitur, & ſilex, & lapis molaris, & lapis phrygius, & gagates lapis optimus. Provenit terebinthus, aniſium ſilveſtre dictannum, centaureum maius, & ſagapenum. Naſcuntur ubertim pinaſtri & alaecervi. Extant & caſtaneta, & ſylvæ glandiferæ porcis alendis commodæ: fiunt venationes, quales Vertinis, & aucupia externarum, palumborum, merularum, turdorum, perdicum, & aliarum parvarum avium. Poſtea eſt *Paula* oppidum, diſtat a mari m. p. octo. Ager hic fertilis eſt, fit & mel optimum, fit & goſſipium & ſeſama. Exciditur cos aquaria laudatiſſima, provenit & cardus maſticem fundens. Inde eſt *Calopiciatum* caſtellum cum linis optimis, quod ornamentum & cultum notat; quod Simarelum flumen præterfluit. Hic goſſipium & ſeſama fiunt: naſcuntur cappares, & fœnicula marina. Subinde *Chryſia* caſtellum eſt cum olei copia. Abeſt a mari m. p. 2. in hoc agro naſcuntur cappares, & ſiliqua ſilveſtris. In littore fontes frequentes ſunt dulce manantes aquam. Poſt Chryſiam Triontum flumen navigabile labitur, *Hylias* olim dictum, Crotoniatarum agrum a Thuriorum olim diſpeſcens, ut in Thucydide liquet. Qui lib. 7. ita ſcribit: Demoſthenes & Eurymedon Athenienſium claſſis exercitus duces poſteaquam Thurini ad ſocietatem militiæ ſe expedierunt, iubent claſſem in oram Crotoniatam tendere, ipſi vero recenſitum exercitum per agrum Thurinum ad Sybarim flumen ducunt. Qui cum ad amnem Hyliam perveniſſent, præmiſiſſentque Crotoniatæ, qui dicerent nolle ſe per ſuam terram meare exercitum, deſcenderunt ad mare, & ubi Hylias ad illud excurrit caſtra habuerunt, ubi naves eis ob id præſto fuerunt. Quibus poſtera die conſcenſis abiere ſubinde adeundo civitates præterquam Locrenſium, donec ad Leucopetram pervenere agri Rhegini. Itaque poſt Auſoniorum, Oenotrorum, & Italorum reges, qui univerſæ regioni dominati ſunt, poſt Philoctetem, qui quotæ regionis parti imperavit, & ſiqui alii eiuſmodi in ea regnarint, quatuor reſpublicæ in Calabria fuere, quæ toti regioni dominabantur, Rhegina, Locrenſis, Crotoniata, & Sibarita. Sibari vero a Crotoniatis ſolo æquata eius reipublicæ Thurina ſucceſſit. Cum vero poſtea Brettii potentia pollere cœperunt, complura harum rerum publicarum oppida ſubegerunt, ac ſibi ſuam rempublicam & ipſi conſtituerunt, adeo humanæ res fortunæ temeritati & inconſtantiæ ſubiectæ, volubiles ſunt.

LIBER QUINTUS.

POſt Triontum, ideſt Hyliam flumen *Thurina* regio olim incipiebat. Primum oppidum *Calovitum* eſt, diſtat a Chryſia m. p. quinque a mari ſeptem. Hic vina & olea optima fiunt, naſcitur chalcanthum, & gypſum alabaſtritæ ſimile, ſive, ut quibuſdam placet, alumen ſciſſile eſt. Laudantur & mala Punica apyrana, quorum acana ad ſtrobilorum magnitudinem ſunt. Provenit terebinthus, & ſiliqua ſilveſtris, & vitex. Prope oppidum Lauretum flumen excurrit. Inde eſt *Longoburgum* oppidum iuxta Silam ſylvam. Hic argentifodinæ ſunt, & iam nunc argentum conflatur in maſſam. Glandiferæ arbores & hic & alibi paſſim ferunt agaricum, naſcitur meum. Ex hoc oppido fuit *Brunus* medicus chirurgus non contemnendus, Patavii medicinæ operam navavit. Scripſit in chirurgia libros duos, qui extant, ac magno in precio habentur. Floruit a Chriſto nato anno M.cclii. Non longe eſt *Cropalatum* caſtrum. Hic etiam gypſum alabaſtrite ſimile, ſive alumen ſciſſile, & chalcanthum, & alumen naſcuntur. Proveniunt & terebinthus, vitex, oleander, ſiliqua ſylveſtris, crocus ſylveſtris. Laudantur & mala punica apyrana, qualia naſcuntur Caloviti. Ex hoc oppido fuit *beatus Bernardinus* divi Franciſci Paulitani ſocius ſanctæ vitæ vir. Poſt oppidum Calonatum, & inde Celanum flumina decurrunt. Inde *Roſſanum* eſt civitas vetuſta, ab Oenotriis, ut quantum auguror, condita, validum propugnaculum, egregie natura, inde manu munitum, ſuper ſaxum, atque undequaque ſaxeis rupibus ſeptum, & aquarum ſcaturiginibus exuberans, quod ad loci firmitatem plurimum confert. Aer quoque hic ſalubris viget: diſtat a freto m. p. tribus. Cum enim Oenotrii, ut oſtendi in condendis urbibus loca tuta ac propugnacula firma deligerent, & mortuo Peucetii Oenotrii fratre, utramque Calabriæ oram tenuerint, urbesque in ea complures parvas, ac crebras condiderint, cenſendum eſt hunc tam aptum urbi locum neutiquam præteriiſſe. Præſertim etiam, quod haud procul hinc Bryſtaciam, & Coſam conſtruxerint. Hanc poſtea Rhodii coloniam deduxerunt, ut Joannes Ioachimus Abbas ſcribit iu Eſaiam. Poſtea eam Coloniam deduxere Romani. Quanquam Procopius lib. 3. de bello Gothico eam a Romanis conditam velit, ait enim: *Iuxta Lambulam vallem, auguſtumque aditum ad littus, Ruſſia eſt promontorium Thuriorum. Supra id m. p. ſeptem cum dimidio præſidium validiſſimum conſtruxere Romani. Quod utique Ioannes antehac cœperat, & quam optime communierat, Id oppidum Totilas cœpit, deficiente commeatu militibus præſidiariis Beliſarii, auxilioque eis non adveniente.* Id idem Agathius libro 4., de eodem bello aſſerit. Eſt ſedes Archiepiſcopalis. Valerianus Epiſcopus Roſſanenſis interfuit Synodo Conſtantinopolitanæ ſextæ ſub Agathone. Eccleſia hæc ab hinc non multos annos Latina facta eſt: ante n. Græcam linguam ri-

tumque servabat. De hac urbe beatus Bartholomæus in vita beati Nili sic scribit: *Cum omnis finitima regio ab Agarenis beati Nili tempestate vastata esset, eorumque prædæ exposita, solum Rossanum ab ea vastitate immune fuit. Idque haudquaquam humana ope, sed Deiparæ, quæ locum illum imprimis tuaretur, auxilio factum est. Siquidem cum sæpe Agareni noctu irruissent, arcemque expugnare tentassent, simulatque ad mœnia accessissent scalis admotis, fama est è superiore loco mulieri similem purpura indutam illis apparuisse facem manibus gestantem, atque illos propellentem, è muroque deturbantem: idque verum esse testabantur, qui ex illis aufugerant. Tempore beati Nili*, ait idem beatus Bartolomæus, *Rossanum magnis terræmotibus quatitur, multis imbribus noctu, ac diu ingruentibus. Unde complures domus, atq; Ecclesiæ dejectæ sunt. Populo autem ad sanctum pacis templum ingresso, terræmotus, imbresque cessavere. Nullus autem homo, neque jumentum aliquod periit.* In æde Episcopali divi Christophori armus asservatur. Hic vina laudatissima nascuntur: fit optimi olei copia. Olivæ ad amigdalarum magnitudinem crassæ, & carnosæ conditæ in cadis optimæ sunt esu. Fiunt fictilia nobilia. Nascitur gypsum marmorosum, nascuntur cappares, vitex, oleander, crocus sylvestris, & terebinthus. Proveniunt etiam, ut ab herbario accepi, dictamnum Cretense, anenides, centaureum majus & aliæ nobiles herbæ. Sunt in hoc agro pagi, *Scrufudonium*, & *Palludum* cum vinis optimis, ubi alabastrites & sal fossile nascuntur, & cos aquaria probatissima. Item rheuponticum, & sagapenum. Fiunt externarum, palumborum, & sturnorum aucupia. Ad mare *Rossia* promontorium est, *Athenæum* a Dionysio Halicarnasseo dictum, & Portus Veneris statio æstiva: ubi Æneas plures Troianos exposuit, atque reliquit; qui per ea loca habitandi sedes posuerunt. Non longe ab urbe est beatæ Mariæ Patirio cognomine templum divi Basilii monachorum cœnobium. Ex hac urbe fuit beatus Nilus monachus divi Basilii, & Abbas, vir nimirum magna sanctitate & doctrina; qui ceu fulgentissimum sidus in ecclesia Dei emicuit. Hic, ut beatus Bartholomæus eius civis ac discipulus, qui totam illius vitam exaravit, scribit, ex nobilibus parentibus est ortus. Qui iam puer, cum illi migrassent è vita, a sorore educatus fuit. Hic ab ineunte ætate bonam indolem, atque excellens ingenium præ se ferens, omnes coævos suos prudentia superabat, præceptoresque suos tanta prudentia percontabatur, ut eos in sui admirationem adduceret: unde puero tantum ingenii acumen. Antonii, Hilarionis, Sabæ, Arsenii, aliorumque sanctorum patrum vitas usquequaque præ manibus habebat. Inde vero iam exceltus dæmonis opera cum virgine quadam concubuit, filiamque ex ea suscepit. Cæterum deinde resipiscens, ac se perpetrati deliquii pœnitens mundi oblectamenta, ac divitias deserere statuit. Atque magnam pecuniæ summam a debitoribus exigens, vineamque se ex ea empturum simulans, pauperibus erogavit, ac reliqua bona sua omnia egenis impertiens ad cœnobium beati Mercurii ordinis sancti Basilii secessit monachalem habitum suscepturus. In quo tum plerique sancti viri degebant, atque inter cæteros erant divini illi viri Phantinus, Zacharias, & Lucas, de quibus alibi diximus. Haud procul aliud Monasterium erat, cui præerat divus ille Ioannes, de quo alibi diximus. Quibus visis ingenti lætitia est affectus. Verum quia humani generis perpetuus hostis ei in huiusmodi opere impedimento esse studebat, ab illius regionis præsule literæ allatæ sunt his, qui monasterio præerant, quibus interdicebatur ipsis ne illum monachalem habitum induerent, quod si contempsissent manus eorum præciderentur; quare timore perterriti ad sancti Nazarii monasterium illum miserunt. Ibi sanctum habitum summa religione nondum tricesimum annum agens suscepit. In quo monasterio xl. dies commoratus, neque panem, neque vinum, nec demum coctum quid gustavit, sed arborum fructibus, atque oleribus contentus erat. Sic bonus ac strenuus Christi miles & athleta à delicata seculari vita repente ad austeram vivendi formam transiit. Ibi cuidam regulo tyranno, qui sedecem annos victurum prædicabat, decem dūtaxat dies victurum prædixit. Id quod & fuit: decimo enim die infeliciter à civibus interemptus est. Quadraginta igitur diebus exactis ad monasterium Mercurii, ut beatos illos viros viseret, redit. Quorum mutua, atque inseparabili amicitia, ac benevolentia fruebatur. Erat per id tempus Calabria altera Ægyptus sanctorum monachorum parens & nutrix. Cum igitur beatus Nilus hominum consuetudinem declinare statuisset, secessumq; adamasset, solitariam vitam delegit, Joannem Baptistam æmulatus. Itaque cryptam quampiam incolebat, quæ haud procul à monasterio Mercurii, & ab eo monasterio, cui præerat beatus Ioannes, abest. Quæ in sublimi & arduo loco est sita, aram habens Michaeli Archangelo dicatam. Is locus quieti aptissimus erat, ibi vigiliis, psalmodiæ, orationib. contemplationib. jejuniis, divinæ scripturæ lectionib. cæterisque huiusmodi actionibus dieq; noctuq; jugiter incumbebat, nam somni paululum capiebat. Caput apertum, ac pedes nudos semper gerens, unica duntaxat tunica, eaq; ex caprarum pilis confecta contentus erat. Zona ei erat funiculus non nisi semel in anno solutus. Atque usqueadeo paupertatis studiosissimus fuit, ut ne obolum quidem possideret. Atramentarium ei erat ex cera compactum. In scribendis libris plurimum vacabat. Tempus sic dividebat, ut ne quidem minimo momento esset ociosus. Nam ab hora matutina ad tertiam usque libros scribebat singulis diebus quaternionem conficiens, scribebat enim psalmos: à tertia autem usque ad sextam cruci assidebat cum Maria & Ioanne psalterium retinens, ac recitans, millies genua flectens: à sexta vero usque ad nonam sedebat lugens, ac perscrutans legem Domini, & Sanctorum scripta, inde vespertino hymno dicto paululum spiritum reficiebat deambulans, ac psalmos recitans. Divinam scriptu-

ram,

Digitized by Google

ram, qua erat longe eruditus, fratribus exponebat, Joannem Chrisostomum, Basilium, Gregorium Nazianzenum, cæterosque Græcos, necnon Latinos doctores in manibus habens. Eius mensa erat lapis magnus, ac patella in illo testæ fragmentum. Cibus interdum panis solus illi erat, & aqua in mensura, interdum legumina cocta, quandoque vero fructibus tantum contentus erat, & præsertim siliquis, quæ ultro nascuntur, utpote myrteis, & comaris, & huiusmodi pomis. Pertransiit annum unum mense minus, nullo prorsus liquido obsonio ab eo degustato. Persæpe biduum: quandoque triduum, interdum quinque dies totidemque noctes cibo & potu abstinebat, sanctam quadragenam ita transegit, ut nil penitus præter remunerationem caperet. Rursus alios sexaginta dies permansit bis duntaxat toto hoc tempore cibum sumens. Jeiunium nunquam solvit. Quid multis opus est verbis? Tot nempe vivendi formas percurrit, quot à sanctis Patribus servatas fuisse legerat. Lachrymarum vero non guttas, sed propè rivulos emittebat. Contemplationibus adeo vacabat, ut plerunque in extasin raperetur. Libidinum incitamenta prædictis exercitationibus, & spinarum attritione, necnon urticarum fustigatione propellebat. Varias insuper dæmonum pugnas non modo invisibiles, sed etiam visibiles & corporales sustinuit, quas & Dei ope superavit. Quodam die dæmon ipsum in capite clava percussit, vulnusque infligit, quo diu cruciatus pertulit, à quo divinitus nocte quam Apostolis Petro & Paulo dicatus dies est insequutus, dum psalmos in ecclesia cum beato Phantino psalleret, curatus est. Rursus alio die à quodam alio vulnere diaboli opera sibi infixo, ab Angelo sanatus est. Fuit etiam multorum miraculorum patrator. Quippe qui immundis spiritibus obsessos liberavit, variis morbis affectos curavit. Neque prophetiæ munere caruit: complura enim præfagivit, ac cordium abdita aperiebat. Inde Agarenis eam Calabriæ partem, ubi ipse versabatur, vastantibus, id quod jam ipse prædixerat, eos fugiens ad sancti Hadriani tum exiguum oratorium, quod est in agro Bisidianensi se recepit, ibique cum duodecim discipulis divino cultui vacabat, inter quos erat beatus Proculus. Quantum autem humilitatem sectatus sit, quis pro dignitate differere suppetit? Sacris utique initiari nunquam voluit. Mortuo Rossanensi Episcopo uno omnium, & Cleri & populi ore, huiusmodi munere dignus judicatus Episcopus creatus est. At ipse ut rem compertam habuit CHRISTI exemplo aufugit ad interiora deserti, ubi tandiu latuit, quandiu alius est electus. Hominum, nobilium præsertim, ac magnatum congressum consuetudinesque uti venenum, ac pestem vitabat. Licet omnibus principibus & Imperatori Constantinopoli degenti fama notus esset. Mulierum quoque consuetudines, haud secus ac lethale virus, & aspidem fugiebat. Aiebat enim sic: Diabolus de me ita dicit, monachus hic lutum est, madefaciam eum aqua, ideft mulierum lachrymis, & illum liquefaciam adeo, ut de eo quicquid mihi libuerit efficiam. Nunquam passus est mulieres monasteria aut ecclesias suas ingredi. Complures solis literis ad præsides missis carceribus & suspendiis liberavit. Quodam die dum prostratus quam humiliter CHRISTO cruci affixo assisteret, orans liberari à quadam tentatione, ab eoque benedici, CHRISTUS dexteram è clavo extrahens trinam benedictionem illi impertivit. Inde è Calabria secedens in Campaniam pervenit, & in Cassinenti monasterio aliquot annos commoratus est, ab Abbate & monachis eius monasterii rogatus. Exinde illinc abiens in monasterio Vallelucion dicto, quindecim annos consedit. Postea in agro Cajetæ in monasterio Serperi nuncupato decem annos cum sexaginta monachis permansit. Cum Philogathus civis suus Episcopus Placentinus vir imprimis literis eruditus, divitiis affluens, Crescentio Consule Romano auctore populi, ac Cleri, ad quos Romani antistitis spectabat electio, consensu, in Romanum pontificem, Gregorio quinto à Romanis urbe pulso, crearetur, qui Ioannes XVI. sive, ut alii. XVII. vocatus est: Gregorio ipso inde Ottonis tertii imperatoris auxilio in sedem revocato, captus esset, ab Ottone ipso oculis, lingua & naso mutilatus est, & in carcere detrusus. Quocirca beatus Nilus Romam petiit, ut eum liberaret. Id audientes Pontifex & Imperator ei ad portam Asinianam obviam facti, ipsum medium ad ædes duxerunt, eius manus summa veneratione exosculantes, roganteſque ut Romæ commorari vellet, spondentes se illi monasterium daturos quodcunque vellet. Ipse vero hoc renuens Roma recessit, & ad suum monasterium remeavit. Gregorius autem paulo post miserabiliter obiit. (Philogatum enim & ipse & Imperator beato Nilo concesserant, sed minime stetere promissis) Otto vero tandem resipiscens, ac facti pœnitens ad Michaelis Archangeli ædem, quæ in Gargano Apuliæ monte extat, religionis gratia concessit. Inde rediens ad beatum Nilum divertit; cumque eminus monasterium conspicatus esset: Ecce, inquit, tabernacula Israel in eremo, en cives cœlestis hierarchiæ: hi non ut incolæ, sed ut viatores hic versantur. Beatus vero Nilus cum omnibus cœnobitis ei cum cruce obviam perrexit, magnaq; humilitate, ac pietate Cæsarem veneratus est, ut in cœnobium deduxit. Cumq; plura unà colloquerentur, inter cætera, octo monasteria se magno cum proventu in quavis sui regni parte ei daturum obtulit. At beatus Nilus id renuit; nunquam enim temporalia bona à quoquam accipere voluit. Adiecitque Cæsar digrediens, pete à me quod tibi est cordi, uti à filio tuo, ipse vero libenter, ac prompte exhibeam. Beatus vero Nilus tale Cæsari dedit responsum: Nil aliud opus habeo è tuo regno ò Cæsar, nisi tuæ ipsius animæ salutem. Licet n. rex existas, ut quivis tamen alius homo moriturus es, & ad summi regis judicium te assistere oportebit, & rationem bonorum & malorum reddere. Hæc audiens Cæsar lachrymatus est, & coronam in beati Nili manus de-

deponens, ab eoq; benedictus receſſit. Cumq; Romam eſſet ingreſſus, orta in populo ſeditione, ab urbe fugiens à populo interemptus eſt. Beatus vero Nilus ex eo monaſterio abiens, Tuſculum ſe contulit, ibi Deo famulaturus quod reliquum ſibi vitæ ſupereſſet. Atque haud procul ab oppido monaſterio, cui Crypta ferrata nomen eſt, conſtructo, uſque ad obitum manſit, atque ibi migravit ad dominum ſenio confectus, quintum & nonageſimum annum agens, eius feſtum agitur ſexto Cal. Octobris. Fuit & ex hac Roſſanenſi urbe *beatus Georgius* vir ſanctitate conſpicuus, qui ſub beato Nilo duce Deo militavit. Hic in ſeculo nobilis & locuples erat, ſanctum habitum ſenex ſuſcepit. Qui adhuc in ſeculo exiſtens Angelicam viſionem vidit, & Angelorum melodiæ concentum ſibi audire videbatur. Inde monachus factus humilitatem & obedientiam maximo eſt amplexus opere. Cum adoleſcens quidam Beſidianenſis Hebræum quempiam peremiſſet, eoq; fugiente, eius affinis à judicibus pro Judæo mortuo Judæis cruci affigendus traderetur, beatus Nilus ab illius conſanguineis huius rei certior factus, literas beato Georgio ad judices dedit, in quibus hæc ſcripta erant: vos, qui judices eſtis, legem ſervare debetis, quæ præcipit, ut pro ſeptem Judæis unus Chriſtianus moriatur. Aut igitur dent ſex alios Iudæos occidendos, aut vinctum Chriſtianum liberate. Quod ſi legem ſervare nolitis, hunc, quem cum his ad vos literis mitto, pro Iudæo mortuo cruci affigite, & vinctum liberate, ut cum uxore & filiis vitam agere, eiſque vitæ neceſſaria ſuppeditare poſſit. Iudices lectis literis, id beato Georgio referunt (neſciebat n. ipſe quidnam beatus Nilus ſcripſerat) petuntq; ab eo ſi id ſibi cordi eſſet. Ipſe vero reſpondit, ſe paratum eſſe omnia, quæ beatus Nilus magiſter ſuus ſcriberet, perficere, adiecitque, ſi nullus eſſet, qui crucem componere ſciat, egomet eam conficere optime ſcio. Id audientes judices & vinctum liberarunt, & beatum Georgium ſoſpitem ad beatum Nilum remiſerunt. Tantumq; profecit, ut licet nunquam literas didicerit, pſalmos tamen ita canebat, ut omnibus audientibus de ſe præberet admirationem. In Dei via atque obſequio vehementer profecit, eique placuit in continentia, afflictione, obedientia, humilitate eximia, & propriæ voluntatis abnegatione, quod martyrium & eſt, & nominatur. Obiit in cœnobio divi Hadriani laborum præmia percepturus. In hoc magnopere beatus Nilus Deo gratias egit, certo ſciens quod vere probatam frugem atque acceptabilem oblationem, primitiaſque ipſe obtulit beatum Georgium. Fuit & ex hac Roſſanenſi urbe *beatus Stephanus* beati Nili & ipſe alumnus. Hic agreſti atque humili loco ortus, patre orbatus jam adoleſcens vigeſimum annum agens monaſticæ vitæ amore ſuccenſus beatum Nilum convenit. Quem beatus Nilus ut domum ad matrem & ſororem alendas regrederetur, hortatus eſt. Cui ille: minime, inquit, redibo: non enim ego, ſed Deus illas alit. Quem beatus Nilus ſimplicem videns, ſecundo anno ubi cryptam illam juxta monaſterium Mercurii incolere cœpit, monachalem habitum induit. Hic jam ſimplex fuit, ut illum alterum Jacob Patriarcham, aut ſimpliciſſimum Paulum divi Antonii Abbatis diſcipulum jure diceres. Eum beatus Nilus humanitate & manſuetudine admonens ſolertem & urbanum reddere ſtudebat. Triennio autem tranſacto cum ſic nec hilum proficere cerneret, auſteris verbis ac conviciis cœpit increpare, ne rudis remaneret. Aliquando etiam manu eum perterrefaciebat. Ipſe vero æquo hilariq; animo omnia ſuſtinebat, & neque duriſſimam exercitationem, neque aſſiduas vigilias extimeſcebat, ſed in omnibus beatum Nilum æmulari ſtudebat. Quamobrem Dei ope diabolicarum tentationum expers fuit. Sæpe enim beatus Nilus ipſum percontatus eſt, quibusnam cogitationibus perturbaretur? reſpondebat, ne una quidem, tantum dormito plurimum, & ob id perturbor. Tum beatus Nilus ſcabellum fecit pedem unum tantum habens, quod ei impendit dicens: tu quidem duos pedes habes, & ſcabellum habet unum: en tres pedes, in eo ſedens exercitationem non negligenter operaberis. Hic dicto audiens nullibi poſtea niſi in ſcabello illo ſedebat. Qui ſæpe à dormitatione victus in terram cadebat. Eo beatus Nilus veluti novacula quadam ad inobedientes & intolerabiles exercendos utebatur. Exceſſit è vita in Serperi monaſterio, ſeptuageſimum annum agens. Qui licet ſenex, & obſenium, & multas infirmitates nimium curvatus eſſet, nunquam tamen a labore ceſſabat. Et animam exhalanti beatus Nilus dixit, Stephane: is ſtatim ſedens manus ligavit, & animo in beatum Nilum attendebat, cui beatus Nilus: benedic, inquit, fratribus, quoniam deficis. Ille vero manum extendens, fecit quod ſibi fuerat imperatum. Et rurſus beatus Nilus ait: quieſce paululum, quoniam non amplius vim habes: ille autem recumbens obediens fuit, & mortuus eſt. Qui etiam in morte obedientiæ ſervator extitit. Hunc beatus Nilus lugebat dicens, o bone Stephane, qui mihi adiutor, & collaborator fuiſti, poſt tot annos ſeparamur, & viciſſim privamur: et tu quidem vadis ad requiem, quam tibi præparaſti, ego vero ad pœnam remaneo. Tu athleta & martyr es, ego quidem tibi carnifex fui. Id dicebat quoniam ad ſenectutem uſque non deſtitit eum affligere, ſciens ipſum certatorem glorioſum eſſe. Fuit & ex hac Coſſanenſi urbe *beata Teodora* virgo Deo grata, ſanctis virtutibus plena ac prudens, quæ Chriſtianam philoſophiam exercebat in loco quodam *Arenoſo* nuncupato. Hæc a pueris monaſticam, atque aſperam vitam duxit, ac quibuſdam aliis ſanctis monialibus virginibus præerat. Quæ iam exacta ætate beatum Nilum uti filium, a iuventute diligebat. Quam beatus ipſe Nilus viciſſim ut matrem eximia veneratione colebat, eamque cuidam Monaſterio beatæ Mariæ dicato, quod Eupraxius Italiæ regius iudex in Roſſanenſi agro erexerat, præfecit: in quo beatus Nilus plures virgines collocavit, atque inter cæteras ſororem, & matrem beati Stephani.

Fuit

Fuit & ex hac urbe *beatus Bartholomæus* vir vir sanctitate plenus, beati Nili discipulus, cuius vitam scripsit. Hic nobilibus, & piis, atque divini amoris studiosissimis parentibus ortus, doctis præceptoribus traditus fuit. Erat quidem optimæ indolis, præclarique ingenii puer, canam præ se ferens mentem. Quippe qui non ludis, iocisque, aliisque eiusmodi rebus, quibus ea ætas irritata plurimum oblectari solet: sed orationi, & lectioni operam navabat. Atque inter cætera, ieiunium ei præcipuum erat, quod ad finem usque nusquam solvit. Itaque a puero monasterio circum Rossanam existenti a parentibus traditus est. Ubi sic se gessit, ut etiam senes moribus antecelleret. Audita inde beati Nili fama, qui tum in Serperi Monasterio commorabatur ad eundem se contulit. Quem beatus Nilus cum fuisset intuitus, eius præclaram indolem contemplatus expansis ad cœlum manibus alacriter suscepit, sibi persuasissimum habens, quod pulcherrimum suæ virtutis imitatorem esset relicturus. Proinde ut primum habitu indutus est, adeo se illius imitatorem præstitit, ut omnes in admirationem sui concitarit. Quandoquidem ieiuniis, vigiliis, orationibus, meditationibus, & divinorum eloquiorum auscultationibus iugiter vacabat. Maxima item humilitate, & obedientia mentem expoliebat, & illustrabat, libros pulcherrime scribebat. Hunc beatus Nilus unice diligebat, eiusque vita, magis quam aliorum sexaginta, quos secum habebat, lætabatur. Romam, ac Tusculum beatum Nilum sequutus est. Hymnos complures ad Deiparæ, multorumque sanctorum laudes quam docte, & elegãter edidit. Mortuo beato Nilo ab omnibus ei in Cryptæ Ferratæ monasterii regimine suffectus est. Qui tamen invitus iuventutem afferens hanc provinciam suscepit, ac beatæ Mariæ templum erexit. Cumque eius probitatis, ac sanctitatis fama crebresceret, omnes principes & optimates, non modo populi, maxima eum veneratione prosequebantur. Romanus Pontifex iuvenis voluptatibus delinitus, execrabile quoddam delictum perpetravit (hunc Benedictum nonum esse arbitror) ac tandem resipiscens, vemamque perpetrati deliquii quærens, beatum Bartholomæum sibi intercessorem delegit, quo sperabat fieri posse, ut Deo reconciliaretur. Quamobrem ipsum ad se accersit, eique summa cum reverentia & humilitate delictum aperit, congruentemque medicinam ab eo petiit. At ille non throni excellentia perterritus, non honoris dignitatem aspexit, non munerum, aut honorum rationem habuit, ut plurimi faciunt: sed ad morbum, qui curatu difficilis erat, aspexit. Itaque congruam illi medicinam adhibens: non licet, inquit, tibi rem sacram facere, sed vaca, ut divinum numen tibi propitium reddas, quod peccatis adversum te irritasti. Pontifex illico throno derelicto Pontificatu se abdicavit. Cum ingens caritas famesque ingruisset, omniaque ipse pauperibus & peregrinis elargitus esset, nec haberet quod amplius impenderet, nec egenorum calamitates aspicere posset, à monasterio receſſit, Romamque versus iter faciebat. Cumque fessus sopori se dedisset, apparuit ei in somnis beatus Gregorius Papa, qui ipsum, quod monasterium destituisset, objurgavit, hortatusque est, ut in illud remearet, & spem suam in Dei misericordia poneret, vasculumq; ei dedit, quod admirabilem odorem quendam fragrabat. A somno igitur expergefactus rediit in monasterium. Cui Tusculanus quidam tritici modios centum impendit, quod ipse pauperibus erogavit. Eius vitam monachus quidam eius discipulus elucubravit; eius festum agitur, tertio idus Nov. Extant in Cryptæ Ferratæ monasterio libri duo Græce scripti, in quorum altero ipsius beati Bartholomæi, in altero beati Nili vita scripta est. Haud dubium est multos alios Calabros viros divi Basilii monachos per ea tempora sanctitate floruisse, tantis ac talibus ducibus florentibus, utpote beatis Phantino, Zacharia, Helia, Joanne, Bartholomæo, aliisque. Post Rossanum Colenetum fluvius labitur, inde Lucinus fluvius alter excurrit Rossanensem agrum à Coriolanensi dirimens. Subinde est *Coriolanum* oppidum nobile, ac vetustum, quod ejusdem nominis fluvius adlabitur ab Ausoniis, aut ab Oenotriis, ut opinari licet, conditum. Distat à Rossano m. p. octo, a mari tribus. Hic mercatus annus celebratur, Extat & fons nobilis, Coriolanensis ager rerum omnium copia exuberat; nam frumenti & aliarum frugum, ac fructuum ferax est. Fiunt vina & olea clara, Fit gossipium & sesama, Nalcuntur cappares, provenit terebinthus, vitex, siliqua sylvestris, & fœniculum marinum. Extant & pulchra limonum, citrorum, & malorum aureorum nemora, quorum fructuum, ingens fit copia. Fiunt & aucupia turdorum & aliarum parvarum avium. Mare insuper hoc admodum piscosum est. In quo, præter reliquos pisces, palmitum ingens copia capitur. Intus est *Acra* oppidum ab effectu: acra enim summitatem significat, quod in montis vertice situm sit, cuius meminit Stephanus. *Acra*, inquit, *urbs Iapygiæ, altera Italiæ. Quod Muconius fluvius præterfluit. In quem si morbidæ oves sese immerserint, curantur*. Ab oppido m. p. duobus Cotilis fluvius alter decurrit, & uterque Crathim influit. A cuius vado ad oppidum montis dorsum sensim assurgit arduo ascensu. Fit hic oleum & vinum nobile, & inter salsamenta laudantur pernæ. Extant & sylvæ glandiferæ porcis alendis opportunæ. Sunt in hoc agro pagi *Cosmum*, *Machia*, & *Baccharium*. Meridiem versus m. p. octo ab Acra *Lucii* oppidum est edito loco, *Thebæ* olim, ut arbitror, dictum, cuius meminit Plinius, qui Thebas Lucanas interiisse Catonis auctoritate ait. Non n. Thebæ Lucanæ dictæ sunt, quod in Lucania ultra Laum & Sirim amnes fuerint, sicut nec Pandosia, nec Petelia, nec Grumentum Lagariæ conterminum Calabriæ urbes, quæ Lucanorum fuisse dicuntur: sed quod, ut ostendi, Samnites in ea loca colonos, a duce Lucio Lucanos dictos, miserint. Et Plinius cum de Thebis mentionem facit, statim subdit de Pandosia, quam Theopompus Lucanorum urbem fuisse ait. Te-

lesphorus

Iesphorus Confentinus eremita magna sanctitate vir, de quo alibi diximus, scripta quædam Ioannis Ioachimi, & Cyrilli in monasterio, existente apud Thebas, se reperiisse dicit. Id monasterium in agro Luciorum est beatæ Mariæ dicatum delubrum. In quo Abbas Ioachimus interim commoratus est. Et in eo beatus Lucas Ioachimi discipulus, Abbas fuit, & inde Episcopus Consentinus, item beatus Bernardus Abbas, & inde Episcopus Gerentinus. In hoc agro provenit vitex, legitur manna. Nascitur arbor frequens fructus ferens magnitudine mespili, sed oblongos acri saporis, atrolicem vocant accolæ. A Luciis m.p. quatuor *Rosæ* oppidum est edito loco, nec longe Iavisum fluentem labitur, quod Crathi miscetur. Hic chalcanthum nascitur. Post Acram vero septentrionem versus m. p. octo, *Besidia*, *Besidianum* vulgus appellat, civitas vetustissima est, *Bescia* olim dicta, ab Ausoniis condita, ut ait Stephanus, a Romanis interposito *i* & *c inde* mutato Besidia, ut Temsa Temesa, & Meda Medama. Fuere autem Ausonii, ut libro 1. ostendi, Aschenazi pronepotis Noe posteri, qui post diluvium primi Italiam, hoc est Calabriam incoluerunt. Livius sicut Blandam Blandas, & Thurium Thurias, sic hanc urbem Besidiam, bel.Pun.lib.10. Besidias plurativo numero inclinat, quam una cum aliis quibusdam ad P. Servilium Consulem ultro in deditionem veniisse dicit; civis Besidiensis & Besidianus. Est sedes episcopalis. In regesto Celestini tertii scriptum est, quod sedes hæc pertinebat ad sanctam sedem. Habet urbs hæc octo colles, in medio autem urbis mons assurgit, in quo est arx. Affluit & scaturiginibus aquarum, fiunt & panni frondinei. Parœciales ecclesiæ 15. Est itaque hæc civitas simul vetustate, simulque dignitatis titulo perinsignis. Primus huius urbis princeps fuit Lucas Antonii Marcensium domini filius, cui successit Hieronymi filius, huic Bernardinus, & ei Petrus Antonius genitor tuus, vir quidem & corporis robore, & animi magnitudine, tum munificentia præpollens. Siquidem ingeniis favebat, bonarumque literarum studiosos muneribus prosequebatur. De cuius in literatos liberalitate id unum exemplum proferre satis esse duco. Cuidam literato viro, ut a Ioanne Antonio Sanseverinio consanguineo tuo accepi, qui nec ei librum dicarat, nec quicquam in eius laudem scripserat, ducentos aureos nummos muneri dedit, conversusque ad Ioannem ipsum Antonium, huiusmodi, inquit, sunt prosequendi muneribus. Hic figlina nobilia fiunt omnis generis. Fiunt & cultri inter alia ferramenta, non ignobiles. Fit & oleum optimum, fit & Xylon & sesama, legitur manna. Inter hortensia laudantur pepones. Fiunt lina non vulgaria. Est præterea ager hic frugifer. In quo est sancti Hadriani templum divi Basilii monachorum cœnobium, ubi beatus Nilus Abbas plures annos cum duodecim sanctis Monachis consedit Deo obsequens, inter quos erat beatus Proclus Besidianensis, qui ut beatus Bartholomæus in vita beati Nili scribit, cunctarum disciplinarum peritissimus fuit, ac magnam sibi bibliothecam comparaverat. Hic priusquam monachus fieret in patria sua existens adhuc iuvenis admodum Dei servitute sic sese exercebat. Singulis diebus ieiunabat ad vesperam usque, ac lectioni operam dabat, cibis & potibus ad libidinem inflammantibus abstinebat. A vespera usque ad matutinum omnes oppidi sui ecclesias lustrabat, psalterium totum recitans, & ad singulas ecclesiarum portas pœnitentiam agens quæcumque sibi ipsi conscibat. Hæc omnia clam agebat. Is Monasticum studium amplexus, & a beato Nilo virtutis perfectionem adeptus adeo continentiæ, & exercitationi sese iniecit, ut cuncta sua membra mortificarit, acerbis ægrotationibus restiterit ad extremum spiritum. In hoc Monasterio beatus Georgius Rossanensis beati Nili discipulus, de quo dudum diximus, diem clausit extremum, sepultusque est. Fuit & ex hac urbe beatus Martinus minorita, cuius corpus Agelli iacet. Post *Besidiam Tarsia* oppidum est, *Caprasæ* olim Antonino Pio in itinerario, inter Isaurum & Crathim amnes. Est Tarsensis ager fertilis: nascitur vinum nobile, provenit terebinthus, & siliqua sylvestris. Post Tarsiam Senitum flumen decurrit. Inde *Laurentum* castrum est edito, eoque salubri loco situm, quod Sybaris fluvius præterfluit, cui subtus castrum Isaurus fluvius miscetur; castro huic mons imminet, ex quo circumvicina regio conspicitur. Quod castrum pater tuus Barnabæ Piscario divi Iacobi ordinis equiti muneri dedit. Nunc ipsum Marcellus eius ex fratre nepos, qui modo tuas in Calabria vices gerit, possidet. Subinde est *Thurium* oppidum, *Terramnovam* vulgus appellat, mutatis literis quasi Thurium urbem, in colle oblongo situm, inter Cratim & Sybarim amnes navigabiles, & piscolentos, propius tamen Crathi, quam Sybari Sybaris urbis reliquiæ. Distat a Tarsia m. p. quatuor, a Coriolano octo, a freto totidem. Loci situs Diodori descriptioni convenit. Quia vero Thurium Sybaris urbis, ut dixi, reliquiæ sunt, de ea prius nobis dicendum est, postea de Thurio. Fuit Sybaris vetustissima urbs a Trœzeniis, & a Sagari Aiacis Locri filio condita, ut Solino placet, haud multo post bellum Troianum. Nam Aiax, cuius filius Sagaris hanc urbem condidisse dicitur, Troiano bello adfuit præsens. Condita autem fuit inter Sybarim, & Crathim amnes, vicinior tamen Sybari, quam Crathi, a quo nomen accepit. Sybaris autem fluvius a Sibari fonte Achaiæ dictus est. Strabo enim libro octavo *Sybaris fons in Achaia est*, ait, *a quo Sibari Italico derivatum est nomen*. Urbemque ipsam Sybarim ab Isiliceo conditam putat. De qua ita fert; *Sybaris fuit condita ab Achivis Trœzeniis. Huius autem condendæ auctor fuit Iseliceus inter duos fluvios Crathidem & Sybaridem.* Quæ eo excellentiæ & felicitatis excrevit, ut quaternas rexerit gentes & quinque, ac viginti urbes suo subderit imperio, ac contra Crotoniatas trecentorum hominum millium exercitum duxit. Super Crathide vero domicilia habentes sex millium & CCL. pass. in circuitu. Totam autem

Digitized by Google

tem hanc felicitatem intra dies septuaginta Crotoniatæ interceperunt, adeo deliciis & luxuria intemperantes diffluebant. Urbe enim potiti inducto fluvio cuncta demerserunt. Pauci ex ea clade superstites adunati cohabitabant. Quos temporis intervallo Athenienses, alliique Græci prorsus extinxerunt. Nam in societatem civitatis pervenientes, eos per contemptum habentes trucidarunt, & urbem alium in locum prope transpositam ædificarunt, & eos Thurios ducto de fonte vocabulo, nuncuparunt. Qui cum diutius beatam duxissent ætatem, tandem in Lucanorum servitutem tracti sunt. Cumque illos Tarentini infestarent, ad Romanorum tutelam confugerunt; qui quidem mittentes pro virorum paucitate accolas mutato nomine civitatem *Copias* appellavere. Proinde quæ antea Lucaniam suo subdiderat imperio, in Lucanorum postea aliquando potestatem devenit: sic fortuna instabilis est & volubilis, utique idem Strabo ait: *Sybaritæ Possidoniam ad mare posuerunt.* Et rursus: *Talaris Lucaniæ urbs Sybaritarum Colonia fuit.* Fuit autem Sybaris a Crotoniatis eversa Milonis, ut ostendi, ævo, Darii Histaspis tempore, ut liquet in Herodoto, libro quinto, & sexto, qui floruit Olymp. LXV. regnavitque annis undetriginta. Fuit igitur eruta circiter Olymp. LXX. Aristoteles Pol. lib. quinto seditionis eius causam scribens ait. *Seditiones concitat peregrinitas, donec in eandem simul conspirationem devenerit. Ut enim non ex quavis multitudine constituitur civitas: ita etiam neque in quovis tempore. Quapropter quicumque iam inquilinos susceperunt advenas, omnes fere seditionibus iactati sunt. Ceu Sybarim una cum Trœzeniis incoluerunt Achæi. Postea maiorem in numerum crescentes Achæi Trœzenios pepulerunt. Unde ortum odium est Sybaritis. Et in Thurios idem fecerunt Sybaritæ contra illos, qui eos receperunt. Nam plus habere volentes quasi de suis agris pulsi sunt.* Id etiam scribit Plato libro primo de legibus. *Sybari direpta*, ait Herodotus libro sexto, *universi Milesii, qui plures erant, capita deraserunt, & ingentem luctum adiecerunt. Ex omnibus enim civitatibus hæ præcipue mutuo hospitio iungebantur.* Prælium autem, ait Plinius lib. secundo de Nat. Deor. quo Sybaris deleta est, eodem die, quo gestum erat, auditum Olympiæ fuit. *Sybaritæ*, ait Athenæus libro duodecimo, *primi artes strepitum facientes in urbe esse non permiserunt, ne illis somnum interrumperent, somnique undique penitus intumultuosi essent. Quinetiam neque gallum in urbe nutriri licebat. Mos erat apud eos*, Timeus ait, *puellos ad adolescentiam usque vestes purpureas ferre, & cincinnos auro implexos. Versabantur autem apud eos*, ait Timon, *ob mollitiem homunciones pusilli, & scopes, quos quidam pilponas appellant, & catelli Milesii, quibus oblectabantur, qui eos in gymnasia sequebantur.* Deferebant vestes Milesiis lanis confectas. Erat enim ipsis cum Milesiis amicitia, ut Timæus ait. Gestabant & floridas tunicas preciosis cingulis præcincti. Equites Sybaritarum supra quinque millia, crocea indumenta super thoraces habentes, in deliciis agebant, unde ortum erat adagium apud Græcos: *Sybaritæ per plateas.* Divites cum in agros proficiscebantur, & si vehiculis veherentur, iter tamen unius diei tribus diebus conficiebant. Erant etiam ipsis cuniculi viarum ducentium in agros. Plurimis autem ipsorum erant cellæ vinariæ iuxta mare, ad quas per elices, & cuniculos illos vina ex agris deducebant. Et partim quidem extra regionem vendebant, partim navigiis in urbem transvehebant. Celebrabant frequenter convivia publice: et ii qui laute cibos parabant, honorabantur, similiter & coqui, qui obsonia optime præparabant. Unde ortum erat adagium: *Sybaritica mensa.* Ante potum bratticas edebant; ne eos vinum lædaret, neve temulenti fierent, utebantur misso ex oleo & garo, quo utebatur etiam Heliogabalus, ait Lampridius. Quem quo anno Sybaritæ repererunt, perierunt. Sybaritæ primi invenerunt matulas & pyela. Erat urbs in concavo posita, ubi æstate mane & vesperi frigus ingens vigebat, Meridie vero intolerabilis æstus. Existimabant fluvios plurimum ad sanitatem conferre. Unde dictum est, volentem in Sybari ante fatum minime mori, neque orientem solem, neque occidentem videre oportere. Miserunt ad oraculum legatos, quorum unus fuit Amiris, percontantes quousque felices essent? Pythia respondit:

Felix tu eris, honorans genus deorum,
Beneque venerantes primum hominem Deo:
Tunc tibi bellum, & intestina seditio veniet.

Id audientes semper felices fore putarunt, quod nunquam magis hominem, quam Deum honoraturi sint. Non longe post accidit ut Sybarita quidam famulum etiam ad sacra fugientem verberaret, confugientem vero tandem ad patris sepulcrum, herus illud veneratus verberare destitit. Tunc Isamiris Pythiæ oraculum mox complendum fore prospiciens insaniam simulans omnia bona sua vendidit, & Peloponnesum profectus est. Unde proverbium ortum est; *Isamiris furit*, ut Suidas scribit. Occiderunt quoque & triginta Crotoniatarum oratores. Item solventes tyrannidem Teli, omnes eos, qui rempublicam mutare conati sunt etiam ad aras confugientes interfecerunt. In qua cæde versa est deæ statua; pavimentum sanguinis fontem scaturiit; Primores videre visi sunt deam ingredientem per medium forum, & bilem vomentem. Ælianus autem de varia historia libro tertio de Iunonis ira sic scribit: *Cum Sybari citharœdus caneret in certamine, quod in honorem Iunonis erat institutum, inter Sybaritas propter illum orta est seditio. Cumque mutuo ad arma venirent, citharœdus cum ipsa stola confugit ad aram Iunonis. At illi ne in isto loco quidem manus a citharœdo abstinuerunt. Paulo vero post sanguis videbatur in Iunonis templo scaturire, non secus quam ex perenni fonte. Sybaritæ, cum ad oraculum Delphicum consultum misissent, tale responsum acceperunt:*

Cede meis mensis, manibus nam sanguis adhærens

Deſtillanſque recens, prohibet tibi limina templi,
Non tibi fata canam, magnæ Iunonis ad aram.
Non immortales hoc dii patientur inultum.
Si quis enim prudens, ſcelerata è mente profectum
Committat facinus, gravis hunc prope pœna ſequetur.
Non exorabit, neque ſi genus ab Iove ſummo (tur.
Ducunt, ipſe ſuo collo, colleſque nepotum
Hoc luet, & generi cumulatim dona ferentur.

Aphricanus in libro de re militari de Sybaritarum felicitate, luxu, & ruina inquit: *Sybaritæ eo deliciarum devenere, ut equos in convivia introducerent ita inſtitutos, ut audito tibiæ cantu ſtatim ſe attollerent arrectos, & pedibus ipſis prioribus vice manuum geſtus quoſdam chitonomiæ motuſque ederent ad numerum ſaltatorios. Sed cum tibicem quiſpiam contumelia fuiſſet affectus, transfugit ad Crotoniatas hoſtes, paulo ante prælio a Sybaritis ſuperatos, & quod è rep. foret illorum pollicetur, ſi fidem modo habeant, ſua opera Sybaritarum cunctorum equites in ipſorum venturos poteſtatem. Credita res eſt, & belli dux creatus a Crotoniatis tibicen, convocat omnes quotquot eiuſdem forent in urbe artificii, modulamentumque iis indicat. Atque ut viſum tempus procedere in hoſtem iubet. Sybaritæ facti præturgidi, quod equitatu ſuperabant, eunt contra, prælumque conſerunt. Hic autem repente dato ſigno tibicines univerſi conſpirant. Ecce confeſtim modulamine agnito, cantuque illo vernaculo tollunt eriguntque ſemet in pedes equi Sybaritæ ſeſſoribus excuſſis, & quod tripudium domi didicerant, etiam in acie exhibebant. Ita capti omnes equites humi iacentes, & omnes equi tripudia repræſentantes.* Et Plinius libro 8. *Equorum docilitas tanta eſt, ut univerſus Sybaritani exercitus equitatus ad ſymphoniæ cantum ſaltatione quadam moveri ſolitus inveniatur.* Theocritus Idyllio quinto ſub Æpuli & Pomilionis perſona in Sybaritano agro cyperum, cynosbaton, anemone, cythiſum, ægilum & fraga naſci, item optimi mellis & dulcis olei, & vini copiam fieri ſcribit. Laudat mollem lanam. *Obtulerunt Sybaritæ*, ait Pauſanias in Eliac. *Iovi Olympico theſaurum, quem iuxta theſaurum Epidamniorum collocarunt.* Ex hac urbe inter cæteros opulentos, fuit *Smyndirides* longe ditiſſimus. De quo Herodotus libro ſexto ita ſcribit: *Cliſthenes Sycionis tyrannus Agariſtam filiam nuptui dare deſtinabat ei, quem præſtantiſſimum Græcorum omnium comperiſſet; Cum igitur ludi in Olympia celebrarentur, & ex eis Cliſthenes curriculo quadrigali victor extitiſſet, nunciari iuſſit voce præconis, ut ſi quis ſe dignum putaret, qui Cliſthenis gener eſſet, is ad ſexageſimum diem, aut prius Sycione præſto foret; quoniam Cliſthenes intra annum a ſexageſima die incepturum exequi nuptias deſtinabat. Itaque omnes Græci aut ſua ipſorum aut familiæ claritate ſibi confidentes Sycionem proci contenderunt. Quibus Cliſthenes & curriculum & palæſtram ad certandum præparaverat. Ex Italia illuc ſe contulit Smyndirides Hippocratis filius Sybarita (florebat autem maxime Sybaris ea tempeſtate) qui unus vir in plurimum deliciarum proceſſerat. Contendit autem Sycionem*, ait Suidas, *propria navi, quæ quinquaginta remiges habebat omnes ſuos ſervos. Duxit etiam ingentem aucupum, coquorum, & piſcatorum catervam, qui non modo cæteros omnes, ſed etiam Cliſthenem ipſum deliciis & luxu ſuperabant. Fuit & ex urbe Sybari Alciſthenes plumarius nobiliſſimus, qui celebratiſſimam veſtem opere plumario Reip. Syb. elaboravit, atque contexuit. Quæ utrinque deorum, variorumque animalium ſpirantibus formis acu pictis mire diſtincta erat, colore purpureo. Erat hæc veſtis*, ait Ioan. Tzetzes, *margaritis & lapidibus preciosis ornata. Una manica habebat Alciſthenem ipſum, altera Sybarim patriam ſuam. Venditа fuit centum viginti talentis*, hoc eſt aureorum nummorum ſeptuaginta duo millia. Quam Ariſtoteles inter mirabilia ponit, ait n. in lib. de mirabilibus. *Alciſtheni Sybaritæ veſtem tradunt, tanta magnificentia confectam eſſe, ut cum in Laciniæ Iunonis panegyri, ad quam tota confluere ſolet Italia, propoſuiſſet ſpectandam, omnium oculos a reliquis in ſe converterit. Hanc aiunt a Carthaginienſibus emptam a Dionyſio ſeniore tum regnante CXX. talentorum precio. Purpurea erat tota amplitudine XV. cubitorum, animalculis intertextis diſtincta. Superne quidem fuſis, inferne vero perſis, in medio a. Iuppiter, Iuno, Themis, Minerva, Apollo, Venus elucebant. Ad latera Alciſthenes, utrinque autem Sybaris.* Meminit & veſtis huius Polemon apud Athenæum libro 12. Fuit & *Thurus* Sybarita fabularum auctor, cuius meminit Theon ſophiſta. Fuit & *Hemitheon* Sybarita poeta, cuius meminit Ovidius libro tertio de Triſtibus. Fuit & *Alexis* Sybarita poeta comicus Menandri poetæ comici patruus, qui ducentas quinquaginta quinque fabulas ſcripſit, inter quas unam Brettiam nominavit. Quare Sybaritica fabula nomen ſumpſit ab auctore Sybarita, de qua meminit Ariſtophanes in Veſpis. Theodoretus etiam in libro exercitamentorum ait: *Sybarita fabularum inventor.* Item Aphthonius ſophiſta inquit: *Sybaritas primos inventores fabularum apologiarum fuiſſe.* Interpres autem ipſius Aphthonii, & interpres Hermogenis dicunt, Sybaritas fabulas effinxiſſe primos ex ſolis animantibus rationalibus, Alcmæon vero Crotoniata, & Æſopus etiam ex irrationalibus. Æſopicæ autem dicuntur, quia Æſopus apud Phrygios hac in re polluit. Extant multa præclara Alexis dicta apud Stobæum pluribus locis. A quo Alexi Latini poetæ, ait Gellius libro ſecundo, quædam ſumpſere ac vertere. Qui in comœdia, quæ Pythagoræ vita inſcribitur, ait idem Gellius libro quarto, refert Pythagoram ipſum animalia edidiſſe, Suidas vero Alexim ipſum Menandri filium fuiſſe ſcribit. Fuit & *Stephanus* Alexis filius, ut Suidas tradit, poeta comicus. Fuit & *Menander* Alexis ex fratre nepos poeta, ut idem Suidas fert. Fuit & *Calliſthenes* Sybarita philoſophus & hiſtoricus. Adducit ipſum Stobæus in collectaneis de morbis. Fuerunt & hi alii philoſophi Sybaritæ Pythagoræ diſcipuli, ut Iamblicus ſcribit, Æneas, Deax Diocles, Evanor, Empedus Iſpaſus, Meneſter, Me-

to-

topus, qui plura ſcripſit, cuius meminit Stobæus, licet ipſum Metapontinum faciat, Proxenus, Ptolemæus, Timaſius, Tirſenus, Tirſeines mulier. Fuit & Philetas Sybarita, *qui*, ait Pauſanias in Eliacis. *XLI. Olymp. ſuperavit iuvenes in cæſtu pugnantes, & XLV. gravioris armaturæ peditum curſus in ſtadium cum plauſum eſt receptus.* De fertilitate agri, ubi Sybaris urbs erat, Varro rei ruſticæ libro primo inquit: In Sybaritano agro iugerum modium centeſimum reddere, ſolitum dicunt. Signabant Sybaritæ in denario Minervam Galeatam habentem in galea Tritonem deum marinum Neptuni tubicinem, & ex poſtico Sybarim fluvium effigiatum, id eſt, tauri figura, altera manu arundinem, altera urnam habentem & effundentem aquam, Græca inſcriptione συβαρις. Quandoque ſignabant caput galeatum inſtar Palladis, & ex poſtico nunc Sybarim fluvium ſub tauri figura retro reſpiciente; nunc cancrum & caput tauri Neptuni victimam. Crathis autem & Sybaris fluvii, inter quos fuit Sybaris urbs (eſtque & nunc Thurium urbs) multorum poetarum præconiis nobilitati ſunt. Crathis aurifer eſt & piſculentus. Dictus eſt autem Crathis, ait Strabo lib. 8. a Crathi Achaiæ fluvio, qui a duobus fluminibus incrementa ſuſcipiens, ſic a miſcendis aquis appellatus eſt. Ad quem Crathim Calabriæ fluvium Annam Didonis ſororem poſt illius mortem adventaſſe Ovidius lib. 3. Faſtorum ſcribens, ait:

Eſt prope piſcoſos lapidoſi Crathidis amnes.
Parvus ager, Camerem incola turba vocat.

De fluvio hoc ita Vitruvius lib. 8. ait: *Crathis cum pecora ſuis temporibus anni parantur ad conceptionem partus, per id tempus adiguntur eo quotidie potum. Ex eoque quamvis ſint alba, procreant aliis locis leucophea, aliis locis pulla, aliis coracino colore.* Item Plinius lib. 31. de huius & Sybaris fluvii natura ſic ſcribit: *Theophraſtus ait, in Thuriis Crathim candorem facere, Sybarim nigritiem bobus, ac pecudibus: quinetiam homines ſentire differentiam eam, nam qui Sybarim bibunt, nigriores eſſe, durioreſque & criſpo capillo, qui ex Crathide candidos, mollioreſque, ac porrecta coma*: Et Strabo lib. 6. *Crathis homines in eo lotos cæſarism candidos & flavos facit, ac multis medetur morbis. Si qui vero de Sybaride biberint, ſternutamentis agitari conſtat. Quamobrem ab eius potu greges amovent. Pecudes morbidæ ſi ſe Crathis aqua madefecerint, curantur.* Rurſus Ovid. Met. lib. XV. ait:

Crathis & hinc Sybaris veſtris conterminus oris
Electro ſimiles faciunt, auroque capillos.

Lycophron in Alex. Crathim fluvium Althenum, & morborum curatorem appellat, ait enim:

Morborumque curator Adaunis vocabit
Quãdo exulantes ob ſacrificium Altheni influentis.

Super quibus verbis Hacius ait: *Althenus fluvius dicitur, quaſi Althænans, ideſt, ſanans ſecundum Timæum, omnium, quæ illo lavantur animalium vulnera.* Et rurſus:

Chratis vero vicinus, & Mylacum finibus
Ager cohabitatores recipiunt Colchorum polis
Inquiſitore, quos filiæ miſit moleſtus. Hacius:

Crathis fluvius Italiæ, cujus aqua in illo lavantium comam flavam reddit, ut ſcribunt Heſigonus hiſtoricus, Cotionque atque Agatoſthenes philoſophus, tum Euripides tragicus inquiens:

Si humectet exornans flavam reddens comam
Crathis vero ager recipiet illos pulſos. (*Crathis, Sybaris fluvii latices conſperſi & potu etiam ſub continentes reddunt & caſtos*, ait Leonicus. Item Galenus in libro de bonitate aquæ ait: *Sybaris fluvius viros ingenerativos facit.* Laudantur & cibi quidam Sybaritani. Quare Metagenes poeta apud Athenæum lib. 6. ait.

Placenta fertur magna Crathi flumine
Sua ſubacta ſponte, flumen alterum
Devolvit undas carnium cum naſtulis
Sybaris vocatus, batides coctas ſimul.
Lolagines tunc parva volvunt flumina
Coctosque phagros, & locuſtas alterum
Condita ſalſa cum quibus bellaria
Sartagines pericomma, farcimen ſimul
In ora ſponte quæ fluebant omnia,
Ac ad pedem amylum tuebar circulo.

Hæc de Sybari urbe ac fluvio habui quæ dicerem. Modo vero de *Thurio* urbe Sybaris urbis quondam reliquiis, quam vulgus corrupto vocabulo *Terranovam* vocat, dicendum eſt. Eſt autem Thurium urbs, ut dixi, edito loco, colle oblongo veluti in ſpecula inter Crathim & Sybarim amnes, propior tamen Crathi quam Sybari. Eius ager totus campeſtris eſt & frugifer, ac pabulis accommodatus, qui totus pene ex urbe ipſa conſpicitur. Eius potentia olim ac nobilitas magna fuit. Cuius regio ab Hylia fluvio, nunc Trionto dicto, ad Acalandrum amnem uſque protendebatur. De qua ſic Plinius ait: *Thurium oppidum inter duos amnes Crathim & Sybarim, ubi fuit urbs eodem nomine.* Et Diodorus Siculus Bibliothecæ libro duodecimo, a Sybari tamen urbe repetens ſic ſcribit: *Thuriorum his cauſis urbs condita traditur. Quibus ſæculis ſuperioribus in Italia, Græci Sybarim oppidum condidiſſent, ubertate, ac fœcunditate ſoli factum eſt, ut brevi res & opes eius coaleſcerent. Hæc inter duo flumina poſita Crathim, Sybarimque, à quo nomen acceperat oppidum. Eius incolæ amplo ſimul, & frugum feraciſſimo incumbentes agro, ingentes inde divitias, & opulentiam miram congeſſere. Tum pleriſque alienigenis in civitatem, & munera civilia aſcriptis, adeo res provecta eſt, ut multo reliquas Italiæ urbes antecedere opum vi putaretur. Necnon etiam populi numero & multitudine exuperabat, ut trecenta millia civium ea tempeſtate capita illic recenſita tradantur. In qua Teles quidam populi dux cum magna plebis eſſet gratia autoritateq; præſtaret, potentiſſimum quenque calumniari apud populum, atque variis criminibus accuſando*

dilacerarè cœpit. Donec tandem voti compos, Sybaritis persuasit, ut quingentos ex ditissimis civibus eiicerent urbe, fortunasque & opes eorum in publicum redigerent. Quo facto, fugata magna civium vis, qui vago errabundi auxilio Crotonem petunt: ibique ad aras in foro erectas supplicum more confugiunt. Quo audito Teles legatos ad Crotoniatas mittit, qui jussu suo postulent, ut vel exules dedant, vel si id renuant, exin sibi indici bellum armaque & vim expectent. Convocato senatu cum inter se consultare, multaque agitare pergerent, num dedant Sybaritis exules, præstaret, an bellum contra potentiores suscipiendum esset, senatu populi concione varia & ancipiti sententia hærente, primum quidem plebis animi ad dedendos supplices inclinari videbantur pavore belli perculsa multitudine. Post hæc Pythagora philosopho rogantibus consulente, atque multa obtestante, supplices incolumi Deum fide, ad quam confugerant esse protegendos, revocata sententia bellum pro supplicum salute tuenda suscipiendum decernunt. Itaque armato in se etiam adventanti hostium Sybaritarum agmini trecentis millibus stipato Crotoniatæ centum millibus obviam ire properant, Milone gladiatore duce. Qui conserta pugna vigoris corporei invicto robore cornu hostium contra se in acie instructum primus in fugam vertit. Hic vir sexies in Olympia victor extitit, robur corporis, quo præstabat comitem habens. Fertur coronis Olympiacis ornato corpore in Olympicis victoriisque partis in eam aciem descendisse. Herculis autem ritu leonis spolio, clavaque armatus præcipuam victoriæ adeptæ causam huic tribuisse armaturæ. Cuius virtutis insolita magnitudo summam civibus admirationem attulit. Fusis vero hostibus, cum Crotoniatæ per iram irritatis animis neminem capi vivum jussissent, quoscunque in fuga comprehensos necant. Unde maior tanti exercitus pars cæsa interiit. Qui urbem ingressi eam diripiunt, cunctisque passim vastatis cultoribus vacua loca desertaque reddunt. Quæ annis post eam cladem octo & quinquaginta Thessali eo concedentes restauravere, atque incoluere. Post secundam restaurationem per eadem subiecta tempora profecto. Athenis Callimacho rursus extrui & cohabitari cœptum est. Quæ brevi post in alterum locum translata altero quoque nomine imposito mutavit appellationem. Cuius auctores fuisse Lampus & Xenocritus hoc modo traduntur; Ab his n. qui secundo patria eiecti profugerant Sybaritis in Græciam legati ad Lacedæmonios & Athenienses missi sunt, deploratum errores, & auxilia sua postulatum, ut reducerent eos in patrias sedes, secumq; sibi ut placeret, eam sibi urbem ex parte coloniam facere vellent. A Lacedæmoniis auditi frustra nil impetratum. Res Athenien sib. placuit, moxque decreto eis auxilio decem naves completas Sybaritis subsidio mittunt. Quas Lampus & Xenocritus ducebant. Missis quoq; per Peloponnesi urbes præconib. edicto præponi ac promulgari fecerant, urbem se communem his facturos, qui eò migrare voluissent. Cui cum pleriq; assentirentur, oraculo Apollinis maxime adducti: percuntantibus namq; responderat tale, quærendum, quo sibi conderent urbem, ejusmodi solum, ubi aquam mensura sumptam potarent, cibum contra sine mensura caperent. In Italiam itaque navigant, atque Sybaritæ delati loca scrutari pergunt, sicubi vestigia loci à Deo jussi per oraculi interpretationem se offerrent. Cumque haud procul Sybari investigatione sollicitis fons occurrisset, cui Thuriæ nomen erat, lacices erumpentes ærea fistula procul fundens, quam accolæ Dimnam, Mediumve appellare consueverant, re simul & nomine ad omen & interpretationem oraculi provecti, eum locum sibi à Deo ostensum, ac jussum judicant. Quem circumacto muro communiunt, urbemque ibi condentes eam fontis nomine Thuriam vocant. Tum urbis spacium ad longum porrectum in quatuor plateas & fori loca distribuunt. Quorum unum Heracleam appellant, alteri Aphrodisiden nomen dant; tertium Olympiada, & reliquum Dionysiada vocitari instituerunt. Per latitudinem vero trib. rursus foris spacioſa loca diducunt, nominaq; singulis imponunt, alteri Heroa, alteri Thuria, tertio Thurinam. Intervalla v. inter hæc intermissa domiciliis extructis replent. Videbaturque ea urbs & specie commoda, & eleganti admodum opificio educta. Cæterum brevi tempore concordia nulla Thurios continere valuit, sed gravis & sæva admodum haud temerè seditione res eorum vexari, discerpique cœpit. Nam Sybaritæ incolæ vetusti primos quosque magistratus, summasque dignitates per usurpationem veluti hæreditario sibi jure debitas inter se partiri, ab onere abesse, contributiones, reliquaque dispendii & bonorum munia posteriorib. & novis civib. prosequenda demandare. Tum ad sacra Deum, mysteriaque peragenda mulieres patricias antiquæ originis cives primo deligi, primoque institui loco. Post has secundò novam urbis restauratæ prolem, veluti deteriore jure progenitam. Ad hæc mœnibus finitimum, eoque commodissimum pro sorte cuique dimensum possidere, remotiore novis hospitibus pro colendi incommoditate distributo. Animis itaque dictæ iniquitatis indignatione commotis, sæviente iam discordia, cum novi adscriptique cives antiquis & numero plures, & re superiores, viribusque præstarent, tumultu excitato vetustos Sybaritas fermè ad internecionem cunctos ferro absumunt, ipsique deinceps urbem iam libera administratione obtentam disponere pergunt. Cumque agro & optimo & amplo supra cultorum, ususque sui modum abundarent, accersitis ex Græcia plerisque eò frequenter colonis, reip. munia digerebant, agrumq; rursus æqua sorte dimensum per capita distribuere. Cæterum illi rempublicam præstanter, agrumque colendo magnas brevi divitias, opumque vim cumulavere, atque amicitia cum Crotoniatis, societateque conciliata, res summas optimis artib. administrabant. Populari statu civitatem constituentes in decem tribus cives omnes distribuere. Quib. agente cuique sua sunt indita cognomenta. Tres quidem ex colonis à Peloponneso accitis appellarunt Arcades: totidem ex locis extra Peloponnesum sitis, ex una & eadem gente adductas Bœotiam, Amphyctyonida, Dorida, reliquas quatuor ex aliis diversisque nationibus Ladem, Athanaidem, Euboidem, Hesiotin. Item Suidas ait: Athenienses dum mil-

millia virorum ad ædificandam Thuriam urbem miserunt, inter quos & Lampus fuit vates, qui ædificationis rationem explicaret. Sebastianus Corradus in Epist. Cic. ad Att. Thurios oppidum nunc nescio, quod Rhodium vocari somniat. Quidam hanc urbem non a Thuria fonte dictam volunt, sed a fortitudine: Thurion enim Homerus robur appellat. Quod quidem nomen urbi huic quoque convenit. Plutarchus in Nicia scribit: Periclem Athenienſium ducem coloniam in Italiam Sybarim dimisisse, quos Thurios appellavere. Fortasse Pericles insecunda urbis restauratione Thurium colonos Athenienses misit. Hanc urbem alii Thurium, alii Thuriam, alii Thurias, alii Thurios appellant, genus & numerum variantes. Incolæ Thurii, & Thuriani, & Thurini dicuntur. Trogus a. lib. 20. ait: *Thuriorum urbem condidisse Philoctetem ferunt, ibique adhuc eius monimentum visitur, & Herculis sagittæ in templo Apollinis, quæ fatum fuere Troiæ. Frequens*, ait Eustathius in Dionysium Aphrum, *est Thuriorum in historiis nomen, quos Thuriomantes, quasi Thurios vates comicus appellat.* Thuriis leges scripsit Zaleucus Locrensis, ut Athenæus refert. Licet Diodorus Siculus leges, quas Zaleucus Locrensibus dedit, Charondam Thuriis dedisse effutiat. *Apud Thurios lege sancitum erat*, ait Plutarchus de curiositate, *quæ vetat taxari cives, præter adulteros & curiosos. Thurii*, ut Theophrastus apud Stobæum in sermone de lege & consuet. de rerum vend. loquens ait, *neque in foro, sicut alia fieri præcipiunt, sed tribus proxime vicinis parvum aliquod numisma una dari iubent, memoriæ testimoniique causa. Itaque necessarium fit his vicinos, illis magistratum incusare, si rem non acceperint, aut habentes non esse de rebus emptis dicant.* Et paulo post: *Determinatur n. uti apud Thurios, ut arrha quidem confestim, precium vero eodem die exhibeatur. Pœna igitur statuitur emptori arrhæ privatio, non recipienti autem precium solvatur. Et hic mos est Thuriis, ut inæquali pœna mulctentur. Precium n. arrham multoties excedit.* Arist. Pol. lib. 2. de mutatione reip. Thuriorum ita scribit: *In Thuriorum rep. id accidit. Cum n. lege haberent, per quam non nisi intermisso quinquennio militum præfecturam gerere liceret, iuniores quidam rei militaris periti, & apud multitudinem pro custodibus probati, cum cæteros, qui in rebus gerendis versabantur, spernerent, ac facile se consequuturos arbitrarentur, legem illam tollere, aggressi sunt primum, lata altera lege, ut liceret perpetim eosdem præfectos esse. At cum populum illos prompte admittentem, ii magistratus, qui præerant suffragiis, quique appellabantur consultores, commoti sunt prius ad resistendum, tamen postea destiterunt. Putantes hac una lege quamvis soluta, cæteras nihilominus esse permansuras. Postea vero prohibere volentes, ne aliæ moverentur, nihil proficere valuerunt. Sed mutata est eorum respublica in potentiam eorum, qui res novas aggrediebantur.* Et lib. 5. *Contigit vero id, quod modo diximus in Thuriis: quod n. a maiori censu erant magistratus in minorem facta est mutatio, & in plures gubernatores, & quia agros totos possidebat nobilitas contra legem; nam gubernatio eius civitatis magis erat paucorum: itaque plus habere poterant. At populus bello exercitatus, ac potentior effectus, quam illorum custodes, eos nobiles compulit, quicumque contra legem tenebat, agros dimittere.* Thuriis Herodotus historias scripsit, vixit, & obiit anno cccx. ab urbe condita, ait Pli. lib. xii. sepultusque in foro, ait Thucidides lib. 7. Claruit autem, inquit Diodorus Siculus lib. 3., Xersis Persarum regis tempore. Qui Thurius vocatus est, eo quod particeps fuisset coloniæ in Thurios missæ, ait Strabo lib. xiiii. Hanc urbem Dionysius Siciliæ tyrannus obsidere tentavit. De qua re Ælianus de varia historia. lib. 12. ita scribit: *Adversus Thurios navigabat Dionysius, contraque ipsos trecentas naves agebat. Boreas vero ex adverso reluctans navigia confringebat, universasque navales eius copias delebat. Ex eo rem divinam Boreæ faciendam Thurii instituerunt, & publicis decretis civem Iuum pronunciarunt, atque domum certam facultatesque ei assignaverunt, singulisque annis sacrificia obtulerunt, eumque auxiliatorem amicumque scripserunt.* Erant Thuriis Hannibalis statuæ, ut Plinius libro trigesimo quarto prodit. Qui ait: *Annibalis statuæ tribus in locis visuntur: Thuriis, intra cuius muros solus hostium emisit hastam. In mari, hoc est Sybari*, ait Pausanias in Eliac. *portus erat manu factus Adriani Cæsaris opus. Sybari, qui nunc Thurii dicuntur*, ait Varro rei rust. libro primo, *quercum esse ait, quæ hyeme folia non amittit, quæ est in oppidi conspectu.* Id etiam scribit Theophrastus libro primo, & Plin. lib. XVI. Fuit hæc urbs Romanis fœdere & societate conjuncta. Quam cum a Brettiis & Lucanis oblideretur, Romani per C. Fabritium Lucinum consulem defendebant, ut Val. Max. libro primo refert. Fuitque nobile municipium populi Romani, ut in Commentariis C. Iulii Cæsaris libro tertio liquet. Hic scripsit ad At. Cic. Hanc oram, Livius libro decimo ab urbe condita, Salentinam appellat: hancque Thurium urbem a Cleonymo obsessam scribit. Ait enim: *Marco Livio, Q. Aemilio cons. Classis Græcorum Cleonymo duce Lacedæmonio ad Italiæ littora appulsa, Thuriasque urbem in Salentinis cœpit. Adversus hunc hostem consul Aemylius missus prælio uno fugatum compulit in naves. Thuriaque reddita veteri cultori, Salentinoque agro pax parta.* Cleonymum autem hunc Tarentini adversus Romanos accersere, ut Strabo tradit. Thurii semel tantum a Romanis descivere, data sibi causa. Quare Livius belli Pun. libro quinto ait: *Thurini ad Annibalem defecerunt. Movit eos non Tarentinorum magis defectio, Metapontinorumque, quibus itidem ex Achaia oriundis etiam cognatione iuncti erant, quam ira in Romanos propter obsides nuper interfectos.* Thurii primi ex externis Romanos aurea corona & statua donarunt, ceu Plinius libro trigesimo quarto effatur, ait enim: *publice statua ab externis posita est Romæ C. Aemilio*

Digitized by Google

lio tribuno plebis, lege perlata in Septimium Statilium Lucanum, qui Thurios bis infestaverat, & ob id C. Aelium Thurini statua, & corona aurea donarunt liberati obsidione. In bellis autem civilibus Thurii Cæsaris partes, sicut & reliqua tota Calabria, secuti sunt: quare a Pompeio obsessi sunt, ut Appianus bellorum civilium libro quarto prodit. Ait quidem: *Pompeius Thurios & Consentiam obsedit, regionem quoque equitibus attribuit.* Et paulo post: *Pompeiani a Thuriis reiecti sunt.* Signabant Thurii in denario Minervam galeatam, & in galea delphinum, & iuxta tridentem inscriptione Græca Θυρίων, & ex postica facie Polypum piscem. Polypus quidem quod prehendit nunquam dimittit, quod reip. robur & firmitatem significat: item mutat colorem ad similitudinem loci, in quo erit, quod resp. utcumque potens quandoque temporibus servire debet. Quandoque signabant Palladem galeatam, & in galea Tritonem, & ex altera facie taurum iratum cum pisce. Siquidem Thuriam fontem, a quo nomen sunt mutuati, venerantes nummis sub imagine tauri effingebant, hac inscriptione ΘΥΡΙΩΝ ΘΥΡΑ i. ΘΥΡΑΙΩΝ .i. Thuriorum clariorum & famosorum, sicut Sybaritæ eorum maiores Sybarim fluvium sub imagine tauri effingebant. *Nam*, ait Aelianus lib. primo de varia historia, *quidam fluvios & fontes venerantes, eos pecudum & hominum figuris assimilantes figuras ipsas effingebant.* Interim signabant Palladem cum galea coronata, & ex altera facie taurum gradientem & piscem. Aliquando effingebant victoria caput Cleandridæ Thuriorum ducis nomine inscriptum, & ex altera parte trophæum, hoc est thoracem, & duo scuta. Hic autem Cleandridas Spartanus fuit, ut scribi Strabo, qui Lucanos Thuriis bellum inferentes bis prælio vicit, licet longe maiorem exercitum haberent. De quo plura Polianus libro 2. Thuriis texuntur panni, quales Murani. Legitur in Thurino agro manna, provenit terebinthus, vitex, & siliqua silvestris. Fiunt lina & mella nobilia, nascuntur & vina laudatissima; quæ Plinius libro quartodecimo inter generosa Italiæ vina numerat: quæ secundum nobilitatis locum post Lagaritana totius huius tractus obtinere scribit, ait n. *Longinquiora Italiæ ab Auxonio mari non carent gloria, vina Severiana, & Consentiæ genita, & Temsæ, ac Balbiæ, Lucanaque antecedentibus Thurinis. Omnium vero eorum maxime illustrata Messallæ potu ac salute Lagaritana non procul a Grumento nascentia.* Et rursum libro eodem de quarumdam uvarum natura ait: *Capnias & Baccaniatæ & Tarrupia uvæ in Thurinis collibus non ante demetuntur, quam gelaverit.* Est autem Capnias, velut Arist. de Generatione animalium libro quarto auctor est, vitis, quæ albam uvam producit, aliquando vero nigram, quia sua natura inter albam, & nigram est. Strabo quoque libro sexto inquit: *Vinum Thurinum inter vina nobilissimum.* Oleum etiam Thurinum optimum est. Quare Amphis referente Athenæo libro secundo ait: *Apud Thurios oleum est celeberrimum.* Oleum Thurinum egregium celebravit etiam Alexis poeta, ut scribit Athenæus libro secundo. *Thunnus item Thurius*, ait Iulius Pollux, *laudatissimus est.* Laudat quoque Plinius libro trigesimosexto huius urbis gypsum, ait enim: *Gypsum calci cognatum à lapide coquitur in Thuriis.* Et libro XXXI. de muria loquens ait: *Laudatur Thuriis muria. In Thuriis*, ait Ælianus de historia animalium libro tertiodecimo, *fluvius Lusias appellatur, tametsi pellucidos liquores habeat, nigerrimos tamen pisces creat.* Ex hac urbe Thurio fuit *Hippodamus* philosophus Pythagoricus: de quo Clemens Alex. Stromate secundo inquit: *Ac mihi quidem pulcherrime Hippodamus Pythagoricus videtur describere amicitias, una quidem ex scientia deorum, altera vero ex hominum suppeditatione, tertia vero ex voluptate animantium. Est ergo una quidem philosophi amicitia, altera vero hominis, tertia autem animalis.* Extant quædam Hippodami dicta apud Stobæum in sermone de rep. sic enim Hippodamus ipse in lib. de rep. præter cætera ait. *Dico autem universam remp. in tres ordines divisam esse: & unum quidem esse bonorum ordinem publica negotia gubernantium, alterum ex viris robustis constare: tertium ex illis, qui res necessarias explent, ac suppeditant. Nomino autem primum ordinem consiliarium, secundum auxiliarem, tertium mechanicum. Et priores duos proprios esse dicimus vitam liberam degentium, tertium vero victum labore quærentium. Ac consiliarium quidem optimum esse, mechanicum deteriorem, auxiliarem medium. Item consiliarium imperare oportet, mechanicum parere, auxiliarem vero utrunque. Consiliarius enim quid agendum sit, consiliis præfinit, at auxiliaris dum propugnat totam mechanicam multitudinem regit: quatenus autem ei præscribuntur consilia, regitur. Cæterum singuli trium istorum ordinum denuo in tres alios subdividuntur. Consiliarii enim pars quædam est primaria, alia rectoria, alia senatoria, vel in commune consulens. Primaria quidem in consessu suo præsidens, ante omnia de rebus consulit, ac deinde ad senatum refert. Rectoria media est, & ad reliquos regendos creata. Senatoria ex reliqua multitudine constans à primariis proposita suscipit, suffragia fert, & quæ in judicium veniunt, confirmat. Sed ut paucis dicam, primarios quidem sibi visa ad communem senatum referre opus est. Hunc rursus per prætores ad populum. Similiter & auxiliatores ordines, sive robore virium præstantis pars aliqua regit, altera propugnat, reliqua pars, eaque maior, promiscua & militaris est. Prima autem sive rectoria est, ex qua castrorum præfecti, ductores ordinum, manipulorum duces, & antesignani constituuntur, ac denique omnes, qui muneri cuipiam præficiuntur. Pars propugnans ex robustissimis, animosissimis, audacissimis quibusque consistit. Promiscua vero & militaris omnis reliqua multitudo est. Mechanici autem ex labore viventes generis pars una agriculturam exercet, & in regionis cultu occupata. Alia incumbit artib. instrumenta & commoditates vitæ negotiis exhibens: alia peregrinatur & mercaturam*

Digitized by Google

turam facit, quæ in civitate quidem abundantiam in exteras regiones evehit. Constitutio igitur civilis communionis ex tot, ac talibus partib. consistit. Deinceps de coniunctione & unione ipsarum differemus. Quoniam vero omnis communitas civilis omnimodam cum lyra similitudinem recipit, eò quod apparatu, concinnatione, & tandem pertractatione aliqua usuq; musico indigeat: De apparatu quidem reip. id est, ex quot & quibus partibus consistat, jam ante mihi explicatum est; Restat ut in præsentia de coniunctione decenti atque unione ipsarum verba faciam. Itaque politicam communionem trib. modis aptè concinnari assero: nempe doctrina, & rationib. studiis consuetudinum, ac legibus, ac per ista tria hominem institui, honestiorem fieri. Rationes n. docent, induuntque desideria ad virtutem incitantes leges, partim metu detinentes coercent, partim honoribus & præmiis allicientes invitant. Consuetudines autem & studia animum formant, & quasi cereum fingunt, naturali habitu ob assiduam lectionem imbutum. Caterum oportet hæc tria convenire in honesto, utili, & iusto, & in singulis, si fieri potest, ad ista omnia collimare, sin minus ad duo saltem aut unum, itaut & ratio sive doctrina honesta, utilis atque iusta sit, similiter & consuetudo, & lex. Præferendum est autem honestum, ab eo justum, tertio loco utile habendum est. Et in universum conari decet, ut hisce modis civitatem, quam maximè fieri potest consonam, partibusque suis concinnam efficiamus: ne seditionibus, & contentionibus agitetur. Hoc autem eveniet, si juvenilium animorum affectus instituantur, & ad mediocritatem reducantur, quod jucunda & molesta attinet: deinde si opes, ac reditus ex agricultura mediocres sint boni, experientia aliqua periti: largitionem vero & sumptum poscentibus, opulenti: atque tandem his omnibus officio suo, ut decet fungentibus debiti tribuantur. Porro virtus tribus ex causis promovetur, metu, cupiditate, pudore: metum incutere lex poterit, pudorem consuetudines, bonis enim moribus assuetos turpe quid admittere pudet: doctrina vero desiderium parit: nam reddita rei causa, animum allicit, attrahitque cum aliàs, tum si adhortatione juncta fiat. Quocirca tribus, sodalitates, contubernia, & conventus, tum militares, tum civiles adolescentibus commendare oportet, ita tamen, ut seniores sibi coniunctos habeant. Quandoquidem ut adolescentes moderatione & correctione egent, ita senes, benevolentia & conversatione jucunda. Quandoquidem igitur per tria hominem diximus honestum evadere, scilicet consuetudine, lege, & doctrina: considerandum est, qũomodo consuetudines, aut corrumpi, aut custodiri possint. Inveniemus ergo duobus modis consuetudini corruptionem accidere: nam aut propter nos, aut propter externos. Per nos quidem, vel quia fugimus molesta, quoniam sequimur jucunda: nam qui molestias declinant, non tolerant labores: voluptatum autem cupiditas in causa est, ut bona amittantur. Siquidem labore bona conciliantur hominibus, voluptatis studium mala comitantur. Quare incontinentes ac molles facti, & animis magis effeminati fiunt, & in expetendis prodigi. Caterum ab externis consuetudines inficiuntur: cum peregrinus populus nobiscum habitat, mercatura, felicitate affluens: aut urbis vicini voluptuarii & molliculi sunt, & morum suorum contagio propinquos afficiunt. Quapropter opus est ut legislatores, & multitudinis præfecti sedulo animadvertant, num diligenter observantur mores, & æqualis in omnibus pergant. Item an multitudo civitatis patria, id est, hominum indigenarum sincera maneat, nec alia gente misceatur: & an bonorum opumque magnitudo æqualis permaneat, aut non multum variet. Cum n. superflua possidentur, plura & superflua conquirendi desiderium sollicitat. Hoc quidem pacto mores & consuetudines custodiantur. Porro doctrina & oratio perpendetur, examinando probandoq; sophistas, an secundum leges, & instituta civilia, idoneumque seu proprium vivendi genus utilia proloquantur. Non mediocrem n. sed maximam infelicitatem hominum animis sophistarum dissertationes ingerant, si quid ausi fuerint innovare præter commune judicium in divinis humanisque rebus, quo admisso, neque veritas maior, neque vita tutior honestiorque futura sit, sed maiori potius caligine, ac perturbatione involvenda, & metu omni vacuus exultat ingenio petulanter, & malignum est variis modis. Utendum est autem oratione civili cum gravitate quadam, itaut ab animi affectu proficiscatur, & simulata non sit, sed morata, velutiq; nativum dicentis ingenium exprimat auditoribus. Tales autem opiniones huius ferè generis omnes sunt, aut nullum esse numen, aut quamvis sit, non hoc tamen præditum esse affectu in genus humanum, ut ipsum inspiciat, & curet, sed relinqui id & negligi ab ipso. Etenim huiusmodi sententia semel recepta stultitiam iniustitiamq; gignit, in hominibus quanta non facile verbis exprimi potest. Quivis enim inobedientia plenus civili & reverenda disciplinariis modis abutitur, itaut prorsus ex animi sui affectu, nec ulla simulatione, de rebus loqui videatur, & oratio morata, ac veluti nativum dicentis ingenium ob oculos ponens, appareat. Caterum legib. confirmabitur resp. si mixta fuerit, aut concinnata ex omnib. aliis, iis, inquam, quæ non præter naturam se habent, sed secundum naturam. Nam tyrannidis nullus est usus civitatibus, & ferè etiam oligarchiæ. Primum itaq; regnum insertum esse oportet, secundò aristocratiam. Est enim regnum res quædam ad divinam imitationem comparata, & ægrè ab humano ingenio conservari potest, ut quæ cito per luxum & contumeliam immutetur; quare non prorsus eo utendum est, sed quoad eius fieri potest, & reip. conducit. Aristocratia vero multo magis inserenda est, eò quod plures sint principes, qui se invicem æmulari solent, & imperium sæpius ab uno in alium transfertur. Democratia quoque omnino est necessaria: civem enim, qui totius reip. pars est, nonnihil ex ea honoris aut præmii accipere decet. Sed minimè indulgendum est vulgo, quippe quod audax in agendo, atq; præceps existat. Et rursus Hippodamus ipse apud eundem Stobæum in sermone de vita bre-

brevi: Omnia sane mortalia propter necessitatem naturæ in mutationib. volvuntur, dum aut à meliori ad deteriorem statum transeant, aut contrà. Res enim natæ augentur, auctæ vigent, cum viguere senescunt, & tandem corrumpuntur. Accidit autem corruptio, rebus à natura productis, dum per ipsam naturam ad invisibilem eius terminum rediguntur: à quo rursus ad mortalem statum conveniunt per mutuas generationis & corruptionis vices, quæ ambitu reciproco talem circulum constituunt. Quædam propter humanam stultitiam pra luxuria & societate ferventem, interitum sibi accersunt. Quinetiam familiæ & civitates magna felicitate turgentes, ampliq; opibus abundantes, una cum bonis suis tantopere laudatis pessum eunt. Cæterum usuvenit omnem principatum tribus temporibus circumscribi, uno & primo, quod spacium acquirendi continet, altero, quod fruitionem, & postremo, quod amissionem complectitur. Primi nanq; infelices sunt, qui congesserunt opes. Secundi vero felices facti, eas amiserunt postea. Quæ igitur à Diis gubernantur, cum naturæ sint incorruptæ, perpetuò ab incorruptis rebus servari solent. Quæ a. inter homines mortalia sunt, mutatione semper varia afficiuntur à mortalib. Saturitatis enim, & petulantiæ finis est interitus. Inopiæ autem & rerum angustiæ humanæ vitæ probitas. Et rursus idem Hippodamus apud eundem Stobæum in sermone de felicitate: *Animalium quædam felicitatem capere possunt, alia non. Sunt igitur eius capacia, quæcunq; rationem habent.* Felicitas enim sine virtute non constitit. Virtus a. nascitur ex eo, quod rationem habet primario. Non capiunt autem felicitatem, quæ ratione carent. Nam ut quæ oculis carent, videndi nec opus, nec præstantiam assequuntur: ita quod ratione caret, nec opere, nec excellentia ratione præditi donatur. Ratio veluti organum est, cuius effectus est virtus, excellentia autem felicitas. Porro ratione præditorum animalium quædam per se perfecta sunt, & nullam aliunde opem requirunt, nec ut sint, neq; ut bene sint. Talis sane Deus fuerit. Non sunt autem per se perfecta, quæ opis externæ indigent, qualis est homo. Rursus ex numero illorum, quæ non per se perficiuntur, quædam perfecta, alia imperfecta sunt. Perfecta quidem, quæ partim causas proprias, partim externas habent. Proprias, ut quæ bonum ingenium & voluntatem secum adferant: externas, eò quod bonam legum constitutionem, & præfectos bonos accipiunt. Imperfecta vero, vel neutrum istorum, vel alterutrum duntaxat habent, vel omnino pravum animæ affectum; quales etiam homines nonnulli reperiuntur. At perfectorum hominum discrimina duo sunt. Nam aliqui ipsorum natura perfecti sunt, alii genere vitæ. Natura perfecti, qui boni tantum sunt, id est, virtutem possidentes. Virtus n. uniuscuiusque naturæ excellentia, & perfectio est. Oculi quidem virtus eiusdem partis naturæ præstantia perfectioque est, hominis autem humanæ naturæ excellentia, nec non perfectio. Cæterum genere vitæ perfecti sunt, qui non solum boni, sed felices etiam fuerint: Felicitas nanque perfectio humanæ vitæ: vita autem humana ex multis actionibus consistit. At felicitas actiones absolvit. Nam omnis actio virtute aut fortuna duce fit. Virtus consideratur in ipso usu: fortuna in successu. Atqui Deus nec ab alio virtutem edoctus, bonus evasit, neque fortuna duce felix. Natura n. bonus est, & natura felix. Talisque semper & fuit, & erit, nec unquam talis esse definit, cum incorruptibilis naturaque bonus existat. At homo non est natura felix, sed disciplina & cura indiget: nempe ut bonus fiat, virtute: ut felix evadat, fortuna eget. Quocirca ex his duobus humana fœlicitas conficitur, laude, & beatitudine. Hæc ex fortuna, illa ex virtute provenit. Virtutem igitur habent homines propter divinitatis ecommercium: fortunæ v. prosperitatem, mortali ratione. Separantur a. mortalia a Diis. Et idcirco bonus vir, qui deos sequitur, felix est, qui mortalia infelix. Nam prudenoia præditio bona est prospera fortuna, & utilis. Bona quidem propter utendi notionem: utilis vero, quoniam actionibus confert. Egregium itaque est, ubi fortunæ prosperitas prudentiæ ac menti coniungitur, veluti secundis ventis currentem, & ad virtutem respicientem, ita actiones designare, sic enim gubernator syderum intuens motus, navigat, sicut cum non modo Deum sequitur, verum etiam bonum humanum ad imitationem divini instituet. Atqui & hoc manifestum est, quod vitæ diversitas ex animi affectu & ipsa actione oriatur. Cæterum affectus necessario aut bonus, aut pravus fuerit, actio autem fœlix, aut infœlix. Affectus bonus est, qui virtutis particeps sit, pravus qui malitiæ. Actiones autem felices quidem in prosperitate consistunt, ut quæ pro animi sententia eveniant. Infelices contrà in prosperitate: frustramur a. eventu. Quamobrem non solum discere virtutem oportet, sed etiam acquirere, utique ipsa sive custodiendi, sive promoveudi nos gratia, sive quod maximum est, propter familiarum & civitatum emendationem. Rerum n. bonarum non solum possessionem, sed fructum quoque habere convenit. Hæc a. omnia contingent, si quis civitatem bonis legibus constitutam nanciscatur. Et hæc omnia ego Amaltheæ cornu nominatum esse dixerim. Nihil n. non est bonæ legum constitutioni, sine qua maximum humanæ naturæ bonum neque gignitur, neque natum & auctum durare potest. Hæc ipsa n. virtutem & progressum, qui ad virtutem fit, complectitur. Quippe tum bona ingenia eius beneficio producuntur, tum mores, studia, legesque fiunt optimæ, item rationes rectæ, & æquæ, pietas, sanctimoniæ & reverentia. Itaque ille, qui felix futurus, & vitam suam bene prospereque victurus est, ipsam in bona legum constitutioue transigat oportet. Quinetiam præter iam enumerata rei necessitas fieri iubet. Non n. pars quædam est communionis: atque cum illis profectus evadit, quibus cum non modo communicat, verum etiam bene communicat. Nam sunt quædam quæ in pluribus simul, non a. in uno fieri queant. Aliæ in uno duntaxat, non item in pluribus. Nonnulla tum in pluribus, tum in uno: ac ideo in uno, quoniam & in pluribus consistunt.

Har-

Digitized by Google

Harmonia n. concentus & numerus, in plurib. essentiam suam habent : quippe nulla eorum pars est, quæ totum absolvere possit. Felicitas a. & virtus animæ in uno, & in pluribus extare potest : itemq; in toto, & in omni, & ideo in uno, quia plurib. etiam inest : & in plurib. quoniam in toto, & omni quoq; existit. Totius nanq; naturæ perfectio singula etiam perficit : & rursus perfectio singulorum, ipsum totum & omne absolvit. Hoc ita consequitur, quoniam totum natura præcedit partem, non a. contra pars totum. Nam si non fuerit mundus, neque sol erit, neque luna, neque erraticæ stellæ, neque fixæ. Mundo a. existente, illorum quoque partium singulæ erunt. Itidem se res habet in animalium natura ; videlicet si non sit animal, non oculus, non os, neque aures erunt ; at si existat animal, statim & ista singula consistent. Porrò quemadmodum se totum ad partes habet : ita virtus etiam totius ad virtutem partis. Nam nisi Harmonia & providentia divina mundus regeretur, non possent amplius in bono statu permanere, quæ in mundo continentur. Similiter si bona legum constitutio in civitatib. non vigeret, nullus civium bonus, aut felix esse posset. Item nisi animal sanitate frueretur, non posset manus aut pes validus & sanus esse. Nam harmonia mundi virtus est : felicitas civitatis, sanitas, & robur corporis. Singulæ a. in ipsis partes, ad ipsum totum & universum referuntur ; oculi n. pro toto corpore visum exercent : Itemque reliquæ partes & particulæ propter totum & omne constitutæ sunt. Fuit & ex hac urbe Thurio *Theano* philosphiæ sectatrix Pythagorica, ait Suidas, filia Leophroni, uxor Caristi, sive ut alii, Brotini Crotoniatæ Pythagorici. Scripsit de Pythagora, de Hippodamo Thurio cive suo, de virtute, admonitiones muliebres, & apophtegmata Pythagoreorum. Fuit & ex hac urbe *Eradoxius* historicus, cuius meminit Aristoteles libro tertio Rhetoricorum. Fuit & *Cyromachus*, qui primus scripsit de philosophorum opinionibus. Fieri potest, ut Alexis, & Menander, eius frater, & Stephanus filius, Thuriis nati sint, non Sybari, Thuriique dicendi, non Sybaritæ, nam Suidas ait : *Alexis Thurius.* Thurii n. Sybaris olim dicti sunt. Fuit & *Damon* athleta, qui, ut Pausanias in Laco. & Eliac. & Arcad. ait, quater vicit stadio in Olym. sc. anno 2. & 4. CL. Olymp. & anno 2. & 3. Olymp. CII. Fuerunt & *Euthydemus*, & *Dionysodorus* fratres athletæ celebres. Quamvis Plato eos Chios fuisse putet, quorum sapientiam mirabilem esse dicit. Cui Plato ipse librum inscripsit, Euthydemum. In quo ita de eis scribit : *Euthydemus & Dionysodorus frater patria Chii, ut arbitror, ad Thurios migrarunt, qui in omnibus sapientissimi sunt & perfecti athletæ, & ad omne certandi genus potentes sunt : corpore primum pugnare maxime valent, & in eo genere pugnæ, quo omnia superantur. Armorum enim periti sunt maxime, & armorum peritos reddere, si quis mercedem det, etiam cæteros possunt. Deinde judicialem pugnam & ipsi tractare expedireque, & unumquenque instruere possunt, tum scribendis, tum perorandis causis. Et hactenus quidem horum duntaxat periti erant, nunc autem perfectæ athleticæ facultati finem imposuerunt. Quod enim deerat certandi genus, nuper sic assecuti sunt, ut nemo illis valeat reluctari : adeò dicendo valent promptique sunt, ad quodvis dictum seu verum seu falsum refellendum.* Hos infra Etesippus Thurios vocat. Fuit & ex hac urbe *Patrocles* poeta, cuius meminit Clemens Alexandrinus. Fuit & *Cephalus* Rhetor pater Lysiæ Rhetoris, ait Joannes Tzetzes, divitiis affluens, & nobilis, servator Athenienſium. Nam cum triginta tyranni Pireæum occupassent, eos Cephalus bello superavit, quibus octingenta scuta ademit. Fuit omnibus oratoribus justior sine crimine, sed Athenienses in eum ingrati fuere. Nam ipsum mille drachmis mulctarunt. Fuit & *Q. Mallius* Thurinus Romæ prætor. Ex hac etiam urbe, sive ex pago quopiam huius urbis *Octavius Augustus* duxit originem. Cuius proavus restio, avus argentarius, pater vero astipulator fuit, Romæq; vixit, senatorq; factus Cæsaris sororem duxit uxorem, ex qua Octavium filium suscepit. Tametsi quidam ipsum regia prosapia ortum fuisse contendant. Cum ipsemet ab equestri familia originem se habere ingenue fateatur. Svetonius enim ubi aliorum de Augusti origine opiniones scribit, adiecit : *Ipse Augustus nihil amplius quàm equestri familia ortum se scribit vetere, ac locuplete, & in qua primus senator pater suus fuerit. Marcus Antonius ei proavum exprobrat restionem ex pago Thurino, avum argentarium.* Et paulo post : *Infanti cognomen Thurinus inditum est in memoriam maiorum originis, vel quod in regione Thurina recens eo nato pater Octavius adversus fugitivos prospere rem gessit. Thurinum cognominatum satis certa probatione tradiderim, nactus puerilem imaguncula eius æneam veterem ferreis, ac penè exolescentibus literis hoc nomine inscriptam, quæ dono à me principi data inter cubiculares colitur.* Sed & à Marco Antonio in epistolis per contumeliam sæpe Thurinus appellatur. Et ipse nihil amplius quàm mirari se rescribit pro opprobrio, nomen prius sibi obiici. Idem præscriptionis tempore ad statuam eius ascriptum est : *Pater argentarius, ego Corinthiarius.* Cum existimaretur, quosdam propter vasa Corinthia inter proscriptos curasse referendos. Quod autem Svetonius in dubitationem abductus dicit, vel ideo Augusto Thurinus cognomen inditum est, quod in regione Thurina recens eo nato pater Octavius adversus fugitivos prospere rem gessit, neutiquam verum esse potest; Non enim Imperatorum ducumque liberis à devictis provinciis populisque cognomina indebantur, sed ipsimet imperatores ea sibi sumebant. Neque Octavii pater à devictis servis cognomen sumpsisset, cum neque M. Crassus, qui Spartacum vicit, sibi triumphum decerni postulaverit, ut Plut. ait, quòd perindignum esse videbatur de superatis servis triumphare. Rursum si ei Thurinus cognomen inditum esset ob egregiam patris Octavii virtutem, quod adversus fugitivos in regione Thurina prospere rem gessis-

set, nequaquam Marcus Antonius id, nec non humilem & abiectam originem ei exprobrasset, eumque per contumeliam Thurinum appellasset, sed iccirco hæc ei exprobrat, quod in pago Thurinæ regionis ab humili, non à regia, aut vetere clara Romana familia originem traxerit. Cicero etiam in epistola ad ipsum Octavium ei generis humilitatem exprobrans, eumque Marco Antonio genere inferiorem, originemq; ab argentario avo ducere inter alia sic ait: *Aut quem accipient de tuis posteris nuncium illi veteres Africani, Maximi, Pauli, Scipiones? Quid de sua patria audient, quam spoliis, triumphisque decorarunt? An esse quendam annos XXIIII. natum cuius avus fuerit argentarius, astipulator pater, uterque vero precarium fecerit quaestum? Sed alter usque ad senectutem ut non negaret, alter à pueritia ut non posset non confiteri. Eum agere, vapere remp. cui nulla virtus, nullæ bello subactæ, & ad imperium adiunctæ provinciæ, nulla dignitas maiorem concilinsset opem potentium, sed forma per dedecus pecuniam & nomen sceleratum impudicitiæ dedisset.* Et off. primo. *Octavius primus ex illa familia Consul factus est, novus homo.* Optime quidem Cicero & M. Antonius Octavii originem sciebant. In hoc Thurino agro colonia Latina deducta est. Ait enim Livius belli Mac. libro quarto. *In exitu huius anni Q. Ælius Tubero tribunus plebis tulit ad plebem, plebesque scivit, ut Latinæ duæ coloniæ, una in Brettios, altera in Thurinum agrum deducerentur. His deducendis triumviri creati, quibus triennium imperium esset. In Brettio Q. Nævius, M. Minutius Ruffus, M. Furius Crassipes. In Thurinum, A. Manlius, P. Æmilius, L. Aprustius.* Coloniæ quidem nobilia oppida deducebantur; quare fieri potest, ut in agro Brettio Mamertum colonia deducta sit, in agro Thurino Besidia. Fuit Thurium sedes Episcopalis, sed ob urbis vastitatem in Rossianum translata est. Theophilus Episcopus Thurinus interfuit Synodo Constantinopolitanæ sextæ: et Joannes episcopus Thurinus interfuit Synodo Romanæ sub Symmacho, & sub Hilario. Inter Coriolanum & Thurios *Maurum* civitas erat, quæ interiit, fuit sedes episcopalis. Lucianus episcopus Maurensis interfuit Synodo Romanæ sub Iulio Papa primo. Combustæ sunt & in his locis Græcorum naves à mulieribus Troianis captivis, ut Lycophron in Alex. tradit, ubi sic ait:

Crathis autem monimenta videbit interfecti
E regione Alei Patarei templum
Setæa misera: tibi autem ad patram mors
Manet infortunata, ubi compedibus vincta pedes
Miserrima, ferreis expansis ulnis
Morieris, igne combures dominorum classem
Abiectam conquerens iuxta Crathim
Vulneribus suspensam funestis corpus,

Scopulus autem ille tuæ cognominis fortunæ Pontus prospicere dicetur. Super quibus verbis Isacius ait: *Setæa mulier Troiana una è captivis suasit aliis Troianis mulieribus ut naves Græcorum cremarent juxta Sybarim, eis commemorans mala, quæ pati debuissent si in Græciam iissent. Quam Græci cruci affixerunt, & ad petras alliderunt, à qua petra Setæa vocata est. Et Lycophron illam Setæam vocat, quæ hoc consilium iniecit.* Item Euripides in Troadibus, de Hecuba Priami uxore loquens ait:

Quæ proxime pertingunt terram,
Ionium nautæ pontum,
Quam irrigat pulcherrimus,
Qui flavos crines facit
Ruffos, Crathis fertilibus rivis alens,
Quæ abundat fortibus viris
Fertilem faciens terram.

Stephanus hanc circa Sybarim regionem Setæam vocat a Setæa muliere. Post Thurios Sybaris fluvius labitur; supra vero Thurios m. p. XII. *Castrivillanum* oppidum nobile est mediterraneum non longe a Pollino monte inter Sybarim & Lacanum amnes, *Aprustum* olim dictum, cuius meminit Plinius. Fuit autem ab Ausoniis, aut ab Oenotriis conditum, & ex Syphei, & Grumenti ruinis auctum. Abest a mari m. p. XIIII. Hic nundinæ annuatim celebrantur. Texuntur panni frondinei nobiles. In hoc agro vina & olea clara fiunt, fit sesama, & gossipii copia ingens, legitur manna, nascitur cardus masticem fundens. Hic ab uno sociorum divi Francisci Assisini, monasterium extructum est. In cuius æde beati Petri Cœnobitæ corpus quiescit. Huic monasterio adhuc divo Francisco superstite præerat Daniel sanctæ vitæ vir. Hic & sex alii eius socii, Samuel, Angelus, Donnulus, Leo, Nicolaus, & Vgolinus, Christianæ fidei propagandæ desiderio accensi ad ethnicorum regiones eo animo eunt, ut aut Christi fidem proferrent, aut certe pro ea mortem subirent. Itaque ab Helia tum totius eius ordinis antistitem decedendi sibi copia facta cœptam Agarenorum urbem contenderunt; atque in vico quopiam extra urbem institutoribus Christicolis ab rege ad commorandum dato triduum Dei verba populo fecerunt. Quarta vero die altaris sacris ritè, ac religiosè peractis Eucharistiæ viaticum ingenti cum veneratione sumunt. Daniel sociorum pedes abluit; inde eos ad martyrium constanter subeundum roborat. Sequente vero illucescente die, quæ Sabbatum erat, sparsis super capita de more cineribus urbem subeunt, Christum Iesum per eam passim intrepide prædicant: in eumque solum credentes animarum salutem assequi posse audenter asserunt, Agarenorum ignorantiam simul & stultitiam arguunt, quod omisso, vitæ fonte, & animarum salute Christo Iesu, idola surda & muta, quinetiam in eis dæmones, creaturas insuper cæteras ut deos colerent. Cæterum ab Agarenis ad regem trahuntur, atque ibi illusi prius, probisque aspere increpiti, quod talia prædicare auderent, verberib. inde ac plagis sævè afficiuntur. Quos rex contumeliæ gratia capitibus abrasis, quæ Christi, & animarum salutis sunt audacter loquentes cum conspexisset, fatuos opinatus ferreis compedibus dies octo mancipari iussit. Inde ad se de integro adducendos

Digitized by Google

ductos, si quæ dixerant, retractare, Christum abnegare, fidem suam apprehendere vellent percontatur, idque ut agant eis suadet. Illi vero quæ dixerant, acrius affirmabant apertisque rationibus asseverant, servari posse neminem, quam qui in Christum crederent, & baptizentur. Rex ab integro remotis arbitris in pœnitiori domus loco eos sigillatim blande alloquitur; munera ingentia, si Christum abnegarent, spondet. At illi veri ac strenui Christi milites & athletæ cuncta parvi pendentes sua in sententia constantius perstitere; quinetiam ipsum ad Christi fidem trahere nervis omnibus nitebantur; quos tandem impius rex, ubi se hilum proficere novit, mortis supplicio destinavit. Tum illi ad Danielis pedes procumbentes, pedes, & manus illius deosculantur, atque Deo, tum illi quod se ad martyrii palmam duxisset, gratias agunt innumeras, ab eoque benedici postulant. Is vero illos amplexus, & osculis libans benedixit, & in morte pro Christi fide subeunda corroborat, inquiens: Gratulemur, Deoque gratias immortales agamus quod nos martyrii corona dignos effecerit. En Angeli nobis præsto sunt, cœli janua patet, hodie inter martyrum turmas in Paradisi gloria erimus. His dictis ibant omnes læti ad necem, ac si ad epulas; jam certè ad veras & sempiternas epulas properabant. Obtruncati sunt à partu virgineo anno M. CCXXI. ante beati Francisci obitum annis quinq; Quorum corpora à mercatoribus Genuensibus & Pisanis collecta, atque indè postea ab rege Lusitaniæ in suum regnum delata sunt, & in Colimbria civitate jacent. Antonius quidam Pupiensis cum hos irrideret, nocte insequenti sibi per soporem tristi aspectu: armis induti minitantes visi sunt, atque horum alter arrepto gladio plagam illi in coxendice infigere videbatur. Ubi Castrivillaro cesseris, tibi ad ortum proficiscenti, *Cosa* civitas vetustissima occurrit edito loco ab Oenotriis condita, ait Hecatæus apud Stephanum: *Cosanum* vulgus appellat. Distat a freto m. p. XII. a Thuriis octo, in regione Thurina sub Thuriorum olim ditione. In qua bellorum civilium tempore Q. Pædius prætor cum legione Cæsaris in præsidio erat. Ait enim Cæsar bell. civilium libro tertio: *Milo Pompeianus dux Cosam in agro Thurino oppugnare cœpit: & cum a Q. Pædio prætore cum legione lapide ictus esset ex muro periit.* Et: *Cælius, profectusque, ut dictitabat ad Cæsarem pervenit Thurios. Vbi cum quosdam eius municipii sollicitaret, aquitibusque Cæsaris Gallis, atque Hispanis, qui eo prædandi causa missi erant, pecuniam pollicitaretur, ab his est interfectus.* Fuit Cosa colonia Romanorum, ad quam deducendam T. Quintius Flaminius princeps delectus est, ait Plutarchus in eo. Fuitque donata civitate Romana, ut Velleius Paterculus libro primo prodit: *Cosa*, inquit, *data civitas*. Fuit & municipium P. R. ut Cicero in Verrem libro septimo ostendit, qui sæpe de P. Gavio municipe Cosano mentionem facit. Est Cosa sedes episcopalis. De qua Ioannes Ioachimus Abbas in Esaiam inquit: *Cosana ecclesia quadriformis, ac si cauda Calabriæ in cunctis suis sedibus coniicitur, præcidenda præ meritis. Sed postmodum reparanda, ut eo flagellum gravius jubeat, quo patientius interim ad fidei præmium expectatur; & si sub Aquila terra hæc insana consiliis malis æstuantibus undique concuti habeat, maiora tamen dispendia perferet, cum post illius occubitum levari non poterit a ruina.* Hanc urbem Etanus fluvius adlabitur qui Racanello miscetur. Hic emporium in annos singulos celebratur. Subtus urbem specus est, in qua balnea extant non vulgaria. Ex ea duo manant fontes, alter dulcem, alter sulfuream aquam scaturiens. In Cosano agro vina, ac lina nobilia fiunt; legitur manna, gossipium & sesama, proveniunt cappares, vitex, terebinthus & siliqua silvestris: nascitur magnesia lapis. Laudantur pepones. Est ager hic herbidus pascendis armentis gregibusq; accommodatus. Extant bubalorum, nedum boum armenta. Ab urbe ad quartum lapidem Racanellus fluvius labitur Cylistarnus olim dictus. Nomen retinet etiamnum mons, ubi quondam *Lagaria* fuit, quem Cyrnistasum vocant accolæ. Abest mons hic milliario à Cylistarno fluvio, à Cosa m. p. quatuor, à freto sex, à Thuriis decem. Fuit Lagaria civitas vetusta, non longe post bellum Trojanum in huius montis vertice condita, ubi aer saluberrimus viget. De qua Strabo libro sexto ait: *Post Thurios Lagaria est oppidum ab Epeo & Phocensibus ædificatum. Vnde Lagaritanum vinum nobile, dulce ac molle à medicis mirifice commendatum.* Item Athenæus ait: *Lagaritanum vinum tenue & optimum est validum & densum.* Hoc vinum Plinius libro quartodecimo primum nobilitatis locum totius huius tractus tenere scribit. cui Messala salutem suam retulit acceptam, ut in Thuriis ostendimus, ait quidem de Calabris vinis loquens: *Omnium vero eorum Lagaritana maxime illustrata Messallæ potu ac salute.* Stephanus hanc urbem propugnaculum esse dicit. Est porro locus ille, ubi Lagaria erat, ut duxi, eminens, ac natura validum propugnaculum. Nunc hic locus vacuus est sine habitatoribus, & ob id circum vineæ non existunt. Sed non debent quidem tam felicia loca inhabitata, ac sine vinetis destitui. Hanc urbem Lagariam decantavit Lycophron in Alexandra; ubi ait:

Equi fabricator Lagariæ in ulnis
Hastam timens, & phalangem fortem
Panopei filius Epeus fabrefecit ligneum equum,
Qui circa Cyrim, & Cylistarni aquam
Advena domos longe habitabit à patria.

Super quibus verbis Isacius ait: *Epeus equi fabricator Lagariam condidit juxta flumen Cylistarnum. Ferramenta autem dicavit in templo Minervæ & Medeæ, qui juxta Cyrim & Cylistarnum hospes & advena inhabitavit. Lagaria dicta à Lagaride pastore ibi gregem pascente.* Intus *Grumentum* oppidum erat Lagariæ conterminum; Plinius enim vina Lagaritana non procul à Grumento nascentia

scribit: & alibi Grumentinos Lucanorum mediterraneos dicit, quod hæc loca Lucani, ut alibi dixi, Samnitum coloni incoluerint. Post Lagariam *Querquarium* oppidum est vetustum, olim *Arponium* dictum, cuius meminit Diodorus Siculus. Sed an ab Ausoniis, an Peucentio Oenotri fratre, qui hanc oram tenuit, an à Philoctete, an à Phocensibus, qui & in hac ora & in reliqua Calabria, ut ostendi, oppida condiderunt, conditum sit, compertum non habeo. Abesta Lagaria m. p. quatuor, a Cosa octo. Iuxta oppidum ex saxea quadam crypta, quæ est in radice Silari montis, Caldana fluvius oritur, Cyris olim dictus, cuius meminit Lycophron, huius aqua sulfurea est. In hoc Arponiate agro gossipium fit & Sesama, Crocus, nascuntur cappares, fiunt & spectata vina, nascitur & sal fossile. In montibus silvestria animalia stabulantur ut apri, cervi, capreæ, & alia, quæ sæpe in Apennino Calabriæ esse diximus, unde uberes venationes fiunt: congerunt & accipitres. Ad duos lapides Saracenus fluvius labitur, a quo ad secundum lapidem *Trebisatium* oppidum est vetustum, a Peucetio aut a Philoctete conditum, haud procul a mari edito loco, *Vicensimum* Antonino Pio in Itinerario, qui illud inter Heracleam & Thurios ponit, distareque dicit a Thuriis m. p. XX. ab Heraclea XXIIII. hic fiunt opera figlina. In hoc agro fit Crocus, & gossipium, nascuntur cappares, & pinastri frequentes. Supra est *Levidonia* oppidum, & ipsum vetustum, *Leutarnia* olim dictum, distat a Vicensino m. p. quatuor, a mari totidem, cuius meminit Lycophron in Alex. ubi ait: *Multi vero Syrim circa & Leutarniam terram habitabunt*. Super quibus verbis Isacius ait: *Syris & Leutarnia civitates sunt & fluvii Italiæ, quas incoluerunt reliquiæ Troianorum, qui ex Ilio evaserunt fugientes in Italiam*. Per hæc loca Podalirius filius Æsculapii pugno ab Hercule interfectus est, & sepultus prope sepulcrum Chalcanthis, ut Lycophron & Isacius aiunt. Adfuit præsens Podalerius bello Troiano cum fratre Machaone; duxeruntque Naves triginta, ut Dictis Cretensis refert. Levidonienſis ager frumenti & aliarum frugum ferax est, secus littus pinastri frequentes nascuntur. In hoc agro legitur manna, nascuntur cappares, fit & amygdalarum copia. Exinde est *Amygdalaria* oppidum, abest a Trebesatio mille pass., mari duobus, *Heracleopolis* olim dictum. Strabo enim ait: *Post Lagariam Heracleopolis est supra mare paululum*. In hoc agro vina, & olea generosa nascuntur, & cappares, fit Crocus, anisium, & cuminum. Ex hoc oppido fuit *Pomponius Latus* vir Latinis literis impense eruditus; licet Iovius Calabræ gloriæ, sicut & alii multi, invidens, ipsum apud Picentes ex Salernitano principe ortum mentiatur. Viguit Romæ Pauli secundi, Xisti quarti, Innocentii octavi, & Alex. sexti temporibus, & Latinas literas publicè magna auctoritate, & auditorum frequentia plures annos est professus. Crepusculo ipsum profitentem Romana iuventus post gallicinium præoccupandis subselliis præveniebat. Ipse è Quirinali sæpe solus laternam præferens ad gymnasium proficiscebatur: qui licet in quotidiano sermone balbutiret, Latine tamen optime & eleganter loquebatur. Missus fuit a Rom. Pont. in Germaniam, ut veterum auctorum libros perquireret, unde multos Romam advexit. Fuit vita integer: scripsit compendium grammaticæ gravi stylo perutile adultis, & omnium Cæsarum vitas ad suam usque memoriam in compendium redegit: scripsit & de Romanorum magistratibus, & de sacerdotiis, & de Juris peritis, & de legibus. Egit animam septuagesimum annum agens. Elatus fuit auditorum nobilium piis humeris, comitante funus Alex. Pont. purpurata familia, ac Martio oratore laudante. Tumulus multis elogiis ornatus est. Pontani epigramma id est:

Pomponi tibi pro tumulo sit laurea silva,
Ossa maris rores, myrrheaque umbra tegant.
Teque tegant, artusque tuos violæque roseque
Ver habeat, Zephiros spiret & ipse cinis.
Stillet & ipse cinis quæ & Parnassus & antra
Thespia & ipsa suas Ascra ministrat aquas.

Ab Amygdalaria m. p. quatuor *Rosetum* oppidum est haud procul à freto, cuius ager frugifer est, in quo Crocus etiam fit, & amygdalarum copia, nascuntur cappares, fiunt vina & olea nobilia. Post Rosetum Acalander fluvius labitur, qui olim Thuriorum & Tarentinorum agrum disterminabat, ut in Strabone videre licet: Qui libro sexto de Alex. Epirotarum rege loquens ait: *Alexander publicum Græcorum conventum tractus illius Tarentinorum compulsus odio ad Thuriorum agrum traducere conatus est, cum in Herculea Tarentinæ telluris æde illum celebrari mos erat, jubet ad Acalandrum amnem locum ædificari, ubi concilia forent.* Supra *Boletum* oppidum est, distat à Roseto m. p. iiij. in cuius agro gossipium fit, & crocus, & olei copia. Inde est *Cannæ* castrum cum generoso vino, & optimi olei copia, fit & Crocus, est & ager hic frumenti ferax. Supra Cannas ad unum lapidem *Nucara* oppidum est in cuius agro vina generosa nascuntur, sunt & pecuaria pulchra. Inde est *Riolum* oppidum supra saxum humili loco, cui circumimminent montes, abest ab Amygdalaria m. p. octo à mari totidem; cuius ager frugifer est, in quo spectatum vinum nascitur, fit & gossipium. Est & *castregium* vicus. Intus est *Noa* oppidum edito loco, distat à mari m. p. quatuordecim, a Riolo octo. Eius ager fertilis est, fiunt & vina nobiliſſima, & Crocus, nascuntur cappares, & antimonium, & filex, legitur manna, exciditur cos aquaria, & lapis molaris frumentarius & olearius, sunt & castaneta, & sylvæ glandiferæ porcis alendis commodæ, quæ & gregibus armentisque ubera pabula suggerunt; sunt & sylvæ, quæ ad domorum tigna, & ad navigiorum fabricam materiam uberem præstant, ubi sylvestria animalia stabulantur, quare & venationes fiunt uberes, congerunt & accipitres multigeni. Sunt in hoc agro pagi

Cer-

Digitized by Google

Cursofranum, *Casalenovum*, & *Constantinum*. Inde ad mare redeunti *Fabalium* oppidulum offertur, quod Syris fluviis præterfluit, hic gossipium fit : est & *Rotundula* vicus. Exinde est *Arocha* oppidum à mari m. p. duobus distans, cuius ager ferax est, fitque in eo gossipium & sesama. Ab Arocha m. p. quatuor Syris amnis labitur Calabriam a Lucania dirimens : a quo m. p. tribus *Matrapontus* oppidum erat, quo tertiam Italiæ regionem finiri Plinius scribit. Hic Ausoniæ, Hesperiæ, Oenotriæ, & Italiæ quondam terminus erat. Hæc est proinde Calabria antiquissima, ac felicissima regio : Hæ origines eius, hæc nomina, oppida, atque gentes. Cuius una tantum urbs quondam ccc. hominum millia armavit. Omnia Calabriæ oppida, omnes pagos aut, ut sæpius dixi, Auxones, aut Oenotrii, Peucentiique, aut Athenienses, aut Phocenses, aut Philoctetes, aut alii Græciæ principes, aut ante, aut paulo post Ilii excidium condiderunt. Præter pauca, quæ ab hinc sexcentos annos ex veterum ruinis excitata sunt, mutatis sedibus. Id insuper haud quaquam legentes prætereat, quod vina, olea, mella, lina, gossipia, sericca, frumenta, cæteræque fruges, atque omnis generis poma, item fontes, aquarumque scaturigines, item pecuaria, pabula, venationes, aucupia & hæc satis optima per totam regionem passim, atque affatim fiunt. Ubique saluberrimus aer, & præclara virorum ingenia vigent. Sed de his particulatim mentionem fecimus, quæ aliis præstantiora videntur. Neque uno in loco manna legitur, sed vulgò prope. Metalla etiam cæteraque ponte nascentia, item plantæ nobiles multis locis proveniunt. Glandiferæ arbores, & castaneta, & sylvæ ad domorum tigna, & ad navigiorum fabricam aptæ passim sunt. Hinc Græci cuncta uno verbo complexi eam appellaverunt Calabriam, quod bonis omnibus scaturiat. Quamobrem opulentos, ac felices essent omnes incolæ, si per regulos tyrannosque liceret. Hæc Calabriæ monimenta successivis operis perfeci, ut meæ vigiliæ, meique labores posteritati utilitati forent, & Calabro nomini laudis aliquid afferrent. Monitos velim & reliquos Italos meos, ut me imitantes suas regiones diligenter & accurate perscribant. Vitent ineptias, ac vera, ac gravia, ac laude digna perscrutentur. In investiganda antiquitate impigri sint, & veraces ; nam si externi, ac longinqui homines suas regiones Latinis literis celebrant : cur nos Latini, utpotè in medio Latio nati, aut Latii accolæ nostram Italiam Latinis literis, priscos imitantes non diligentissime celebrabimus ? Moneo tamen etiam vos, ne vobis curæ sit ingentia volumina magis conficere, quam bona : sint veritatis, & veræ laudis plena. Non singulos quosque literatores, & aliqua doctrina imbutos, sed literatos, & scientiis eruditos celebrate. Cæterum ut sic omnis Italia describatur, curæ esse debet eius optimatibus, eruditos & judicio præditos viros deligere, & muneribus adiuvare.



FRAN-

Digitized by Google

FRANCISCI GRANI CROPONITANI.

De Situ, Laudibusque Calabriæ, deque Arochæ Nymphæ Methamorphosi.

ASCANIUS MARASCUS CROPONITANUS CANDIDO LECTORI.

NON possum (candide lector) Franciscum Granum undique eruditum Adolescentem, summis laudibus ad cœlum non extollere. Hic enim cum primum sapere cœpit: cunctis nostræ patriæ civibus admirationem, de se maximam excitavit, ac à teneris (ut aiunt) unguiculis tum græcis, tum latinis literis adeo insudavit, ut inter græcos græcus, inter latinos latinus ab omnibus passim teneretur. Veritus postea ne propria domus (quæ solet plerunque adolescentulorum animos à bonarum artium studiis avertere) ex illis ipsum seduceret, Neapolim omnibus disciplinis excultam, sibi excolendam putavit, ubi quanto studio, quantoque labore, & dialecticæ, & philosophiæ operam navarit, diatribæ in Homerum ab eo compositæ facile demonstrabunt, bene noverat, quæ sudore, & labore comparantur diuturniora fore, & si quid per laborem aliquid honesti fit, laborem evanescere: honestum vero diu permanere, author est Gellius ni itaque silentio vitam transigeret veluti pecora, in dies magis, magisque in omnibus ferè facultatibus suum ingenium exercendum curavit. Mox vero cum omnes homines (ut testatur Philosophus) natura scire desiderent, Neapoli, Romam profectus est. Ubi doctissimi Cæsarii Consentini auspiciis, doctissimorum hominum gratiam sibi comparare meruit. Inter quos fuit vir præstans, claris natalibus ortus, Franciscus Ursinus, qui quidem quanta animi comitate ipsum foverit, ipsum dilexerit lingua consequi nequirem. Calabris literis allectus, ab eo precibus contendit, ut de Calabriæ laudibus aliquid in medium afferret, mirificè enim Calabris oblectabatur, morem gerens itaque tanti viri voluntati, musarum choros sollicitare minime gravatus est. Annos natus quinque, & viginti eleganti stilo Calabriæ situm, urbes, flumina, montes, ita erudite descripsit, ut mea quidem sententia dulcius, candidius describi non possint. Vera sunt me hercule, vera quæ dico, sed longe veriora quæ taceo, nam si omnia quæ de huius laudibus dicenda essent numero comprehendere vellem, in Cretæ labyrinthum profectò inciderem, & cœli sydera, marisque fluctus numerare viderer, quapropter ut Salustius de Carthagine, melius est silere quam pauca dicere. Vale.

Unde

Digitized by Google



NDe meæ patriæ quæris sit nomen Olympi.
Subdita flammiferi quo nam iaceatque sub axe?
Spes ingens, Ursine mihi, donoque decoro
Mite quadrigeminæ pectus decorate sororis:
Dicam equidem, nec iussa sinam mihi sint tua vana:
Aonides tumidis aspirent dummodo cœptis
Nostris, & vatum facundum numen Apollo.
En igitur mihi adeste precor, mihi adeste puellæ
Lybethrides, Nymphæque undas quæ dulcis Arochæ
Incolitis gelidas, qua se Petrarus Amœna
Effundit per prata vagus, cui pulcher Arochæ
Ah nimium placuit candor, nocuitq; superbæ.
Nam Cropani tam prisca senis vos tempora scitis.
Sæpe illum vidistis enim dum carmine vestris
Arboribus mulceret oves, armentaque grato.
Est Italis interpositas in finibus urbes,
Partenope quas docta regit, claroque per errat
Flumine Sebethus: Martis, Phebique triumphis
Sebethus viridi redimitus tempora myrto.
Est inquam regio divum bene cognita sacris:
Hortiferis armis, & præstans ubere glebæ,
Et sophiæ studiis, & iuris splendida onore.
Trinacriam læva dextra, sed Japygis arva
Parte tenet, primoque sinu pars tertia mundi
Cingit, & innuptæ Lucania sacra Dianæ.
Nomine quæ digno quin iure Calabria fertur:
Si calon esse bonum testatur Achaica lingua,
Quodque brio vocitat scateo si nostra reponit.
Certe ego Cumanæ folio, vel voce sybillæ
Hoc verum tenuisse reor per sæcula nomen.
Illi nanque boni quid deest? quas gratia cœli
Summa negavit opes, dona aut iustissima tellus?
Sed ne me propriis affectibus ipse moveri
Credas, & nostræ mendacia carmina musæ:
Quam bene conveniat nomen nunc accipe quæso:
Dum aspirant nostris parnassia flamina velis.
Urbibus in primis clara est, opulentaque regnis.
Hic adsunt urbes insignes munere claro
Gradivus quod ferre solet, Phæbusq; per orbem.
Inter quas omnes Consentia maxima nempe est
Priscorum celebris tot scriptis, sola furores
Omnes, quæ sprevit quondam Carthaginis altæ.
Sylæ musa sacii non dedignata Maronis
Cuius docta fuit largos effundere honores.
Tot regit hæc numero (sic fama est) oppida cœlo
Quot lustrat gradibus longũ Sol aureus annum:
Imperio superat Cretæ ditissima regna,
Assurgitque suis clarissima civibus instar
Parthenopes, qua mundus habet nil pulchrius usquam,
Si vel Democriti plures natura tulisset.
Inde Cathanzarium multa dignissima laude:
Dives opum, doctisque viris illustris abunde.
Sed quo vos doctæ versu memorabo Tabernæ?
Revera atque ipso sectantes omine Athenas.

A Musarum montes quarum, vallesque repostæ
Assiduo resonant cantu, fidibusque Canoris.
Teque canunt, nomenque tuum per sæcula ducunt
Teutonice: incolumes Litelli primus ad undas
Qui deduxisti Cyrrhæ salvator ab oris.
Hinc te præsidium terris misere benigna
Numina; ceu quondam Nili Philadelphus in oris
Lumina constituit requiem præbentia nautis
Rocca decus Calabrum naturæ conscie cunctæ.
B Corpora cui toties animas mortalia debent
E latebris stygiis superis per te revocatas.
Sæpe ego, cui veritus ne Iuppiter ipse furores
Conciperet: doctus nam sic Epidaurius olim
Passus erat: casto dum dulcia lumina vitæ
Redderet Hippolyto, superum & revocaret ad auras.
Non ita, sed spero continget. Iuppiter ingens
Nanque hominum sortem multum miseratus iniquam.
Te dedit innumeris orbi virtutibus arcem,
C Ne genus humanum rueret sub tartara tetra.
Salve lethæas per quem defleximus undas,
Særus & in cœlum redeas, stellasque micantes.
Illustrant etiam Calabras munimine terras,
Et fama antiqui præstantia saxa Crotonis.
Quo famii quondam facundia docta cathedram
Rexit, & Harpocrates digito sua iura tenebat.
Non opus est nostro quid sit modo dicere versu,
Nanque patet scriptis græcorum, quanta sit illi
Et Romanorum præstantia, nonne salubris
Materiam chartis de se dedit omnibus aer?
D Hanc Numa per celebrem vilit, post terga relictis.
Imperii curis: famii cum docta cathedra
Ingentes fundebat opes, & pectoris artes.
Duxerat hinc ortus Alcmæon doctus, & alter
Cuius Aristoteles meminit, testemque fatetur.
Hinc Milo mirandis membrorum viribus, usq;
Victor Olympiaco certamine, victor ubique,
Ingentes humeri cuius traxere superbum
Taurum, pressus amor quo vix fuit asper edendi.
E Quis tam mentis inops antiquam hanc nesciat urbem
Quantaque finitimis immiserit effera bella?
Hanc tenebris celebrat sacra musa Lycophronis atri,
Hanc animo Cassandra furens cognovit ab illo
Tempore, quo stabant excelsæ pergama Troiæ.
Tu mollem Sybarim vastasti Nobilis, Armis
Saltantes cum equites circumduxere choreas,
In Turcas nostris præbes obstacula terris
Aggere celsa, tuo semper fidissima regi.
F Sis felix, priscumque decus tua mœnia servent.
Sunt Locri celebres græcorum carmine, pugnæ
Ad Sagram flumen quorum celebrantur in omni
Aevo, nunc retinent antiqui robora belli.
Civibus illustres doctis, armisque superbi.
Hi peperere sacrum Tymæum, nomine cuius
Divini ornantur memori monumẽta Platonis.
Hinc rex, qui nato proprio ne parceret: ipsi
Effodit lumen, tantum pia iura colebat.
Ingens his antrum est quoddam mirabile dictu.
Hoc equidem credo priscam tenuisse sybillam.
Nursia tale videt, cumani & literis ora.
Est Bellicastrum patriæ contermina nostræ.

Quæ

Digitized by Google

Quæ eſt ornata ſui multa virtute Diani.
Principe vel ſolo clariſſima Biſinianum.
Uffugii priſcum Monſaltus ſervat honorem
Urbs armis, opibuſque potens, materque virorũ
Nobilium cui ſata ducem ſi proſpera tantum
Servabunt, meritosque eius virtutibus annos
Addent, Saturni cognoſcent tempora regis.
Eſtque viris doctis Ruſſanum illuſtre, ſuperbi
Mœnia ſunt Styli longum ſpernentia bellum,
Sirleti docti fama præclara ſuprema.
Eſt Hippo, quam tanta ducis prudentia ſummis
Laudibus extollit, quo te mitiſſime cœlo
Attollam verſu dux inclyte, qua ve camæna?
Iuſtitiam ne prius mirer belli ne laborem,
Quo dulcem quæris ſemper componere pacem?
Ipſe tuæ vereor laudis conſcendere pontum
Tam parva cymba, ne me nimboſa procellis
Intercludat hyems, ſcopuliſq; immittat acutis.
Sunt ſatis antiqua heu tranquilli mœnia Rhegi,
Diruta quæ toties ſervant tamen otia priſca,
Inclyta nec poſſunt amittere nomina, quamvis
Indigne ah fortuna premas tot cæca procellis.
Eſt Scyllaceum quo nobile grata quot annis
Emporium celebrat toti ſpectacula regno.
Tranſierim nec te verſu Seminara, tuique
Principis eximias laudes, dignaſque tropheis.
Aut Melite decus, quo te dulciſſimus ornat
Martoretta, minus nec frater Tullius eius
Complures aliæ ſunt urbes, nomina quarum
Cuncta recenſere haud poſſem, ſi vel mihi centũ
Ora cupit vates vel qualia doctus ineſſent.
Longa videretur nimium tibi, noſtra Thalia
Si meritam illarum tentaret dicere laudem,
Dignam equidem meliore fono, & graviore camæna,
Sed tibi ſumma ſatis ſint hæc faſtigia, nanque
Ex his ſat poteris cognoſcere cætera. Totum
Ungula Pythagoræ monſtrabat parva Leonem.
Inclyta non ſolum tantis hæc urbibus extat,
Atque aliis rebus quæ conſtant arte virorum:
Sed quoque naturæ fœcundo munere læta
Omnes exuperat campos, atq; arva propinqua.
Fluminibus quot grata ſacris, quot fontibus illa,
Quot pratis, herbiſq; viret, quot denique rivis.
Quæ tibi ſi dicam, dicam quot montibus Idæ
Turbentur frondes Euro bacchante, vel undæ
Quot maris Ionii veniant ad littoris oras.
Non fluvios noſtris oris natura negavit,
Nympharumque domos, fontes, non ſtagna, lacuſque,
Munera quæ terris non præbuit illa propinquis
Maiorem Calabris quo oſtẽdere poſſet amorem.
Cui non dictus? adeſt Crathis, Sybariſque poetæ
Carmine Naſonis celebres, hiſque Æſaris unda.
Crathis qui electro ſimiles facit ille capillos,
Antiquæ genitor Scyllæ, Conſentia docta
Cuius onoratur reſonanti murmure latè.
Cœcinos, eſt etiam Crotalus dulciſſima Arocha
Nympharum dum nympha fuit pulcherrima quondam,
Et Targo, & Semirus, laudatus ſæpe Nethus.
Paſtoris Siculi divino carmine muſæ.
Hic quondam Ænææ naves incendia ſæva
Corripuere, ſacro fluvio nomenque dedere.
Allia, Litelluſque ſimul, Bacchonus opacas
Murmure qui late ſylvas, & rure fatigat,
Et Sagra locrenſi pugna celebrata per orbem.
Vix olim inſtructæ ſuperabant magna carinæ,
Flumina, quæ Calabros fecundat undiq; campos

A Nunc contuſa quidem quamvis ſint dentibus ævi
Cum tamen olenium regnat pecus, illa relicta,
Inſtaurant vires, & vincunt gurgite ripas.
Balnea prætereo morbos curantia vitæ.
Non cedit Baiis Cumanis noſtra Nicaſtrum,
Quæque rigant calidis locrenſia rura lavacris.
Nil opus eſt rigidis Baiis regionibus iſtis,
Sit Tibur Romane tibi, ſint Theſſala tempe,
Sit Pindus, geliduſve ſuis ſit frondibus Hæmus:
Vlnis dum lætũ me pulchra Calabria habebit,
B Nec Tibur quæram, cupiam nec Teſſala tempe
Sordebit pindus, ſordebit frondibus Hæmus.
Verum hæc prætereo ſpatiis diſcluſus iniquis,
Quo tibi quæ nobis adſunt maiora canamus.
Nil eſt quod vigeat Calabris antiquius oris,
Nil geminæ linguæ ſcriptis illuſtrius, abſit
Abſit livor edax. Canimus quæ vera poetæ
Romani, & Græci divina voce fatentur.
Hac regione fuit (quis neſcit?) Græcia magna,
Priſcorum recinũt tam docta volumina vatum
Ingentes laudes cuius per ſæcula notas.
C Monſtrat adhuc priſci veſtigia temporis illa,
Præſertim celebris qua eſt diva Lacinia, ſacri
Pythagoræ geminæ ſervantur onore columnæ.
Diruta templa iacent Iunonis tempore victa,
Sed priſcas vires oſtendunt mœnia fracta.
Miraque temperies tenet horum rura locorũm.
Nempe ſcatent fontes illic prope littoris oras.
Hinc ſylvæ apparent, hinc æquora lata tumeſcunt,
Hic rari montes, facies planiſſima campi
Oblectat viſus mira dulcedine captos.
D Hic mons exteudit faſtigia ſumma Latimnus.
Hic, de quo meminit Maro, navifragum ſcylaceum
Ortus quod quondam doctis deduxit Athenis.
Illa Philoctete ſubnixa Petilia muro
Demonſtrat quantum poſſit fera temporis ira.
Thurinique ſinus, Themeſe & fœcunda metallis.
Eſtque Terineus portus, quo punica claſſis
Romanæ genti infeſta hybernare ſolebat,
Et locus illius ſervat nunc nomina regis,
Annibalis dictis dicuntur caſtra latinis.
E Omnia quæ a graiis tandem ſunt cõdita priſcis
Hac regione ſuæ laudis veſtigia ſervant.
Tædia te afficerent ſi vellem ſingula verſu
Dicere, quæ Calabris oris monumenta relicta
Temporis antiqui, ſint uſque ad ſæcula noſtra:
Aſpiceres utinam quandoque hæc littora, forſan
Non minus ac Romæ miratus dicere poſſes:
Omnia fert ætas, mundo nil deniq; firmum eſt.
Mite genus, placidumque hominum ſub rege benigno
Quale fuit quondam Saturno, tempore quo non
F Cõciderant ſylvæ, victum aut Dodona negabat,
Atque pio Chriſti devotum ſemper amori
(Divo Franciſco teſtatur Paula) beatas
Incolit has oras Calabras, natura virorum
Reſpondet terræ fœcundæ, & convenit uſque.
Complures illi clari virtutis onore,
Aoniloque choro grati, & Permeſſidos undis,
Illuſtres homines doctrinæ viribus omnis
Contendunt priſcis prorſus ſe æquare poetis
Ennius ipſe pater per quem viruere camænæ
Romanæ, qui primus inter patefecit ad illas,
Hinc ortum duxit muſarum maximus augur.
Hiſtoriæ lætus Romanæ conditor altæ,
Parrhaſiius, Iardinus, in his Thileſia proles.
Ferrarus ſophia illuſtris, ſacræque Catellus

Scru-

Digitized by Google

Scrutator chartæ, græco & splendore Cilentus,
Doctor atque illo medicina nazza disertus.
Sirletus vitreis animus cui purior undis
Aonios penitus fontes deplevit amicos,
Mandilis, franchinus, & est Pistoia, disertum
Martiranus opus qui aptavit rite cothurno,
Striverius posset qui vel renovare camænas,
Franciscus modius, Lactantius, hisq; Girunda.
Et qui iam superat priscos candore loquelæ
Cæsarius geminæ linguæ decoratus onore,
Fama minor factis de quo diffunditur, unde
Unde tot huic rerum facundi pectoris artes,
Copiaque immensi superans fastigia mundi?
Omnes vicisti certamine, victor ut ille
Qui venit, vidit, vicit, doctissima quæque
Authorum pandens, scriptorũ obscura retexens
Doctius ædipode, hinc debet tibi Romula tellus
Quantum vix quõdam fassa est debere Camillo.
Tũ novus Alcides superans vi pectoris hydram
Barbariem, latium totum trans arte fugasti,
Tu lucem extollis rebus caligine mersis
Lynceus, & chartis te lumina mille sequuntur
Quæ nunquam calamis claudet Cyllenius ales.
Sunt quoq; Aquine tuæ Thoma qui lumina vitæ
Illuxisse ferunt illinc, quod si modo verum est
Quid Calabris toto mundo felicius extat?
Quæ decus illorũ superat modo gloria tantum.
Non absunt illic fidibus, cantuque sonoro
Bistonii superare queant qui carmina vatis.
Martoretta cheli, divina atque arte canendi
Omnes exuperat frater dulcissimus huius
Tullius atque undas qui mulces carmine lethes
Ah damiane miser non iustis rapte sub annis.
Est Pelligrinus, plectroque insignis Helya.
Ille venincasa eximius, Cæsarque Michael.
Risulus, & felix locrensis, voce profunda
Intonuere sacri cuius palatia Petri.
Et multis fontana bonis dilectus ab ipsis.
Nec te transierim Phæbo gratissime fera.
Seu penna; fidibus seu te velit almus utroque
Complures alii, quorum modo nomina pennæ
Non adsunt, numeris nec possem scribere cunctos.
Denique nullæ orbis partes, non bactraque, neque Indi
Laudibus, aut meritis tecum, alma Calabria certent.
Quæ purs orbis habet tot apricos gramine colles,
Innocuos saltus, fæcundos semine campos,
Tot varias sylvas, tot opacis montibus umbras.
Tot fruges Bacchi lucos, tot Palladis arva,
Tot varios portus rerum usus usque ferentes
Vellera tot pecudum, necnon armenta, greges que,
Adde quod ista feris, & monstris usque remota est,
Quæ vastæ syrtes cernunt, quæque accola Tauri.
Non herbas educit ibi quas terra legentes
Privignis miseris possint miscere novercæ.
Nec posset Medea sibi exercere potentes
Artes; his oris correpta cupidinis ira.
Bis ibi ver tepidum, bis fructus aspicit arbor,
Miraturque suos tam fœtus esse frequentes.
Ubertates terræ, cœli indulgentia mira,
Nil tandem voluit mater natura negare.
Serica nonne vides ut vincant vellera feras,
Falsa licet feras sic ornet fabula donis.
Nonne vides Romam quam maxima copia bacchi,
Mittatur? caricas quas condat molle Nucitum?
Palladis & baccas quot presset Paula trapetis,
Flavaq; mella favis superent ut florida hymetti
Prata, nec ipsa suo contendat melle calydna.
Certe ego cum spatior plateas per & ampla viarum
Urbis nil video è nostro nisi palmite fœtus.
Sunt ibi ferriparæ glebæ, sunt inde Salinæ
Ingentes queis vita nequit sat nostra carere.
Ad summam dicunt qui a brutis moribus illam
Dictam: sunt falsi ducti gravitate veneni,
Invidiæ septi tetra caligine mentes.
Brutia nam fertur brutis animalibus ora.
Quis fœcunda quidem præ cunctis semper abundat.
Candida sæpe solent sileant qui vertere in atra,
Vel quærant aliud possint quo explere nefandam
Ingenii rabiem, livorem & mentis acerbum.
Sed quid lingua nocet rebus sub luce locatis?
Quid ve potest Calabris musarũ munere claris
Livor edax? qui serpit humi, semperq; iacere
In vili, tenuique loco solet abditus anguis,
Invidia nil maius ego præconibus illis
Tormentum accedat cor quæ nocteque, dieque
Afflantes furias oculosque obsumat inertes.
Omnibus invideant, illis sed denique nemo,
Maxima supplicium semper sit gloria nostra,
Successus nostri tribuant alimenta furori.
Salve grata mihi musarum semper alumnæ
Tellus, Romanæ per quem viruere camenæ.
Nostra quidem doleo quod sit tam rustica musa,
Nec possit meritas laudes ad sydera summa
Tollere, Mæonides quamvis vel doctus onores
Vix posset numerare tuos, tibi numina præstent
India quod ducit tranquilli temporis ævum.
Adsit sancta Ceres semper, dulcisque Lyeus,
Et cum fœcundo semper bona copia cornu,
Aspiretque tibi semper Latonia proles:
Sis animo forti tanto sub Rege Philippo,
Quo videt è cœlo nil Sol præstantius alto,
Mitius, humano generi ve benignius, hic est,
Ille pater qui te defundat ab omnibus usque
Usque lupis, pecoris nil te centagia lædent
Vicini, vivat tantus tibi rector, & annos
Nestoreos superet cumanæ ac secula vatis.
Hac regione igitur quidam locus extat, amicus
Et cereri, & baccho, superat qui rura lycæi
Cultura, dan sæpe sui vaga prata Timoli
Oblitus tenuit, sævos hic sæpe calores
Devitans, sævum solatus arundine amorem est,
Non nimium distat claro, celebrique Crotone,
Doctaque nec nimium distat Consentia ab illo,
Tutius ut noscas locus inter utranque locatur
Temperiem miram nactus, Phebique favorem,
Hyppotadæ ventos mites, semperque salubres,
Vix sentitur hyems, vix blando frigora morsu
Cum Capricornus habet phæbeos limine currus
Nascitur Icarius vix cum canis ipse calores.
Mulcetur veris, blandeque tepentibus ausis.
Temperie haud Baiis, haud Ennæ cedit amænæ.
Quamvis Pontani divino carmine Baiæ
Laudibus ætherei contingant sydera cœli,
Hinc facile poteris præstantia quanta sit illi
Noscere, cælestis præbet quod munera mannæ,
Ornis è duris stillant tibi dulcia mella,
Ut mundi imperium quum olim Saturnus habebat,

Digitized by Google

Neq; Iovis orbis adhuc norat iuvenilia iura.
Omni naturæ dotatur munere, & arte.
Despicit hinc mare veliuolum, terraſq; iacentes,
Hincque feris ſylvas habitatas, inde repente
Sæpe quidem cervi canibus latrantibus acti
Vicini pelagi ſe commiſere profundo.
Aethera ſemper habet ſudum, nec nubibus ullis
Atris obductum, ſpiſſa aut caligine venti,
In nubes tenues niſi quando cogitur aer,
Vt terris imbres immittat, ruraque abundent.
Sic Rhodos eſt pulchro Phebo gratiſſima tellus,
Et quæ Niliacis ea terra madeſcit ab auſtris.
Hic igitur mea colliculo velut imminet alma
Patria, nectareis ſuccis mihi gratior ipſis.
Quam horriſonis, gelidiſq; ſuis præterfluit undis
Flumen Arocha modo, at quondam formoſa puella.
Nympharum pars una fuit caſtæque Dianæ
Herbarum vires norat, laudeſque medendi.
Sæpe ſuas comites ſerpentum morſibus illa
Tactas, dum legerent flores, & lilia ſylvis
Herbarum ſervavit ope, & medicamine ſacro.
Hinc nymphis dilecta ſacris erat omnibus, hiſq;
Prima choro forſan ni tam formoſa fuiſſet,
Forma illi nocuit, nocuit formoſa videri.
At quoniam credo non dum peryenit ad aures
Illius ſors ſæva tuas modo dicere cuncta
Dignum erat, Aoniis mirè, gratumque puellis,
Fluminis illius, nymphiſque colentibus undas.
Da noſtræ faciles aures Urſine canenti
Muſæ, nayis iter timidum mihi dirige parvæ.
Tyndaridas referas, quāvis mea littora ſumma
Cymba legat, veritur ſæyum conſcendere Pontum
Remigio, velìſque ſuas nudata carinas,
Et iuvenì nimiùm ventis directa magiſtro.
Targinis affreno Crathis ſuccenſus amore
(Res obſcura quidem ſed vera, & cognita ninphis)
Cum nunquam precibus, lachrymis nec flectere poſſet
Infelix paſtor tam ſævæ pectora nymphæ,
Per nemus impatiens venanti vim tulit illi.
Enixa eſt utero, qnæ mox pulcherrima pleno
(Ut novies fratrem latonia Luna revilit)
Perſimilem forma, qua fæmina nulla puellam
Conſtitit, & pulchro appellavit nomine Arocham.
Nanque placere quidem nos, Græcus dicit aroſæ
Hæc ubi bis ſeptem complevit nubilis annos
Deſeruit patrios montes, maternaque rura.
Non fuit huic curæ lanam mollire trahendo,
Nec poſitas variata comas ornare corollis.
Arte cythoriaci aut deducere pectinisis illas:
Immo aliæ gaudere ſolent qua ruſtica dote
Triſtis erat, cunctis crimenque placere putabat.
Sed tantum ſylvis iaculis agitare fugaces
Vſque feras, pictaſque humeris geſtare pharetras
Gaudebat, teſtas & rite appendere caſſes.
Tanto ea venandi iuvenili ardebat amore,
Vt cum triſtis hyems in ſylvis frigore ſaxa
Rumperet, & nivibus caherent undiq; montes,
Icariuſque canis vel flammis ureret orbem,
Illa feras iaculis ſectari nympha ſoleret.
Sæpe ſuos comites fama eſt dixiſſe ſorores:
Deſine Arocha fero tantum indulgere labori,
Quandoque & duris venatibus otia miſce,
Ne tibi Latonæ proles ſuccenſeat alma.
Neq; iaculum tamen illa, ſuas pictaſq; pharetras
A Depoſuit grata aut venantibus otia unxit.
Sed modo per montes, & devia flumina telis
Venabatur ovans, modo caſibus undique tectis
Fallere gaudebat non cauta animalia virgo.
Aureus Æthonis nitido iam Phæbus olympo
Terga premebat equi, miro, inſolitoque calore
Icarius ſiccas urebat fervidus herbas,
Cum paſtor cupiens tantos vitare furores
In patulas Petratus oves deduxerat umbras
Obliquis flumen quas circumerrabat amænum
Undis, & raucum per lævia ſaxa cadebat.
B Dunque greges captant umbrarum frigus opacum
Inflatis calamis modulatur carmina, nymphæ
Nullius quamvis eſſet num tactus ab igne.
Audierat ſocios, ſed talia condere ovili
Carmina paſtores certantes ſæpe viciſſim,
Edidicitque uiu multo, curaque frequenti,
Mantica poſt tergum pendebat, tibia dextra
Tunc ſubnixa pedo tetigebat fluminis undas,
Flamina deſierant ſylvas agitare virentes,
Deſierant latrare canes, agrique ſilebant,
C Obſtrepit è ſummis tantummodo vallibus Echo,
Reſpondens iterat cantus & dulcia verba,
Expertus calamos vidit poſtquam eſſe ſonoros,
Sic cæpit dulci modulamina condere yoce.
Aura veni, noſtrumque leva formoſa calorem,
Aura veni nam tu mite levamen eris,
Aſpice cuncta ſilent, terras cum ſyrius urat,
Nil dulce arboribus garrula cantat avis.
Solus ego infelix miſeras cantare querelas
Cogor, & ab fati triſtia iura mei.
D Me miſerum gelida quamvis electride in umbra
Immoror, & quāvis nympha miniſtret aquas:
Igne tamen cæco ſemper mea pectora fervent,
Uror, ut in thalamis pinea teda novis.
Nil proſunt nymphæ, nil prodeſt arboris umbra,
Ni yenias zephyris aura ſerena tuis.
Quæ te ſegnities igitur tenet aura morantem?
Ne yenias noſtro ſpeſque, ſaluſque malo,
Num tu Parthenii gelidis in vallibus erras,
Thaygeta, an reſonis te tenet Hemus aquis?
An potius Phrygiæ placida ſub rupe vagaris
Menalos an Baiæ rure tepente placent?
E Quodcunque aura mihi yenias te detinet oro
Ac mihi tu nulli gratior eſſe potes.
Nanq; ut Apollineo quæ languida facta calore,
Herba virer gelidam ſi videt imbris opem.
Ureque canis poſtquam flavas combuſſit ariſtas
Meſſores Zephiri flamina grata iuvant.
Non aliter noſtros mulcebis pectoris æſtus,
Tu maior Zephyro gratior una mihi es.
En flores cecidere ſolo cecidere hyacinhti,
Lilia cum violis devariata iacent,
F Pallenteſque roſæ ſpinis cecidere relictis,
Amiſere ſuos florida prata Toros,
Per nemora, & ſylvas mæſtæ fleyere Napeæ
Te fugiente, fugit quam decor arboribus,
At tu ſi yenias, & candida lilia fiant,
Florebitque ſolum, verque redibit humo.
Purpureæque roſæ, & dulce ſpirans hyacinthus,
Et violæ & grato florida prata Toro.
Per nemora, & ſylvas lætæ riſere Napeæ,
Te veniente, venit quam decor arboribus.
Carmine dum tali ſylvas Petrarpus amæno
Atq; greges teneros mulcet clamore ſequentem
Formoſam geminos Cervos aſpexit Arocham.
Quæ deſiderio cervos detenta ſequendi,
Non animadvertens cantantis gaudia, curſu.

Pene

Pene humeros tetigit pastoris concita Nympha.
Quam simul ac vidit nam multo aspersa calore
Pulchrior extabat; subito fervoribus Aethnam
Pectore concepit, totis ignemque medullis
Exhausit pastor nunquam sic ante receptum
Deposito dulci cantu, calamisque relictis
Infelix Nympham sequitur, sed denique opacis
Frondibus ex oculis evanuit illa sequentis.
Ah quoties truncos amplexus stultus, amicam
Credidit esse, piis verbis, illosque rogavit,
Sed cū Phebus equos cæpisset flectere ad undas,
Iam reperire suam desperans posse puellam,
Pastor oves reddens curis impulsus amoris,
Longingua impastas illas ad ovilia traxit.
Vespere non illo mulsit, non sensit ahenum
Suppositos ignes, nec circumducta fuisti
Tum fiscella, casæ caruerunt limina fumo,
Quin etiam infelix pastoribus ille seorsis
Luctibus, & lacrymis miseris sua corda premebat.

In somnem duxit tam longo tempore noctem,
Interdum, & quamvis declinet lumina somno,
Somno vana tamen miserum sua cura fatigat.
Sic ægro, quem febris habet, si forte maligna
Ille siti; dulci demittit lumina somno,
Omnia tum gelidi fluvii, fonteſque videntur;
Sic somno formosa venis crudelis Arocha,
Utque proterva soles spernis pia vota, preceſque
Nec saltem somno pacem promittis amanti,
Vel tua se precibus proh flectere nescit imago,
Longior Herculea nox visa est illa Petraro,
Et modo membra levat vili demissa grabato,
Atque casæ è speculis stellas prospectat euntes
Pleiadas, Arcturum, prolemque Lycaonis, & quæ
Ex Ariadneis fulgetiam steila capillis,
Solis equos, claudosq; putat modo tristia verba
Effundit, quæstuſque suæ demonstrat amicæ.
Interea variis cœlum Thitonia coniux
Floribus ornavit, rebus, duxitque colorem.
Duxit pastor oves cum pastum, haud ille moratus
Phœbei currus radios, lucemque coruscam,
Qui pastis cœlo cum Sol altissimus esset
Umbrarum de more lecos, & fluminis undas
Ille petit, tacituſque sedens non carmina, ut ante
Nec si tentasset calamos habuisset, amica.
Sed loca conspiciens, qui formolissima Arocha
Pectora non solitis flammis combusserat, inde
Tristia ducebat toto suspiria corde,
Transiit hac secum dicebat Nympha, fugaces
Cervi hac, pulchra meos humeros, & corda puella
Pressit, felices herbas, felicia sura,
Dulcibus, & pressæ pedibus quæcunque fuistis.
Cur non me genuere feram cælestia: cur non
Numina me cervum sinxerunt, o mihi si nunc
Acteon liceat nudam mihi cernere Phœben,
Non equidem fugerem dulces mihi Nympha sagittas,
Nec sinerem cursu plantas tibi lædier istas.
Nympha taces cur sæva? pias spernisque querelas?
An tibi deformis videor, quod pellibus istis
Induor hirsutis? nescis puto Nympha relictis
Vestibus his, quantum formolum sit mihi corpus.
Præsertim cum proluerim me vertice ab imo.
Non sum pauper ego, nec pastor vilis in antris.
Implent mille meæ fiscellas lacte capellæ,
Et cum Phœbus habet cœlum, & cum condi-tur undis,
Sed quæstus nostros nec sentis sæva querelas:
Nam scio tam durum mulsisset murmura pectus.
Quam bene ego calamo cando modulamina dulci,
Non sic Threycia fertur Testudine ripa
Bistonium vatem, quondam mulsisse dolorem.
Cur non venisti cum dulcia carmina in umbris
Cantabam, placidam calamis auramque vocabam.
Fecisses ibi credo moram, quamvis mihi raucus
Esset tum calamus, quin te piguisset onore
Me tanto ornatum tantos retinere labores.
Gaudia quanta simul caperemus mutua in umbris
Dedignareris ni nostræ carmina musæ.
Hic sunt pampineæ vites, quæ semper onustæ
Purpureis uvis, oblectant lumina, dulcis
Est mihi nam recolo super ingens Arbutus antro,
Est etiam Myrtus, sunt poma gravantia ramos.
Quid tantum cursus invat indulgere labori,
Quid ve feris sylvæ monstris contendere Nympham
Herbarum dignam lucorum, & mollibus undis.
Te Cynaræ natus moneat, ne Nympha Leoni
Ne occurras flavo, sunt hic sub monte Leones,
Sunt Ursi, Pardique leves, sunt Tigridis iræ,
Atque alia ignorant, quid sit formosa puella.
Talia dum pastor studio iactabat inani,
Maiores terris iam Phebus fecerat umbras.
Desieratque calor ventorum flamine, ut ante
Raucis, & latè resonabat arva Cicadis,
Vespere pastor oves ducens ad ovilia, passim
Pascere paulatim flores, herbasque ei linebat.
Dunque animum fixum in Nympham tenet, ecce ferarum
Cæde domum rediens lassa illi occurrit Arocha,
Quæ ignorans ignem, ac cordi iniecisse furores
Pastoris (neque enim vidit tum voce canentem
Sic erat ingeminos Cervos intenta sequendo)
Absque timore domum repetebat, læta quod illi
Nympharum custos tantum dictinna favorem
Misisset, faciliſque fatis pia cura fuisset,
Quam simul, ac vidit, spes o fidissima, nostros
Num miserata venis quæstus, tristeſque dolores,
Inquit, & amplexu tentat circumdare collum,
Illa fugit casu subito perterrita tanto,
Ac velut in pratis latitantem presserit anguem
Ingentem emisit vocem, Nymphaſque vocavit,
Insequitur pastor, dictis ac mulcet amicis.
Quam fugis, hostis erat San, deformisq; puella
Atque ideo sirinx illum fugiebat, ubique.
Non impune tulit tamen, hoc modo Nympha memento,
Damnavitque pedes tandem Peneia virgo.
Sæva mane, atque oculis tantum mea vulnera mulce,
En mulce flammas, miseri en miserere precatis
Finge feram, atq; in me duras immitte sagittas,
Nanq; mori pretat, dulces mihi crede agitæ.
Multaque tentabat mulcens his addere verba,
Nec lacrymæ deerant, toto & suspiria corde.

Quid non fœvus amor cogit mortalia, duras
Effollit mentes, hyrcanasque improbus iras.
Sed postquã vidit nil verba precantia tandem
Proficere, impatiens totis mage viribus illam
Insequitur, fugit illa metu perterrita summo:
Ah miseram tenues, sed vires fecerat illi
Nempe timor, cursu quamvis pervertere cervos
Venatrix, celeresq; feras Nympha ante solebat.
Dũ tamen ah licuit per opértos arbore montes
Currere sustinuit, sed corpus denique fessæ
Petrarus, tenuitq; fugam, rapuitque pudorem.
Quid faceret, iuveni haud poterat contendere duro,
Io testis erat, sylvæque Erimantidos Ursa.
Unguibus, & quãvis lacerasset lãguida vultum
Pastoris, vires, atque effudisset in illum:
Quámvis invitæ culpæ ignovisset amica
Perfacilè Diana, chorus simul ipse sororum,
Attamen erepta sibi virginitate dolore
Afficitur tanto, ut sylvasq;, chorumq; perosa
Ah non mora alta petit, vix ullis pervia Nymphis,
Perq; novem luces expers, undæq;, cibiq;
Se lacrymis adeo miseram, cordisq; furore
Angit; sollicitis curis alimenta ministrans,
Quod rigor obsessos paulatim detinet artus,
Ceruleæq; cadunt toto de corpore guttæ.
Ac velut alta solet nix cano in monte, valorem
Cum iam ferre nequit radiis, Soliq; propingua
Liquitur inq; undas mutatur dulcis Arocha,
Quæ sectatur adhuc resonanti murmure priscos
Luctus, atq; odium Petraro, quæ quoq; monstrat
Vastantes agros valida vi fluminis amplos
Illius, & canibus, multisq; armenta trahentes.
Et nunc inde tenet vires, arteq; medendi
Priscas, & feryat priscum nunc flumen onorem
Putrida divine crurum, nanq; ulcera sanat,
Et stomachũ oppressũ modo, vel peste resolvit.
Pressa gravi scabie, atque etiam nunc corpora purgat,
Non impune tu it tandem scelus inde Petrarus.
Dilectam penitus castæ castæ extinsisse Dianæ
Nympharum sociam, sylvæ oblectamen opacæ,
Abluerat ter Phæbus equos, & merserat undis,
Terq; polos aurora vagos ornaverat alma,
Cũ Nymphæ sensere bonã procul esse sororem.
Quæ nemora illarum non accepere querelas?
Quo quæsita loco non dulcis Arocha fuisti?
Te gelidæ rupes, & te flevere virentes
Sylvæ, nec lacrymis udæ tenuere Napeæ,
Per te tunc luctus Nymphæ sensere quid esset
Ipsa tui ah quoties deterlit fluminis unda
Illarum lacrymas, & forsitan unda referre
Omnia tentaret, si qua loqueretur haberet,
In caput actoris sed reddit sæpe maligni
Omne malum, pœnasq; luit qui fecerit illud.
Forte greges teneras pascebant flumine ripas,
Et salici subnixus erat Petrarus amænæ,
Quærentes Nympham forte accessere sorores.
Hinc procul hinc Nymphæ discedite dixit, amoris
Ne ve meis flammas accendite quæso medullis,
Undarum vultis numerum ni augere, lacusq;
Ut nuper quædam passa est, & dixit Arocham,
Omniaq; ignarus Nymphis patefecit aperte.
Non opus est lechrymis secum dixere puellæ.
Sed potius manes amyssæ sanguine iniqui
Pastoris Nymphæ cur non placamus inanes?
Post modo ne violet nostras, vitietq; sorores
Improbus, & nostro crescat mærore Petrarus.
Nõne nurus Circonum sunt ultæ: dulcia quondã
Orphea percussis sociantem carmina nervis?
Commoda mox illæ expectãtes tempora, tãdem
Pastorem saxis interfecere canentem,
Mulcentemq; suis calamis armenta, gregesque.
Quod locus ostendit lapidosus, qui modo ab illo
Petrari æternum servat per sæcula nomen:
Quo jacet Cœlo dulcis mea patria nosti:
Cur teneat Cropani nomẽ nunc accipe quæso,
Et solito aspira nobis Urũne favore.
Fastidi quæso ne rustica carmina, forsan
Tempus erit, quo te quamvis sint rustica, Cœlo
Attollent, laudesque tuas gravioribus annis
Immittent terris longa ratione repostis,
Quas pater Oceanus diffundens brachia circum
Numina cælicolum venientia suscipit amplè.
Suscitat ingenium probitas, laudataq; virtus
Quis fulget, cœlo splendens, ut Phœbus Apollo.
Est satis ad dandas Romana in carmina vires,
Atq; vicem præstat Parnassi montis, & undæ
Alma tui comitas animi, & prudentia maior,
Urbs fuit in Calabris tot iam labentibus annis
(Nam modo sunt urbis nobis vestigia, tantum
Tantum ævi longingua valet mutare vetustas)
Illi nomẽ erat tum barbarus, hæc mihi quondã
Maiores puero tenero narrare solebant.
Inter vicinas hæc urbs clarissima, multis
Divitiis pollens, crudeli peste subacta est:
Noluerit quondã quoe reddere liba, quot annis
Quæ Phœbo debebat, erant pia templa relicta.
Nullaque Phœbeis gens aris thura cremabat
Suscepto bello delusa a carmine vatis,
Qui fore victores cives sine cæde canebat.
Oenea non adeo pressit latoia virgo
Ultorem cum misit aprum sic spreta per agros,
Ut miseros cives affl xit Delius ultor.
Non ita sævierat gratiis fera numinis ira,
Aegina haud similem vidit miser Æacus olim.
Dodonæa viros cum effudit quærcus ab alvo.
Bisquinos menses bacchata est pestis acerba:
Vix parcens saxis deprehensa potentia morbi,
Putria poma cadunt veluti vento arbore mota,
Ilice, vel glandes agitatæ, corpora passim
Sic hominũ, pecudumq; viis heu strata iacebãt,
Deseruere locum cives, urbemque, domosque,
Qui tanto potuere quidem superesse periclo,
Et loca diversis petierunt passibus omnes,
Quos inter Cropanus quidam fuit (hoc erat illi
Nomen) longævus, sed servantissimus æqui.
Dives erat, multosq; greges, armentaq; habebat,
Tempore quo cives florebant undique tuti
Expulsus patria chara cum coniuge sola,
Amissis natis, amissis omnibus, oras
Externas, aliosq; locos tentare parabat.
Viribus effetus iongas, sed quærere terras
Non potuit, vireseque suæ sua vota premebant.
Ad decimum lapidẽ tandẽ se sistere visum est.
Temperiem summam miratus, ruraq; amæna
Nolpit ulterius procedere fata ferebant
Sic forsan posuit terris his numine sedem
Quis mea fundatur felici patria cœlo,
Atque ibi bobus agros incæpit scindere, parvas
Construxitq; casas primum, mox tempore lõgo
Auctis iam rebus genuit tres denique natos,
Cura domus quibus omnis erat, nanq; ipse modestis
Exutus curis, gelidas se ad fluminis oras
Semper oves pascens cantu oblectabat amæno.
Sæpe illum nymphæ mira dolcedine captæ,
Nudantes teneras abiata veste papillas
Saltantes agiles circumduxere choreas.

A Cropano patriæ homen deducitur ergo,
Nam coluit terram, primus; subegit aratro.
Aſt alii ignorant qui ſumma exordia rerum.
A græcæ dicunt deducier omine linguæ.
Romanis vertex a græcis dicitur acron,
Attica lingua polin dicit quod dicimus urbem.
Sed magis agropoli nomen conferret ad altæ.
Nonnulli potius contendunt ubere glebæ
Impoſitum nomen, fœcundo & ſemine, græca
Nanq; cropon vocitat quod dicit noſtra latina
Lingua ſimpm, eſſe ferax tellus nam conſtat abunde.
Nempe ſimo ſit terra ferax, quis neſciat illa
Carmina divini reſonantia tale Maronis?
Hoc melius quamvis prima eſt ſententia docta
Patria colliculo ſummo ſita noſtra videtur.
Omnibus obſequerer ni ætiquæ exordia rerum
Cognita Pieriæ extarent modulamine muſæ,
Nympharũq; tenent, quæ flumẽ dulcis Arochæ.
Hic modo naſcẽtur (iuvat õnia dicere noſtrã
Plenius, ut noſcas patriam, gratamq; iuventam)
Qui facile ſophiæ cultus attingere poſſent,
Et doctrinarum quidquid ſit mente relictum
Sed dulcis patriæ mira dulcedine capti:
Munera poſt Veneris, cõpertos atq; hymeneos
Torpent, inde vacant dumtaxat pace creandis
Natis, atque aryis curandis uſque paternis:
Ut Venuſinus ait ſelicem rure decere.
Sed tamen impulſu naturæ dulcia tentant
Arcadicſſ in morẽ blandæ moderamina linguæ,
Chordarumq; modos, nulloq; docẽte moventur.
Muſica præ cunctis vires exercet in illis.
Illuſtres cantu quamplures ſunt ibi, quorum
Iulius eſt animo noſtro gratiſſimus uſque
Cappellinus, erat Phocæo talis Oreſtes.
Ah quoties tecum memini conſumere ſoles
Cappelline, ſimul tecum decerpere noctes
Totas, & circum variæ oblectamina vitæ.
Ignoro certe quod me tibi temperat aſtrum.
Eſt etiam cantu Vincentius optimus, arti
Si vocem ſimilem naturæ munus haberet.
Nec Pagane tuas laudes, dulcemque tacebo
Ipſe manum, ſuperas qua tu teſtudine ſacrum
Threjicium, Thebiſq; dedit, qui mœnia nervis,
Sunt qui iucunda ſe oblectent uſque librorum
Cultura, dulceſque legant permeſſidos umbris
Fructus, quos priſci quondam peperere poetæ.
Inter quos omnes præſtans Antonius extat

A Cuius cognomen ſequitur Conſentia avitum.
Eſt Cappellinus Thomas, doctuſq;, probuſque,
Ingenium cuius poterat renovare cathedras
Res ãgusta domus preſſiſſes ni invidia tantum.
Thuſcia, qui graio patriam illuſtravit onore,
Scipio dicendi præſtans Cornelius arte.
Non abſunt medici, ſacro vel iure periti.
Qui modo muneribus præclaris urbe Quirini
Fungeris, & ſperas maioris ponderis uſque
Præmia, ſi meritis ſors aſpiraverit unquam,
Legibus hanc ornas Antoni, vallis amœna
B Muſarũ es, vallem tua nomina iure ſequuntur.
Carmine nec noſtro tu tunc indictus abibis
Paule Polite, ſacra leges cui dona tulerunt:
Non ætate gravis truncus bonus arte medendi,
Legibus & qui ſpẽde ſe exercit ipſe, Maraſcus.
Bernardine tamen ſophia venerande decora,
Religionis honos, dulcis, patriæq;, domuſq;
Aonidum donis hanc tu ſic omnibus ornas
Lumina, ut illuſtrat cæleſtia Phœbus Apollo.
Multorum tu ſolus eris vice, quodque manebat
Multos, ecce decus tu ut ſolus docte tuliſti.
C Sic ſolus mundum pro cunctis detinet Athlas,
Alcides quamvis tantiſper forte levarit.
Sunt alii multi clara virtute notandi.
Non foret o utinam tot vectigalibus, illa
Infelix exhauſta ſuis heu civibus, heu heu
Italiæ, ut cunctas urbes ſuperaſſet onore
Telluris, cæliquę ſitu, bonitate, virumque.
Illa ducis ſperat teneris creſcentibus annis
Inſtaurare ſuas vires, priſcumque decorem.
Di faxint tandem patrio decoratus onore,
Ut miſeros dux alme tuos componere terra
D Tuta iam poſſis, quod erit tibi numina longos
Dent modo felices annos, ut cætera, quando
Eximiũ ipſe refers iam parva ætate parentem.
Hactenus Aonio poteris cognoſcere cantu,
Et nomen, tractumque meæ telluris alumnæ.
Plura tibi mea muſa loquax exponere poſſet:
Doctus Ariſtoteles naturæ conſcius omnis,
Doctorumq; chorus ni inſtaret, meq; vocaret
Intermiſſa diu ne iucunda arva relinquam.
Hæc ſatis ergo tibi nũc ſint munuſcula, noſtræ
Muſæ, atque ingentis monumenta, & pignora amoris
E O doctis Urſine decus, lumenque tuorum.
Forſitan hinc alio mihi ſident modo fata ſororũ
Tu dicendus eris verſu, & graviore camœna.

FINIS GRATIA MAGNA DEO.

DE

DE ANTIQUITATE ET VARIA TARENTINORUM FORTUNA.

LIBRI OCTO.

IOANNE IUVENE EORUM CIVE AUCTORE.

LIBER PRIMUS.

Præfatio ad Cives.



RBIS noſtræ hiſtoria, quam ut ederem, ſæpenumero poſtulaſtis, quotidianoque convicio efflagitaſtis, futurane ſit literatis hominibus grata, non ſat ſcio. Atque ut tam diu de ea edenda ambigerem rationes multis quidem partibus plures, & illæ (ni fallor) haud leves confluebant, quæ omnes ut meum apud me magis valeret conſilium, utque ab incœpto tunc deſiſterem, quando ſine famæ diſcrimine & poſſem & liceret, me commonebant. Res inprimis Tarentina adeo ob vetuſtatem Cimmeriis (ut aiunt) tenebris obſcuratur, totque ſæculorum curſibus ab ætate noſtra removetur, ut à primordio eam parvo aliquo volumine comprehendere nullo modo valeremquin (ut cenſeo) ſcriptor ille inter Latinos quidem tam graviſſimus, quàm eloquentiſſimus (quicquid de Patavinitate dicant) qui populi totius quondam orbis terrarum principis, ideſt Romanorum res geſtas miro artificio, luculento ſermone, lacteaque ſua illa eloquentia à Trojanorum clade ad Auguſtum uſque Cæſarem eſt proſecutus; id tentare non auſus eſſet. Et cur noſtro hoc in argumento minus quam in ſuo trepidaſſet celebris illuſtriſque nominis Livius, ſi prima Tarentinorum origo Romanorum incunabulis vetuſtior abſque ulla dubitatione cognoſcitur? Apud eos, qui veterum monumenta literis prodiderunt, erit qui nullo negotio invenire queat, quo mundi naturæque totius anno, qua Olympiade, qua die, quaque hora iacta fuerint Urbis Romæ fundamenta: at noſtra mœnia, quis unquam certò legiſſe contendet, cum primò erecta fuerint? Natalis dies illius Parilia eſt appellatus, hoc eſt ut (multi interpretantur) ante diem XI. Kal. Maias: at huius noſtræ qui primus annotetur, neque audiſſe, neque legiſſe adhuc memini. Si annum ab Orbe condito in illa quæres, quater milleſimum quadrigenteſimum, ac quadrageſimum notavit Euſebius. Si Olympiadem, ſextam refert, annumque eius tertium ex Solis deliquio admirabili nec aliàs viſo Lucius Taruntius Firmanus Mathematicorum præſtantiſſimus. Si denique diei ipſius horam, ſecundam, & ante tertiam, Jove in Piſcibus, Saturno, Venere, Marte, in Scorpione, Sole in Tauro, Lunaque in Libra conſtitutis, idem Taruntius dum Varroni, & Cæſari ſtudet obſequi ex iis quæ Romulo paſſim acciderunt, obſervavit. Nihil horum, quæ de Roma dicta ſunt (quantum ipſe ſentio) poterit de Tarento proferri, non modo aliqua Scriptorum fide, ſed ne levi quidem coniectura ab iis, qui magno conatu rimantur, quæ ſunt ob antiquitatem abditiſſima. Obverſabatur etiam oculis propè, non modò animo, quod ſemel atque iterum legeram apud Platonem divinum illum (ut dicunt) philoſophum. Is dum ſcribentibus conſue-

ſuleret, ſive ab onere eos potius averteret grauiſſimo, dicere, erat ſolitus, ſi rem amicis pergratam ſe non facturos animadverterent, ſi nulla adhiberetur menti qua perſpicacior fieret, exercitatio ſi demum oblivioni ſenectute genitæ nullum afferretur remedium, caverent ne incaſſum laborarent. Et quid horum, quæ dicta ſunt, ad ſcribendum movere me potuit? Amici de me potius ipſi optimè ſunt meriti, quippe qui, antequam hæc colligerem, viderant quæ ſcribi poſſent, neque fuiſſem ad calamum ſuſcipiendum ingreſſus, niſi illorum conſilio operuque fretus. Ingenii autem exercitatio in hoc ſtudio perexigua videbatur: quantulus enim quiſque, vel parum eruditus ad hunc ſcribendi ſtylum non veniſſet? Cumque opus ipſum multis ante ſæculis penè mortuum jacuiſſet, is non eram, qui tanquam Æſculapius ad vitam revocarem, de quo jam fuerat conclamatum. Recuſabam præterea huiuſmodi laborem, quem inchoatum jam ut minime deponerem, contendebatis, quòd inſtituendis in ſeminario veſtris adoleſcentibus occupato ad rem tantam noſtris maioribus neglectam, vel potius ignoratum, vacuum & liberum tempus non concedebatur. Nec vos præterit eam eſſe hiſtoriæ naturam, ut nullo pacto confici poſſit, niſi ab eo, cui nulla occupata opera, neque impeditus animus, ſed præparatum, at reconditam otium redundaret. Movit tandem me, & prope invitum impulit, ut voluntati, & dignitati veſtræ, cives, ſubciſivis ſaltem horis paucorum lectione Scriptorum, qui haberi in hoc extremo Italiæ angulo potuerunt, morem gererem, non me ipſum in re tam ſeria audirem, ingens patriæ amor, quæ cum unicuique iuxta proverbium ſit jucundiſſima, eadem carior eſſe debeat, quam filii, quam parentes, quam amici, quam quiſque ſibi. Ea enim ſola parentum eſt parens, ea filiorum, ea amicorum, ea omnium quæ poſſidentur, larga donatrix. Profectò, ſi ut natura ipſa docet, multorumque exempla confirmant, ſanguinem quis non effuderit, & mortem, quam Latinus Homerus pulchram appellat, ubicunque opus fuerit, pro illa non oppetierit, ac inſtar ænei muri hoſtibus ſe obiiciens, ſponte non ſubierit, ingrati & penè dixerim, impii non a non carebit: quanto magis qui laborem, ut eam ornaret, non ſuſtinuerit? Præclarè ſcriptum à Platone ad noſtrum Archytam quis veſtrum non legit, quis à ſuis præceptoribus non audivit? Non nobis ſolum nati ſumus, ortuſque noſtri partem patria ubi vendicat, partem amici. Quid turpius, quid indignius eſſe poteſt, quàm in omnibus ſinere ut à belluis vincamur? ſint aliæ perniciſſimæ, ſint fortiſſimæ aliæ: vivant multæ vel tertiam hominum ætatem, quam Neſtora Pylium vixiſſe fabulantur Græci: ſint contentæ cibis nullo cogente creatis: non laborent pro veſtimentis: ad protinus initio vitæ ſint illæ liberæ: naturæ ſint hæc munera, quæ homini in his omnibus eſt novercata, non induſtriæ, ubi ſuperemur. Avibus chariſſimi ſunt proprii niduli: erratilibus feris cubilia illa dumoſa gratiſſima: piſcibus iucundiſſimæ ſuæ cavernæ: & ſolus homo poterit non amare, poterit odio aliquo in patriam invehi? cuius fumum alieno (ut aiunt) igne luculentiorem Ithacus Heros proſpicere exoptavit, adamavitque Theſeus, Græcorum fortiſſimus, non Ariadnem, quam neque vidit, neque cognovit. Sed vereor cives ne dum me patriæ charitati devinctum convitor oſtendere, & ingrati civis notam exhorreſcere, nimis vehementi deſiderio ornandæ illius detentus ab aliis redarguar. Et quod Epho-ro Cumano oratoris Iſocratis in dicendi facultate auditori accidiſſe dicitur, illud ipſum mihi vel multo inhoneſtius accidat. Carpitur enim Ephorus, quod cum res a patria geſtas non haberet, ut eas cum aliis in ſua hiſtoria dinumeraret, neque imperare ſibi poſſet, at eam relinqueret inditam, erupit in hanc vocem: Ea tempeſtate Cumani quietem agebant. Dicam Græcè ut iucundior hiſtoria videatur: κατὰ δὲ τὸν αὐτὸν καιρὸν κυμαῖοι τὰς ψυχὰς ἦγον. *Hoc unum, quod Ephorus dixit ab acutulis ingeniis animadverſum, ipſis movit riſum, nam dum aliquam obſcuro tunc oppido dignitatem verbis illis afferre ſperavit, magis illius ignobilitatem patefecit. Sic ipſe non modo riſum, fortaſſe invidis & obtrectatoribus, ſed & cachinnos commovebo, quod tam multa collegerim, quæ longum de rebus maiorum noſtrorum ſtruerent volumen. At me reficit magnopere, & recreat hoc, quod noſtræ Urbi nullus unquam audebit ignobilitatem obiicere, cum nobiliſſima invitis omnibus ſemper fuerit. Præcipuè cum non multis gradibus inferior Roma ipſa aliquando credita ſit. Et ne vanum, ac menducem me judi-*

cent.

cent qui critici vocantur, vel Momi, quorum hoc semper fuit ingenium, hiemos, ut nihil ipsi vel loquerentur saltem, & aliorum opera oculatis, ut cum Plauto dicam, manibus tractarent, & nimis curiose contemplarentur, in medium aliqua proferam, ut intelligatur id ita esse, ut dixi. Sicut igitur Romæ, sic Tarenti primus ortus, cum fabulosus, tum augustus. Diis uterque adscribitur, vel ob vetustatem, quod verissimum iudico, vel ob maiorem Urbium auctoritatem. Fuit hic veterem scriptorum usus, ut cum vera non occurrerent & certa, ad fabulas perfugium tanquam ad sacrum, ut aiunt, anchoram, haberent. Apud Herodotum historiæ principem, ac parentem, apud Theopompum Gnidium Thucididis discipulum, quod dixi, invenies. Romulus ergo Romam condidit, Taras Tarentum. Ille satus Marte, hic Neptuno. Bellorum Deus alter habitus, navigationis alter: quia & populus Romanus bello potentissimus erat futurus, re nautica & maritima Tarentinus: licet hic & aliquando armis operam dederit, & ille quàm terra, tàm mari clarissimus. Europæ sinu tertiæ sed pulcherrimæ, & illustrissimæ partis orbis, & Roma, & Tarentum ædificatæ, atque in Italia: illa tamen in Latio, hæc extra Latium, & in Japygia, ac Messapia. Uterq; populus reliquis terræ partibus omnibus, quæ tunc innotescerent domi, ac militiæ cognitus. Tremuit quondam Romano milite Africa, tremuit Asia: formidabilem & Tarentinum utraque experta est hostem. Cultissimæ apud Romanos non ubi primùm iacta sunt fundamenta, sed post domitas bello armisque provincias fuere quantulocunque illæ tunc comprehendebantur numero artes, quas ingenuas, ac liberales vocant. Sed nec minore studio cultæ apud maiores nostros: id quod nomen magnæ Græciæ non obscurè indicare traduut: quo in loco Pythagorica imprimis disciplina per multa quidem viguit secula: nam in illa clarissimi viri floruere, quorum haud scio an principem locum non tenuerit Archytas ipse enim inter condiscipulos Alcmæona, & Philolaum Crotoniatas, Hippasum Metapontinum ortum, Epicharmum Coum, Empedolem Agrigentinum, & alios quamplurimos, qui Pythagorei dicebantur, iis ferè diebus quando L. Brutus Tarquiniis expulsis patriam tyrannide liberavit, tanquam Lucifer inter stellas emicari visus est. Duces Romani exercitus atque imperatores nonnisi longa serie grandique catalogo ab iis qui chronologi in scribunt disponuntur: & Tarentinæ militiæ non succurrerent pauci, ex quibus primas, ut in mathematicis Pythagoreisque studiis Archytas longè est promeritus, cum Nicomacho cui à frequentiore quam in pugna assequebatur victoriæ nomen inditum videtur: & cum Dinone, cuius virtutem reique bellicæ peritiam ornatissimè describit Plutarchus Cheronæus. Nec exprobrent mihi invidi quod peregrinis, & advenis aliquando tum Regibus, tum Imperatoribus obtemperasse Tarentinos legatur. Et Aristophilidi Crotoniatæ, Alexandro Molosso, Agathocli Syracusano, & Pyrrho Epirotarum Regi in militia ab ipsis electo duci paruisse: nam & qui Romulo successere non omnes intra urbis pomœria orti, sed nec omnes è Latio oriundi. Curibus Numa Pompilius accersitus: Ancus Marcius L. Tarquinius peregrini, Numæ ex filia nepos ille, hic Damarati Græci filius, qui in Hetruriam primò è Corintho cum Cypselli dominationem pati nequiret, Romam non advenit: omitto reliquos, qui si Reges fuere, ipsi tamen non omnes ex Regibus orti. Obiicient aliqui Junios, Valerios, Lucretios, Mutios, Menenios, Largos, Martios, Quintios, Fabios, & cæteros his æquales; obiicient Camillos, Scipiones, Pompeios, Cæsares: quorum Heroum infinitus penè est numerus: obiiceremus & nos cives nostros quamplurimos si rerum nostrarum antiquissimarum cura priscis non fuisset scriptoribus gravis & ingrata: vel si fors nimium iniqua non fuisset, neque præclaris, ac magnificis nostrorum principum rebus invidisset, ut meritò, quantum Alexander Philippi ob Homerum, Achilli invidiæ contraxerit, tantum & Tarentini possent aliis populis, quibus fortuna nunquam non improba magnificos tribuisset viros, qui parva admodum facta usque ad sydera elevarent. Sed qualem mihi effingo Spartam? Assyrios, Medos, Persas, Lacedæmonas, Macedonas, Athenienses, bellicosissimos olim populos, & potentissimos nolunt Græci, nolunt Latini Historici Romanis conferre, & ipse Tarentinis, vel pares ausim scribere? Romanorum civitas adeo se extendit imperio, ut universo terrarum orbi fuerit dominata: nec modo mari præfuit nostro

stro, intra Herculis, quodcunq; est, columnas, sed in Oceano divisisque toto orbe Britannis: ac tempus quo regni clavum tenuit, non breve sed diuturnius quam cuiusvis Reip. ex prædictis populis. Res quidem ita se habet, nec quemquam fore arbitror qui mecum non affirmaverit. At quis item non profitebitur omnia, vel multa scriptoribus licere dum præcipuè patriam exornent? Tarentini patres nostri iam inde ab urbe per Phalanthum aucta usque ad Pyrrhi adventum sua ditione potiti, tamen, & si non tanta, in gloria vixere. Nam & pluribus populis, quos à Livio, Polybio, Diodoro, Dionysio, licebit agnoscere, imperarunt, adeout nomen eorum ipsis etiam Romanis aliquando formidolosum extiterit. Nam qui me continere potero, ut ea his tam multis non interseram invisceamq; quæ religiosissimum iam inde ab initio gentilium errore, deinde in Christiana orthodoxa salutariq; fide constantissimum indicant Romanum, & Tarentinum? Non tamen non lubentissime promptoque (ut debeo) animo profiteor, & quoad spiritus hos reget artus profitebor, nec sinat unquam Deus optimus, & clementissimus, ut aliter aliquando profiteri demens audeam, Romanam scilicet Ecclesiam eam esse, & eam fore usque ad novissimum orbis diem, qualis & a primo erectionis lapide fuit, quæ cæterarum omnium, quotquot in Christiana republica sunt, domina sit, parens, atque magistra: sola felicitatis culmen adepta, quod ipsi soli universam doctrinam, Ecclesiasticamq; disciplinam Apostoli cum suo sanguine profuderunt: ubi Petrus Passioni dominicæ adæquatur: ubi Paulus Ioannis præcursoris exitu coronatur: ubi tandem hodie Sixtus V. summa animi virtute religiosissimè, ac pientissime præsidet. Ab hac nunquam desciscere visa est Tarentina Ecclesia, nunquamve desciscet: hanc tenuit ac tenet radicem: hanc agnovit semper, agnoscitque genitricem. Sed ut ab Ethnica superstitione idita se habere paucis demonstrem, prout communis omnium ferè gentium, quibus (ut in Iudæa) Deus verus, qualis quantusque esset, trinus & unus non cognoscebatur, in idolorum cultu status erat deterrimus; non enim tantum Delphi Apollinem venerabantur suum, Naxos Liberum, Lemnos Vulcanum, Paphos Venerem, Samos Iunonem, Athenæ Minervam, Romani Quirinum, quantum Tarentini Neptunum, quem huius urbis custodem Poeta Venusinus appellavit. Hic etiam suum habebat cultum Apollo Hyacinthius, hic Iuppiter Apollinis pater, in cuius templo ad hanc ferè sententiam iussu Pyrrhi Epirotarum Regis incisa fuit victoriæ memoria, quam de Romanis non sine tamen magna Tarentini exercitus iactura acquisierat: Qui antehac invicti fuere viri, pater optime Olympi, hos ego in pugna vici victusque sum ab eisdem. Hic colebatur Hercules, cuius statua, Lysippi opus, a Fabio Max. Romam asportata in Capitolio juxta æneam ipsius victoris equestrem statuam fuit locata, hic Satyrorum, hic Nympharum ædes magna veneratione custodiebantur: ut omittam Deos cæteros, quos Tarentinis iratos relinqui Fabius idem respondit scribæ interroganti, quid de illorum signis fieri iuberet. In Christiana autem salutari ac cœlesti religione, quis unquam negare auderet, æquævam esse Romanæ Ecclesiæ Tarentinam? siquidem testatum est apud nos patrum memoria, Apostolorum principem secundo Cæsaris Claudii anno, Hieronymo in Scriptorum ecclesiasticorum catalogo ita scribente, cum ad expugnandum Simonem magum Marco, qui eius erat discipulus, comite Romam commearet, naufragio navis, qua vectabatur ad Tarentinos Hydrunto divertisse, quos cum idolis, & Soli maximè, quem ante aquæ haustum adorabant, obnoxios tam perdite conspiceret, ad fidem IESU CHRISTI tum prædicatione, tum signis convertit: Amasianumque illis præfecit Episcopum, quem Marcus Evangelista adeo incurvum, ut cœlum suspicere nulla ratione posset, illis psalmographi verbis: Dominus erigit elisos, summa omnium qui intererant admiratione, ad pomerii ianuam sedentem erexit. Et quoniam Apostolorum princeps principi omnium quæ habitabantur urbium debebatur: ubi & Petri ipsius navicula erat conservanda, Amasiano, quem pastorem eis dederat, haud multo post ad beatiorem vitam fortunatissimè accersito, reversos ad idolorum cultus, ut canis redit ad vomitum, Tarentinos centesimo & sexagesimo anno post domini ad patrem ascensum, Aniceto Syro tunc Pontifice maximo beatus CATALDUS ab Hibernia usque exteri maris insula oriundus ad pristinam revocavit fidem, iussus a Deo ipso ut id faceret,

ret, posthabito eremiticæ vitæ in Hierosolimitanis partibus proposito, quem divum glorioſiſsimum & miraculis in tota Italia, nedum Iapygia clariſsimum si antea, nunc vero majore quadam ſanctione patronum & tutelarem habemus auctoritate Gregorii XIII. Pontificis maximi, quem, ut officium tanti paſtoris pervigilis ederetur, oraculo Gulielmus Sirletus Cardinalis ſibi facto, licentiam conceſsiſſe, ac dediſſe teſtatur, ab eo tempore vixere deinceps, & vivunt Tarentini ſub ampliſsimis pariter & Chriſtianiſsimis præſulibus, quorum omnium vel plurimorum ſuo loco non mediocris videbitur ſeries LÆLII Brancatii, qui hodie nobis in pontificatu ſanctiſsimè præeſt induſtria & ſudore edita, atque in hiſtoria repoſita. Mœnia, arces, lapidibus ſtratæ viæ, ſuburbia, inſulæ, ſublicii pontes, tecta, cives in ſuas diſpartiti claſſes, magiſtratuum honorifici gradus, leges, inſtituta, mores, ludi, certamina, non minus Tarenti, quam Romæ viſebantur. Quid dicam de nobiliſſimo Theatro, de fluviis Galeſo, & Tara celeberrimis? Quid de claſſe maritima, de portu, quem Chriſtianarum navium veluti perfugium ante inſignem in Echinadibus victoriam Ioannes Auſtriacus Philippi invictiſſimi frater deſignarat? Quid de fontibus, lacubus, paludibus, aquæductibus, neſcio an alibi tam magnifice viſis? Quid denique de cloacis ac diverſoriis? Hæc quidem omnia vel pari, vel non longe diſſimili, inferiorive apparatu, cultu, induſtria, apud utroſque. Sed nec tot utrobique portæ; verum & Tamenetidæ tam celebris, quam uliæ quævis apud exteros; ea continentem intuebatur. & in illa urbis plaga, quæ ampliorem aream complectebatur, cuius meminiſſe Livium nulli obſcurum arbitror. Forum ſi Straboni credimus, ampliſsimum, & in omnium ore ob Iovis coloſſum ære fabrefactum, eximiæ poſt Rhodium magnitudinis, multi noſtris diebus in extructione arcis novæ coniiciebant prope locum, ubi Theatri veſtigia detegebantur, & id ex grandioribus effoſſis lapidibus, continuiſque magna arte & ſumma impenſa extructis parietibus. Aquæductum quis unquam talem viderit? omitto veterem, qui urbem ex orientali continente, & ſuperiore loco ingrediebatur: in eo quem cernimus, quo fruimur, quo vicinis urbibus, totique Iapygiæ invidemur, montes altiſsimi conſpiciuntur perfoſsi, exæquatæ convalles, extructi arcus tanto artificio, per quos modo lapidei, olim ex creta fictiles tubuli, præter ſubterraneos, & canales etiam ſtructiles, cruſtatos, & cæmenticios (ut ſic dicam) ſituantur, locus unde tubulorum initium Trygli dicitur, Criſpianæ abbatiæ ager. Laudabile Senatus conſultum, quo agrorum poſſeſſores prohibentur, ne rivos violarent, proximi ductus, qui a quinto milliario oblongo conſtructi ſunt lapide, majore quadam obſervantur cura, nec tantum quia operis ſunt magni, ſed quia facile effringerentur, & aqua urbem ipſam deſituerent. Scripſit Iulius Frontinus librum de Romanorum aquæductibus, ſcripſiſſet & de noſtro, ſi Tarentum aliquando divertiſſet. Surgit in ſublime aqua ipſa (ut cernitur) non plumbeis laminis, neque fiſtulis denum (ut præcipitur) pedum longis, vel quinum; & eſt tam ſalutaris, ut medici hauſtum illius crudæ ægrotis non abnegent. Sed hæc omnia ſuo tractanda loco, ne præfatio in ipſum excreſcere opus videatur. Artes autem illæ, quæ vulgò μηχανικὰ ἔργα appellantur, & quarum opifex Suetonio mechinarius, non omnes valde notabilis memoriæ apud veteres proditæ ſunt, præter agriculturam, qua Tarentinorum prænomen Cai ἀπὸ τῆς γῆς deductum eſt. & præter piſcandi genera tam varia, lunarumque tincturam, quæ colores mentiuntur, quæque adulterantur præcipuè ex purpura marini Conchilii genere, unde juxta intimi maris litus mons proſpicitur de huiuſmodi putaminibus ad multos paſſus ab aquis ipſis elatus, ſicuti ad urbem Romam proſpicitur Teſtaccus. Sed illud non prætermittendum, quod ad liberales artes pertinet, ſtudia, quæ humanitatis appellantur, ſemper hic (ut hodie Lucio Sancta Fovetano, & Franciſco Caveoto præceptoribus) floruiſſe, qua ratione & M. Aurelius, qui Cæſar fuit poſtea viceſimus quintus, a parentibus Tarentũ miſſus manſuetioribus Muſis operã dedit. Hæc obiter dicta ſint tanquã operis ipſius argumentum ſignificantia, & ut intelligatur verum, quod initio dictum fuerat, in his rebus fore, ut non minus laboraſſet Livius ac in Romanis. Illud ab omnibus etiam atque etiam peto, ſive vos cives mei legetis hæc, ſive exteri, ut hunc meum laborem, quem pro oranda patria ſuſceptum conſpicietis, non

parvi-

parvipendatis: quantus enim, quantus est, lectione non est indignus. Id quod copiosissimus index aperiet, ubi quasi manu omnibus licebit attrectare nihil me in hac historia finxisse: quicquid scriptum est, Græcorum, Latinorumque omnis generis Scriptorum testimonio firmatur. Adres autem historicas non veniam, nisi prius ostendero, non minus in Græca, quam in Latina & Romanos & Tarentinos efflorvisse lingua; ea tamen differentia, ut quantum in Latina præcelluerint Romani, tantum in Græca Tarentini: cum illi in Latio habitaverint: hi vero in magna Græcia. Ab Hesichio igitur, Varino, Svida, Etymologiaste, Budeo, Iulio Polluce, recenti Græco Thesauro, & aliis Lexicon subiunxi brevissimum, quo Tarentinæ tantum (cum de Romanis satis sit credere) Græcæ dictiones comprehenduntur, ut facta de linguæ Græcæ fide, nulla oriri possit de Latina, quæ posterior fuit controversia.

LEXICON GRÆCARUM VOCUM, QUIBUS TARENTINI UT SUIS UTEBANTUR.



ARISTOTELES in Tarentinorum Republ. scriptum reliquit, numum ab illis cudi solere, in quo Delphini dorso insidens Taras Neptuni filius visebatur, ac quod alii Græci νόμισμα, id Tarentini νόμον, Dorica dialecto dicebant. Erat profectò in tota hac regione, quæ magna olim, ut dictum est, Græcia vocabatur, Dorica dialectus, ut maximè liquet ex quodam, quod Archytæ adscribitur, volumine, nuper (ut aiunt) è tenebris eruto, & à Dominico Pizzimettio Hipponiate in Latinitatem converso, ubi de primis rerum generibus, quæ prædicamenta in Dialecticorum scholis appellantur κατηγορίας à Græcis, non minus docte quam Peripateticorum principe disseritur: atque ex Joannis Stobæi Eclogis de rebus Physicis atque Ethicis; qui Archytæ de ente, principiis, ac mente, differentis verba ipsa profert, quæ Gulielmo Cantero interprete ad eius vitam apposuimus. Quin & inter sexcentas linguæ Græcæ dialectos, Tarentinam à Grammaticis inferi non est omnibus ignotum, sicuti ex sequenti constat dictionario.

A.

Ἀβὰς, ὁ εὐήθης, καὶ εὐεξαπάτητος, Bardus, fatuus, deceptu facilis. Itultus. ἄβιος, ἀσύνετος, ἀνόητος, ἀσεσχύντος, ἀνόσιος, imprudens, prophanus, & impius. Est & sacer morbus, sicu ἐπιληψία, qui & Comitialis apud Latinos est caducus, Herculeus, quod Hercules eum morbum passus sit, unde & aliquando ἐπίληπτος, καὶ ἐπιληπτικὸς, ἡρακλῆς dictus est. Notum est autem illud Comitiali morbo interrumpi solere Comitia, quo die aliquis concidisset: atque hominem Comitialem appellasse veteres, qui eo laborabat morbo, præter Platonem, Aristotelem, Apuleium, & Catonem, scribit pauca Quinctus Serenus de hoc morbo:

Est subiti species morbi, cui nomen ab illo
Quod fieri nobis suffragia iusta recusat.

Ἄβιος, ἔξω, affinis dictio cum superiore: exterior vel qui mente est alienatus, impos animi, φρενητικὸς, phreneticus, delirans, amens.

Ἀγετηρία μαῖα μαιευτήρια, obstetrix, ὀμφαλοτόμος, umbilicum præcidens, cuius munere fungebatur olim amita, sive patris, matrisque mater, ut natu grandiores, λοχία, quamvis & λοχεία, purpureum significet.

Ἄδειξις, ὁμολογία, confessio, pactum, conditio, quid si forte per additionem τοῦ ε, ἀδώκησις, apud reliquos Græciæ populos dicebatur? & α in hac dictione idem significat, quod ὁμ, ut in ἄλοχος, quasi ὁμόλοχος; ita possimus ὁμόδειξιν, dictionem interpretari, ut interpretamur ὁμολογίαν.

Ἄικτον, gladiolus, sica, vel sicula συσπαστὸν, ἐγχειρίδιον, μάχαιρα, ξίφος. pugio, cultellus, ea A enim gladiolorum genera sunt, ἄικες, τὸ μὴ ἠκονημένον ξίφος. Suidas non acutus pugio ἠκὴ, acies ferri, α privativa particula.

Ἀϊκατὴς, vel ἀϊδατὴς, Dorica dialecto, cunctator, vel quod διατρίβων, moras trahens, διατριβὴ cunctatio, ἀναβολὴ.

Ἀϊκέλλαν * ἔκλεψαν, excluserunt, furati sunt, circumvenerunt, non sat liquet, locus existimatur corruptus.

Ἀκεμὲς δρυὸν * πλῆρες μέτρου, perfectum metrum, plena mentura. Et hoc quid sit ignoratur.

Ἀλαζονεύεσθαι, ψεύεσθαι, καὶ αἰσχύνεσθαι γενικῶς. Suidas, mentiri, iactanter ostentare vel erubescere, multaque alia, ut Varinus. Quo verbo non modo Tarentini utebantur, sed & Athenienses, qui classici inter Græcos erant. ἀλαζὼν, αἰσχρὸς, turpis, ἀλαζὼν ὄρνις pro ἀλώμενος, ideſt vagus. ἀλαζονεία, ostentatio ἀλαζονεῖα iactantia: quid si ἀπὸ τῆς ζώνης quasi absque cingulo? notum illud de Sylla in Cæsarem, caverent a puero male præcincto. ἀλάζω, lascivio nimia pabuli ubertate. ἀλάζων, arrogans α intensiva particula.

Ἀλαιεὺς, ὁλοσχερῶς, verè, planè, integrè, ἀλαιὴς, ἀληθὴς, verus. ἀλαιῶς item. Contractè uno momento, in puncto temporis ἐν ἀτόμῳ, ἐν στιγμῇ· ἀλαιεία, ἡ ἀλαζόνεια πατρὶς. Suidas.

Ἀλιαία, ἐκκλησία. Ecclesiam quasi maritimam, & in Evangelio navi comparatur ἀλιὰς navicula piscatoria; ἅλις, adverbium confertim, coacervatim, ἀλιάζω congredo, coacervo ἄλα, ας, ἡ. congregatio, cœtus, concilium ἀλεὲς in unum congregati, conferti. ἁλῶαι, θαλάττιαι. Varinus.

Digitized by Google

Ἅμαξις, ἅπαξ Semel. sicut ἅμαξις, Cretenſium: at ἁμάξιον τὸν ἄβακα vocant Lacones, niſi legendum eſſet ἄβακιον.

Ἀμπύρου, πυλῶνα. portam, atrium, veſtibulum πύλην maiorem domus portam.

Ἀμάσας, κρεμάσας, qui ſuſpendit.

Ἀναγετρίς, μᾶζα: Heſychius & Varinus polenta, placenta; hanc autem vocem non videtur admittere Henricus Stephanus in ſuo Theſauro, ut ſequentem dicens, ſed forſan pro ἀναγετρίς, ſcribendum ἀναγέτρια, & μαῖα pro μᾶζα.

Ἀναγέτρια, obſtetrix, Heſychius. ἡ ταῖς τικτούσαις ὑπερεσσα χυνή, ὅτων λεγομένη, ἣν ἀττικοὶ μαῖαν καλοῦσι. eiſdem verbis Varinus.

Ἀσχολῆ, σχολάζει, ociatur, negociis vacat.

Ἄγγελος, ἄγγελος. legatus, nuncius.

Ἀδικολόγος, δίκη ἡ ἐξ ὑπάρχων δικαζομένη, cauſa, quæ a principibus adjudicatur.

Ἄνωμα, τὰ ἁβρυπτόμενα. mollia, delicata, & quæ mollicie friantur.

Ἀντόμενοι, ὑπαντῶντες, occurrentes, obviantes, ἄντομαι occurro: item ſupplico, ut Etymologiaſtes. ἀντομένη, συνισταμένη, καὶ ἀντόμενοι, συμβαλλόντες. Suidæ.

Ἀπαρτίσαι, ἀπαγγεῖλαι, perficere, vel præconio develare. ἀπαρτὶ ἐπιῤῥίμμα, ὡς ἀμφιγνοῆσαι. Suidæ.

Ἀπαγλωνίσαι, ἀποστρέψαι, avertere.

Ἀπόλημος, ἡ τοῦ θανάτου γραφή, mortis deſcriptio, forſan παρὰ τὸ ἀπολέσαι. ἀπολήγει, παύεται. Suid. ἀποληρέω, nugas, nugor, deliro. Mortis autem deſcriptio vel effigies; ut hoc obiter adiiciatur, ita eſt apud Statium:

Stigiis emiſſa tenebris
Mors fruitur cœlo, bellat oremq; volando
Campum operit, nigroſq; viros invitat hiatu,
Nil vulgare legens, ſed quæ digniſſima vita
Funera, præcipuos annis, animiſq; cruento
Angue notat.

Ἀβάλη, τήγανον, ὀστράκινον. Sartago teſtacea, patella fictilis.

Ἐμύγαλα, τὰ ἀετύματα, Condimenta ἐμύματα, eodem modo exponuntur ab Heſychio.

Ἀγγάρης, ἄγγελος, Perſicum eſt juxta Suidam, cujus verba ſunt. ἀγγάρδαι εἰσὶν ἐκ διαδοχῆς γραμματοφόροι, εἰσὶ δὲ αὐτοὶ καὶ ἄγγαροι. τὰ δὲ ὑπόμνατα περσικά. propriè ſervitus conĉta; unde nomen Angariæ, & Perangariæ in libris iuris frequentatum manaſſe videtur ἀγγαρικὸς δρόμος, curſus perniciſſimus equitum, horum diverſoria, in quæ peracto diei penſo divertebant Angara ἄγγαρα vocabantur.

Ἀστυξένοι, οἱ μὴ ἔχοντες ἐν τῇ πόλει τὴν οἰκίαν ἰδίαν: inquilini, qui in urbe proprias non poſſident ædes, quaſi hoſpites urbani, ſeu peregrini in urbe commorantes, iidem ſunt cum ἀστυοξένοις, qui ex majoribus quidem oriundi civibus, peregrini habentur nihilominus, cujus modi in Lydia Agamemnon.

Αὐλητήριον, τόπος παρὰ Ταραντίνοις, Theca tibiarum propriè: ſed locus erat apud Tarentinos ubi degebant tibicines. αὐλέω carmen ad Tibiarum ſonum cano, tibiis ludo. αὐλησις ipſa tibiæ inflandæ actio. αὐλητὴς tibicen: αὐλητρὶς, tibicina. ὑλητρὶς πέπτωκεν, ἀμφιβολία λέξεως δύο καὶ τὰ πλείονα πράγματα σημαίνουσα λεκτικῶς, καὶ κυρίως. δηλοῦται γὰρ δι' αὐτῆς ὅτι καὶ οἰκία τις πέπτωκυῖα καὶ ὅτι ἡ κιθαρῳδὸς ἡ αὐλοῦσα. Hæc omnia apud Suidam, quæ prius legerat Fabius Quinctilianus. Alterum (de ambiguo loquitur) eſt in quo alia integro verbo ſignificatio eſt, alia diviſo: ut in genua, & armamentum, & corvinum, ineptæ ſunt cavillationes, ex quo tamen Græci controverſias ducunt: inde αὐλητρὶς illa vulgata, cum quæritur, utrum aula quater ceciderit, aut tibicina ſi ceciderit, debebat publicari.

Αὐδῶται, ἐλεύθεροι. libri, ingenui.

Ἀφεκτὸς, ἱερὸς, τοῖς ἀνέμοις θυόμενος: Sacer, qui ventis ſacrificat, forſan ab ἀπέχομαι, ut ſignificet eum, a quo abſtinetur, ſicut Varinus dicit. τοῖς ἀνέμοις ἀκατάσεπτος: Suidas, ἀδιεκτέον, γενι.

Ἄφετοι γυναῖκες, & ἄφετοι κύραι: dimiſſæ mulieres, dimiſſæ puellæ. Quid ſi exponatur poni pro ſolutis, & permiſſis cuiuſque libidini? ſicut legitur apud Herodotum lib. primo de Babyloniorum mulieribus, quibus lege impoſitum eſt ſemel in vita cum exteris coire ad templum Veneris. Aphetor, hoc eſt ἀφήτωρ, Apollo nuncupatus, quaſi emiſſor, ut Heſychius teſtatur ab emittendis, & edendis oraculis, vel ſagittis & radiis, utrique enim convenit; & Strabo eiuſdem vocis meminit in nono Homeri verſus afferens. Porro etiam ἄφετα, dicuntur Deo dicati, ut γυναῖκες ἄφετοι, καὶ ἄφετοι κύραι, quæ ſacratæ Diis, ſicut olim Veſtales, & hodie Sanctimoniales noſtræ: ſic & Athenæus vocare videtur animalia ſacra, & tanquam in ſacro ſepto libera, quæ paſſim vagantur, quales eſſe cernimus in multis Italiæ urbibus Antonianas ſues; Suidas Ἀφήτορος, οὐ κοινότερον, ἀλλὰ τοῦ πυθίου εἶδον ὑμοφήτορος, διὰ τὸ ἀεὶ ἐκ τῆς λύγας ἔρχεσθαι τοῖς χρησμῳδευμένοις. Ἄφιτοι οἱ ἱερεβόαι, lacræ boves, & dimiſsæ, καὶ ἀπολελυμέναι, Varinus.

Ἄφραττος, ἀπὸ τοῦ ἀφράσσειν, ἀφραίνειν, καὶ μωραίνειν, dementem eſſe, & fatuum: dicebatur autem ἄφραττος ἡ ἑκάτη, Hecate, Luna, quaſi non ſtabilis a verbo ἀφράττω, quod ſignificat inconſtantem eſſe, unde Triformis dicta eſt, quia nunc in cornua, & prope vacua ſurgit: nunc diviſa eſt: nunc orbe plena. Sunt qui has in Luna varietates obſervant, σύνοδον, id eſt coniunctionem, quæ & νουμηνία dicitur, novilunium, interlunium, primatio: μησοειδὲς, ideſt primâ Lunam cum apparet corniculans, falcata, nondum ſemiplena. διχότομοι, ἡμίτομον, id eſt ſemiplenam vel dimidiatam, quam vulgus appellat ſeptimam: ἀμφίκυρτοι, ideſt gibboſam, turgidam, & tunc undecima eſt: πανσέληνον, plenilunium in oppoſitione Solis, quod tempus decima quinta Luna vocatur. Pythagorei quaternas Lunæ a Sole recedentis formas obſervabant: ea enim eſt naſcens, vel oriens, corniculata, gibboſa, & plena.

Ἀγέλαιος, τῶν ἀχύρων πρὸ μικροῦ: Grex quidam, fortaſſe legendum τῶν χαύρων, ideſt porcorum. τὸ ἄχυρον palea, ὁ ἀχυρῶνος, ſtabulũ palearum.

Ἀχραδομύλλος, ὁ κοχλίας. Cochlea, quaſi aſpera, concha ἀκρὰς, δος, ſpinæ genus, pyraſtrum. Columella.

Palmitibusq; feris lætatur, & aſpera ſylvis
Achrados, aut pruni lapidoſis obruta pomis
Gaudet.

Βαιναίτας, αἰλοξοὶ, καὶ μὴ εὐθυτενεῖς ὁδοί. τὸ δὲ αὐτὸ καὶ βιβαίνατος: obliquæ & non rectæ viæ, a verbo βαίνω, pro ἔβην dicitur ſæpe apud poetas βᾶν, καὶ βᾶ pro ἔβαν, quod ipſum eſt ἔβησαν, βάσις gre-

ſus:

Digitized by Google

fus: βατὴρ qui graditur, seu incedit.

Βάκκα, αἰδοῖον, καὶ περόνη, pudendum, & fibula: pudendum autem intelliges fœmineum.

Βάκρη πύλις Λιβύης, ἡ νῦν πτελεμαΐς καλουμένη, βακκεάτης Λιβυκός. βακχάζειν τὸ βαυβάζειν.

Βάρις. genus navigii voce Ionia, qua Barium in sinu Adriatico oppidum dictum est & apud ipsos Tarentinos Barca vulgaris est appellatio piscatorii navigii.

Βασιλίνδα, παιδιᾶς εἶδος, ἣν βασιλέας καὶ στρατιώτας ἐπιμελέμενοι ἐπαίζοντο. Basilinda etiam legitur Latinis literis in Calepino novissimè edito Lusus, quo Rex aliquis sorte factus laboriosum quiddam ministro similiter sorte facto imperitabat. Βασιλίνδα τὴν βασιλείαν exponit Svidas, vide etiam Iulium Pollucem. Sed & apud Tarentinos Βασιλὶς dicta est Venus. Adscripsi verba Gyraldi Lilii ex Syntagmate decimo tertio. Basilis Venus a Tarentinis vocata fuit, ut ait Hesychius, quasi Regina, unde & lusus quoddam genus, quo ii, qui Reges, ac milites imitabantur, uterentur: ideſt quum ducta sorte aliquis Rex creatur, & imperat ei, qui deinde simili sorte & ipse Rex imperat. Quod lusus genus inter Iustiniani leges quidam trahere vitii sunt, ut titulo de ludo aleæ, nam Regindalia esse existimabatur, quæ βασιλίνδα Græcè a Polluce, Svida, & aliis dicta est. Et si amicus meus Rhindalcha a distortis naribus, quasi Rhinocalcha libentius legere consueverit: & nescio quo pacto ad Cortabum transferre voluerit, hæc ille.

Βατὰς ὁ κατ' ἀφαίρεσιν pronus proclivis, multa de hac voce leguntur in Adagio βαταχάρας, quod de pinguibus dictum exponunt, & impotentibus; nam ut quæ sunt vivido ingenio, caput erigunt, sic capite esse deiecto habetioris ac segnioris animi signum esse solet τῶν ἀδυνάτων est. Adi Svidam, qui & per Diastolen legenda hæc duo verba addit βάτα χάρας. Apud Gulielmum Pontinum Cornelii Celsi enarratorem leguntur hæc verba. Nam quod de Batis in myrtetis attulit, parum ad rei, atque artis disciplinam confert: ad ostentationem novisse, & curiositatem non nihil facit. Hesychius βάτας Ταραντίνους, hoc est Tarentinos esse docet, est enim βάτα Græcè, quod Tarentum Latinè dicimus, Calabriæ Urbs celeberrima. Stephanus, βάτα, inquit, δῆμός ἐστι τῆς αἰγιαλοῦ φιλῆς, quare in agro Tarentino Batas hasce in myrtetis, ut vocat Celsus, sitas fuisse arbitror, ubi è tellure sulphurea, vel alioqui valde fervida materia affecta, evaporatio exhalet æstuosa, quæ verba quid sibi velint, medici ipsi videant, qui norunt in Celso locum.

Βάτιον ὀξυβάφου, acetabulum, acetarium, vasculum infundendo aceto paratum, in quod intingitur panis, aut caro.

Βιλαιμύσας Βιλαίχας, scribendum potius Βιλαίχας. ut sint qui telis, & armis publicis curandis præfecti sunt.

Βρουχᾶν, ἀκρίδων εἶδος Ἰωνες χυπτοῖσι δὲ τὴν χλωρὰν ἀκρίδα, βρούχας. Ταραντῖνοι δὲ ἀττελάβον. ἕτεροι ἀμουσίαν μᾶτιν. Bruchus insecti genus locusta. D. autem Hieronymus ἀττελάβον, ait parvam esse locustam & bruchum, quæ modicis pennis reptans potius quam volans, semperque subsiliens, ob eam causam ubicunque orta fuerit, usque ad pulverem cuncta consumit: quia donec crescant pennæ, abire non potest. Viridem bruchum vocant Cyprii, rursus D. Hieronymus, Confertur Attellabo, & locustæ, quæ in die frigoris eo quod avolare non possit, resideat in sepe, & postea orto Sole ex illius ardore calefacta exiliat, & ad alias regiones advolans nequaquam meminit sepis, in quo tempore frigoris resederit.

Γ.

Γαλεαὶ μάντεις, ἕτερα κατὰ τὴν σικελίαν φοίνικες, καὶ γένος τι ὡς φησι Φανόδημος, καὶ Ῥίνθων Ταραντῖνοι. Vates qui Siciliam inhabitarunt, & genus sive familia quædam, ut tradunt Phanodemus & Rhinthon Tarentini γαλεώς, mustellus, piscis, canis, canicula.

Γελύστιον, κέλυφος ὀφθαλμοῦ, oculorum involucrum naturale, & est κέλυφος, cortex exterior, puramen, crusta, siliqua: & Aristoteles in historia animalium κελύφεα τῶν καρκίνων, cortices, seu crustæ, quibus cancri integuntur.

Γραβίδια, ἡ γραστική, πανήγυρις, nundina.

Δ.

Δῆμα, σπιθαμή, καὶ τὸ ἔγκωλον τοῦ σχοινίου, σήμαινε δὲ Ταραντῖνοι, palmus, & involucrum funiculi: stamen; palmum autem magnum intelligas, id est mensuram, quæ fit a pollice ad minimum digitum manu extensa, mensura duodenum digitorum; lege adagium, Spithama vitæ σπιθαμὴ τοῦ βίου, quod refertur a Diogeniano.

Δάμεια, ἑορτὴ παρὰ Ταραντίνοις, Festum quoddam apud Tarentinos fortasse Cereris δαμάτηρ Dorice pro δημήτηρ Ceres. Addam ad hæc quod legitur apud Herodotum de Damia Dea. Cum Epidaurus infructuosa esset, cives Epidaurii in calamitate, quam quotannis patiebantur, Delphicum consuluerunt oraculum, quibus Pythia respondit, eis tum demum bene futurum, si Damiæ, & Auxesiæ simulacra erigerent, petentibus autem civibus utrumque, ex ære, aut ex lapide facienda? responsum fuit è neutro, sed ex oleagino ligno; at cum vix usquam gentium ea tempestate oleæ, præterquam Athenis inveniantur, Epidaurii rogarunt Athenienses, ut fas sibi esset oleam ex eorum agro incidere; ea lege Athenienses concessere, ut Poliadi, & Erecteo sacra dona mitterent; quæ cum perfecta fuissent, & Epidauria tellus fructifera, ac sacra quotannis reddita: & cætera, quæ apud illum legenda essent in Terpsicore. Hoc genus sacrificii in operto fiebat iuxta alios in honorem Bonæ Deæ, dictum a contrario, quod minime esset δαμόσιον, hoc est publicum, ipsa quoque Dea, quæcunque erat, dicebatur Δάμια & Sacerdos Δάμιας.

Διασυκάσαι. Διασκεδάσαι, divulgare, disseminare, dispergere, disiicere, dissipare.

Δρήμος, ἡ ὀρχήστρα τοῦ διονυσιακοῦ θεάτρου. Orchestra Dionysiaci theatri. Est vero Orchestra locus in scena, in quo scenici artifices suas actiones exhibebant, & propriè est chori, sicut scena histrionum, teste Polluce; est & locus in theatro, ubi Senatores sua habebant subsellia Dionysiacum appellavit Theatrum, ubi recitabantur versus dithyrambici in honorem ipsius Bacchi, qui & Dithyrambus cognominabatur, quod bis natus veluti ianuas penetrarit duas.

Δρῆμαι, fugio, thema est inusitatum.

Δυσχιδώτερος, κακοτροπώτερος, magis improbum.

σχι-

Digitized by Google

σχιδώνυκα, τὰ, animalia quibus fissæ, & fulcatæ sunt ungulæ, παρὰ τὸ σχίζειν, καὶ ὄνυξ ὠν.

E.

Ἑλευτέριος Ζεύς, ὁ aspirata litera in tenuem conversa apud Tarentinos, Syracusios, Platæenses, Carioſque cultus fuit. ἐλευθέριος Ζεὺς apud Thucydidem., hinc ἐλευθερίως liberaliter, ingenuè, ut ἐλευθερίως ἐπεπαιδευμένος. & notat Svidas paradoxum μόνος ἐλεύθερος ὁ σπουδαῖος εἰ δὲ φαῦλος δοῦλος. multa leges de hoc Iovis cognomine apud Lilium Syntagmate secundo. Eleutherius, liberator, saluator. Illud autem obiter non videtur prætereundum, quando Iovis Epithetum attigimus, apud Salentinos, qui populi sunt in ipsa Iapygia iuxta Tarentum, Iovem fuisse dictum Menzanam, cui auctore Festo in verbo October equus vivus in ignem coniiciebatur. Menzana autem quid sibi velit nondum reperi. Ζὰν ζανὸς, apud Dores Dores Iuppiter est, unde ζαμενὴς iracundus; vehemens, unde ζαμενὴς κεραυνὸς, ideſt vehemens & impetuòsum fulmen, & scimus Iovem dici fulminatorem, tonantem, aliis Menzana oppidum est Salentinorum, ut ibi nempe Menzanæ, essent hic usus de iniiciendo in ignem equo.

Ἐξογω χωλὸν τροχίσκιον, παιδιᾶς εἶδος παρὰ Ταραντίνοις ludi genus educo claudum hirculum, exiguum hircum, ἔξινος temulentus apud Athæneum.

Ἐλευδὼ, καὶ μια τῶν εἰλειθυιῶν, καὶ ἐπώνυμον δήμητρος. apud Tarentinos & Syracusios dicta est uno, quæ eadem esse legitur cum Cerere, hoc vox ἐλευδὼ a verbo ἐλευδω quod significat Venio dicta est, qua ratione a Latinis dicta est Lucina, a veniendo, quod invocatur, ut puer veniat in lucem. Phurnutus lib. de natura Deorum, Hanc (Lucinam) *sibi occurrere placidam, parturientes precantur, petuntque ut sinus constrictos leviter solvat, facilemque minusque laboriosum largiatur partum*, quæ eadem & ἐλευδώσα, id est veniens scilicet ad parturientes, nominatur & in Epigrammatum lib. florido μορφοῦς ἐλευδὼς ἔχουσες, & εἰλειθυίας, templum Iovis εἰλειθυια Lucina a verbo (ut diximus) ἐλεύδω, id est venio.

Ἐργαλεῖον, ἐργαστήριον, instrumentum ferramentum artificum, officium, taberna textrina, in qua tela texitur, adhuc hodie Tarentinæ mulieres appellant, corrupta voce, Argalio: Est & nomen genericum, nam & ἐργαλεῖα γεωργικὰ instrumenta rustica apud Pollucem, & ἐργαλεῖον ἔργου, apud Svidam.

ἐπιτῆν Syracusii & Tarentini pro ire ponuntur semper usurpat Theocritus, latini dicunt repere. Vergil.

Ima susurrantes repebant ad vada lymphæ.

Et Caprarum est repere, ut alibi idem.

Deserta repebant ad cava rupis.

Et ut a serpo dicitur Serpens: ita a repo dicitur reptile, & ab ἕρπω εἵρπετα. Ἐρώτιον ἐρώμενον; imaguncula Cupidinis, & nomen proprium meretriculæ in Epigrammat. At ἐρωτίδια festum amoris Thespiensibus apud Athenæum, quod a Plutarcho ἐρωτικὰ appellatur, quo de festo scribit Zeno Cittiensis, ut refert Laertius.

Ἔσβεδυν, εἶδος. παιδιᾶς. genus loci, ludi ἔσβη, ἐσβέδη, ἐπαύσατο. Svidas.

Ἐσταλοπώλια, ἡ τῶν ἱματίων ἀγορά. forum, ubi venduntur vestes, forum vestiarium.

Ἔστυκα, ἐνίοτε, interdum interim aliquoties, ἐστυκὼς, ἀδὲ μέγα φρονῶν ἐστυκὼς ἀνήρ. Suidas quid sit ἐστηκὼς, per η legendum & non per υ nam ut animus quiescendo, & sedendo fit prudens, sic è diverso dum stat nihil grave cogitat. ἀδὲν μέγα φρονεῖ.

Θ.

Θυλακίζειν, τὸ ἀπαιτεῖν τι ἐπόμενον μετὰ θυλάκου. exigere aliquid pertinens cum panario. θύλακος vas farinarium, proverbium est, cum sacro adire: quo significabatur, ut cuicunque petenti statim, quod peteret, exhiberetur, videndus est Paulus titulo, de salut. & liber. Cap. Quod dicimus, θύλακος, ἡ ἀρτοθήκη. Ἀριστοφάνης Πλούτῳ ὡς ἅλφιτ' ἂν ἔστιν ἐν θυλάκῳ. Suidas.

I.

Ἰπνασία, γαστήρ. venter, τὰ ἴπνια, stercus apud Callimachum ἰπνίτης. panis furnarius, id est in furno coctus, apud Athenæum, & Aristophanes in Cocalo ἴπνον appellavit τὸν κοπρῶνα, est sterquilinium.

K.

Κάπηλα, ἡ κρεωπωλεῖς, ἀγορά. Macellarium carnarium forum καπηλεῖα ars institoris. καπήλου Caupona, raberna, & qui Cauponam frequentat, καπηλοδύτης appellatur. ἐμπηλὰς δὲ ὁ ἀνὸς, οὐδὲν καὶ ἄμπελος vinea. Suid.

Κλαυμαιτόμενοι, κλαυστὰ, flente, κλαῦμα ploratus, κλαυδμῶν, νος, locus flentium & κλαυμαρέτας, κλαυσὰ ἡ κλαίη. Varinus.

Κυμίνδαλα, καταστροφὴ, subversio exitus rei. κυμίνδιος, ὁ ἀετὸς καὶ κύμινδος. Suidas, κύμινδις, εως, avis est, quam nonnulli noctuam interpretantur. Plinius nocturnum accipitrem, alii Aquilam, alii aliam avem.

Λ.

Λέπαιος, ἡ λέπαδος. λιπόδεσμος, λέπαδος, absque ν, Varinus, Appella, affectus pelliculæ tegentis glandem, adeout distrahi iam amplius non possit; formarunt Latini vocem Apellæ, ab à privativa particula & nomine pellis, ut dicitur de ludæis, qui (ut notum est.) circumcidi solent, credat Iudæus Apella, dixit Horatius libro sermonum primo Satyra quinta, retutius.

Λιδοβολία, scribit Pausanias in Corinthiacis λιδοβολίαν esse festum idem cum δάμια. Quoniam Damia & Auxesia Deæ, de quibus in verbo Damia diximus in Troezeniorum seditione lapidatæ fuerunt λιδοβολία, lapido, lapidibus, peto, lapidibus obtuo: λιδοβόλητος, lapidibus petitus: λίθος, βῶλος, βωμὸς καὶ βάσις, τὸ ἐν ἐκκλησίᾳ βῆμα Varinus.

M.

Μαῖρα, κύων τὸ ἄστρον, ἡ ἀκμαιότατον καῦμα, οἱ δὲ τὴν σελήνην. Ταραντῖνοι δὲ μαιρῶν, τὸ κακῶς ἔχειν, οἱ δὲ τὸ πράττειν δυσκατέρα, ἀδελφὴν εἶναι, Canicula, summus æstus, Luna à nonnullis dicitur. Tarentini autem malè esse, malè habere dicunt μαιρῶν, aliis est Præti filia, Aethræ soror. Est & Mæra Etymologiariis parca, fatum, sed Græcis dicitur, μοῖρα cum ο, micro, & iota, non autem αι, tertia, & non prima diphthongo.

Μεσα, Siculi, & Tarentini τὰ αἰδοῖα, pudenda vocant, a situ videlicet, Inde in obscœnis versibus tam frequens est huius vocis usus. Martialis: *Lambebat medios improba lingua*

Vi-

Digitized by Google

viros, & Catullus ad Gelliam:

An vere fama susurrat,
Grandia te medii tenta vorare viri.

Verbum Fello apud Latinos, θηλάζω.

Μηνιαῖον, menstruus redditur Latinè, ut καθαρσιν μηνιαῖαν, vocamus fœminarum purgationem menstruam. Sed Tarentina voce a veteribus Latinis dicebatur Manacus, sicut & Illyrienses, quos βαρδιαίους, Græci vocabant, a Latinis eisdem Bardiaci appellabantur. Huius rei testis potest esse Vitruvius, qui lib. nono dicit, Circinatio menstrui circuli agatur, qui Manacus dicitur; hinc multi contendunt barbaram illam vocem Almanac fluxisse, qua Arabes Kalendarium vocant, addito scilicet suo articulo, non enim quod quibusdam persuasum audio mera vox Arabica est, sed tantum in Arabicarum familiam recepta.

PRAECEDENTES LITERAE VACANT Tarentinis vocibus.

Π.

Πέτορα, πρὸτέσσαρα, dicebant Tarentini, unde petoritum currus est Oscorum, quia quatuor haberet rotas, sicut Bisium fuit Galliæ Cisalpinæ. Sed aliter Agellius: vide illum; quod si a verbo πέτομαι deducatur? unde πετόμενος, φερόμενος.

Ρ.

Ραδανῶρες, οἱ τῶν λαχάνων κηπωροί: hortulani, qui oleribus dant operam, ab ῥίζα, quod tutari notat ραδανὸν, ῥαδινὸν, gracile, tenue, mobile. ραδίζα, τόπος ἰατρικὸς ἰατρῷ, locus medici proprius.

Ῥήτρα Rhetræ scripta, sermones, pacta, conventa. Tarentini leges, & decreta sic vocant; apud Lacedæmonios, Rhetra Lycurgi lex est ex oraculo sancita: propter milites lata lex est: ut quisquis eorum tergum dedisset, in castra reversus pro hoste lapidibus ab amicis petitus, acerbo genere mortis interiret.

Σ.

Σάμερον, σήμερον, νῦν, hodie, nunc, & σάμερα, Varinus.

Σάννιος, μωρὸς, παρὰ Ῥιανῷ, fatuus apud Rhinthonem. Sed & σάννας, & σάνος, apud Cratinum fatuus, ut tradit Eustatius in Iliade. Sanna apud Latinos irrisio; hinc Sanniones Comicorum verbo dicti, qui risu admodum soluto, & contortis corporis totius partibus immoderatam quandam alios deridendi formam effingunt, & aliorum mores inepto quodam gestu per contemptum exprimunt, ut stulti progemodum ac ridiculi videantur. Nonnulli a quodam fatuo, seu stulto, qui dicebatur Σάννας, alii a σαίνω: alii aliunde deduxerunt.

Σαννυρίων ἀθλιότατος κομικὸς, δράματα δὲ τοῦ αὐτοῦ ἐστι ταῦτα. γέλως, δακὴ, ἰὼ, ψυχασία. Suidas ex Athenæi libro septimo: o Batides, o Glaucorum caput de Rhais maritimis loquitur, quas tanquam mensarum delicias Sannyrion nominat.

Σάϊματα, κολλύσματα, καὶ κόπρια, κόπρια περιβαλεῖν, fimum conjicere & εἰς κόπρον θυμιᾶς, infimum aromatum odorem spargis; proverbia.

Χάσμα σαρμὸς, cumulus terræ ex Suida, & Etymologiaste in verbo Σαυρόμενος, & Rhinthoni observatum apud Varinum.

Συ quod alii dicunt, τυ Tarentini & Romani dicebant; hinc pronomen. Tu apud Latinos, & pro σίσυρος dicebant τίτυρος, hinc Tityri vox apud pastores deducta est.

Τ.

Τελλῖν, ὁ δεῖνα. hic & ille τὸν καὶ τὸν τελλεῖς, totum ordo pars, ὅλον. τάξις. μέρος.

Τέως, quousque & πεπιδὴ λεῖπεσθαι ἄμιστοι apud Homerum: Τί δύστες, τί πτοιεῖτε. quid facitis Τορόνος, τορνὸς, Tornus instrumentum quo vascula detornantur, sive cavantur τορνόω circumscribo aliquid, circulo Vergilius:

Lenta quibus torno facili superaddita vitis.

A verbo etiam τορέω, significante perforo, perterebror, quæ n. excavantur, necesse est, ut penetrentur, & perforentur. Τρίοβολον, μέτρον τι, mensura quædam ternaria. Τάχηνον τριχόμφορον, Tarentini dicebant pro spisso, aprilis. Varro τριχῆ tripliciter in tres partes, ut τὸ τριχῆ διαστατὸν triplici dimensione distans. Quod Trichinus quæstus erat, nunc etiam uberrimus, trichinum quæstum vocat Varro spissum, & spissum veteribus erat tardum; unde & spissigradissimi senes, & spisse venire, hoc est βραδέως, Plauto, & multa præterea talia. Ergo trichinus spissus, & trichina postea trichila, ἡ δασύφυλλος, non est dubium quin ea sit Etymologia.

Υ.

Τποδῆσαι, ἐνεχυρῆσαι, ἰταλιῶται ὑποδησάμενος, ἐπὶ ὑποδημάτων. καὶ ὑποδυσάμενος ἐπὶ τὸ ἐναντίον. Varinus oppignorare. Tarentinorum autem hoc exiitimo vocabulum, propter illud quod legitur secundo Rhetoricorum libro apud Aristotelem, Pythagoram videlicet Samium ab Italiotis honoratum constat n. Pythagoram Metaponti ætatem egisse magna cum admiratione vicinarum civitatum opinioneque sanctitatis, & Tarentum sæpius visisse, ut suo in loco ex Laertio, & aliis dicetur, Tarentinosque ad suam traxisse disciplinam, in qua floruit Archytas. Dicebantur autem ἰταλιῶται, non prisci, & Germani Italiæ populi, sed Græci, qui postea eo advenerant, & ipsius non parvam partem occuparant, quæ ab ipsis magna Græcia nuncupata est; quod idem dicitur de aliis populis, nam & Σικελιῶται, & Σικελὰ, & Φωκαῖται & Φωκαὶ, ita differunt, quam similem differentiam videntur ponere Latini Grammatici inter Romanos, & Romanenses, Hispanos, & Hispanenses; sunt enim nativi illi, hi vero qui Romæ, aut in Hispania versantur. Et hic explicit Lexicon Tarentinarum vocum, quas nolim quis miretur apposuisse; multarum n. est usus apud nostrates, & ex illis pleræque Latina centuria donatæ vel aliis præter Tarentinos prodesse valebunt populis. Historiam modo a prima quam invenimus; origine usque ad nostra hæc felicissima tempora aggrediamur, ab Ethnico (inquam) fundatore Tara, usque ad Christianissimum regnatorem Philippum.

QUÆ

QUÆ INITIO ALICUIUS URBIS A describendæ gratia perquirantur.

CAP. I.

IN exquisita ampliſſimarum Urbium hiſtoria arbitror initio pauca hæc ſufficere, quæ cognoſcantur, dummodo omni cura, operaque demonſtrentur: pluribus excedere, paucioribus manca vel ſub obſcura cenſerentur, quæcunq; eſſent de illis exitura volumina. Ex omnibus princeps & Caput B eſt, quis Urbis, qua de agitur, fundamenta condiderit: alterum qua cœli & terræ plaga jecerit: tertium quod nomen dederit; quartum quo tempore ædificaverit; quintum quam formam urbs ipſa acceperit: exinde ad cives (quod noviſſimum credo) deveniendum, ut qui non ſecus, ac liberi parentibus, decus patriæ & laudem afferunt, & dignitatem ſuſtinent. Sunt & alia quamplurima philoſophis, ac medicis edocta: verum ipſe, ut civib. meis in petitione tam C honeſta obſequeter, his quæ propoſui contentus, quoquomodo quidque occurriſſet, ſcribere potius, quam præmonſtratum ordinem religioſius ſcribere conſtitueram, niſi me Antonius Portius Monopolitanorum Antiſtes, vir quidem, ut qui maximè eruditiſſimus, ut aliter facerem, in iis præcipuè, quæ res civium geſtas continent, admoniſſet. Quæ igitur ante Romanorum imperium Tarentini geſſere primo in loco proferentur: ſequentur inde, quæ illis rerum totius orbis potitis geſta ſunt, poſtremò eiſdem ad deterius per fortunam in rebus imperii redactis uſque ad noſtra tempora, quæ memoria aliqua digna viſa ſunt, exponere conſtitui.

De Tara primo Urbis conditore, quiq; de illo meminerint.

CAP. II.

OMiſſa Macrobii, & Solini ſententia de huius noſtræ Urbis origine, cum ſentiat Tarentum dictum Sabina lingua quaſi molle, hic dicat ab Heraclidis conditum: criptorum cæterorum opinionem ſecuti dicimus conditorem antiquiſſimum & primum fuiſſe Taram Neptuni filium, illumque à ſuo & urbi & fluvio nomen impoſuiſſe, atque ut huius rei auctores clariſſimos fuiſſe viros credatur, aliquot recenſeantur, qui tam illuſtris cum domi, tum militiæ Herois meminerint, Ariſtoteles in Tarentinorum Rep. auctor graviſſimus, ut nulli negare fas eſt, ſcriptum reliquit (quod initio vocum Tarentinarum præmonſtravimus) numum ab illis cudi ſolere, in quo Delphini humero inſidens Taras Neptuni filius cernebatur, & quod alii νόμισμα, id Tarentini νόμον lingua Dorica dicebant. Pauſanias in Phocenſium hiſtoria quem alii Taram vocant, Tarentum dicit appellatum. Eius verba hæc ſunt, quæ à Romulo Amaſæo Latinite donata immutare non audeo. Scribit igitur ſic: *Taram tum quidam Neptuni & indigenæ Nimphæ filium fuiſſe dicunt; ab eo verò nomen impoſitum urbi & fluminì: eodem n. fluvius, quo urbs ipſa nomine vocatur.* Strabo cum multa in Geographiæ lib. 6. dixerit de Tarentino ſinu, deque huius urbis origine, Antiochi cuiuſdam Syracuſani, quem Xenophanis filium plerique tradunt, uſus teſtimonio, hæc tandem quæ ſequuntur, adiunxit: *Tarentum autem, ab Heroe quodam nomen accepiſſe literis proditum eſt.* Joannes Boccatius dum fabuloſam Neptuni prolem in arbore, tanquam nobiliſſimam undique familiam depingit, Servium ſecutus de Tara ſic meminit: *Taram filium fuiſſe Neptuni Servius aſſerit, dicitque eum circa Salentinorum confinia Tarentum olim inclytam civitatem condidiſſe, & à ſuo nomine nuncupaſſe.* Honorati autem Grammatici verba, ne quis deſideret, appoſui ex tertio commentario Æneidos ipſius poetæ, quibus exponit carmen illud: *Hinc ſinus Herculei ſi vera eſt fama Tarenti. Partheniatæ* (inquit Servius, ſed nos illorum hiſtoriam inſequenti libro ex Pauſania recitabimus) *accepto duce Phalantho octavo ab Hercule, profecti ſunt, delatique ad breve oppidum Calabriæ, quod Taras Neptuni filius fabricaverat: idque auxerunt & à primo nomine appellarunt Tarentum bene ergo Herculei Tarenti, quia Taras condiderat, auxerat Phalanthus.* Stephanus Niger tam Græcè, quam Latine oppido quam eruditus, & qui diligentiſſimè congeſſit quicquid apud Pauſaniam ſcitu dignum legitur, hæc ſcribit de Tara: *Taras nomen eſt civitatis & fluminis in Italia à Tarante Neptuni filio ſic denominata*, & paulò infrà (quod ad rem grammaticam pertinet) *Taras civitas, & cognominis fluvius in Italia juxta mare; Maſculi autem generis eſt ſecundum analogiam. Nullum enim in ας, nomen fœmininum dicitur: hoc autem & fœminino prolatum genere invenitur.* Dionyſii Alexandrini extat opuſculum de ſitu orbis, in eo σχόλια ſunt Euſtathii Theſſalonicenſis Epiſcopi, ad illa ergo Dionyſii verba: Τάρας δ' ἁλὸς ἐγγύθι κεῖται ἢ ποτ' ἀμυκλαίων ἐπελήσατο κάστορος ἅμπις. Sic ſcribit Euſtathius: ἡ Τάρας, ἡ καὶ Τάραντος. *jacet admare: dicebatur autem & maſculino genere τάρας, ſecundum analogiam. Nullum enim eſt in ας, nomen barytonum muliebre. Denominata autem fuit urbs ipſa à Tarante quodam Heroe. Habuit & Lacedæmoniorum Coloniam, propterea Dionyſius inquit, quod Amyclæorum ipſam condidit fortis Mars, ideſt Laconum, quorum pars ſunt Amyclæi*, quod declarari videtur his verbis Heſychii: Τάρας πόλις Ἰταλίας, ἀπὸ τῦ Ταραντος τῦ Ποσειδῶνος. ἔστι δὲ λακώνων ἄποικος.

Sed & apud Latinos Sidonius poeta fœminino genere protulit:

Ipſaq; quæ petiit trepidaverat uncta Tarentum.

Cæteri autem genere neutro declinarunt, unde varia illa appoſita, molle, madidum: imbelle, Lacedæmonium, Phalanthæum, ſacrum, ſaturum, apud Horatium, Juvenalem, Ovidium, Virgilium, & alios: ſolus Lucanus protulit maſculino genere:

Brunduſium decimis jubet hanc attingere roſtris,
Et cunctas revocare rates, quas avius Hydrus,
Antiquuſq; Taras, ſecretaque littora Leucæ,

Quas

Quas recipit Salatina palus, & subdita Sipus Montibus.

Marcus Antonius Sabellicus, qui omnium populorum facta in unum veluti corpus redegit, eadem refert, quæ dicta sunt. Tarentum ab heroe quodam nomen accepisse tradunt: sed cur ita contigerit, Antiochus, cuius hæc sunt, in obscuro reliquit. Latinorum quidam a Tara Neptuni filio locum a principio munitum tradunt, inde a Spartanis instauratum. Natalis Comes inter eos Neptuni filios, quos secunda commemorat mythologia, Tarum & Tarantum ponit, quorum matres, ut in multis aliis, quæ fuerint, non ostendit. Pylades libro de Deorum genealogiis tertio, quas versibus complectitur, inter Neptuni filios Taram ponit, at matris nomen ignorat:

Incerta genitrice Taram, qui condidit urbem
Unde Tarentini littora nota sinus.

Supersluum censeo apponere, quæ de eodem retulere Cælius Rhodiginus, & Alexander ab Alexandro, cum uterque Aristotelis tantum verba repetat. Cumque non diversa fermè legantur apud Iustinum, & Volaterranum, idcirco ab his quoque supersedere visum est. Quidam non imperitus Grammaticus Tarantum sentit unum ex illis fuisse Cretensibus, quos Strabo dicit una cum minore Minoe, qui floruit anno ab orbe condito 4000. ab aquis diluvii 2000. ante Troiæ excidium 40. in Siciliam navigasse, eoque mortuo alios pedestri itinere sinum Adriaticum usque in Macedoniam penetrasse, alios Iapygas dictos a quodam Iapyge Dædali filio e Cretensi muliere. Is igitur Taras Neptuni filius ex Satureia Minois Regis Cretensium filia suscepit Tarantum, qui delatus cum Pelasgis & Cretensibus in Italiam, duas condidit urbes non multis inter se millibus passuum distantes, quarum alteram a nomine matris *Satureiam* appellavit, *Tarantum* a se ipso alteram: sic enim Græci hoc nomen proferunt, Τάραντον. Primæ urbis vestigia, cui Satureiæ nomen fuisse diximus, conjici non ambiguè possunt in loco illo celeberrimo, qui a Tarento hodie octo millibus ferè pass. distat, & quem adhùc Saturum penultima producta vulgus appellat. Huius loci meminisse omnes sciunt Latinarum literarum professores in Georgicis suis Virgilium, qua parte dicit Servius fuisse Baphia, hoc est tingendæ lanæ officinas, de quibus infra agetur.

Taram, de quo agimus, non esse illum, cuius in Sacra Scriptura fit mentio.

CAP. III.

Quæ si vera sunt, falsum illud sit necesse est, quod sæpe a nonnullis non minus imperitis audivi, in Bibliis sacris videlicet demonstrari, quisnam fuerit Taras, at ipse diu voluminibus illis pervolutis, quæ libentissime præter cætera magna attentione non absque sanctorum Patrum explanatione frequentius lego; ut salutaria, non Taram heroa, sed Tharen statuarium, ut docet Svidas in verbo Seruch, Abrahami parentem, Lothi Auum, & a Noe decimum reperi, cuius rectus non Taras, sed Thare est, primaque dictionis litera aspirata, *Th*, non T, tenui, & duplici ῥῥ apud Svidam, Θαρρᾶτ. Sed veriora nec ne sint, quæ nos non minus laboriose, quam diligenter expiscamur, si cupient aliqui cognoscere, eos velim non pigeat in chronicis Eusebium adire, & perlegant quæ apud illum inter Christianos auctores in historiarum lectione accuratissimum, ut quivis alius, sunt annotata. Ipse quidem verba tanti viri in medium afferre non gravarer: sed vereor ne caput excrescat in immensum, & eo magis, quia non me fugit, multorum eam esse insolentiam hominum audaculorum, qui non absque irrisione iudicabunt, quod implendi voluminis occasionem aucupatus longos aliorum contextus apponam; invenient tamen lectores apud Eusebium huius Tharæ anno vigesimo octavo mortuum Belum, eiusdemque quadragesimo nono Scyciorum in Græcia regnasse Europen defuncto Aegialeo, qui primus illorum fuit regio ornatus diademate, ab eoque Aegialea aliquando dicta est Peloponnesus. Hunc Tharen secundo anno & nonagesimo super ducentos post diluvium Nachor genuit, cum esset annorum octoginta novem: ipso vero natus est Abrahamus, a quo Hebræi dicti, nisi mavis cum D. Augustino ab Hebero, quando regnabat Beli filius Ninus. Nati sunt præterea & duo filii eidem Tharæ, Nachor nomine patris sui, & Aram; mortuo autem Aram, cum reliquisset Lothum filium, ipse Thare nolens adorare ignem, quem adorabant Chaldæi, & propter luctum Arami filii sui, quem multo magis lugebat, quod in fide deficiens consumptus esset, cum reliquis filiis, & nepotibus de terra Ur Chaldæorum recessit, & venit in terram Chanaam, habitavitque (ita Hebræi fabulantur) ibi annos ducentos & quinquaginta: unus enim fuit ex patribus secundæ post diluvium ætatis, & ut Samotheo placet ultimus, sicuti eius filius Abrahamus tertiæ fuit primus; mortuus est tandem in Charra, sicut Victor in Genesim, quam poetico extendit versu, cecinit.

Donec Chaldæi generis de semine Tharæ,
Vir iustus, metuensque Dei, cum stirpe suorum
Urbem aliam, moresq; novos, sedemq; requirens
Mansit in Assyriis demum novus accola Charris,
Qui quadragenis lustris, ubi vixit, & uno,
Infaustam hanc vitam felici morte redemit.

Qua ratione falsi sint plerique in Tara inveniendo.

CAP. IV.

Ob fabulosos nostræ huius urbis tam inclytæ Scriptores, ausi sunt nonnulli referre primam eius originem ad ea usque tempora, quando principes quidam gentium tanquam Dii sunt honoribus altarium donati,

Digitized by Google

quorum primus Belus fuisse constat. Paulus Orosius scribit annos ab orbe condito usq; ad Nini Assyriorum Regis Belique prædicti tempora, quibus in lucem prodiit Abrahamus, omnes a scriptoribus tam Græcis, quam Latinis fuisse vel omissos, vel ignoratos. Hinc factum est, ut quicumque res Regum gestas & populorum ob diuturnam memoriam propagare studuerunt, initium scribendi ab hoc Nino sumpsere. Plures ex historia Berosi hæc collegerunt, ad initia populi Tarentini manifestanda, quæ vera nec ne sint, aliorum sit iudicium. Anno (inquit) post diluvium centesimo, trigesimo primo, Noe, quem eundem modo Ianum, modo Ogygem, modo Vertunnum, modo Cœlum, modo Solem invenies dictum, in Scythiam reversus, Nimbrothum, qui & Saturnus, primum Babyloniæ Regem creavit. Addunt isti hoc Saturno genitum cum Iove, ac Plutone Neptunum, qui inter quinque, & triginta filios ex diversis coniugibus, concubinisque susceptos Taram habuit sextum. Quin additum adhæc a plerisque iunioribus lapidem nescio quem in veterum (ut ipsi dicunt) murorum angulo repertum, dum latiorem pro navium traiectione fossam magno excavandam apparatu, cives curarent: eo in lapide, quem ipsi norunt soli, nullus præterea, huiusmodi grandiusculorum literarum erat incisio. T.N.F.E.N.T.Æ. quæ literæ quid sibi vellent, nullus eorum, qui tunc degerent, valuit colligere, quando Valerius Probus id temporis cum Paulo Diacono, & Beda, librum non ediderat de notis, sed neque Probi atauus inter homines vivebat. Servatus vero lapis fuerat (id ita isti commentantur) cuius literas nisi, ut ille ait apud Plautum Pseudolus, Sibylla legisset, cum nullus interpetrari posset, usque ad ætatem cuiusdam Heraclidis philosophi ac medici percelebris: Is inter cæteras naturæ dotes, cœlestisque benignitatis dona, sic ea interpretabatur, quæ aliis erant obscura, ut divinus a suis & ab aliis existimaretur. Singulas igitur oblati ad se lapidis literas hoc pacto extendisse fertur, T. Taras. N. Neptuni. F. Filius. E. Exstincto. N. Nembrotho. T. Tarentum. Æ. Ædificavit. ipse quidem non admirari supra modum nequeo, unde nam sit, quod lapis huiusmodi ad nostram usque ætatem maiore post dilucidatas literatas non sit civium cura servatus. Quid quod Latinæ literæ suis & exiguis tunc contentæ finibus in ea regione, quam a Græcis habitatam diximus, non vigerent, sed tempore longo post? collegere nihilominus & viri diligentes ab hac urbe aliquando, sicut ab aliis locis inscriptas tabulas, ut videre præcipuè est in libello, quem Ioannes Tacuinus emisit; ubi sequens legitur verborum incisio, lapis autem hodiè non extat. M. AVRELIVS. EVFICHEVS.SERA.VICELIA.RVFEN.HANC. SEDEM. VIVI SIBI. POSVERVNT. VNO. ANIMO. LABORANTES. SINE. IVLIANO. FILIOLO. multi præterea conspiciuntur lapides & Græcis, & Latinis inscripti literis, & ingentium Epistyliorum, Scaporum, & Basium fragmenta, quæ a nostris quibusdam in suis servantur Musæis. Hæc non mei oblitus in medium affero, & quod paulo ante dixeram non recordatus, sed ne ab aliis desiderentur, cum & longè posteriora sint, quam quæ de Heraclide perferuntur.

C. IVLIO. AMBROSIO. D. LVCRETIVS. IVSTVS. FILIVS.

D. M. S.
SEXT. LICINI. PRI.

D. M. S.
VICILIÆ. TITINIÆ.
PROCVLÆ.

FAVSTINA. AVG. AVRELII
CAR. PVBL. I. C. D. D.

D. M. S.
FESTVS. VIX. A. LV. LVPV-
LA. COIB. M. E.

D. M. S.
T. CALPVRNIVS. CRATISTVS.
VI. A. VI. D. XXXX. H. S. E.

D. M.
IVLIA. FILEMATIN. V. A.
XVIIII. H. S. E.

D. M.
LÆNIA. PRIMIGENIA.
V. A. LV. H. S. E.

CALPVRNIA. CRATISTA.
V. A. L. H. S. E.

C. MEMMIVS. DIONYSIVS.
V. A. LX. H. S. E. IVLIA.
MARIA. CONIVGI. B. M. F.

MEMMIA. SECVNDINA. V.
A. XXVIII. H. S. E. MEMMIVS. SÆNANIVS.
CONIVG. B. M. F.

Sepulchrum vero M. Plautii, cuius in amore coniugali meminit Valerius, & Horistillæ coniugis, quod illius elegantissimi tametsi aliorum iudicio subobscuri viri diebus conspiciebat ut τῶν πλώτων ἄφεσι, hodie non apparet: sicut neque aliorum, quæ tot hostium incursibus devastata credere est; & præcipuè Demosthenis Athenensis oratoris præclarissimi, quem constat in æde Neptuni hausto, quod in annulo gestabat, veneno obiisse, dum fugeret excandescentem Macedonis Antipatri iracundiam; atque illud Pacuvii Poetæ tragici, quod ab Agellio refertur cum hoc Epigrammate;

Adolescens tametsi properas, hoc te saxum rogat.
Ut se aspicias, deinde quod scriptum est legas.
Hic sunt Pacuvii Poetæ Marcisita ossa.
Hoc te volebam nescius ne esses. Vale.

Taras

Digitized by Google

Taras cur Neptuni filius, & de ipso Neptuno.

CAP. V.

TAram, (ut hæc obiter non omittantur) ſicuti a prudentioribus coniicitur, ideo Neptuno genitum vulgus exiſtimat, quia peregrinos navigio advectos ita appellare conſuevit antiquitas; ut terræ & cœli tam vetuſtos quam ignotos, quique obſcuri eſſent generis: vel haberent corpus enorme, & monſtruoſum; quoniam, dum ignoratur, qua regione ſint homines profecti, ad generalitatem confugitur, id quod de Meſſapo Virgilium indicaſſe enarrat Servius;

At Meſſapus equum domitor Neptunia proles.

Neptuniam (inquit) *vocat prolem, quia per mare ad Italiam venit.* Sed & de Theſeo hæc apud Græcos loquuntur;

Θησεὺς υἱὸς ἦν Αἰγέως, καὶ τῆς Αἰθρας
Ὡς δὲ ἀνδρεῖος, ἐφαντάσθη τὸ Ποσειδῶνος,
Τὸν συμπαντας γὰρ σύμπαντας, ὡς πάντας τὸν ἀν.
Τιὸν ᾧ φίλους, ἐμαθὸς φασι τὸ Ποσειδῶνος. (δήμους

Hoc eſt;

Theſeus filius erat Attici Ægei, atque Æthræ,
Tanquã autem fortem dixerunt filium Neptuni;
Animoſos enim omnes, atq; omnes fortes
Filios, & amicos, amaſioſque dicunt Neptuni.

Et qui in navigatione floruerunt, Neptuni filios appellarunt; ita dictus eſt Sextus Magni Pompei filius ab Horatio ad Mecœnatem ſuum:

Ut nuper actus cum freto Neptunius,
Dux fugit uſtis navibus,
Minatus urbi vincula, quæ detraxerat,
Servis amicus perfidis,
Romanus.

Prætermittenda ſunt illa, quæ poetæ finxerunt, nautas Neptuno genitos credi, quia maris imperium cum tridente, quo ſceptri loco utebatur, in diviſione orbis terrarum illi, non alii ex fratribus ſorte datum feratur: atque apud Maronem ipſe in Aeolum minabundus gloriatur. Qua ratione apud Græcos ποντομέδων, apud Latinos rector pelagi nominatur. Ipſe ut maximè verum illud de Tara aſſererem, uno ex antiquis erronibus, qui incertis ſedib. pervagarunt, quod ab Agellio in Atticis noctibus relatum eſt, ni mali inauſpicatiq; ominis tam præclaræ & pervetuſtæ urbis conditorem ſuſpicari inde cogerer invitus. *Præſtantiſſimos* (inquit) *virtute, prudentia, virib. Jovis filios appellarunt. Græci ἐκ Διὸς ἔφυς, ut Minoa, ut Sarpedona: ferociſſimos, immanes, & ab omni alienos humanitate, tanquam è mari genitos Neptuni filios, dixere.* Quin & Phurnutus ait ob maris violentiam, vel, ut Græci loquuntur διὰ τὸ τῆς θαλάττης ἄγριον, omnes violenti, & audacioris animi, Neptuni filii vocati ſunt, ut dirus & prodigioſus Cyclops Polyphemus, in Sicilia Tyrannorum ſede & domicilio: ut illaudatus ille Buſiris, qui, quo tempore commiſſa inter Danai atque Aegypti fratrum filios fratricidia fuere, quo tempore Terei & Prognes Philomelæque inceſto additum ſcelus, apud vicina Nilo loca cruentiſſimam exercuit dominationem, tranſeuntes deorum aris hoſpites tanquam victimas immani ſcelere occidendo. Omitto Leſtrygonas, & Aloidas, cæteroſque, quos partim in hiſtoricis, partim in poetis invenies. De Neptuno autem quid eſt, quod verè affirmari poſſit, cum Neptunos, veluti Saturnos, Ioves, Hercules, Dionyſios, cum aliis Ethnicorum Diis, ſexcentos ferè fuiſſe legatur? Cretenſem alii tradunt, quia de Cretenſi Saturno fabula eſt, quod filios devorarit, quod ſervatis clam fratre, cui regnum abſtulerat, Iovi, Neptuno, Plutoni, regnum diſtribuerit: quod primo Cœlum, alteri mare, tertio inferna poſſidenda tradiderit, hoc eſt Orientale dominium, occidentale, & maritima omnia cum inſulis. Sunt qui Theſſalum fuiſſe contendant: nam & Pelaſgi profugi ex Hæmonia, ut tunc vocabatur, nunc eſt Theſſalia, ſedem in Italia habuerunt: & in Theſſalia imperio potitum Neptunum Lucanus inter cæteros auctor eſt in Pharſalico bello:

Primus ab æquorea percuſſis cuſpide ſaxis,
Theſſalicus ſonipes bellis feralibus omen
Exiliit primus chalybem, frænoſque momordit;
Spumavitque novis Lapithæ domitoris habenis.

Sed rei veritas quomodo ſe habeat, ſciri quidem haud facile poteſt; nam ante diluvium illud, quod Sacræ hiſtoriæ auctor Moyſes univerſale tradit, nullus eſt qui neſciat minimum terræ angulum homines tenuiſſe, nec tum in omnes terras diffuſos: propagato autem ex Noe, eiuſque filiis ac poſteris hominum genere, per orbem terrarum ſunt diſperſi, regionibus, & provinciis, quas primum occupabant, nomina imponentes vel ex ſe, vel ex parentibus, vel ex coniugibus, vel ex filiis. Quæ autem ſingulis fuerint occupatæ ſedes, & quoto poſt inundationem anno, qui primo occuparint, quique illis ſeſe adiunxerint non ſatis verè poteſt (ut arbitror) explicari. Atque id non modo eſt difficile in ſingulis terræ habitabilis oris oſtendere, ſed etiam in Italia, quæ cum propinquior ſit labori noſtro, in ea deſcribenda multis occuparer figmentis. Antiochus Syracuſanus antiquus ſcriptor, habitatores Italiæ percenſens priſcos, & quæ loca a ſingulis ſint occupata, ait Oenotros omnium primos, quorum extat memoria, terram eam incoluiſſe; eius verba afferre videtur Halicarnaſſeus in antiquitate Romanorum, & ex eo ipſe quoque huc tranſtuli. Antiochus Xenophanis hæc diſertè ſcripſit de Italia, bona fide ſecutus ſermones veterum: *Terram hanc, quæ nunc Italia dicitur, olim tenuerunt Oenotri.* hæc ille. & Vates noſter hæc eadem cum legiſſet, in Æneidos primo ita cecinit.

Eſt locus, Heſperiam Graii cognomine dicunt.
Terra antiqua, potens armis, atque uberæ glebæ
Oenotrii coluere viri, nunc fama, minores

Digitized by Google

Italiam dixisse ducis de nomine gentem.

Hæc eadem legerat apud Aristotelem, qui de antiquo communium cœnarum usu differens, inquit, *Illas quandoque fuisse apud Laconas, ex insula Creta regnante Minoe, ortas: sed antiquiores apud Oenotrios, qui postea ab Italo duce Itali sunt mutato nomine vocati*. Sunt qui Antiochi verba eam Italiæ partem respicere sentiunt, quæ occidentalis dicitur intra sinum Scyllaticum, & Lameticum, loca intra se dimidiati diei itinere distantia, multis olim nobilissimis proceribus occupata & nomina à diversis sortita: nam & Ausonia, & Brettia, & Calabria, & Oenotria, & Italia variis sæculis dicta est; unde & hos Jambicos versus afferunt:

A tergo ad dexteram sita est Oenotria terra,
Thyrrhenicusque sinus, ac Liguriæ,

Ex Sophoclis Tragici poetæ Triptolemo quæ fabula non extat. Quid de Barbaris Siculis, quid de Aboriginib. quod de Pelasgis certi aliquid tradi poterit, cum nullus in his populis scriptor sibi constet? Diserti Romanorum viri, & in his Portius Cato, qui diligentissimè scripsit de conditoribus Italicarum urbium, Caiusque Sempronius & alii Græcos eos affirmant esse, multis ante bellum Trojanum ætatibus ex Achaia profectos; nec tamen distinctè tradunt ex qua Græca natione, quave urbe migrarint: sed ne tempus quidem, aut Coloniæ ducem, quove casu antiquam reliquerint patriam, ostendunt: tantum fabulam secuti Græcorum, nullius Græci historici eam testimonio comprobant. Sed quæ de Cretensib. circumferuntur, veritati magis adhærentia existimo: nam & Hydruntum, Lupiæ, Uria, Brundusium, Barium ad eos à Strabone, Leonico & cæteris, qui de his agunt urbib. referuntur. Hydruntum a Cretensib. conditur, quo tempore maxima terræ siccitas, & cœli æstuosus squalor Cretam occupavit insulam. Lupiæ sive Aletium dicatur, Lycium Idomeneum habet auctorem. Uria illos Cretenses, qui cum Minoe navigarunt, auctore Herodoto. *Brundusium* (ait Strabo) *Cretenses habitasse, memoriæ proditum est, qui à Gnosso cum Theseo discesserunt*. Barium sive Japygem ab Japyge Dædali filio appellarunt, qui & ipse Cretensis existimatus est. Sic & de Tarento invenies ea multa quæ antea scripta sunt. Fuit Creta à Curetibus per Syncopen dicta, nonaginta habuit civitates, & propterea ab Homero ἑκατόμπολις appellatur, eius antiquissimam Remp. Minos justissimis legib. constituit. Cretenses quondam mari imperasse, & omnes Græcas insulas aut subegisse, aut habitasse, dimissis eò colonis refert Aristoteles. Omitto illa, quæ à Noe usque ad Saturnum referuntur: Cam scilicet genuisse Cus, & Cus Nembrothum, & Nembrothum Cretem, à quo Cretenses: Creten Cœlum, Cœlum Saturnum, Saturnum Jovem à quo fuit regno expulsus, cum Neptuno, & Plutone, fortasse non omnib. placitura ut superflua, & magna rerum dicendarum inopia mendicata.

LIBER SECUNDUS.

De Phalantho, qui Tarentum auxit, cuius filius, de oraculo illi dato, adventu, recessus, & morte.

CAP. I.

PHalanthus etiam secundus Tarentinæ Urbis auctor suos habet enarratores, quia partim historici, partim poetæ, modò ficta de illo loquuntur; nos imprimis hac in re præter Justinum, Pausaniam sequimur & Stephanum: qui etsi varia scribunt, nos tamen ita rem texere ordimur, ut primo loco agamus de bello Messeniaco, deinde de ipso Phalantho. Ignoscant obsecro, quibus principium videbitur longius repetitum, bonique consulant id factum esse, ita enim dilucidior apparebit historica narratio. Lacedæmonii populi sunt in Peloponneso, qui & Lacones dicuntur, atque ab urbe Sparta Lycurgi legib. instituta Spartani, Spartæ, Spartiatæ. De illorum morib. multi aliquid scripsere, illud præcipuè quanta fuerit eorundem peritia in reb. cum & fœminæ ipsorum bellum gererent, ne dum viri filiosque ad arma a primis eorum annis instruerent. Notavit Ælianus in libro quem scribit de varia historia. Lacedæmoniorum matronas, quotquot audivissent suos in pugna cecidisse filios, abire solere, & vulnera illorum inspicere tam adversis quam aversis inflicta corporibus: si plura ex adverso essent facta, cum gaudio, gravi & terribili vultu, in maiorum avita monumenta occisos filios deportare; sin alio in loco vulnera accepissent, pudore ductas lachrymisque confectas, quam maximè poterant clandestina fuga discedere relictis mortuis, ut in communi sepulchro humarentur: aut furtim surreptos in domesticam sepulturam deferre. Præcelluerunt semper factis magis, quam loquacitate: itaut ab ipsis breviloquentia Laconismus dicta sit, pauciissimisque verbis sententias complectebantur gravissimas. Messenii, qui Messenen Achaiæ urbem florentissimam, & angusto freto propinquam incolebant, honestissimi quidem viri, & qui ex urbe sua Epicureos expulerint, ceu alias Romani Alcæum & Philiscum, eo quod multarum flagitiosarum libidinum auctores essent adolescentibus Divus Hieronymus adversus Jovinianum, eam fuisse populorum inter se istorum amicitiam refert, ut aliquando, quorundam sacrorum gratia virgines ad se mutuò mittere non erubuerint. Regnante igitur apud Lacedæmonas Polydoro, qui Teleclo successerat, qui fuit annus ab orbe condito quater millesimus, quadringentesimus, & quinquagesimus septimus circa principium nonæ Olympiadis, & circa octavum annum Romani imperii sub Romulo Geminorum altero, extincto fratre Remo, veluti auctor est Eusebius, & ante Christi Salvato-

Digitized by Google

vatoris noſtri adventum ſeptingenteſimus, & quartus ſupra quadrageſimum, ortum eſt inter hos populos, Meſſenius videlicet, & Lacedæmonios bellum illud diuturnum, quodque dicitur vicennale: tanto quidem exitio, ut inter crudeliſſima reponatur. Odii vero tanti initium exinde ortum Ephorus ſcriptum reliquit, quod Teleclum Spartanorum Regem, cui (ut diximus) Polydorus ſucceſſerat, ſacrorum gratia Meſſenen profectum Meſſenii interfecerint: ſentiunt alii ob ſtupratas Lacedæmoniorum Virgines, ab ipſis Meſſeniis in ſacrificio, quod illas nullo honore affecerint, ſive quod tentarint iuvenes Meſſenii ſtuprum inferre, ſed a duce eorum Ariſtomene impediti illas dimiſerint integras & inviolatas. Bellum igitur indixere Lacædemonii, magnoque exercitu Meſſenem obſederunt. Sed cum ſecus quam ſperaverant annos decem in obſidione diſtinerentur, ac variis belli caſibus, cum multi (ut fit) foris morerentur, & frequens delectus, qui quotidie mittebatur, magis indies urbem Spartam multitudine exinaniret, nec ob viros abſentes ſpes ulla ſobolis propagandæ domi ſupereſſet, duplici civitas eorum affecta clade brevi ad nihilum redigebatur. Uxores tam longa maritorum abſentia dolentes multis eos querelis revocabant, neque precibus, & blanditiis maritalibus, ſed conviciis etiam atque criminibus multis illos arguebant, ut qui privatæ iniuriæ ulciſcendæ ſtudio ſeipſos cum patria tacita perderent calamitate. Cogitare potius animo deberent, quanto id ſibi bellum magis, magiſque eſſet quam hoſtibus pernitioſum: nam etſi illi intra mœnium ſuorum ſepta incluſi, aſſiduaſque bellorum caſibus afferuntur cædes graviſſime ſentiunt perpetua tamen uxorum, quibus cum immorantur fœcunditate, iuventutem reparant: contra vero Spartanam rem, domi virorum iam deſperata abſentia, foris bellorum caſibus in dies magis extenuari; fore aliquando, ut ſi pergerent diutius abeſſe, civitate viribus exhauſta, non modo non inferre aliis bella Spartani poſſent amplius, ſed ne illata quidem propulſare. Eant igitur aliquando poſteritati conſultum: ſatis ſuperque ire datum videantque ne alieno ſtudentes excidio, domeſticum ita alant, ut vitare nunquam ipſi valeant. Quibus uxorum verbis eorum, qui in obſidione commorabantur, moti ſunt animi: cum ſatis intelligerent veriſſima eſſe omnia, quæ ab illis obiicerentur; quia tamen iurati aberant, domumque niſi Meſſena expugnata, nunquam ſe redituros obſtrinxerant, bellum omittere nullatenus ſunt auſi. Sed cum variis inde curis eſſent ancipites, fide ſacramenti religioſus obſervata, volentes tamen uxorum conſiliis adſæiere, eo tandem pari omnium ſententia decurrunt, ut domum iuniores iniuratos remitterent, qui puerilibus adhuc annis, quando ipſi grandiores natu ad bellum exierant, ad arma inepti erant, & multo poſt initia tanti belli, ſupplementi cauſa fuerant ad caſtra acciti. Permiſere his licentia quidem ſatis infami, neque tamen (ut cenſebant) inutili, ut promiſcue cum omnibus concumberent mulieribus, maturiorem rati conceptionem, ſi ſingulæ per plures viros cognoſcerentur. Qui ex huiuſmodi concubio orti ſunt in diſcreto, ob materni pudoris notam Parthenias nominavere, tametſi huius nominis cauſam alii afferant, quod iuvenibus tantum fuerat permiſſum cum virginibus, quas Græci vocant παρθένους, concumbere ſive liberis, ſive ſervis. Quo tempore apud Lacedæmonas fertur cultam eſſe Venerem Armatam, Cloacinam, Maſculam, & Barbatam. Anno tandem nono poſt miſſos adoleſcentes, & vigeſimo a belli initio pene exacto Meſſena fuit expugnata, & in Spartanorum ditionem redacta, cum apud illos regnaret Euricrates huius nominis primus, Polydoro extincto decimæ quartæ Olympiadis initio, qua Damonem Corinthium tradunt in ſtadio viciſſe. Illud autem unum, quod apud Ælianum legitur, pretermittendum non cenſui, Lacædemonios devictis, Meſſeniis, omnium quæcunque in Meſſenia erant, dimidiatam ſibimetipſis accepiſſe partem, & mulieres liberas in funera prodire coegiſſe, ut alienos neque quidquam ad ſe pertinentes mortuos lugerent ex viris aliquos ruri colendo reliquiſſe, nonnullos vendidiſſe, multaſſe etiam plures morte, reliquos in ſuam patriam recepiſſe. Poſt agri Meſſenii diviſionem Lacedæmonii domum reverſi, iuvenes ita promiſcuè natos cum aliis legitimis pari nequaquam in ſua Republica aſſiciebant honore. At illi cum grandiuſculi eſſent, trigeſimumque agerent annum, his iniuriis accenſi, & metu etiam inopiæ, quia certo carebant patre, in cuius bona ſuccedere ſperarent, Phalanthum ſuarum ſibi fortunarum ducem elegerunt, cuius parentem Aracum ſui ortus auctorem habuerant; is enim fuit, qui pudoris oblitus in bello ſociis perſuaſit, ut iuvenes iniurati domum ad uxorum, ſeu virginum concubitum remearent. Iniere igitur cum illo conſilium, ut in Hyacinthiorum celebritate cum certamen haberetur in Amycleo, Phalanthus pileum ſuperimponeret capiti, & tum repente ad deſtinatam popularium diſcurrerent cædem, qui a cæſarie, qua utebantur, facillimè poſſent dignoſci. Hac autem re per ſervos quosdam Ilotas, qui & ipſi cum adoleſcentibus conſpiraverant, patefacta, dum certamen haberetur, in medium procedit præco, & Phalantho, ne pileum capiti imponeret, inhibuit. Quod coniurati ſentientes, apertis iam hoc modo palam inſidiis partim fugitant, partim adventant ſupplices: ſed iuſſi bene ſperare, in vincla coniiciuntur. At Phalanthus, qui factionis erat caput, ad Apollinem de Colonia deducenda conſulturus a ſenioribus mittitur: huiuſce illi Dæmon reſponſum dedit:

Σατυρίεν τε δῶκα Ταραντί τε πιείναδημον
Οἰκῆσαι, καὶ πᾶσι ἐπαύρεσι γενέσθαι.

Hoc eſt:

Saſtyreum & pinguem populū tibi trado Tarenti,
Incolere, & late populum per Lapygas ædes.

Adie-

Digitized by Google

Adiecit præterea oraculum, quod tum Phalanthus regionem esset adepturus, & civitatem cum suis conditurus, quando sub Æthra pluviam animadvertisset. Revertitur inde Phalanthus animi (ut res erat) anceps, quia quid sibi vellet Apollo, non intellexerat; Seniorum tandem suasu, nullo ad hæc augure consulto, ea conditione cum Partheniis urbe excessit, ut si nullam demum terram adepti essent, quam incolerent, & ubi perpetuo considerent, in Laconiam reversi, tertiam Messenii agri partem sortirentur. Conditionem illam Phalanthus accepit invitus, & classe ad eam rem parata, applicuit ad eam Italiæ partem, quæ magna Græcia a Græci incolis dicta est. Addunt ad hæc nonnulli, quod priusquam Italiam appulisset, in Crisæo mari naufragium perpessus a Delphine ad littus delatus sit, id quod mirum non videbitur, neque novum, si quis Herodotum & Plutarchum de Arione legerit, si quis Theophrastum, & Plinium præter Ælianum observaverit. Utcumque tamen sese res habuerit, Phalanthus tandem ad promissa pervenit loca, ubi ob Achivos adversus barbaros bellum gerentes, cum nullam adhuc occupare potuisset urbem, nulloque potiti agro ob novam condendam, Oraculi e re de improviso nata, ei multa cogitanti in mentem venit, ac plane quod fieri nullo modo posset, Dei voce sibi significatum cum antea secum meditaretur (qui enim eveniret, ut puro serenoque cœlo, quam Æthram Græci vocant, plueret aliquando?) cœpit hoc pacto bene sperare; in tanta n. animi sollicitudine, cum miser observaretur, uxor, quæ eum domo secuta fuerat, mœstum & afflictum, & iam animi despondentem, ut fit, consolabatur, & suis eius caput genibus sustentans, inter consolandum pedunculos quæritabat; inter hæc viri miseratione commota tantas effudit lachrymas, ut viri caput madefecerit perfuderitque. Tunc igitur primum evolutæ sunt oraculi ambages, & Phalathus hoc sentiens (erat n. uxori nomen Æthra) Phœbi responsum interpretatur, & ea nocte, quæ diem illum insecuta est, Tarentum hostium urbem maritimorum tunc pro tempore maximam & opulentissimam cœpit, expugnatis, vique ac dolo expulsis veteribus colonis, qui se Brundusium contulere. Unde posthac Lacedæmoniorum opus, Laconumque oppidum Tarentum dici cœptum est, & Tarentinos Phalantheos spurios, qui nihil a patre aliud habebant, quam semen, a Græco fortasse verbo σπείρειν, quod seminare apud Latinos valet. Hoc igitur modo Lacedæmonii illi adolescentes Phalanthum, secuti sedem, quam diu quæsiverant, adepti, Tarentinos veteri nomine se appellari voluerunt, ut primos, qui remanserant, accolas sibi alliceret, quod aliter fieri debebat, cum victi victorum potius nomen accipere soleant, non victores eorum qui victi sunt. Exinde, ut tutius, commodiusque viverent, Brundusinis, ad quos Tarentini (ut diximus) multi confugerant, bellum movent, & brevi victoria potiti eos non parva agri portione privant. Evenit autem, ut non multos post annos dux Lacedæmonum & Tarentinorum Phalanthus, tam strenuus, tam prudens ubi leges sanxerit, ubi humana atq; divina omnia constituerit, per seditionem turbatus in exilium Brundusium se contulerit. Hanc ipse ejectionis caussam conijcio: quod Phalanthus ex animi tantum sui sententia potestatem exerceret, quod videntes Lacedæmonii adversus patrium fieri institutum, illum expulere, siquidem Lacedæmoniorum Reges in rebus gerendis sui haud erant arbitrii, ut quicquid sibi placeret, facerent. Sed senatus erat potestas in negotiis ad Rempublicam pertinentibus, & hanc dignitatem non multo ante hæc tempora de Laconica sumptam dederat Romulus Senatui, populoque Romano. Quæcumque tamen fuerit sive hæc sive alia ejectionis causa, a Brundusinis benigne est exceptus Phalanthus, qui & populos veteres Tarentinos ab ipso Spartanorum duce profligatos benignius antea exceperant, & civitate donaverant. Sperarunt fortasse Brundusini apud se fore totius Messapiæ regionis dominium, quod Phalanthus non sine ultione ingratorum comitum iniuriam perpeti videbatur. At is non multos post menses morti propinquus ex gravissimo, in quem inciderat, morbo, persuadet Brundusinis, uti ossa sua postremasque post obitum reliquias contererent, taciteque in Tarentinorum foro spargi curarent; hoc enim modo recuperare illum aliquando posse patriam suam unde fuerat expulsus, quem consuluerat Apollinem, Delphis ceciniſſe. Contra vero Brundusini, eum in ultionem sui fata civium prodidisse, arbitrantes, præceptis sibi datis paruere. Sed Oraculi diversa fuerat sententia, nam urbis perpetuitatem, non amissionem hoc pacto promiserat, ita ducis exulis consilio, & hostium ministerio Tarentina possessio Partheniis in æternum fuit fundata: ob cuius beneficii memoriam, & Partheni divinos Phalantho honores decrevere, & Brundusini eximiam illi condidere sepulturam.

Tarenti Epitheta pleraque Phalanthi gratia a poetis, & historicis notata.

CAP. II.

DIximus supra Iustini Istorici testimonio Tarentinos a Phalantho Phalantheos fuisse appellatos, quod etiam Epithetum a Sylio Italico appositum est, cum dixit:

Inde Phalantheo levitas animosa Tarento,
Auxonium laxare iugum.

Et ab Horatio:

Dulce pellitis ovibus Galesi
Flumen, & regnata petam Laconi
Rura Phalantho.

Et a Martiali:

Dic toga facundi gratum mihi munus amici
Esse velis, cuius fama decusque gregis?
Appula Lodæi tibi floruit herba Phalanthi
Qua saturat Calabris culta Galesus aquis.

Et ab eodem:

Puella suibus dulcior mihi Cygnis,

Agna

Digitized by Google

Agna Galesi mollior Phalanthini,
Concha Lucrini delicatior stagni.
Virgilius appellavit Tarentum Herculeum lib. Æn. 3. v. 551.

Hinc sinus Herculei, si vera est fama, Tarenti.

Ubi Servius ita scribit: *Partheniatæ duce Phalantho octavo ab Hercule profecti sunt, delatique ad breve oppidum, quod Taras Neptuni filius fabricaverat, id auxerunt, & prisco nomine appellarunt Tarentum. Bene ergo nunc Herculei Tarenti, si vera est fama, quia Taras condiderat, auxerat Phalanthus, ab Hercule oriundus.* Quid si octavus ab Hercule dictus sit Phalanthus non agnatione, sed proverbio? nam huius meminit Xiphilinus è Dione in Avito; *Sardanapalus* (inquit) *interea certamina præbebat, & crebra spectacula, in quibus Aurelius Ælix athleta gloriosus fuit, qui tantum cæteris antecelluit, ut ausus sit in Olympia, lucta simul certare & pancratio, victorque utriusque in Capitolinis fuerit: cui cum inviderent Elæi, ne foret (quod dici solet) octavus ab Hercule, neminem ad luctam advocarunt, quamvis in albo id genus certamina adscripsissent, Romæ vero utrumque vicit, quod ante fecerat nemo. Dedit* (inquit Parrhasius in Claudianum) *hoc epitheton Tarento poeta, quod apud Aristotelem in naturæ miraculis, & in libro περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων legerat, Heracleam Tarento nomen aliquando fuisse scilicet ab Hercule, qui Tarentinos bello domitos in potestatem redegit, & quia noverat Maronis prudentia, hoc ut fabulosum inter ea, quæ fidem non assequuntur, Aristotelem coniecisse, consulto interponit (si vera est fama) ne iudicium suum in re tam incerta immiscueret.* Ovidius vocavit Lacedæmonium Tarentum cum Horatio;

Ventisque faventibus æquor
Navigat Ionium, Lacedæmoniumq; Tarentum.

Horatius:

Tendens Venafranos in agros,
Aut Lacedæmonium Tarentum.

Eadem ratione dicitur a Vergilio Oebalium; quia (ut ait Servius Statii auctoritate) Oebalia ipsa est Laconia.

Namq; sub Oebaliæ memini me turribus altis,
Qua niger humectat flaventia culta Galesus,
Corycium vidisse senem.

Et a Claudiano:

Formosum Oebalii locum posuere Tarenti.

Et Galesus, qui apud Tarentum fluvius est, dicitur Theramnæus, idest, Laconus, a Statio in sylvis, quia & aliquando Lacedæmonii dicebantur Theramnæi:

Blanda Theramnæi placeant vineta Galesi.

Ubi videre poteris Luctatium Grammaticum Statii enarratorem fide dignum, & inter Grammaticos sui temporis Aristarchum, sicut plures docti viri ante me iudicarunt, quos nominare non ausim. Idem fluvius Galesus vario apposito solet a Martiali Lacedæmonius appellari,

Te Lacedæmonio velat toga læta Galeso,
Vel quam sepositio de grege Parma dedit.

Qua eadem ratione & Phalanthum Lacedæmonium supra appellavit. Græci vocant Τάραντα παχύμειον, ἢ πιότατα, πιότητα, idest pinguem, quia in agro (ut infra apparebit) Tarentino facile est victum invenire, qua ratione idem Græci vocarunt πολιτικὴν πόλιν παχύμειον, vel ut nonnulli alii locum Strabonis emendantes παχύμειον τάραντα, idest luxuriosum, affluentem, & feracem, qua ex voce dicti sunt Satyri, qui in libidinem ab ipsa natura sunt proni, & a genitali membro quo σάδιν appellant. Quin & Tarentum Saturum appellavit Vergilius in Georgicis 2. v. 195.

Sin armenta magis studium vitulosque tueri,
Aut fœtus ovium, aut urenteis culta capellas,
Saltus & saturi petito longinqua Tarenti.

Habuit & alia apud poetas Epitheta, ut molle, madidum, imbelle, unctum, & madens. Molle appellavit Horatius *Satyr. 2. Sat. 4.*

Pectinibus patulis iactat se molle Tarentum.

Quia, ut ait Macrobius, *Tarentum ita appellatum est Sabinorum lingua, quasi Terenon: ita n. quod molle, illi dicunt, & tenerum syllabarum transpositione, quam ob causam in libris Favorini Tarentini dicta est nux, quia eius erat molliciei, ut vix attrectata frangeretur.* Annotavit eundem locum Adrianus Turneb. libro Adversariorum primo, & capite vigesimo quarto his verbis: *Molle autem Tarentum cum dixit, si Macrobio lib. 1. Saturnalium cap. 8. credimus, errasse videri potest; qui etymologiam respiciens, idem esse Terentum & Tarentum crediderit. Nam quæ dicuntur oves Tarentinæ, eas Terentinas dici debere credit, quod Terentum Sabinorum lingua sit molle: sed Flaccus potius ad populi fortasse mores, quam ad vocis notationem respexit.* Tarentinum notat Arnobius lib. 5. pro molli & lascivo, ubi de Sabaziis agit, sic dicens: *Tum illum citabimus Tarentinam notumque senarium, quem antiquitas canit dicens:*

Taurus Draconem genuit, & Taurum Draco.

Imbelle idem poeta dixit in Epistola ad Mœcenatem:

mihi iam non Regia Roma,
Sed vacuũ Tybur placet, aut imbelle Tarentum.

Quasi ociosum, quietum, & tunc quando ipse scribebat a bello vacuum, & voluptuarium, imbelle etiam Ravisius Horatium imitatus appellavit in præfatione Cornucopiæ,

Ostrum antiqua Tyros, lanas imaelle Tarentum,
Sassina Inc, Memphis stamina, Sparta canes.

Madidum dixit Juvenalis, coronatum, petu-

petulans, quas voces in deliciis Tarentinorum declaramus:

Atque coronatum, & petulans, madidumque Tarentum.

Nam Tarentini frequentissimi erant in compotationibus, genialibus conviviis, in quibus dabantur, & circumferebantur coronæ. Uno quoque mense publicum epulum instruebant cæso bove: privati plebei etiamnum Veneri & commessationibus indulgebant assidue. Ebriæ mulieres desudantes unguenta vino permiscebant. Iuvenalem imitatur Sulmonius poeta:

Et Sybaris sequitur luxus, madidiq; Tarenti.

Et Pontanus:

Bacchi deliciæ, aut madens Tarentum.

Et unctum appellavit Sidonius:

Ipsaq; quæ petiit trepidaverat uncta Tarentus.

Horatius item, Sacrum appellavit:

Neptunoque sacri custode Tarenti:

Vel quia Tarenti devotius colebatur Neptunus: vel quia in Neptuni fuisset tutela: vel quia ut unaquæque urbs, sic Tarentum, eorum, quos intus habet, est nutrix, quod officium divinum est, θεὰς πόλεως Græci & θεὰ στεῖχια dicunt. Antiquus Taras legitur apud Lucanum in Pharsalico bello:

quas Avius Hydrus,
Antiquusq; Taras, secretaq; littora Leucæ

Livius lib. nono primæ decadis Tarentum appellat validum oppidum. *Apulia* (inquit) *perdomita (nam Tarento quoque valido oppido Iunius potitus erat) in Lucanos perrectum.* Hactenus de Epithetis.

Alibi non esse huius nominis urbem: obiter de ludis sæcularibus, & aliquando aliud habuisse nomen.

CAP. III.

HOc etiam veluti pro Colophone adiungendum duxi, quod quia certissimum est, non omnino ingratum arbitror fore lectoribus candidatis. Nullibi orbis terrarum, quatenus ab Historicis, & Geographiæ doctoribus colligi potest, aliud huius nominis oppidum tam celebre, vel posito (ut aiunt) pignore esse contenderem. Obiicient aliqui in Gallia Narbonensi Sabaudiorum populorum urbem Tarantasiensem, obiicient Taram Sardiniæ, & Tarantum Lucaniæ, ubi texitur plebeius pannus, qui ab oppido Taranta dicitur. Neque sum nescius apud Græcos Iovem Ταραντῖνον appellatum, non a Tarento nostro, sed a Taranto Bithyniæ oppido masculo genere denominato: idque apud Stephanum in libro de urbibus qui volet, legat. Quin Urbs illa per Δ Διάνδος ab aliis profertur, & Taranti, vel Tarantæi Iovis Demosthenes libro Bithyinacorum secundo meminit. Afferam adhæc, quæ scribit Honoratus Grammaticus in octavo commentario & in illo carmine,

Stringentem ripas, & pinquia culta secantem

Hoc (inquit) *dictum a Vergilio de Tyberino fluvio, hoc est radente, & imminuente ripas, adeout ab antiquis Rumon dictus sit, quasi ripas ruminans, atque excedens, & in Sacris Serra dicebatur, & in aliqua urbis parte* Tarentum, *eo quod ripas terat: ceu Ovidius in Fastis cecinit, dum Evandri, & Carmentæ genitricis in Italiam adventum depingit,*

Fluminis illa latus, cui sunt vada cuncta Tarenti
Accipit, & sparsas per loca sola casas.

Cuius item loci meminit Valerius Maximus, iuxta quem ludi sæculares, qui Tarentini dicti sunt, celebrabantur, Diti patri, & Proserpinæ, ad quos alluisse Ausonius videtur in Grypho:

Trina Tarentino celebrata trinoctia ludo,

Neque non Statius Papinius in sylvis:

Nec tantum induerint fatis nova sæcula crimen
Aut instaurati peccaverit ara Tarenti.

Est & Martialis Epigramma de matrona, quæ binis Claudii scilicet, & Domitiani ludis interfuerat:

Bis mea Romanos spectata est vita Tarento,
Et nihil extremos perdidit ante rogos.

In quarto eiusdem epigrammatarii volumine de eadem re sic habetur:

Hic colat ingenti redeuntia sæcula lustro,
Et quæ Romuleo sacra Tarentus habet.

De origine autem sæcularium ludorum, & causa nominis, quot annorum interiecto spacio, quoties facti, quo ritu, quibusque diis celebrari consueverint multa scribunt Grammatici, nonnulla Volaterranus, qui addit præcepto Sybillinorum versuum anno primo Punici belli institutos. Sed in primis Angelus Politianus in Miscellaneis multorum (ut ipse fatur) auctoritate, Terentii scilicet, Varronis, Valerii, Horatii, Lucii Flori, Festi, Zosimi, Herodiani, Svetonii, Censorini, Cassiodori, Porphyrionis, & Acronis usque ad satietatem. Recentiores non indocti illi quidem locum hunc non Tarentum, sed Terentum cum secunda & non prima vocali Latina scribendum autumant; notationis, credo, ratione, quam a Terendo deduci Servius docet, illique sic scribunt, sicque corrigunt omneis poetarum versus, quos superius adductos ex tam multis adscripsimus. Quin & Festus tradit Terentum ibi dici, quod ara, ut Conso Deo consiliorum, Diti, & Proserpinæ sub terra conderetur, sicut superis Diis in ædificiis a terra erectis sacra rudis faciebat antiquitas, & terrestribus in terra, & in Epitome Liviana libri quadragesimi noni leguntur hæc verba: *Diti patri ludi*

ad

ad Terentum ex præcepto librorum Sybillinorum facti, qui anno 100. primo Punico bello, 500. & altero ab urbe condita facti fuerunt: quem locum agnovit idem Volaterranus. Post Herculis victoriam Tarentini non modo Heracleam dixerunt iussu ipsius Victoris urbem, sed etiam in illius honorem delubrum fabricaverunt. Appellaverant & alio nomine imperantibus Ionibus Pleona, & ab ante illos prioribus vocabatur Sigium: cuius rei fidem facit Aristoteles in libro, quem supra citavimus, de naturæ miraculis: cui an fides danda sit, alii viderint, iam n. opus spurium est, sicut & illa de Xenophane, de Zenone; de Gorgia, de Mundo, quæstiones mechanicæ, & de lineis insecabilibus. Pleon boni erat hominis vox, nam & plus consequi per Tarentum sperabant Iones. Dalecampius in Plinianis annotationibus πλεῖον dictum exponit ob navigationis commoditatem. At Sigium quietem indicabat, quod primis huc errantibus, inspecto loco, ut silerent, & a navigationis laboribus quiescerent, visum esset. Aliis idem urbibus evenit, ut Romæ, ut Florentiæ, aliquando nomen ut mutarent suum, & vel a victoribus, vel a re quadam per cives gesta, sive a quovis eventu novo nomine nuncuparentur. Ex tot autem quæ dicta sunt, ut urbis Tarentinæ conditor appareret, tam de nomine, quam de tempore simul scribere necesse fuit, reliquum est ut de regione differatur.

De Sinu Tarentino, & de Siciliæ nomine.

CAP. IV.

Quæ de plaga, climate, longitudine, latitudineque dici possent, quæ de signo ex duodenis, cui subest, quia communiora sunt, ex industria omisimus: & eo magis, quod facillimum videatur apud Mathematicos de Tarento cuncta hæc cognoscere. Quæ ad situm ipsum pertinent ex variis Geographis, cum omnes inter se vel nominibus saltem dissentiant, ea tantum hoc capite recensemus: legat qui volet apud Ptolemæum, signo Virginis subesse Tarentum ad latitudinem graduum quadraginta versus septentrionem, ab occidua autem plaga ad longitudinem graduum duum & quadraginta ad orientalem recedere. Cœlum præterea esse temperatissimum, aerem quandoque caliginosum, serenum ferè semper, & propterea saluberrimum, in hyeme ipsa parum pluviosum, nivosum autem rarius quam observari possit. Sinum igitur, (quem ab urbe Tarento voce quadam excellentiore Tarentinum vocant, ut est apud poetam nostrum:

Hinc sinus Herculei, si vera est fama Tarenti)

duo comprehendunt, eaque tenuia, Salentinum scilicet & Lacinium promontoria, sicut ex Geographis omnibus constat: illud ab Oriente, & læva, hoc ab Occidente & dextra protenditur. Utriusque meminit idem poeta Minervæ, & Iunoni ab antiquis consecrati:

Crebrescunt optatæ auræ, portusque patescit
Iam propior, templumq; apparet in arce Minervæ:
Attollit se diva Lacinia contra.

Sed cum in hac re aliorum verba sint apponenda, a Catone, ut ordo servetur aliquis, censui inchoandum. Neque tamen me fugit nonnullos nostri temporis Scriptores esse, qui fragmenta Catonis, Berosi, Fabii Pictoris, Sempronii, Myrsili & aliorum esse potius quædam fabulosa, quam historica contendant. Sed cum istorum sententia singularis sit, placuit nobis quod & antiquiores, & doctiores super hac re senserint, & in eo etiam indulgendum nobis confidimus, quia & alii viri alioquin doctissimi idem fecerunt in suis historiis Vrbanis, ut ex scriptoribus, quorum summa apud omnes esset auctoritas, multa in medium eadem de re afferrent. Cato igitur in quodam de originibus fragmento ita scribit: *A Gargano ad Brundusium coluere Cœlii, unde Appuli Daunum, Appuli Boi, in quibus Arpe, Canusium, Barium, sub his Appenninus ex transverso dividit in duos fines Italiæ, quos inter Tarentinus sinus iacet circumque ipsum undique est magna Græcia. Ad Orientem vero magnæ Græciæ pars est Oenotria Arcadum, & calabri prius Ausones, ad quos Græca verbositas fert venisse primam Græcorum classem annis ferme quadringentis ante ruinas Troiæ, cum Oenotrum ducem Arcadum post Troiam conditam adnavigasse in Calabriam tradat Antiochus Syracusanus, & circa oram maritimam posuisse colonias, & ut parcius mentiantur Græci, ab eo quondam dictam Italiam Oenotriam scribunt, cum ab initio Italia a vetustissimo Rege Sabinorum & Ethruscorum, penes quem erat imperium, id nomen sortita fuerit.* Hactenus Cato: nunc Strabonem audiremus si Polybius, cuius & ipse Strabo passim meminit, de hac eadem re ita prius non scripsisset: *Cum* (inquit Polybius) *inde a freto & civitate Rheginorum Tarentum usque stadia sint plusquam duo millia, ipsum tamen Italiæ latus prorsus portu destituitur, demptis illis, qui sunt Tarenti. Avertitur autem latus illud, ad mare Siculum, & vergit ad loca Helladis. Barbaras gentes habet populosissimas, & illustrissimas Græcorum civitates. Etenim Brutii & Lucani, & nonnullæ Samnitarum partes: adhæc & Calabri, & plures alii eam Italiæ regionem incolunt, sicut & ex Græcis civitatibus Rhegium, Caulona, Locri, & Croton. Præterea Metapontii, & Thurii eam maritimæ partem occupant. Itaq; & Siculi & qui ex Hellade veniunt, quando ad aliquem ex dictis locum navigant, necessitate ad portus Tarentinos feruntur, & in ea civitate mutua commercia, & œconomias cum omnib. lateris illius incolis faciunt, & facere coguntur. Poterit autem quisquam conicere loci illius commoditatem ex ubertate, ac felicitate provenire, quam habent Crotoniatæ. Illi siquidem cum æstivales stationes & prorsus exiguum quendam habeant proventum, nihilotamen minus magnam sibi felicitatem vendicare videntur, haud aliunde quam ex locorum*

rum fertilitate ; quæ ne conferri quidem poſſ ad Tarentinorum portus & loca. Eſt autem & commoditas eius loci etiam ad portus Adriaticos, nunc quidem magna, ſed maior fuit antè hæc tempora. Etenim quotquot ex ſuperiore Apulia ad Sipuntas uſque è regione navigabant, & ad Italiam ferebantur, Tarentum divertebant, illaque civitate ad faciendos contractus, & permutationes, quaſi quodam Emporio utebantur. Tum enim Brenteſinorum civitas condita nondum erat. Strabo ſequitur, cuius verba hæc ſunt : *Poſt Scylacium Crotoniatarum fines ſunt & Iapygum terna promontoria. Deinde Lacinium Iunonis templum, ſuperiori ætate locupletiſſimum, donisque frequentiſſimis plenum : interualla ſiquidem non iudicatu neque dictu facilia. Veruntamen à freto uſque Lacinium promontorium intervallum eſſe ſtadiorum duum millium & trecentorum Polybius refert. Hinc item ſpacium ad Iapygiæ ultima ſtadia DCC. quod Tarentini ſinus os eſſe ferunt : ſinus autem ipſe navigationis circuitum ita ratione comprehenſum habet, ad milliaria ducenta, ac quadraginta : ut autem regionis deſcriptor Artemidorus ait CCCLXXX. expedito viatori. Tot autem ſtadiis latitudo ipſius oſtii ſinus omiſſa eſt. Ad hybernos verò ortus eius aſpectus vergit, ipſius autem initium eſt Lacinium. Statim enim ubi flexeris, ibi urbes Græcæ fuerant, quæ nunc nullæ ſunt excepto Tarento.* Ptolemæus in ſitu Italiæ hæc locatum maritima tum mediterranea, ita ſituat: *Magnæ Græciæ iuxta Adriaticam pelagus Zephyrium promontorium, Locri civitas, Locanii fluvii oſtia. In ſinu iuxta Scyllacium intima ſinus, Lacinium promontorium in Tarentino ſinu, Croto civitas, Thurium, Metapontum, Tarentum : Salentinorum, Iapygium promontorium, quod & Salentinum dicitur. Calabriæ iuxta Ionium pelagus : Hydra, Luſpiæ, Brunduſium, quæ verò mediterraneæ ſunt magnæ Græciæ Petilia, Aiſtrum : Salentinorum Rhudiæ, Neritum, Aletium, Baubona, Uxentum. Calabriæ, Vretum, Sturni.* Pomponius Mela : *Frons* (inquit) *Italiæ in duo quidem cornua ſcinditur. Cæterum mare quod inter utraque iacet, tenuibus promontoriis ſemel iterumque diſtinguens, non uno margine circuit, nec diffuſum patenſq; ſed per ſinus recipit ; primus Tarentinus dicitur inter promontoria Salen & Lacinium, in eoque ſunt Tarentus, Metapontum, Heraclea, Croto, Thurium.* Plinius : *Connectitur* (inquit) *ſecunda regio amplexa Hirpinos, Calabriam, Apuliam, Salentinos CCL. M. ſinu, qui Tarentinus appellatur, ab oppido Laconum in receſſu hoc intimo ſito, contributa eò colonia maritima quæ ibi fuerat. Abeſt CXXXVI. M. paſſ. à Lacinio promontorio, adverſam ei Calabriam in peninſulam emittens. Græci a Duce Meſſapiam appellavere, & ante Peucetiam à Peucetio Oenotri fratre in Salen. agro inter Promontoria C. M. paſſ. interſunt. latitudo peninſulæ à Tarento Brunduſiũ tirreno itinere XXXV. M. paſ. patet, multoq; brevius à portu Satina. Oppida per continentem à Tarento Varia, cui cognomen Apulæ, Meſſapia, Aletium, in Ora vero Senum Gallipolis, quæ nunc eſt Anxa, LXV. M. paſſ. à Tarento. Inde xxxii. M. promontorium, quod Acran Iapygiam vocant, quo longiſſimè in maria excurrit Italia. Ab eo Baſta oppidum, & Hydruntum decem, ac novem M. paſſ. ad diſcrimen Ionii & Adriatici maris, quæ in Græciam breviſſimus tranſitus.* Julius Solinus idem dicere videtur aliis tamen verbis: *Inde procedens* (de Italia enim loquitur) *paulatim ſe Apennini montis dorſo attollit, extenſa inter Thuſcum & Adriaticum, ideſt inter ſuperum mare & inferum, ſimilis querno folio, ſcilicet proceritate amplior quam latitudine. Vbi longius proceſſit, in cornua duo ſcinditur, quorum alterum Ionium ſpectat æquor, alterum Siculum : inter quas prominentias non uno margine acceſſum inſinuati freti recipit, ſed linguis proiectis ſæpius à procurrentibus diſtinctum promontoriis pelagus admittit. Ibi, ut obvia paſſim notemus, arces Tarentinæ, Scyllacæa regio, cum Scyllaceo oppido, & Cratide flumine, Scyllæ matre, ut vetuſtas fabulata eſt.* Procopius *reddit* (inquit) *Tarentinum littus Hemicycli formam, in ſinum longiſſimum inductum mare ad centum viginti quinque mill. paſſ. recipit. In Ore autem ſinus duas habet utrinque civitates clariſſimas, Crotonem, quæ occidentem intuetur plagam, & Tarentum, quæ orientem, inter utramque Thurium habitatur.* At in libro de antiquo jure Romanorum, expulſo hinc ad opportuniorem locum Galatheo, Sigonius ex prædictis omnibus hæc colligit : *Lucaniam* (inquit) *regio attingit ea, quam Græci inſederunt : & in tres partes diviſa eſt, Brutios, Meſſapios, & Salentinos. Brutii Græcis expulſis occuparunt eam partem, quæ quondam Oenotriæ nomen tulit, à Lao flumine uſque ad Metapontum oppidum, ſicuti Strabo ex Antiochi ſententia tradit. Nam ab antiquis Oenotros, & Italos ſolos vocatos ait, qui Iſthmum habitarent : Iſthmum autem eſſe, quicquid agrorum inter duos ſinus includeretur, à Tyrrheno mari Hipponiatem, ſive Napitinum, à Siculo Scyllaticum. Deinceps occurrit regio, quæ ab Iſthmo eſt incluſa à Tarento ad Brunduſium, quam Meſſapiam, & Iapygiam, & Calabriam, & Salentinam variis nominibus ſignarunt, quanquam alii in duas eam partes diſtribuerunt, teſte, Strabone, unam, in qua Tarentum, quam Calabriam, & Meſſapiam, alteram in qua Brunduſium, quam Salentinos ſive ultimam Iapygiam appellarunt.* Antonius Galatheus medicus (hic enim locus eius viſus eſt opportunior) ſcripſit de totius Iapygiæ ſitu librum unum : Gabriel Barrius Francicanus ſcripſit, v. libros de tota regione illa quam vulgato nomine Calabriam appellamus : ſunt & hi in hac parte conſulendi, ut qui non modo prædicta legerint, ſed & omnia noverint natura ipſa, cum ille Salentinus, hic Calaber fuiſſet. Atque ut ab occiduo incipiam cornu, ad hæc verba ſcribit Francicanus : *Calabria incipit è mari infero, quod Græci Tyrrhenum vocant à Talao flumine : à ſupero verò quod iidem Ionium nuncupant à Syriamni, & protenditur ad Euripum uſque Rhegiumque, atque Apennini montis jugo in longitudinem ſecta duo cornua emittit, Leucopetram dextrh, Lacinium ſiniſtra, quæ tum montuoſa eſt, tum campeſtris Latii inſtar, aquarum*

ſca-

ſcaturiginibus irrigata. Ipſius verò regionis ambitus ad DCCXX. M. paſſ. colligit: à Talao enim omne ad Laum fluvium milliaria ſunt 12. *à Lao autem Strabo refert ad Euripum, qui à Canide promontorio incipit, millia paſſ. ſunt CLXIX. communi verò exiſtimatione CLXI. Euripi autem tractus, qui, ut dixi, à Canide promontorio ad fretum uſque Herculeumque promontorium porrigitur LX. mill. paſſ. eſt, à freto, quod ab Herculeo promontorio initium habet, idem Strabo Polybii auctoritate ad Lacinium promontorium ubi Junonis eſt templum cclxxxxiij. intervallum eſſe tradit. à Lacinio ad Syrim amnem M. ſunt cxxxiii. à Syris fluminis oſtiis ad Talai amnis oſtia intervallum eſt. M. paſſ. lxxvi.* Hæc refert Barrius: de altero & Orientali cornu loquentem modo Galatheum audiamus: *Vt Calabria à Scyllaceo ad Hipponiatem ſinum, ſic & hæc à Brunduſio ad Tarentum & Iſthmo, ſed longiore clauditur. Sunt n. à Brunduſio Tarentum Mill. paſſ. xl. à Tarento Gallipolim mill. paſſ. L. inde Iapygium promontorium, quod alii Salentinum vocant, Salentum alii, Græci autem acrám Iapygiam, mill. paſſ. xx. Inde Hydruntem, quæ teſte Leonardo Aretino ultimum eſt Calabriæ mill. paſſ. xxx. Hinc Brunduſium L. totius regionis ambitus cxc. mill. paſſ. Vt illa Leucopetra, cui navigantes noſtri temporis à diſcrimine ventorum Capo di ſpartivento, nomen indiderunt, ita hæc Iapygio promontorio terminatur quib. apicib. maximè in mare excurrit Italiæ. Utrumque extremum finis eſt Apennini. Nam ut Italia ſic & Apenninus bifurcatur, & ut Italia Alpibus, ſic Iapygia montibus circum ſepta eſt, non nimis altis, ſed lapidoſis & nemoroſis.* Hæc Galatheus, qui paulo ante, & hiſtoriæ ſuæ initio hæc quæ tot ſecuti ſcriptores appellavimus cornua, peninſulas vocat, vertices, & conos arboris biſidæ, inter quæ ſitum eſt, quo de agimus, Tarentum: nihil mavis in pedis concavo repoſitum loco dicere; quandò Calabria anteriorem, quæ articulos habet, Iapygia poſteriorem pedis partem referat, quæ calx, ſive talcaneus nuncupatur, ſicut totius Italiæ figura fœmur, crus, & tibiam referre videtur. Totus autem quantus eſt, integerque pes ipſe ob ingentem & urbium & virorum nobilitatem, & Cœli clementiam, & ſoli ubertatem Græcis omnib. conſentientib. nomen ſibi magnæ Græciæ vindicavit. Qua ratione dixeris indubitato in magna Græcia ſitum eſſe Tarentum, quæ eadem urbs finis eſt Calabriæ, quæ nunc dicitur, & principium Iapygiæ, atque ita reſpondiſſe memini Jano Pelufio Croroniatæ viro illi eruditiſſimo, & latinarum Muſarum alumno, cum id à me quæreret.

De Agro Tarentino.

CAP. V.

A Sinu Tarentino ad agrum tranſitus eſt, ob libri integritatem, ne aliquid intactum remaneat, quod ad tam præclaram urbem demonſtrandam videri poſſet pertinere. Ager igitur Tarentinus, quem Theſſalicis Tempe non immerito comparaveris, inter Borrhacum & Potamiſcum amnes formam Hemicycli, quam reddere videtur, excedit: eius enim infra centrum pars extenditur verſus urbem, quæ mari undique circumalluitur, at ſuperior circumferentia ipſos attingit Apenninos, quos diximus extenſos ad utraque ſinus cornua. Amnes ipſi duobus clareſcunt oppidis apud noſtrates; Borrhacus Marrhuvio, quod a mari, cui imminet, qui non fatentur dictum, ad gentem referendum contendunt Marrhuviam, cuius in ſeptimo Æneidos poeta meminit: *Quin & Marrhuvia venit de gente ſacerdos*, Marrhubia aliis; vel ad herbam illam commendatiſſimam ob ſerpentum interneciones, Marrhubium Plinio, & vulgo appellatur, Potamiſcus, quem ἀπὸ τῦ ποτάμε per vocis diminutionem dictum cenſebat Adrianus Aquavivus Cupreſſani Comes, & literarum Græcarum ſtudioſiſſimus, Maſſafra, quæ cum fuerit ab iis quæſitum quid ſibi vellet ſuo nomine, ab Afrorum maſſa, hoc eſt multitudine, dictam judicatum eſt, cuius quidem rei nullum extat monumentum. Borrhacus igitur ab urbe diſtare creditur Auſtrum verſus millib. paſs. quatuor ferè & viginti, cuius fluvii oſtium apparet juxta Virginis ædiculam, & mare ingrediens quingentos perficit paſſus. Orbita inde ſequitur, quæ ducit ad Sacellum, ubi divus Nicolaus ab antiquis accolis colebatur, ſerpitque Marrhuvium uſque, quod oppidum non ſane creditur antiquum, Rhodianis militib. ſubditum, nullius, vel Tarentinæ ob vicinitatem diœceſeos, multis affluens opib., croco præcipuè, vino, oleo, atque ante omnia agro paſcuo neque exiguo, ſed qui multis ad paſtum gregib. armentiſque locatur conductorib., quaſcirca miror Galatheum in ſua Iapygia hæc prætermiſiſſe. Inde exeuntib. fonticuli quidam ad dexteram flectentes, & dulciſſimis aquis ſcaturientes occurrunt. Venitur inde ad oppidum Santoriorum, cui Turricellæ nomen eſt vulgare, non longè ab ædicula divi Marci per ſylveſtre olivetum, & magnum quendam parietem ſaxis, molibuſque extructum inſanis & eximiis, quam diverticulo ſiniſtrorſum ad collem ſcanſio eſt declivum, moxque ad montem Magalaſtrum frequentib. à natura conſitum oleaſtris. Paſanum ibi erat oppidum, nomen ſolum, & pauca ſuperſunt veſtigia; erat & Allianum alterum iam diu dirutum; eſt & Græcorum tertium quæ S. Marſanus dicitur, circa parietem omnia. Proſpicitur inde Conca mons, & pervetuſtum divæ Candidæ Sacellum monti excavatum, ſignaturque ibidem cum antro ingentis magnitudinis ſpecula; & non longe poſt apparet divus Cataldus, monteſque tres, Lauritellus, Calvus, Scotanus; iuxta quos geminæ ſeſe exigunt ſpeculæ, quarum altera Luporum, Tarentina altera dicitur, proximiorque eſt ſylva quercubus frequens, & tredecim parvulæ ſpeculæ quaternis mill. paſſ. diſtantes eodem ſemper apparente pariete. Tarentina ſpecula ducit ad Cœlium oppidum antiquiſſimum, cuius meminit Plinius inter Baleſium, & Brunduſium. Via

Digitized by Google

est per quasdam quercus, fagosque, & ea tenditur ad Sarni torrentis valles & foveas, & ad montem divi Martini, supraque in Apennino ipso prospicitur Martina populo frequens, dives opum, ducatus titulo insignita, fructibus abundans, Cerasis præcipue, prunis, & Pyris, ut cum Propertio dixeris:

Hic dulces Cerasos, hic autumnalia pruna
Cernis, & æstivo mora rubere diu.

Hic, quod admirationem forte afferet magnam, non desiderantur Aproniana Cerasa, quæ maxime rubent, non Actia, quæ sunt nigerrima, & sanguinem imitantis succi, non Cæciliana quæ sunt rotunda: ut appareat non Vrbem Romam, sed ad agrum Tarentinum migrasse Lucullum a Cerasunte Ponti civitate cum suis Cerasis. Et Martina (ut unde exiit revertatur oratio) descenditur ad paludem, quam Comitem vocant, inde ad speculam, ubi olim fertur fuisse Vigiliarum locum, & inde ad montem divi Heliæ, tandem ad Potamiscum alterum fluvium, qui occidentem respicit, & quo transitus est per saxa & cuniculorum scopulos, per puteum, qui ab aquæ salsedine salsus adhuc, & per Massafram oppidum; in huius autem Hemicycli ambitu, cum recta quasi axis positura, milliaria sunt ad septentrionalem quam Pontis vocant urbis portam, ab Orientali, quæ fossæ imminet sex supra centum. Adhæc vero quæ de extremo Tarentini agri margine scripta sunt, convenit, ut addantur, quæ præter urbem ipsam intra aream passim occurrunt. Atque ut a fluviis iterum sumatur narrationis exordium, Galesus fluviorum, qui in hac ora sunt, brevissimus videtur, qui & aliquando Eurotas dictus est, accepto nomine ab eo fluvio qui Lacedæmona præterfluit, Galæsum appellare videtur Polybius. Cernitur & Taras, qui ab Heroe, ut alias dictum est, cum urbe ipsa nomen est assecutus, nec longe fluens, & a loco, quod Cannetum vocant accolæ a Cannarum copia: Arundinetum ab Arundinibus voce diceretur elegantiore: de utroque in historia sua in multis verbis agitur. Sunt & multa Græcorum, Latinorumque oppidula, quæ Casalia vocant ab humilium aggregatione casarum: atque ut a Latinis commemorandis incipiam præter Martinam & Gryptalias, Pusanum videtur, Leporanum, & Monacicçium, hoc audio, a Monachis dictum, quorum olim fuerat Cœnobium, Pulsanum a pulsu habitantium insigni, Leporanum, vel a lepore, qui & insigne est civium, vel quasi leporarium corrupta voce, quia olim inclusa habebat animalia in agro vicino Saturiæ pascentia. Hæc tria terrarum nomine, cum mœnibus cincta sint, & suam quoque habeant arcem, vocantur: quæ vero sequuntur, casalia, quia sunt aperta, lateque patent omnibus pervia: Fragagnianum, Lecianum, Turricella, Monsmesula, Monsblasius, Civitella, & Carosinus, quod Deiparæ Virginis clarum miraculis tota ferè Italia celebratur. Græcorum quæ extant, sive Albanesium casalia hæc sunt: Sanctus Georgius, Sanctus Marsanus, Sanctus Crisperius, Sanctus Martinus, Faggianus, Roccaforciata, & Bellum-videre. Erant & multa alia, quorum eversione condita Gryptalias, & Martinam oppida, hoc a principe quodam Tarentino, illud ab Archiepiscopo suo in loco narratur. Sunt & alii fluvii, ut Bradanus, Latus, Lemna, Raschia, Fluvicellus, qui mare exterum, & intimum ingrediuntur, sed horum nomina quia apud Scriptores non leguntur, propterea satis duxi ita paucis describere. Extendebatur olim Tarentinus ager per totam Iapygiam, & Calabriam: nam & Cicero Leucopetram appellat Tarentinorum: & qui de balneis scribunt a Leuca tradunt agri Tarentini oppido per totum tractum Tarentinum fuisse olim calidas scatebras, quæ balnea calefaciunt. Galesus ἀπὸ τοῦ γάλακτος dicitur, sicut Galatea, hoc est a lacte, quod album esse constat; unde Martialis ad Cordubam scribit:

Albi quæ superas oves Gaesi.

Quod si ita est, versus Virgilii in Georgicis:

Namq; sub Oebaliæ memini me turribus altis
Qua niger humectat flaventia culta Galesus
Corycium vidisse senem,

Emendandi sunt in epitheto, & loco, *niger*, reponatur, *piger*, sicut reponendum censuit, quidem non imperitus Grammaticus, quoniam fluvius ille etiam non longius profluit, & si aliquibus meandris tortuosus nullo aquarum strepitu, ut qui de montis cacumine non cadat, sed instar lacus prope litus exoriatur. Ipse vel posito (quod aiunt) pignore contenderem legendum, *niger*, quemadmodum in omnibus cum veteribus tum manuscriptis codicibus legitur. Et Virgilius notationis haud ignarus, quasi subridens nigrum appellavit Galesum, quem fortasse ex vocis symbolo lympidissimum amnem antea opinatus fuerat; quod etiam respexisse poetam Epigrammatarium non erit absonum credere, quia & aqua & totus ille locus ferrugineus apparet. Quid quod nigrum mare etiam vulgus dicat, & pueri natantes usque ad nigrum posse progredi glorientur, & Aquilam multi ab aquæ colore, quod fusca sit, diciam velint? Callimachus in hymnis μελαμφαέος ἄνακτος, & Homerus Neptunum μέλα δεα dixere; poteris etiam & nigrum Galesum idest, profundum interpretari atque atrum, ut vulgus etiam Abyssum vocat, sicut πόντῳ μελανύδρῳ ab Homero βαθέῃ dicitur. Quid si autem nigrum Galesum dixit, ut nemus nigrum, lucum opacum, & umbrosum diximus? & ut Propertius (quem locum alibi citavimus) Galesum ipsum umbrosum?

Tu canis umbrosi subter vineta Galesi &c.

Taram alterum fluvium a Tara heroe, qui & urbi nomen dederat, hac ratione appellatum tradunt, quod is dum Neptuno & Iovi rem sacram faceret, ubi ab illis urbi suæ felicitatem exoptaret in aquam inter victimas conversus, nunquam alias visus sit. Fabu-

losa

losa quidem res, neque immerito cum antiqua sit, & Græcorum mendaciis subiecta. Meminit huius fluvii Appianus Alexandrinus ad hæc verba : *Octavia Cæsaris Augusti soror, Antoniique uxor, cum iam a fratre impetrasset, ut cum marito in colloquium veniret, inter Metapontum & Tarentum convenere ambo : quo loco fluvius eiusdem nominis medius interfluit. Congredientibus ad fluvium illis fortuna quadam Antonius ex ripa ad occurrentes naves properans scapham solus insiluit, & ad Cæsarem quasi amicum se credens pertransibat : quem cum intueretur Cæsar, insitatus est, sic fluvii in medio ambo convenere, alterius in ripam uterque descendere velle contendentes. Vicit tandem Cæsar, & veluti ad Octaviam Tarentum profecturus in Antonii ripa penes eum simul constitit. Tarenti quoque ad eius diversorium nullo munitus custode pertransiit, & noctu iuxta illum armatis nullis circumseptus conquievit, similia & ab Antonio postridie gesta sunt.* Est in eodem agro Tarentino tribus fere vel paulo minus a Gryptaliis Episcopali oppido stadiis distans, iuxta cœnobium fratrum Cappuccinorum, qui vitæ asperitate, & pietate sunt conspicui, quædam Vallis, *Foronesum* vulgo dicta, aprica quidem illa, sed Saxis circumdata tophaceis & montanis, pluribus a natura arboribus consita, ex quibus nonnullæ ad mansuetiorem cultum sunt insitione redactæ, præter oleas, quæ plurimæ, & grandiusculæ ab avis, atavisque possidebantur, locus ab ortu ad occasum meridiemque serpens extenditur in intima parte canalibus vi imbrium ex collibus descendentium excavatis. Ibi rustici multi antehac antra sibi ad domicilia nocturna exciderant, ne semper ad oppidum a labore diurno cogerentur redire. Viri etiam religiosi quamplurimi ad ea se conferre meditationis ergo consueverunt ; aliquos ipsi ætate nostra cognovimus, sed eorum nomina silentio obvolvimus, ut qui certo scimus, si viverent, nullam de se memoriam, quæ sua erat humilitas, fieri paterentur. Erat olim vallis multis partibus pervia, nunc clausa muro, cuius ambitus mille fere excedit passus, itaut difficilior sit aditu, nisi per ianuas ferreis seris occlusas, pessulisque nulli ingredi licet. Lælius Brancatius Tarentinorum Archiepiscopus, & Gryptaliarum dominus sepiendam occludendamque ære suo diligenter curavit, stratis in ea viis, cum antea vel volutari, vel turbinari, vel saltibus de saxo ad saxum transilire opus esset. Undique præruptæ erant rupes, occulti & præcipites calles, spineta simul & fruteta cum densa tum aspera ingressum, alicunde occludebant, inaccessibilemque reddebant. Laudabunt profecto, atq; in cœlum extollent omnes opus hoc immensum, ubi tanti viri sanctissimam cognoverint mentem. Ea quia cito manifeste claresset, iam enim opus ad Colophonem (ut dicitur) pervenit, necesse mihi esse non duxi pluribus modo explicare. Unum scio, illudque adeo certum, quam quod certissimum, sacras ædes (unde sacra vallis sortita est nomen.) inde, quæ iam eriguntur, non abfuturas, pauperum hospitium peregrinantium præcipue fore commodissimum, neque absq; censu annuo perutili, præter divinissima secreta : quæ post perspectam Archiepiscopi sententiam cum omnium hilaritate innotescent. Et tandem ut a sinu, agroque Tarentino videamur aliquando exire, non erit ab re differere, an hæc regio Sicilia dici possit, sicut diu ab aliis quæsitum animadverti, & præcipue adversus Thomam Fazelium, qui in sua historia de Sicilia id omnino pernegat. Ælianus in libro de militaribus ordinibus Tarentum his verbis appellat Siciliæ urbem : *Tarentum autem olim Siciliæ urbs habuit milites iaculatores, qui equis vecti iaculis brevibus eminus certabant, mox manum cum hoste conferebant.* Scholiastes Theocriti in Amaryllide Crotonem appellat Siciliæ urbem. Eius verba apposui in tertii Idillii hypotesi : Τὰ ὑπομνήματα φησὶν ἀντὶ Ἰταλίας περὶ Κρότωνα τῆς Σικελίας, ὥστε δὲ τὴν Ἀμαρυλλίδα ὑποτίθεται. Diodor. Siculus in biblioteca Tarentum dixit Syracusano excepto, omnium quæ in Sicilia sunt, pulcherrimum. Si tamen germanam quis negaverit lectionem, ipse castigatiorem inveniat, & concedam. Pandulfus Collenucius in Neapolitana historia tradit, hoc regnum a Scriptoribus aliquando appellari Neapolis Regnum, aliquando Apuliæ, & aliquando Siciliæ citra Pharum. Svidas in historicis in verbo Philoxenus, ostendens, quid sit proverbium φιλοξένου γράμματιον dicit : *Philoxenus Cytherius cum Latomias Syracusanas effugisset, in quas coniectus fuerat, quod Dionisii Tyranni tragœdias non approbaret, commoratus est Tarenti Siciliæ urbe.* Et glossa interlinearis in actibus Apostolicis Rhegium Siciliæ urbem appellat. Sed tamen contendit Thomas Fazelius libro de rebus Siculis primo, tam multorum testimonio innixus veterum auctorum, solam insulam, quæ a continente Italia seiungitur, Siciliam appellari, abusuque a Romanis Pontificibus exorto ita appellatum fuisse regnum Neapolitanum. Quin idem auctor est magna vi Alphonsum Regem cum Neapolim esset adeptus, & utrique regno dominari cœpisset, absurdo, & novitio titulo utriusque Siciliæ Regem vocari se voluisse. Ego vero dixerim, ob id duas Sicilias appellari incœptum, quia ex terræmotu avulsa fuit insula ab Italiæ continente, sicut Cyprus a Syria, Euboea a Beotia, qua de re poeta ita cecinit Mantuanus :

Hæc loca vi quondam & vasta convulsa ruina
(Tantum ævi longingua valet mutare vetustas)
Dissiluisse ferunt, quum protinus utraque tellus
Una foret.

Qua ratione fortasse a Siculis ex Italia fugientibus, sed quasi Sicilita, hoc est execta, & Græci Rhegio promontorio, cum eiusdem nominis urbe antiquissima, unde divisum primo apparuit, nomen dedere, quasi avulso & abrupto, sicut verbi Græci, quod est ῥήγνυμι, etymologia demonstrat.

De forma, ambitu, & munitione Urbis: adhæc de Insulis occasum versus sitis.

CAP. VI.

ANtiqua urbis post Phalanthi adventum non nativa modo, quam Taras inchoarat forma, vix scitur, vixque conlici signis aliquibus potest, cum & loca aliquando mutarit, nec semel eversa sit. Quantum vero ex ipsa veteris urbis ruina divinare licet, huiusmodi illius figuram, ac positionem fuisse dixerim, ut scilicet Pyramidem exprimeret, cuius utrumque latus, eo quod interno, externoque mari alluerent, sinuosum erat: basis ubi maxime urbs in ipsa latera porrigebatur, hybernum orientem respiciebat: extremæ pyramidis conus ad occidentem æstivum pertinere videbatur, qua parte Arx tandiu & inaniter ab Annibale obsessa erat, ubi hodie sita est civitas ipsa, quamvis inferiores in interno mari parter aliquot complexa. Verum quoquo te verteris ingentes deletæ, atque incensæ urbis ruinæ, sed admiranda non curarunt vestigia publicorum præcipue ædificiorum. Nova urbs circumfluа sive (ut Græci loquuntur) amphitalassa, oblonge insulæ, aut longæ navis habet speciem. A Puppi manufacta est fossa, longis navibus permeabilis, quæ utrumque mare admittit a Continente Marcus Antonius Philomarinus nobilis Neapolitanus de sedili, plateaque, quam dicunt Capuanam, iussu Ferdinandi & Alphonsi iunioris, cui Straboni agnomen fuit, mira arte, & ingenio abscidi curavit, quum Turcæ Hydrunte capta inter alias Salentinorum urbes Tarento, propter summam eius portus opportunitatem imminerent. Eamdem fossam nostris temporibus latiorem fieri Philippus Austriacus Caroli Cæsaris filius, Rex nostro sæculo invictissimus & fidei Christianæ defensor acerrimus mandavit, & operi præfuit Ribera provinciis tunc præfectus, & hodie Regius Cancellarius, & magni Camerarii Locumtenens. Prora, ubi æstus maris concitatissimus est, fluctibus & refluentibus undis instar rapidissimi torrentis duplicis quidem, vel prope dixeris Euripi, propter undarum Lunæ (ut aiunt) motum senis quibusque horis conversionem, duobus a piscatoribus notatam nominibus Serra, & Chioma pontibus cum ligneis tum lapideis octoginta fere tass, & amplius continenti adiungitur, quo in loco frumentarias posse strui molas non semel disceptatum est, habetque inde difficiliorem oppugnationem. Ambitus aliquando fuit pass. sex mill. hodie non videtur excedere spacium duodecim stadiorum. Internum & conclusum mare, ubi latissimum est, vix duo perficit millaria, in circuitu duodecim millia pass. & paulo plus complectitur: at Straboni minor est censum videlicet vix stadiorum. Eius fauces longo (ut diximus) includuntur ponte, semperque vel sævis incidentibus tempestatibus tranquillam & tutam navibus stationem, copiosissimamque præbet piscationem, suffocantur aliquando ipsæ fauces, ut

A vidimus IOANNIS AUSTRII iussu multo labore exhaustas ad longas ante victoriam in Echinadibus de Turcis habitam, naves admittendas. Felicissimi illius anni primi & septuagesimi supra millesimum, & quingentesimum cur æterna non erit memoria, quo Ioannes Austrius tam præsentium quam sequentium temporum decus CAROLI Cæsaris semper Augusti filius fratre a PHILIPPO Hispaniarum Rege Christianissimo, & SENATU VENETO maximè illustri, B magnifico, ac prædivitate, ac primum omnium a PIO huius nominis quinto felicissimæ recordationis, Pontifice Maximo, Christianæ classi fœderis Sanctissimi præpositus, Nonis Octobris in insulis Ethinadibus, quæ ad Epirum sitæ sunt, trium horarum spacio novam de Turcis, & inauditam adeptus est victoriam, trecentis devictis triremibus, quorum aliquot summersæ, nonnullæ exustæ, plures captæ, & paucæ ductu Oechalii Calabri Archipiratæ, qui C è Christiana religione ad Machometicam barbariem multo ante defecerat, in fugam conversæ? Muris, & turribus urbs est undequaque lapideis munita, ab Austro præcipue & Septentrione omniumque iudicio olim ferebatur inexpugnabilis. Nam & Turcæ a *Bizantio* ad Neapolim, Galli a Parisiis ad Hydruntem, Urbem Tarento munitiorem se vidisse negabant, quæ terrarum omnium bella & ferre & inferre posset. At hodie tormentis igneis, quas bombardas & basiliscos D vocant, ita facilè expugnationi obnoxia, ut Marcus Antonius Columna Romanæ totiusq; Italæ gentis gloria ut miserrimam deflevit. Includitur ab Austro & occidente ducbus tenuissimis promontoriis, ubi, ut in tota hac ora ab Hydrunte usque Neapolim ad explorandum Piratarum adventum turres erectæ sunt, quæ à scriptoribus Phari appellantur in sinistro promontorio fuit olim Græcum Cœnobium de societate magni Basilii sub titulo SS. Viti & Modesti atque E Crescentia quorum reliquiæ in æde Ludovico Rege illis dicata religiosissimè servantur, propè dexterum cui ab hirundinis avis forma Rondinello nomen est, horti sunt cultissimi piratarum præda, & aquatione notabiles. Inter hæc duæ magnitudine dispares jacent insulæ, quæ nullius apud auctores sunt nominis. In Servianis tamen scholis Electrides, sive Febræ videntur appellari, alias aureæ dictæ sunt insulæ, vel a piscatura non minus mirabili, quam in sinu F Brutiorum Hipponiato, & præcipue Coralliorum: vel quia sedes erant Archipiratarum, ut totos ibi sex menses viderimus aliquando Oechalium, Curtugolum, Dragutem, lucri causa & quotidianæ prædæ hyemare. Ioannes Franciscus Rubeus eques Troianus in historia Neapolitana, quam morte occupatus non edidit, arbitrabatur alteram ex Tarentinis insulis Ogygiam fuisse Calypsus: id autem verum ne sit, qui viderit Plinium, judicabit. Utraque hodie a sanctis suum quæque sortita est nomen, maior a diva Pelagia, minor ab Apostolo Andrea. Est & tertia in ipsis faucibus portus divo Nicolao dicata iuxta quam prospicitur scopulus

Digitized by Google

pulus, qui a nautis in hydrographia Turrundæ ſcopulus appellatur, non abſque diligenti obſervatione proviſus. Temenetida porta apud Tarentinos tam perſpicua olim ferebatur denominatione, quam Troianorum Scæa, Alexandrinorum Canopica, Athenienſium Pyraica, Corinthiorum Teneatica, & hodie Neapolitanorum Capuana cum Regali. Duas modo portas habent, alteram ad Orientem, ad Septentrionem alteram: prima ducit ad Meſſapiam & totam Iapygiam, ſecunda ad reliquam Italiam: propè illam Arx eſt non multum perſpicua, prope hanc turris præalta vulgari appellatione *Citatella*, quæ pontem cum portu defendere videtur. Maiore, & aperto mari rupes ſunt altiſſimæ & inacceſſæ, ut adigi ad mœnia nullo pacto naves queant; imminetque urbs ipſa, ut nonniſi altioribus ſcalis, multorumque graduum conſcendere quis valeat. Incluſo & mediterraneo arenoſum eſt littus, & urbi, quæ inferior inde eſt, æquale olim non erat munitum, ut hodie piſcatores eo ſubducunt lintres & cymbas ubi piſcari ceſſaverint. Illud non videtur prætermittendum, mœnia ſcilicet Tarentinorum non infero & Tyrrheno, ſed ſupero atque Adriatico mari allui; hæc enim eſt, ſcilicet L. Flori ſententia, hæc eadem colligitur apud Felinum iuriſconſultum, qui in hiſtoria Regni Neapolitani, quam ſcripſit iuſſu Alexandri quinti ſummi Pontificis, dicit, hoc regnum a ſupero mari ab Imperatoribus Græcis gubernatum, ſicut ab infero a noſtris: & in Tarentinorum privilegiis, quæ multa ſunt, extantque ab anno domini milleſimo trecenteſimo & trigeſimo, Conſtantinopolitanorum Cæſarum, atque Imperatorum eſt mentio, Catherinæ videlicet, Roberti, eius filii Philippi, atque aliorum, ſicut in octavo, qui ultimus eſt, libro ſcribemus. Sed continere me non poſſum quin Elyſii Calentii Epiſtolam ad Florum de Tarento ſubſcribam, deque eius forma. Fuit Calentius vir Neapoli inſignis, cum Aragonii regnarent, quando Pontanus, Altilius, Gravina, & Actius immortali ingenio præditi vates divina carmina factitabant. Adamavit eum Pontanus, & contubernalem a puero habuit: ſuſpexit Altilius: Actius vero Syncerus meritis laudibus exornavit, hic ita ſcribit: *Tarentum urbs altera parte mari: altera lacu abluitur, in quem Galeſus fluviorum breviſſimus fluit. Verum & is mari viciſſim congrediens immiſcetur, ideoque ab accolis præ amatore ſimili Mare appellatur, cuius ambitus paſſuum millibus duodecim conſtat. Quod ſi fretum confitebimur eſſe, tendit initio ad Orientem, mox ad meridiem declinat, relinqueturque inter duo maria telluris paululum, bovinæ linguæ ad imaginem, qua civium domicilia poſita ſunt. Urbem ipſam inter geminas aquas longæ navis in effigiem editam, urbium penè omnium amœniſſimam puto, & iucundiſſimam, niſi quantum copia rerum civibus egeſtati eſt pro deſidia & inertia. Hic vini, ſalis, olei, pomorum abundè, piſcium plus quam ſat eſt. Croci, amygdalarum quoque ſatis: puellarum ad faſtidium. Quietè locus ampliſſimus, ac longe remotus ab his, quas duxi eſſe moleſtas, rebus. Idvolui ſcire te ut qui oculis egregiam urbem non videris, animo videas. Vale.* Scribunt Plato, Ariſtoteles, & Hippocrates, primus in ſexto de legibus Dialogo, alter in ſeptimo de Repub., tertius in libello de aere, aquis, & locis, quomodo erigendæ ſint urbes, & quæ in illis obſervandæ ſunt, priusquam congregentur cives: ſed antiquiores urbis noſtræ conditores, qui præceſſerunt, naturæ credo impulſu, ac iudicio multa perſpexere in illa ædificanda, nempe qua ventorum plaga locus iaceret, ac ſolis occaſum ne, vel exortum proſpiceret: quæ aquarum erat commoditas: quæ terræ arandæ, ac ſeminandæ qualitas: locus ubi condenda erat, eminentior, ac montanus videretur, an campeſtris & imus: quam formam poſſet recipere, circularem, an multilaterem: ubi templa, ubi forum, ubi magiſtratuum palatia eſſent conſtruenda: quibus muris, terreis an (ut poeta dixit) æneis, ferreiſque eſſet erigenda. Erat priſcis uſus in editis, excelſiſque locis urbes ponere, non quia alterius (ut aiunt) diluvii metu impulſi hoc ſibi expedire credebant, ſed quia difficilior hoſtibus acceſſus erat futurus, ſed hæc philoſophorum ſunt, non hiſtoricorum: nam hi quid factum ſit, animadvertere debent, quid faciendum illi. Non eſt non animadvertendum, quod ſcribit Livius de agro Tarentino, illum civibus domitis publicum populi Romani fuiſſe: Caio Decimio Prætori fuit ab illo mandatum, ut ducenta illius agri iugera darentur Oneſimo nobili Macedoni, Pythonis filio, qui Romam ſe contulit cavens ſibi a Rege Macedonum, quem admonuerat, ut pacem cum Romanis haberet, ſervaretque fœdus ictum cum illis.

De Principatu Tarentino.

CAP. VII.

IN octavo, qui ultimus eſt huius operis libro, multa, & fortaſſe ſuperflua ſunt, quæ ſcribimus de Tarentinorum Principibus, initium ſumentes a Roberto Guiſcardo Gothifredi fratre, Bohemundi, qui deinceps in bello ſacro fuit, patre, uſque ad Philippum Auſtriacum Chriſtianiſſimum. Cum igitur actum ſit huc uſque de regione, & agro Tarentino, conſentaneum videbatur pauca referre de principatu. Tarentinus igitur principatus utraque in ſinu deſcripta cornua in ſua olim habebat ditione. Blondus Foroliviensis tradit ab Aufido fluvio uſque ad Zephirium promontorium, hinc a mari ſupero, inde a Thyrreno. Erat animus, ut & urbes non quidem ſingulas, ſed quæ apud Geographos percelebres ſunt, cum fluviis, montibus, locis, populiſque principatui ſubiectis adiicere. Verum quia & in Principum geſtis rebus, præcipue Ioannis Antonii, & in toto ferè opere nominantur: & nullo negocio a Plinio, Strabone, Pomponio Læto, Solino, Dionyſio, Volaterrano, multiſque recentioribus ea colligere cuique licet, mutato in melius conſilio, brevitati potius ſtudere, quam idem

ſæpe

sæpe repetere visum est. Sed illud tantum non prætereundum duxi, Marcum Varronem nobiles appellasse urbes, quæ in tractu Tarentino occiduo sunt, sicut & ad illius æmulationem Propertius nobiles dixit Misenas: utriusque verba hæc sunt. Varronis: *Ad Sybaritanam prædam, in qua sunt Tripodes, Creterræ, Anancea populo, nobilium Tarentinarum.* Propertii:

Et te mirantem Thesproto subdita regno
Proxima Misenis æquora nobilibus.

Sed de Brundisio, & propter veteres, qui eo fugati sunt, Tarentinos, & propter Phalanthum, nequivi penitus me abstinere, quin pauca alia hæc subiungam. Brundisium vulgo *Brindisi.* Existimant aliqui vocari Brundum insulam, Græci Brendesium, Stephanus ΒΡΕΝΤΗΣΙΟΝ Vulgatum est, hoc nomine caput, cervi significari, non Græca, non Latina lingua, sed Messapia seu Peucetia, quia à ducibus suis utrumque nomen hæc ultima Italiæ ora assecuta est. Portus cervino capiti similitudinem exhibet, nam Messapii βρεντὸν cervum dicunt: cornua magna ex parte urbem cingunt, toto terrarum orbe est notissimus, unde Ennius dicit.

Brundusium pulchro præcinctum prepete portu.

Afranius poeta comicus fabulam scripsit Brund: quam vocem Brundusinam extendit in Nonio Marcello Adrianus Iunius: sed Sext. Pompeius Brundisinam habet. Didymus auctor antiquissimus in Homeri scholiis Brundisium sentit olim dictum Temesin: eius verba in primo Odysseæ leguntur commentario, Τεμέσση πόλις Κύπρου. κατὰ δὲ Ἰταλίαν πόλις, ἣν νῦν βρεντήσιον καλοῦσι. Interior portus nunc turribus, olim & catena claudebatur: exteriorem hinc atque hinc scopuli, & insularum obiectus protegit; urbs quasi peninsula est, inter duo cornua: ab occidente supra dextrum cornu arcem habet miro opere & quadrato lapide, primo a Friderico iuniore Henrici filio, Aenobarbi nepote constructum, deinde a Ferdinando, & Alfonso eius filio: nostris diebus a Philippo Austrio munitam. Urbem quoque quos è mari non habebat, muris iidem cinxere. Arcem inexpugnabilem in insula, in qua erat templum divi Andreæ Alfonsus rex ædificavit, quæ portus exterioris ostio imminet. Sylius Italicus Brundisii finem esse Italiæ dicit;

Nec non Brundisium, quo desinit Itala tellus.

Huius urbis meminit Herodotus in Melpomone, Trogus Pompeius, Strabo, Polybius, Seleucus & alii.

LIBER TERTIUS.

Qui post Phalanthum Reges.

CAP. I.

QUI post Phalanthum Reges fuerint Tarentini, & duces, usque ad Philosophum Archytam, id prorsus ignoratur: siquidem nulla est de illis continuata series. Sed tamen plane constat apud Scriptores haud neglectæ auctoritatis, Tarentinum populum inter cæteras orbis terrarum gentes suum aliquando habuisse Regem. Is a libero tunc populo eligi consueverat, ac magis officii, quam superbæ dignitatis erat nomen & titulus. Parebat ei Calabria omnis, atque Apulia, & Tarentum tempestate illa mater erat, & caput omnium civitatum, suo cuncta ubique disponens arbitrio. Herodotus in tertio musarum meminit cuiusdam Aristophilidis Crotoniatæ, qui apud Tarentinos rerum potiebatur, quando Darius Demociden Crotoniatam medicum una cum Persis aliquot iuvenibus ad universæ Græciæ loca exploranda misit: ita enim ab ipso medico, qui visendæ patriæ desiderio flagrabat, per Atossam Cyri filiam, Dariique coniugem, quam schyrrum in mammella habentem curaverat, fuit Dario persuasum. In historia, quam Clerici Tarentini habent de adventu Principis Apostolorum Tarentum, Reguli cuiusdam fit mentio, cui Eucadio nomen erat, & cuius filiam cacodæmone obsessam Marcus Evangelista Petri comes liberavit, quod in Ecclesia Tarentina pluribus enarratur.

De Archyta Tarentino.

CAP. II.

CONstat apud Diogenem Laertium plures fuisse Archytas: nos & si Tarentinum mathematicum querimus, omnes tamen commemorare haud pertæsum est; nam ut Thebano Herculi, quicquid huius nominis reliqui fecerint, poetæ tribuunt, ita & permulta aliorum illustria, ac præclara facinora, qui Archytæ dicti sunt civi illi nostro, vel Historici reliquorum ignari adscripserunt. Fuit igitur Archytas unus Mitilenæus, & is musicus, cuius haud indignum est credere Athenæum meminisse, & illum vocasse ἀρμονιακὸν, qui scripsit ὀψαρτυτικὰ, hoc est de condiendis obsoniis, cui cum daretur probro, quod dum caneret non exaudiretur, respondit: instrumentum pro se loqui. Alter sequitur, qui de agricultura scripsit, quamvis & hic Tarentinus videri possit, qualis Pierio Valerio in Hieroglyphicis visus est. Docuit is inter cætera, cavendum, ne in Vinetis aliquid seminetur, Brassica præcipuè, utpote quæ vitibus egregiè sit contraria. Nam quæ suæ naturæ siccitas est,

multo

multo indiget humore, vitibusque consita alimentum trahit. Tertius poeta erat Epigrammatarius. Quartus & his additur, cuius proferunt librum de Machina. Quintus noster est Tarentinus, Hæstiei filius iuxta Svidam, vel Mnesarchæ, vel Mnesagoræ, qui claruit circa sextam, & nonagesimam Olympiadem, Platonis æqualis, Pithagoreus philosophus, cum esset Persarum Rex magnus Artaxerses undecimus, qui in Hester libro Assuerus conijcitur, quod tempus si ad mundi totius annos reduxeris, octingentos invenies, & paulo plures supra quatuor mille. Si Romanum imperium perquisieris, invenies, eum floruisse secundo post quadringentesimum urbis conditæ, & sexto, cum Platone conversatum usque ad trigesimum tertium, quando de voluptate disseruit. Laudatur in Archyta animi magnitudo, sed illi præfertur mansuetudo; qui iracundiæ dominabatur, sicut de Nestore Pylio tradit Galenus medicus: & philosophi etiam ipsi inquiunt, irritabiles esse optimorum sæpe virorum animos, & eosdem sæpe placabiles, cuius virtutis encomion uno in loco Cicero, & eum secutus Valerius, multis verbis scribunt, nam & in libro de Rep. secundo: *Sed imitor* (inquit) *Archytam Tarentinum, qui cum ad villam veniſſet, & omnia aliter inveniſſet &c.* cuius quidem loci verba cum manca sint, addam quæ in Tusculanis quæstionibus de eadem re scriptum reliquit: *Qui habent ulciscendi vim, differant in tempus aliud, dum defervescat ira: Defervescere autem certe significat ardorem animi invita ratione excitatum, ex quo illud laudatut Archytæ, qui cum villico factus esset iratior, Quo te (inquit) modo accepissem, nisi iratus essem?* Quam eandem animi modestiam habuisse etiam legimus Platonem, qui adversus servum ventri deditum ira percitus vocato sororis filio Speusippo, ubi, dixit, *hunc verberato, nam ego nimia exagitor ira.* Quanti autem fecisset Archytas amicitiam, idem Cicero docet in Lælio his verbis: *Verum igitur est illud, quod a Tarentino Archyta (ut opinor) dici solitum nostros senes commemorare audivi ab aliis senibus auditum: si quis Cœlum ascendisset, naturamque mundi, & pulchritudinem siderum perspexisset, insuavem illam admirationem ei fore, quæ iucundissima fuisset, nisi aliquem, cui narraret, habuisset.* Verborum obscœnitatem sicut Ælianus in varia historia docet, assidue vitavit, ut qui modestissimus: cum vero necessitas aliquando postularet absurdius aliquid dicere, non profatus est, sed id quidem tacuit, inscripsit autem in pariete, monstrans quod dicendum erat, neque ut diceret, cogi unquam potuit. Celebrantur, ut huius, sicut aliorum philosophorum, ac ducum Apophtegmata: nam & aliquando, humanum genus omnium animantium vaferrimum considerans, dicebat, *quemadmodum difficillimè piscem sine spinis invenias, sic & hominem qui non dolosum spinosumque quiddam habeat admixtum. Solertis est hominis,* (inquit philosophus) *similitudinem longe dissantibus in rebus cernere, quemadmodum dixit Archytas: idem arbitrum, atque aram esse, quia utroque confugit, qui iniuriam passus est.* In philologia dicit Volaterranus Archytam solitum differere, omnem communitatem constare ex tribus, dominante, dominato, & legibus, præterea meliorem imperare oportere, peiorem imperari. Cum autem Eratosthenis legisset Hermen dixit hoc carmine: χρεὼ πωτ' ἐδιδάξε τι δ' χρειώκεν ἀνυσοι, Necessitas omnia edocuit: Quid enim necessitas non inveniret? Ferunt quidam non indiserti, Archytam consuluisse, ut siquis manè transglutiret cor Vpupæ, vel Hirundinis, sive Mustelæ, sive Talpæ, eo adhuc vivente, & palpitante, conferre ei ad memoriam, reminiscentiam, intellectum, ac divinationem. Omnia censuit proportione moveri. Animam dixit ad exemplum unius compositam, quæ ita illocaliter dominatur in corpore, sicut unum in numeris. Scripsit multa, ut ex Stobæo constat περὶ τοῦ ὄντος, ideſt de ente, περὶ ἀρχῶν, ideſt de principiis: περὶ νοῦ καὶ αἰσθήσεως, ideſt, de mente, & sensu, περὶ τῆς σοφίας, ideſt de sapientia. De ente hæc leguntur ex prædicti auctoris Eclogis Ethicis, atq. physicis, quas Latinitate donavit Gulielm. Canterus. *Valde falli mihi videntur, qui de quavis re duas contrarias ferri posse credunt sententias utranq; vel veram, vel falsam, at ego primum hoc nefas duco, siquidem nec pulchrum pulchro, nec album albo contrarium est, sed pulchrum, ac turpe, album, ac nigrum inter se contraria sunt, sic etiam verum falso contrarium ponimus, nec duas venas sententias, vel duas falsas, sed alteram veram, alteram falsam: non enim qui animum hominis laudat, corpus reprehendit, contraria dicit, nisi etiam qui de cœlo, ac terra agat de eodem agere dicamus, siquidem duo sunt illa non unum. Sed quid verbis opus? etenim qui Athenienses dixerit doctos, & qui ingnavos, nequaquam contraria dixerit: cum enim inter se contraria pugnent, in eodem hic jam duo cernuntur.* De principiis sic disserit: *Duo necesse est, rerum esse principia, alterum seriem ordinatorum, & finitorum, alterum inordinatorum & infinitorum complectens: & illud quidem effabile, ac rationis particeps, tum res continere, tum definire, & componere, semperq; rebus adiunctis ratione illas, ac numero producere, universoq; naturam, & speciem largiri: hoc videlicet nec effabile, nec rationis particeps tum composita ladere, tum ad ortum progredientia dissolvere, semperq; reb. adiunctis sibi eas similes reddere. Et quoniam duo contrariorum sunt principia, quod alterum boni sit, alterum mali causa, duæ quoq; rationes requiruntur, altera boni auctoris natura, altera mali, quapropter tum artis tum naturæ opera, hæc duo primum nanciscuntur formam, & substantiam, quarum illa certum quid esse rem facit, hæc illam subiecta recipit, atqui nec substantia per se potest formam recipere, nec illa hanc vestire: sed maior aliqua requiritur causa, quæ substantiam ad formam perducat eademque prima sit, ac potentissima, quam quidem vocari convenit Deum. Itaque tria iam sunt principia, Deus, substantia, & forma. Deus quidem opifex, & motor; substantia autem materia, ac mota: forma verò ars: at unde*

Digitized by Google

movetur à motore, substantia. Iam quia quod movetur contrarias habet in se corporum simplicium vires, contraria autem compagem quandam & copulam desiderant numerorum vires, ac proportiones, & Arithmeticas, Geometricasque demonstrationes oportet assumere, quæ substantiam cum forma compingere, & copulare possint, nam per se quidem substantia forma caret, forma autem admota formam accipit, & compositionis rationes, ac similiter si quid movetur, oportet aliquid esse quod per se moveat, quocirca tria sunt ponenda principia, substantia, forma, quodque per se movet, nec cernitur: quod quidem non tantum existere oportet, sed etiam menti præstare, menti autem præstat, quem Deum vocamus. Itaque æqualis quidem ratio ad effabilem, & rationis participem naturam, inæqualis autem ad rationis expertem, & ineffabilem pertinet. Ea vero substantia est, ideoque in hac non absque hac ortus, & interitus cernuntur. Et paulo post: Rerum cognitionis principium de iis quæ cernuntur sumitur, ea vero partim intellectu, partim sensu percipiuntur, hoc mobilia, illo immobilia, quorum priora mente, posteriora sensu iudicantur. Quæ autem non cernuntur, partim scientia, partim opinione comprehenduntur, illa mobilia, hæc immobilia. Ac tria quædam requiruntur, quod iudicet, quod iudicetur, & ad quod iudicetur, quorum primum est mens, ac sensus, alterum ratio, tertium id quod cernitur, id quod partim intellectu, partim sensu percipitur. Iudicat porrò rationem mens nunc rei intellectu, nunc sensu perceptæ inhærens, unde & figurarum, ac numerorum captiones in Geometria existunt, & verisimiles in Politicis, ac Physicis artes, & factorum causa, etenim harmoniam quidem duplam rationem habere, intellectu percipitur: convenire autem hanc rationem, sensus docet: qui etiam Mechanici secundum intellectum figuras, numeros & proportiones usurpat, ac effectus ad sensum referuntur, quandoquidem in materia, & motu cernuntur. Denique rei causam nemo cognoverit, nisi eius naturam ante consideraverit, ac natura quidem cuiusque mente iudicatur, causa autem & modus ratione, & sensu: ratione quidem cum aliquid necessario efficitur, sensu vero cum sensus affertur testimonium. De mente, & sensu hæc habentur: Sensus quidem in corpore ponitur, mens autem in anima, nam ut illud eorum, quæ sub sensum cadunt, ponitur principium, ita hæc eorum, quæ sub intellectum. Etenim multitudinis quidem est numerus, mensura, longitudinis autem pes, ponderis vero, trutina, rectitudinis denique norma, eodem pacto corporum quidem sensus est mensura, rerum autem intelligendarum, mens, principium, ac mensura. Præterea mens quidem rerum naturæ primum intelligendum est principium, sensus autem nobis, siquidem ut illa principium est animæ, ita hic corporis, mens porro de præstantissimis iudicat, sensus de utilissimis: siquidem ut sensus corporis ministerii causa procreatus est, ita mens amplioris eiusdem curæ, præterea mens scientiæ principium est, sensus opinionis: siquidem ut hic sub sensum cadentium habet functionem, ita sub intellectum cadentium illa. Iam quæ quidem sentiuntur, moventur, ac sunt communia, quæ autem intelliguntur, consistunt ac sunt singularia: similiter quoque sensus ac mens se habent, etenim sensus quidem, ad id quod sentiri potest, refertur: hoc autem & movet, & movetur, nec unquam quiescit, ideoque tum magis, ac minus, tum melius ac peius sentitur: mens vero ad id quod intelligi potest, refertur; hoc autem nunquam movetur, ideoque nec magis nec minus, nec melius aut peius intelligitur. Iam quemadmodum mens primum & exemplum conspicit, ita sensus imaginem & secundum: siquidem ut mens non simpliciter hominem considerat, ita simpliciter sensus orbem solis vel fabri: præterea mens quidem dividi nequit, velut Monas aut punctum: similiter nec quod intelligitur, quoniam forma, nec finis est, nec terminus corporis, sed rei tantum descriptio, quatenus res est: sensus autem dividi potest. Eorum enim quæ sunt, alia sensu, alia opinione, alia scientia, alia denique intellectu comprehenduntur, & corpora quidem quæ subsistunt, sensu comprehenduntur, opinione autem quæ formas habent & imagines, velut homo quiddam hominis, ac triangulum quoddam trianguli: scientia vero quæ necessariò formis eveniunt, ut in Geomeeriæ figuris: intellectu denique cum ipsæ formæ tum scientiarum principia, ut ipse circulus, ipsum triangulum, ipse orbis. Iam in anima quoque nostra quatuor cernuntur cognoscendi facultates, mens, scientia, opinio, sensus, quorum duo rationis principia sunt, mens, ac sensus, duo fines, scientia, & opinio: cum porrò simile semper à simili cognoscatur, efficitur, ut mens, quæ sub intellectum cadunt, cognoscat: scientia, quæ sub scientiam, opinio, quæ sub opinionem, sensus quæ sub sensum. Hæc omnia ex Stobæo. Scripsit præterea Archytas multos libros de sapientia, quam in rebus omnibus dominium quoddam excelsum habere, ut in sensibus de visu, in anima de sensu, in sideribus de sole, dixit: *Nam visus longissimè tendit plurimasque rerum formas intuendo complectitur: & mens quasi Regina quodcunque opus est, ratione, & excogitatione perficit: ac visus quidam, visque est rerum præclarissimarum: & Sol ipse oculus est, atque animus totius naturæ, per quem scilicet omnia cernuntur, gignuntur, nutriuntur, augentur, foventur: Homo vero animantium omnium longe sapientissimus, vim quippe habet illam, qua speculari omnia possit, ac scientiam prudentiamque ex omnibus elicere, ut in quo Deus maximus rationem impresserit, ac signaverit, ubi rerum species omnium distinguerentur, distinctæ significationesque forent nominum, & verborum, sic ut loca etiam certa vocum sonis assignata sint.* Archytas cum servis abundaret quamplurimis, illorum liberis usque adeo oblectabatur, ut cum illis frequentissimè luderet, ac plurimum inter convivia illorum præsentia delectaretur, quod quidem, & aliis quamplurimis, & potentia & sapientia præditis accidisse narrant scriptores. Nam & Hercules quos in certaminibus subibat labores, ludicris allevia-

Digitized by Google

viabat, quique Iovis & Alcmenæ filius præ-
dicabatur; cum pueris admodum ludere non
graveſcebat. Sed & Euripides eundem Deum
introducit, fingitque dicentem: *ludo, ac*
laborum recreat me gratiſſima viciſſitudo. So-
crates etiam aliquando deprehenſus eſt ab
Alcibiade ludere cum Lamprode adhuc in-
fante. Ageſilaus verò arundini inſidens equi-
tabat cum filio puero, & cum quidam ri-
ſiſſet: *nunc* (inquit) *tace, cum vero & ipſe*
pater evaſeris, tunc patribus dicito. Vola-
terranus ait, Coſmum Medicen jam ſenem
& patriæ principem nepotib. parvis collu-
ſiſſe, & ex his cuidam *avenam in medio fo-
ro aptaſſe. Is (ut ad Archytam revertamur)
diutius Tarentinorum princeps enituit, emi-
cuitque, atque ut nonnulli volunt ſepties
civibus præfuit, cum cæteri plusquam an-
num imperare lege prohiberentur. Cum
exercitui præficeretur; dictator creatus,
& à civibus ſuis, & à circumvicinis Græ-
cis, nunquam ab hoſtibus fuit ſuperatus, ſæpe cum victoria domum rediit, ſpo-
liiſque onuſtus, creditur autem hoc illi ac-
cidiſſe, quia (ut Plutarchus refert in Poli-
ticis) magna fides eſt Archytæ à ſuis præſti-
ta, ſicut & Bato cuidam, & quamplurimis
aliis à ſuis quibuſque populis habebatur,
quod ſi aliis ducibus etiam exteris Tarenti-
ni ita fuiſſent obſecuti, ad tantam cladem,
quanta poſtea videbitur, non perveniſſent,
& ipſe etiam Archytas cum ſemel cederet
invidiæ, quam ex optimo regimine contra-
xerat, ſeſe imperio abdicavit, nec multo
poſt vidit ſuorum civium exercitum in jus,
ac poteſtatem ceſſiſſe hoſtium. Nobiliſſimus
hic Pythagoreus fuit primus, qui mechani-
ca mechanicis uſus principiis, expoſuit.
primus motum organicum deſcriptioni Geo-
metricæ admonuit ex dimidii Cylindri ſe-
ctione, duas medias ſecundum proportio-
nem, ſumere, quærens ad cubi duplicatio-
nem primus (inquam) in Geometria cubum,
ut Plato in ſua teſtatur repub., adinuenit:
& in Marcello Plutarchus Eudoxo Gnidio,
& Archytæ adſcribit machinamentorum ar-
tem, ut qui varietate quadam exornare
Geometriam ſtuduerunt. laudatur in primis
tanti viri ingenium à philoſopho, & *ſimul*
(inquit) *opus eſt, ut pueri habeant exercita-*
tionem aliquam, & Archytæ organum rectè
repertum eſt, quod pueris dant, ut in eo oc-
cupati, illa, quæ ſunt domi, non frangant,
neſcit enim pueritia quieſcere. Hinc adagium
illud apud Græcos natum Ἀρχύτα πλαταγή. Hoc
eſt, Archytæ crepitaculum, à Suida anno-
tatum, & in hominem vehementer garru-
lum, obſtreperumq; dictum: neque abſurdè
torquebis in eos, qui naturæ vitio, quovis
loco, quavis de re, & apud quoſvis, quid-
vis, garriunt, quales Græci λάλους, ἀμε-
τροεπεῖς, ἀκμιτομύθους, πολυμύθους, appellant. La-
tini Garrulos, locutuleios, Rabulas, Blate-
rones, & Linguaces. Sed neque hoc in loco
prætereundum arbitror, quod ad ingenii
Archytæ oſtentationem laudatiſſimum ſcri-
bit Agellius, nam & maius quoddam, atq;
admirabilius videri poterit. *Sed* (inquit) *id*
quod Archytam Pythagoricum commentum eſſe,
atque feciſſe traditur, neque minus admira-
bile, neque tamen vanum æque videri debet;
nam & pleriq; nobilium Græcorum, & Pha-
vorinus philoſophus memoriarum veterum exe-
quentiſſimus affirmatiſſime ſcripſerunt, ſimu-
lachrum columbæ è ligno ab Archyta ratione
quadam, diſciplinaq; mechanica factum vo-
laſſe, ita erat ſcilicet libramentis ſuſpenſum,
& aura ſpiritus incluſa, atque occulta con-
ciſum. Libet herclè ſuper re tam abhorrenti
à fide, ipſius Phavorini verba ponere. Ἀρχύτας
Ταραντῖνος φιλόσοφος πέρδικα μηχανικῶν ἐπάσατο
πτερυγίοις ξυλίνην πετομένην, ἣ τις εἵποτε καθίσει,
οὐκ ἔτι ἀνίσατο μέχρι γὰρ τούτου, hoc eſt, *Ar-*
chytas Tarentinus philoſophus pariter, & me-
chanicus vir, Columbam ligneam fecit volan-
tem, quæ ſi unquam obſediſſet, præterea non
exurgebat. Artem hanc machinandi, in qua
Eudoxum (ut diximus) Gnidium habuit ſo-
cium, multis variiſque geometricis cælatu-
ris exornavit, ſubtiles & occultas artis pro-
poſitiones, machinarum formis mortalium
oculis ſubiicere adorſus. Id Plato ægrè tu-
liſſe fertur, ut quæ ingenii eſſent, ſenſibus
ſubiicerentur: nec fruſtra ille auguratus,
futurum aliquando, ut machinandi ratio phi-
loſophia avulſa, alterius eſſe crederetur, quod
poſtea accidit militaribus incluſa artibus,
atque inſerta. Quo quidem in genere Ar-
chimedes multo poſt traditur tantum ſtudio
atque ingenio profeciſſe, ut jactare ſolitus
dicatur, ſi alterum terræ globum nactus eſ-
ſet, ſe alterum alteri applicaturum. Habuit
Archytas diſcipulos quamplurimos, ſed Em-
pedoclem Suidas nominat, Eudoxum Gni-
dium Ariſtoteles, moribus modeſtum, pauper-
rem, tenuiſque fortunæ, Geometram, Aſtro-
nomum, medicum, philoſophum, legiferum,
& voluptatem ſummum bonum eſſe dicen-
tem: Philolaum Crotoniatam apud ſuos ma-
ximæ auctoritatis: Sed in voluptate, ſi ta-
men non animi voluptatem intelligimus,
Epicurum Eudoxus, vel Eudoxum Epicu-
rus eſt ſecutus. Nam Cicero in Catone ma-
jore, diſſerentem adducit Archytam contra
voluptatem: erat enim tertia hæc ſenectutis
vituperatio, quod eam dicebant voluptate
carere.

Archytæ oratio contra voluptatem.

O *Præclarum*, exclamat, *ætatis munus,*
ſiquidem id aufert à nobis, quod eſt in
adoleſcentia vitioſum: Accipite (inquit Ca-
to) *optimi adoleſcentes veterem orationem*
Archytæ Tarentini magni in primis, & præ-
clari viri, quæ mihi tradita eſt cum eſſem
adoleſcens Tarenti cum Q. Maximo: Nullam
capitaliorem peſtem, quam corporis voluptа-
tem hominibus dicebat a natura datam, cu-
ius voluptatis avidæ libidines temerè & ef-
frenatè ad potiundum incitarentur. Hinc pa-
triæ proditiones, hinc rerum publicarum e-
verſiones, hinc cum hoſtibus clandeſtina conſi-
lia, & colloquia naſci dicebat, nullum de-
nique ſcelus, nullum magnum facinus eſſe,
ad quod ſuſcipiendum non libido voluptatis
impelleret. Stupra vero & adulteria, & omne
tale flagitium nullis aliis illecebris excitari,
niſi voluptate. Cumque homini ſive natura,
ſive quis Deus nihil mente præſtabilius dedi-ſſet,

set, huic divino muneri, ac dono nihil tam esse inimicum, quam voluptatem: nec enim libidine dominante temperantiæ locum esse, nec omnino in voluptatis regno virtutem posse consistere. Sed quo magis intelligi possit, fingere animo aliquem iubebat tanta incitatum voluptate corporis, quanta percipi posset maximè, nemini censebat fore dubium, quantum tandiu, dum ita gauderet, nihil agitare mente, nihil ratione, nihil cogitatione, consequi possit: quocirca nihil tam detestabile, tamque pestiferum, quam voluptatem: siquidem ea cum maior esset, atque longior, omne animi lumen extingueret. Hæc cum C. Pontio Samnite patre eius, quo in Caudino prælio Sp. Postbumius, & T. Beturius Coss. superati sunt, locutum Archytam Nearchus Tarentinus hospes noster, qui in amicitia populi Romani permanserat, se a maioribus natu accepisse dicebat: cum quidem ei sermoni interfuisset Plato Atheniensis, quem Tarentum venisse L. Æmilio, Ap. Claudio Coss. reperio. Huic Archytæ orationi contra voluptatem, ita per Catonem summatim, & memoriter recitatæ, non esset ab re nostri instituti apponere, quæ Atheneus refert pro voluptate ex persona Polyarchi: historia tamen ea est, quam Aristoxenus refert in Archytæ vita. Dionysius iunior legatos misit Tarentum, inter quos fuit Polyarchus cognomine Delicatus, non dictis, solum verum etiam factis corporis voluptatibus addictus, Archytæ familiaris, nec omnino alienus a philosophia, qui Archytæ ad lucum (erat is Tarenti locus) obvius, cum eo spatiatus est interim dum disputantem audiret (inciderat enim quæstio, ac consideratio de cupiditatibus, ac in universum de voluptatibus corporeis) multa pro voluptate respondit, quæ ibi, qui volet, legat: inveniet enim quæ dixerat exemplo Regis Persarum, & sui Dionisii Tyranni, sexcentorumq; aliorum. Philosophiam & contemplativam vitam non temere multi peregrinam dixere: nam multos invenias philosophos, qui discendi studio nunquam peragrare orbem terrarum destituerunt, sicut fecit Pythagoras Samius, qui sexagesima peracta (ut infra dicetur) Olympiade in nostra hac floruit ora: sicut fuere Empedocles, Heraclitus, Democritus, Anaxagoras. Apollonius adiit Gymnosophistas, & Indos: Anacharsis Scyta Atticos, Regina Saba * Solymos: Plato Ægyptios, & demum ad audiendum Archytam Tarentinos, quem a piratis captum redemit ære suo Archytas, & servum, atque discipulum habuit in Pythagorea philosophia: hi sunt versus latinitate donati, quos de hac re affert Ioannes Tzezes.

A Polide navarcho quidem genere Spartiata
Platonem philosophum emit Archytas,
Philosophus & iste quidem, verum Pythagoreus
Servum autem habens docuit philosophiam
Ipsum Pythagoream.

Fuit inde inter Platonem libertate donatum & Archytam ipsum magna arctaque familiaritas, unde traditur, quod cum Dionysius iunior Syracusis Tyrannus Platonis tertio videndi, & eius philosophiæ desiderio flagraret, Archytam, ac cæteros Pythagoreos, qui per ea tempora Syracusas recesserant, induxit, ut vades ipsi pro eo existentes Syracusas illum accerserent, qui Archidamum Syracusanum, Archytæ imprimis familiarissimum, quemque unicè Plato amabat, Athenas miserunt: sed & ipse Dionysius plures Siciliæ oratores viros apprimè nobiles, & triremes ad Platonem transmisit cum literis, quibus minabatur, nisi Syracusas remearet, nunquam se Dionem, ut promiserat, revocaturum. Erat is Platoni carissimus, quem omni disciplinarum genere erudierat, cognati præterea, soror, atque uxor, Dionem per literas commonebant, ut omnino Plato Syracusas veniret, si ipse patriam, ac suos cernere aliquando speraret. His omnibus Plato Syracusas tertiò venit, ubi cum Dionysio familiarissime versatus, non destitit usque adeo tyrannidem obiicere, Dioniisque revocationem, quam intra annum spoponderat, repetere, ut iratus tandem tyrannus ex arce eum remiserit, & extra arcem manere iusserit, cumque cognovisset ad Theodotum suum inimicum profectum, nunquam amplius in suas ædes vocavit, sed inter conductivos milites habitare præcepit, qui cum illum, obsecuturos se in hoc Dionysio existimantes, interimere vellent, Dionysius obstitit. Qua re cognita Plato Archytam, & cæteros Pythagoreos, qui Syracusis recesserant, quo in discrimine esset, per certum nuncium facit certiores: debere id animadvertere qui eius fuerint vades. Conveniunt omnes, & Salmiscum qui ex ipsis unus erat cum triremi ordinis triginta remorum ad reposcendum Platonem ad Dionysium legatum mittunt, atque ita Plato a Dionysii ereptus sævitia, quam & Philoxenus Dithyramborum scriptor fuerat antea expertus, Athenas, commeatum Rege sibi suppeditante, est reversus. Addit Plutarchus in Dione, quod antequam Platonem a se dimitteret, Dionysius per epulas, & familiarissima eum habuit officia, & tale quid dixisse a multis commemoratum narrat: *Complura de nobis Plato & gravissima certe crimina tuis denunciabis æqualibus, & studiorum sociis,* cui subridens ille respondit, *haud tanta disciplinarum fieri potest in Academia mendicitas, & inopia, ut tuis de rebus quidquam commemorare vacet.* Extant adhuc duæ Platonis ad Archytam Epistolæ, quæ familiaritatem illorum apertissime indicare videntur, in quarum altera, quæ nona est, consilium dat amico contemplari semper volenti, ne honestam simul, & necessariam deserat actionem. Altera vero, quæ duodecima simul; & ultima, nobis argumento est, quam liberalis, & simplex fuerit Plato, utpote qui arctiora quædam commentaria sua nondum absoluta Archytæ crediderit. Primæ autem epistolæ verba hæc sunt: *Plato Archytæ Tarentino bene agere. Venerunt ad nos Archippi, Philonidisque familiares ferentes epistolam, quam eis dederas, ac de rebus suis, quæ oportuit nunciantes. Publica quidem civitatis negotia absque difficultate peregeram: neque enim admodum laboriosa erant. Te vero narraverunt permoleste ferre, quod a publicis civitatis oc-*

tis occupationibus liberari non valere, quod igitur dulcissimum vitæ genus sit, agere sua præsertim, siquis talia elegerit facienda, omnibus ferme manifestum est. Sed illud quoque te considerare oportet, nullum nostrum sibi soli natum esse, sed ortus nostri partem sibi patriam vendicare, partem parentes, partem amicos: multa insuper pro temporum diversitate nobis accidere, quibus vita nostra occupata est: Vocante igitur te patria ipsa ad Rempublicam gubernandam, absurdum forsan esset non parere, præsertim cum simul accidat, ut aditus pravis hominibus relinquantur, qui nulla ipsius quod optimum est ratione, proficiscuntur ad publica. De his ergo iam satis. Echecratis autem curam habemus in præsentia, habebimusque in posterum & sui gratia & Patris eius Phrynionis, & propter ipsum adolescentem.

Alterius epistolæ hæc sunt verba: *Plato Architæ Tarentino bene agere. Mirum est quanta cum voluptate commentaria abstemissa accepimus, eorumque auctoris ingenio delectati sumus. Visus quidem nobis est vir ipse dignus maioribus illis iam olim suis. Ferunt virorum decem millia fuisse, qui ex omni Troianorum, qui sub Laomedonte successere, numero, ut fabula tradit, præstantissimi fuerunt. Commentaria vero, quæ tu per literas a me petis, nondum absoluta sunt: qualiacumque tamen sunt ad te misi, de custodia vero idem sentimus ambo, quapropter nihil cohortatione opus esse videtur.* Sed & ipsius Archytæ epistolam ad Platonem subscripsi. *Archytas Platoni bene agere. Facis tu quidem rectè, quod nobis te convaluisse ex ægritudine significasti, de Damisco idem nuncians, de Commentariis autem curavimus, venimusque ad Lucanos, ibique convenimus Occeli nepotes. Quæ igitur de regno, legibus, iustitia, omniumque generatione, & ipsi habemus, & ex his quædam misimus: reliqua modo sperari non possunt, cum inventa fuerint, ad te deferentur.* An autem vera sit epistolæ inscriptio, quam præmittimus bene agere, non satscio: quoniam Archytas cum Pythagoreus fuerit cum cæteris Pythagoræ scholaribus, repudiatis inscriptionibus χαίρειν, idest gaudere, & ἐυπράττειν, idest bene agere, quibus Cleon & Epicurus utebantur, ὑγιαίνειν induxit, hoc est, bene valère, existimans huiusmodi compellationem & animi & corporis esse maximè congruentem, & simul omnia intra se mortalium bona complecti. Sed neque fortunæ tela profugit Archytas: nam & de illo, ut de Platone diximus, legitur, quod cum discendi studio flagraret, multas peragravit oras, captusque aliquando a piratis, & venditus servivit aliis, fuitque redemptus. Qui & ultimum vitæ diem habuit infeliciſſimam, sicut Venusinus poeta suo deflet carmine:

Te maris, & terræ, numeroque carentis arenæ
Mensorem cohibent Archyta
Pulveris exigui propè litus parva Matinum
Munera

Sentit enim in illa prosopopœa, mari obrutum Appulo tantum virum, cui nihil profuit fuisse philosophum, Geometram, & patriæ administratorem.

Me quoque devexi rapidus comes Orionis
Illyricis notus obruit undis.

Verba sunt, ut fingit poeta, Archytæ, qui omnes commonendos docet, præcaturq; nautam, ut cadaver curet sepeliendum;

At tu nauta vagæ ne parce malignus arenæ
Ossibus & capiti inhumato (ruso
Particulam dare: sic, quodcumq; minabitur Eurus
Fluctibus Hesperiis, Venusinæ
Plectantur sylvæ, te sospite, multaque merces,
Unde potest, tibi defluat æquo
Ab Iove, Neptunoque sacri custode Tarenti.

Hæc de Archyta, cuius vitam Aristoxenus & ipse Tarentinus scripsit, collecta sunt.

Commemorantur, & alii illustres viri, qui inter Tarentinos recenserunt.

CAP. III.

ARchytam Philosophum diximus Pythagoreum, non quia adolescens Pythagoram habuerit præceptorem: nam inter utrumque multa concurrere sæcula. Floruit siquidem Pythagoras, ut ex Eusebii chronico colligitur, circa finem Olympiadis sexagesimæ tertiæ, & moritur circa Olympiadem septuagesimam, quod tempus ab anno Urbis conditæ CCXXVIII. usque ad CCLV. extenditur: Archytas autem, quem Platoni æqualem diximus, floruit anno Urbis conditæ CCCCII. qui respondet Olympiadi centesimæ: quin & Livius reprehendit illos, qui sentiunt Numam Samii philosophi fuisse auditorem, & describit tempus doctrinæ Pythagoreæ his verbis: *Auctorem doctrinæ eius, quia non extat alius, falsò Samium Pythagoram ædunt, quem Servio Tullio regnante Romæ, centum amplius post annos in ultima Italiæ ora circa Metapontum, Heracleamque, & Crotonem iuvenum æmulantium studia cœtus, habuisse constat.* Quodcumque igitur tempus verum duxeris, iam clarissimum tibi erit, Archytam non potuisse inter Pythagoræ iuvenes studia æmulantes esse, dum ille viveret, dictus tamen est Pythagoreus, quia is Pythagoræ hæresi erat addictus, sicut Peripatetici dicuntur, non illi tantum, qui Aristotelem vivum audiverunt, sed & omnes qui illius doctrinam sectantur. Hic igitur Pythagoras non Tarentinus, sed Samius, ut plerique sentiunt, fuit vel Tyrrhenus, ut Aristoxenus cum Aristarcho, & Theopompo tradit, vel Tyrius ut unus Neanthes suspicatur, verum quia, & ipse in Italia Tyrannidem aliquando exercuit, ut in Mithridatico bello ostendit Appianus, & Tarenti, præter Crotonem sæpissime versabatur, ut alibi dictum est, quia & Tarenti mortuus est, propterea inter illos, qui ex hac urbe percelebres fuerunt, repositi, de quo pauca hæc collegi. Scripsit Pythagoras περὶ τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης, de rubro mari: herbis, & olea-

& oleribus vescebatur, fuit & paucissimi potus, frugalemque sibi adeo rationem victus indixit, ut sæpius melle solo contentus fuerit. Apollodorus Arithmeticus auctor est, Pythagoram Diis immolasse, ac sacrificasse Hecatombem, quod invenisset in triangulo rectis angulis constante, lineam, quæ recto angulo subtenditur * tantum valere, quantum aliæ eundem angulum continentes, hypotenusam vocant: vel quia duabus propositis figuris sibi dissimilibus, & inæqualibus, tertiam inveniffet, quæ alteri quidem æqualis, alteri vero similis esset. Notatur auctore Svida illud proverbiale de Pythagora αὐτὸς ἔφα, ipse enim, ut orationi suæ, & vitæ auctoritatem conciliaret, in congressibus aiebat, ipse dixit: ac si diceret, non meus, sed Dei est sermo. De animarum trasmigratione ab ipso ineptè posita, scripsimus in vita Ennii. Habuit uxorem quæ dicebatur Theana, ex illa suscepit filiam Damoa, & filium Thelaugem, qui patri successit, ac iuxta quosdam Empedoclis, qui fuit prior Archytæ discipulus, præceptor: mortem eius ita describit Hermippus: *bello inter Agrigentinos, & Syracusanos exorto, exiit Pythagoras cum sociis, ut Agrigentinis contra Syracusanos opem ferret, sed cum Agrigentini, ac Sociis in fugam versus, campum circuivit fabarum, inde extractus a Syracusanis fuit interfectus, reliqui capti ad triginta cremati sunt Tarenti, quia primariis civitatis contraibant, & ab eis in Reipublicæ administratione dissentiebant*: Extat Græcum epigramma de Pythagoræ interitu iocosum quidem illud, sed ex hac historia ortum:

Αἰαῖ αἰαῖ Πυθαγόρης τὸ τέρας κυάμους ἐσιβήσατο, καὶ δάνε διαφυτὰς ἀμμιγα τοῖς ἰδίοις. χωρὶς ὦν κυάμων, ἵνα μὴ τύτυς δὲ πατήσῃ, ἐξ ἀκραγαντίνων κατθάν' ὑπὸ τυίδε.

Heu heu, Pythagoras quid vile legumen adorat?
Quem in propriis fama est occubuisse fabis.
Nam ne forte fabas fugiens calcaret in agro,
Tardem ab Agrigentino cæsus ab hoste perit.

Dionis cuiusdam Tarentini qui fuit ductor exercitus, virque apprime fortis, & rei bellicæ sanequam peritus, meminit Plutarchus in Græcanicis problematibus, & ab hoc fluxisse refert adagium, hæc potior, hæc victrix αὕτη κρείττων, multa apud Adagiographos leges. Nicomachus, unus ex Tarentinis imperatoribus, qui ut Mathematicus clarissimus de Arithmetica, & musica scripsit: verum apud Svidam sex reperiuntur Nicomachi, & nullus dicitur Tarentinus: vox hominis sonat pugnæ victorem, sicut Nearchi novum principem, quo deegit Cato in oratione Archytæ adversus voluptatem. Aristoxeni musici Tarentini volumina de Harmonia nostra etiam tempestate passim leguntur Latinitate donata sub Antonio Gogavino interprete Gravienſe. Scripsit & sequentia, ut passim videre est apud Athenæum. τὰ Ἀρχυτείου, hoc est Archytæ vitam: περὶ αὐλητῶν, de tibicinibus, περὶ αὐλῶν καὶ ὀργάνων, de tibiis & organis: περὶ μουσικῆς, de Musica, πολιτείας, de Republica σύμμικτα συμποτικά, confusi convivales: σύγκρισις, Comparationes, ὑπομνήματα, compendiosi, & breves commentarii. Genus illud saltationis, quod in manibus plurimum exerceret motum, cæteris anteferebat, cum esset musicus. Hic dixit animam esse quandam armoniam, qua de re dixit in Tusculanis Cicero. Sed hic quidem quamvis eruditus sit, sicut est, hæc magistro concedat Aristoteli, canere ipse doceat: bene enim illo proverbio Græco præcipitur, *quam quisque norit artem, in hac se exerceat*. Neque solum Aristotelem habuit præceptorem, sed & patrem primò, qui dicebatur Spintharius, deinde Lampum Erythræum, postea Xenophilum Pythagoreum. Sed Aristoteli morienti, quod Theophrastum in scholæ successione sibi & aliis præferret, convicium dixit, cuius rei hæc fertur historia. Cum ad extremum vitæ periculum ægrotaret Aristoteles, ac iam desperata salus esset, coivere ad eum discipuli, atque rogarunt, quandoquidem ipse in discrimine esset vitæ, & humana forent fragilia, atque incerta, iam inde eum in doctrina præficeret; quem ipse maximè omnium probasset. Tum Aristoteles cum ante obitum id se facturum pollicitaretur, haud multo post, vinum se cupere inquit, aut Lesbium, aut Rhodium: iussit utriusque poculum sibi afferri, cumque illa vicissim delibasset: *Lesbium* (inquit) *hoc perquam suave est & amœnum, Rhodium & hoc probandum, & bonum*, quo quidem facto nemini dubium fuit, quin Theophrastum & Menedemum suo iudicio anteferret, quando Lesbius origine alter erat, Rhodius alter, hoc eius iudicium persapiens (quoniam aliter discipulis interrogantibus supra hoc non respondit (causam pro evitanda cæterorum discipulorum invidia fuit. Dixit enim quodummodo & non dixit. Nec tamen ea cautela vitare potuit, quin aliqui perinde quasi non recte spreti ab eo, atque posthabiti offenderentur, eorumque unus fuit Aristoxenus, quem Lucianus vocat parasitum Regis Nelei, quemadmodnm Euripidem Archelai, & Anaxarchum, atque Aristotelem Alexandri. Fuit Dicearchi æqualis, & Mantineæ degit, quæ in Peloponeso est, & in regione Arcadiæ. In musicis suos habuit sectatores, qui Aristoxenii dicti sunt, ut Pythagorei. Heraclides Tarentinus scripsit librum, qui inscribitur συμποσιον, ideſt, convivium. Adduxit in quæstionem, sicut legitur apud Athenæum, an in prima mensa inferenda sint * bellaria, ut mos est quibusdam in locis Asiæ, & Græciæ, an non, sed post cœnam? nam cœnatis si apponantur, copiosior cibus in ventrem, ac intestina cum jam subierit, quæ post eduntur nuces, quia bibendi cupiditatem, ut delectationem irritant, ingesto cibo immixtæ inflant, & alimentum jam sumptum corrumpunt, ob nativam earum ad concoctiones difficultatem & contumaciam, supernatantemque pinguedinem, unde fiunt cruditates, & ventris intempestivæ dejectiones. Scribit idem in convivio, acetum foris adhibitum, externas partes, intro sumptum, ventrem adstringere tumores autem discutere: quod humores in nobis varii mi-

scean-

Digitized by Google

sceantur : Docuit ibidem non esse bibendum, antequam mediocris cibus sumatur, & is præcipuè, qui familiaris sit, & consuetus. Dixit, Bulbum, cochleam, ova, & similia, quæ glutinosum quidpiam habent, & viscidum, diutiusque in ventre moratur, & intermixta detinent, humores semen gignere, quia prima illorum natura eandem cum genitura speciem & potestatem habet. De Melone dixit ὑδ" γαῖον vocari, quod è terra suavis prodeat. Alii contendunt hoc dixisse de cucumere, anguino, Sicyon Græci vocant, à verbo κύειν, quod est velosculari, vel utero gerere, quoniam eo cibo Venus accenditur. Dubitabat idem & percontabatur post esum ficuum, an aqua gelida bibenda sit, an calida: qui calidam malunt, illos (inquit) hoc suadere, quod animadvertant solidas manus aqua calida totas confestim purgari, & hoc exemplo credibile putent, in ventriculo ficus à calore dissolui, præsertim cum extra corpus nostrum aqua calida ficuum continentes partes distrahat, & in tenues portiunculas liquatas dividat, frigida vero illas contrahat, & cogat. E diverso qui frigidam bibendam sentiunt, sic ratiocinantur, frigidæ potione ob eius gravitatem, quæ insidens ventriculo deorsum protrudi, non admodum bellè ventriculum habere post esum ficuum, quia æstuosus & imbecillis reddatur : quamobrem quidam extemplo merum bibunt : aquam porro frigidam in ventriculum acceptas illas depellere : *est autem*, dicebat, *post sumptas ficus largius & affatim bibendum, ne in ventriculo subsistant, sed ad inferiorem intestinorum partem dilabantur*, scripsit & multa alia, ut testantur medici, de pulsu, de simplicibus, de herbaria, de compositionibus pharmacorum, de Catapotijs, de Icesio nigro : eius experimenta sæpe refert Galenus in decablilo, scripsit & pharmaca compotoriæ speculationis, quo tempore nondum tantis delicijs incumbebant fœminæ. Disputavit & experimento docuit, femur, ubi repositum fuerit, manere iam, nec semper abrumpi nervum, ut alii contendunt, sed relaxari interdum & iterum contrahi. Audivit Manthiæ Herophileum medicum : invenit, & machinam, qua expugnandis hostium mœnibus utebantur Romani, sicuti auctor est Moscus libro quem scripsit de Machinis, & multa alia leges in Athenæo. Miror Volaterranum huius non meminisse, neque ante illum Suidam. Non laudatur à Cornelio Celso in curatione quartanæ, quod sentiret primis diebus ducendam alvum, deinde abstinendum usque in septimum diem. Heraclitus Tarentinus si omnia vera sunt, quæ in deipnosophistis Athenæus scribit, interfuit Alexandri nuptiis, qui inter cantantes citharam pulsavit, & ipse cantans: sicut & inter præstigiatores fuit Scymnus Tarentinus lepidissimus, cum quibus & Alexis etiam Tarentinus Rhapsodus, ingenii dexteritatisque suæ specimen exhibuit, vocarunt autem illum Rhapsidum, quia frequenti hominum conventu alienos versus recitabat, accinendo, vel ut nonnullis placet, quia ex tempore carmina componeret, concinnaret, & tanquam sueret, quod vulgò Italorum componere all' improviso dicitur. Iccus Tarentinus medicus fuit celeberrimus, qui septuagesima floruit Olympiade, hoc est, circa annum mundi septingentesimum post quater millesimum, & circa Urbem conditam ducentesimum, & quinquagesimum tertium, quando Pythagoras (ut supra visum est) moritur. Hunc Veneris tradunt expertem. Sed Pausanias Iccum dicit fuisse Athletam, de quo ad hæc quidem verba loquitur : *Iccus Nicolaidæ filius Tarentinus Olympicam coronam, de Quinquertio cœpit : ac deinde in sequentibus fuit Athletarum magister sui temporis præstantissimus*. Tanta fuit viro huic gloriæ libido cara, ut toto vitæ tempore castus vixerit, ne Venereo concubitu corpus enervaret, fieretq; propterea inutilior ad certamen, ex cuius exemplo forsan in arte dictum videri poterit ab Horatio:

Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit, fecitq; puer, sudavit & alsit,
Abstinuit Venere & vino.

Et idem Iccus locum dedit apud Græcos proverbio ἴκκου δεῖπνον, ideſt Icci cœna: ut commemorat Eustathius, quo vitæ parsimonia notatur. Addam & quæ de eodem scribit Ælianus : *Taurus gregis dux, cum ab altero gregis duce fuerit superatus, se in quendam locum ab aliis segregat, & semetipsum non alieno impulsu, sed sua sponte exercet, atque omni contentione cornibus, calcibus, unguibus certat : cornua quidem in arbores infligit, pedibus pulverem spargit, cæterisque exercitationibus sese accommodat, à vaccis se continet, atque à Venere se abstinet, & libidini suæ moderatur, queamdmodum Iccus Palæstrita Tarentinus, quem Plato toto certaminum tempore omnis coitus expertem permansisse affirmat. Sed Iccum ratione præditum, atque Olympiorum cupidum simul, & gloriæ sensu affectum, nihil admodum mirum videri debet, emendatè, & summa corporis castimonia vixisse. Nam ei præmia proposita videbantur illustria, pinus Isthmica, laurus Pythica, oleaster Olympicus : tum verò sperabat se, quoad viveret, circumspiciendum esse, & cum è vita excessisset, magnam laudem ex ea re adepturum*. Verba autem Platonis hæc videri possunt in legibus : *Num igitur de Tarentino Icco non audivimus, qui propter Olympica, aliaque certamina artificioso circa hæc studio, temperantiam simul & fortitudinem animi consecutus, nullam unquam in toto exercitationis suæ tempore Venerem agnovit*. Addit Volaterranus in Anthropologia in hoc apostolicum illud deprehendi posse : *qui in stadio currunt, omnes ab omnibus abstinent, & hi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem ut incorruptibilem*. Zeusis cuiusdam Tarentini medici meminit Galenus in libris Epidemiorum & ipse pictorem Zeuxim Heracleotem Tarentinum contenderem, cum dicat Aristoteles Tarentum quondam Heracleæ nomen habuisse cujus historiam supra attigimus. Apollodorum etiam non modò Citicum, sed & Tarentinum citat.

tat Plinius, & eum de venenorum remediis scripsisse tradit. In Atticis apud Pausaniam, neque non apud Stephanum Nigrum legitur maximè celebre fuisse nomen Nicoclis Tarentini supra omnes ferè Cytharœdos, cuius monumentum erat juxta aram Zephyro erectam, Cereriſq; ac Proſerpinæ templa, quibus cum Minerva & Neptuno honores habebantur. Eumeneus Cytharœdus Tarentinus, de quo nonnulli celebris inter neotericos nominis Grammatici exponunt verba Horatii in arte,

Sic priſcæ, motumq; & luxuriam addidit arti,
Tibicen, traxitq; vagus per pulpita veſtem,

Afferentes Luciani verba in libro, πρὸς ἀπαίδευτον πολλὰ βιβλία ὠνούμενον. Sed verius εὐάγγελος appellatur, ſic enim apud Græcum auctorem incipit hiſtoria: Ταραντῖνος εὐάγγελος τοὔνομα τῶι ὅτε ἀφικνεῖτο ἐν τῷ Τάραντι, &c. Huius autem cytharœdi vanitas ea erat, qualis a Cicerone ad Herennium in quarto rhetoricorum libro deſcribitur: *Ante oculos*: (inquit) *ponendi negotii cauſa, ſumetur ſimilitudo per collationem, ſic. Uti Citharœdus, cum prodierit optimè veſtitus, palla inaurata indutus, cum chlamyde purpurea, coloribus variis intexta, & cum corona aurea magnis fulgentibus gemmis illuminata, cytharam tenens exornatiſſimam, auro, eboreq; diſtinctam, ipſe præterea forma, & ſpecie ſit & ſtatura appoſita ad dignitatem, ſi cum magnam populo commoverit expectationem* his rebus, *repente ſilentio facto, vocem emittat acerbiſſimam cum turpiſſimo corporis motu, quò melius ornatus, & magis fuerit expectatus, eò magis deriſus, & contemtus eiicitur: ita ſi quis in excelſo loco, & in magnis, ac locupletibus copiis collocatus, fortunæ muneribus, & naturæ commodis omnibus abundabit, ſi virtutis, & artium, quæ virtutis magiſtræ ſunt, egebit, quò magis cæteris rebus erit copioſus, & induſtrius, & expectatus, eò vehementius deriſus & contemtus, ex omni conventu bonorum eiicietur.* An autem hic Evangelus fuerit ille Comicus poeta, cuius meminit Athenæus, qui fabulam ſcripſit ἀναλυπτούμενοι, quique ſcripſit de re militari, ut refert Plutarchus in Philopœmene, haud ſcio: cum idem ante me ignoraverit Volaterranus. Rhinthon Tarentinus Phylax ab eodem Pauſania citatur, qui tragica ad ridiculum transtulit, cuiuſque δράματα octo & triginta, tum Comica, tum Tragica, ſed quæ non extant, feruntur. Athenæus in Amphitryone, & Hercule Rhinthonem nominat. Donatus Rhinthonicas comœdias ab auctore cenſet appellatas. Verum Rhinthon non ut auctor, ſed ut poeta commendatur, & auctor comœdiæ genus mutare, vel conſtituere non poteſt. De hoc pauca quæ ſequuntur reperies apud Ciceronem ſcribentem ad Atticum: *Illud tamen, velim, exiſtimes, me hanc viam optimatum poſt Catuli mortem nec præſidio ullo, nec comitatu tenere: nam ut ait Rhinthon* οἱ μὲν γὰρ οὐδὲν εἰσιν, οἷς δὲ οὐδὲν μέλει. *Alii quidem prope nihil ſunt, aliis autem nihil curæ eſt*; Hic fuit vocatus Temulentus, ſeu ugator, quaſi qui blandè res tragicas ridiculis accommodaret & luderet non in ridiculoſis, ſed contrà garriret. Suidas tradit filium fuiſſe figuli ſub primo Ptolomæo, & illum appellat auctorem Hilarotragœdiæ, quæ eſt Phylacographia: quæ nomina facta ſunt ab hilaritate tragœdiæ, & excubiarum deſcriptione. Sed & Deipnoſophiſtæ in nono libro meminere Sciræ cuiuſdam Tarentini qui Italicæ comœdiæ auctor fuit. Eſt & apud Svetonium in clariſſimorum grammaticorum catalogo Craſſitius quidam Grammaticus Tarentinus, cuius verba hæc ſunt: *Lucius Craſſitius genere Tarentinus ordinis libertini, cognomine Paſidis, mox Pauſam ſe transnominavit.* Hic initio circa ſcenam verſatus eſt, dum Mimographos adiuvat: deinde in Pergula docuit, donec commentario Smyrnæ edito, adeò claruit, ut hæc de eo ſcriberentur,

Uni Craſſitio ſe credere Smyrna probavit,
Deſinit indocti coniugio hanc petere.
Soli Craſſitio ſe dixit nubere velle,
Intima cui ſoli nota ſua extiterint.

Sed cum doceret Romæ iam multos ac nobiles, in his Julium Antonium Triumviri filium, ut Verrio quoque Flacco compararetur, dimiſſa repente ſchola tranſiit ad Q. Sextimii philoſophi ſectam. Multi Surrentinum tradunt, ut diximus in oratione quam de laudibus Lælii Archiepiſcopi habuimus. Hegeſippus Tarentinus multa ſcripſit, ἀδελφούς ideſt fratres, ὀψαρτυτικά, hoc eſt de condimentis, vel condiendis obſoniis, πλακουντοποιϊκὰ συγγράμματα, deplacentis conficiendis. Paſſim de hoc ait Athenæus: *multi apud Hegeſippum in fratribus, & de arte culinaria dicta ſunt, & Hegeſippus Tarentinus id confici prodidit ex elixa carne deraſo pane, Phrygio caſeo, anetho, & pingui juſculo &c.* Quibus in verbis Gandaulon condimenti genus intelligit. At cum placentarum nomina multi tradiderint, tecum hæc communicabo, non ignarus Callimachum in indice omnigenerum ſcriptorum recenſuiſſe Ægimii, Hegeſippi, Metrobii; atque etiam Phæti libros de placentis conficiendis, ſcripsit, & φιλεταίρους hoc eſt amicos & neceſſarios, quo de libro hos refert verſus:

Epicurus ſapiens flagitante quodam
Sibi ut diceret, quod nam illud ſit bonum
Quod inveſtigant aſſidue voluptatem eſſe reſpondit
Euge vir optime, ac ſapientiſſime,
Manducationa præſtantius nullum fuerit
Tum bonum, inquit, voluptas ſi bonum eſt.

Apud Pauſaniam libro Eliacorum priore ſive dixerim quinto, celebratur Hippotion quidam Tarentinus ſtatuarius, qui Herculis ſagittis in Altis (nomen Urbis eſt) muro dicavit ſignum, in Nemea leonem conficientis; eius verba hæc ſunt Amasæo interprete: *In eodem verò Altis muro præter Agrigentinorum dona, incluſa ſunt & Herculis ſigna duo nuda, ætate puerili, unus item ad eius imaginem expreſſus, qui ſagittis in Nemea Leonem confecit. Hunc cum Leone dicavit Hippotion Tarentinus. Nicodami alterum opus eſt.* Ab

eo-

eodem posteriore ponitur quidam Anochus Adamatæ filius Tarentinus, quod de stadio & repetito curriculo victor, statuam permeruit, opus Ageladæ Argivi. Omnes fere medici in hoc conveniunt insaniæ genera tot esse, ut pene illa nullus exacte adhuc connumeraverit: sed Leonicus in varia historia raras admodum nonnullas, novasque insanias ab Aristotele in libro de rebus auditu mirabilibus, & Plutarcho sumptas, affert: ex illis unam collegimus, ut quæ institutum nostrum non omnino dedecorat. *Tarenti* (inquit) *idem auctor refert, cauponem fuisse quendam, qui noctibus quidem fureret, interdum vero si quis alius proprio exercitio diligenter operam navaret, cæterum noctu etiam dum insaniret, sua illum solerter omnia custodisse ait, siquidem tabernæ clavem, quam sub zona ferre solitus esset, nunqam amisisse, quinimo multis plerumque (ut fit) illam clavem subducere tentantibus, semper custodisse, diligenterq; conservasse, affirmat. Præfecto classis Philoxeno* (Plutarchi verba sunt in Alexandro) *apud se Tarentinum Theodorum eximia facie pueros venales habentem divertisse scribente, & num emere velle percontante, persæpe vociferans, æquales rogavit, quidnam olim tam obscœnum de se Philoxenus animadvertisset, ut hæc illi probra compararet? scribens etiam ad Philoxenum post multa in illum maledicta, & convitia ipsum cum suis mercibus Theodorum Mangonem malam in rem mittere iussit.* Polybius, sicut testatur Athenæus in assentatoribus meminit alterius Heraclidis Tarentini, quem ipse Athenæus Proclidem appellat, eius verba hæc sunt, quamvis historia alium sibi locum adsciscaret: *Erat Heraclides, cui Philippus Argivorum Rex mandaverat, ut Rhodiorum naves infestaret, & perderet, natione quidem Tarentinus, ex manuariis opificibus ortum trahens: verum singulariter ad vecordiam, & astutiam instructus, primum enim in ætate tenera corpore suo palam fuerat abusus, deinde cum ingenio sagaci esset, auctuarius factus est, & erga humiles severus, & audax, erga præstantes vero adulantissimus. Hic initio quidem patria pulsus, quod videretur civitatem Tarentinorum clanculum prodere Romanis, cum politicam potentiam non haberet, sed architecton existens, & propter quasdam numerorum structuras, claves portæ ad mediterraneam partem ducentis in potestate sua haberet, cum autem ad Romanos profugisset, ac rursus illinc Tarentum ad Annibalem scripsisset, ac misisset, ubi patuit dolus, fugit ad Philippum, apud quem tantum fidei, & potentiæ consecutus est, ut ad tanti regni subversionem prope maximus auctor factus sit.* Terra, inquit Varro, *in Asiam divisa est, & Europam: Asia enim iacet ad Meridiem & Austrum: Europa ad Septentrionem, & Aquilonem. Asia dicta est a Ninpha, a qua & Iapeto trahitur Prometheus. Europa ab Europa Agenoris filia, quam ex Phœnice Mallius scribit Taurum portasse, quorum egregiam imaginem ex ære Pythagoras Tarenti fecit.* Sed adverte non Pythagoram in numeris excelsum fuisse statuarium, sed Rheginum alium eiusdem nominis, qui Græcis quidem literis apprime eruditus, fuit statuarius, & Pictor clarissimus, discipulus Clearchi Rhegini, in plastice arte celebris, ut siquis alius, de quo multa leges, præter Plinium, apud Pausaniam præcipue in sexto libro, qui est Eliacorum posterior. Extant apud Græcos duo adagia, quorum primum est Μῦς ἄρτι πίσσης γευόμενος, Mus nunc picem gustans: alterum, ἴσα μῦς ἐν πίσσῃ quanta mus apud Pisam, utrique videtur dedisse caussam Pugil quidam Tarentinus, cuius meminit Svidas, qui sentit proverbium in eos dictum, qui multum vicerunt labore. Pugil enim Tarentinus iste Pisæ certans, multos habuit adversarios, multisque acceptis plagis vix tandem vicit centesima Olympiade: eius nomen fuit Mus. Sed & Diodorus Siculus Smicrinæ cuiusdam Tarentini meminit, qui fuit victor in stadio inita Olympiade sexta supra centesimam, quo anno Athenienses principem Aristodemum, Romani Caium Sulpitium, & M. Valerium Coss. habuerunt. An autem ille fuerit Smicrines, qui Archippam amaverat, quæ a poeta Tragico postea requisita fuit, viderint alii. Diogenes Laertius in Pythagora Lysidem Tarentinum Pythagoricumque philosophum commendat, is cum Thebas profugisset, Epaminondæ summi illius imperatoris præceptor fuit, suisque illum monitis accendit, ut summarum gloriam rerum adipisceretur, qua de re sic legere est apud Æmilium Probum: *(Philosophiæ præceptorem habuit Lysidem Tarentinum Pythagoreum, cui quidem sic fuit deditus, ut adolescens tristem & severum senem omnibus æqualibus suis familiaritate antepositum, neque prius eum a se dimiserit, quam doctrinis tantò antecessit condiscipulos, ut facile intelligi posset pari modo superaturum omnes in cæteris artibus*: multa de eodem legito apud Pausaniam in Booticis. Scripsit Lysis de institutione, de civilitate, & de natura. Extant & nonnullæ epistolæ, & ea imprimis ad Hipparchum, ubi in hunc modum de Pythagora: *Aiunt plurimi publicè te id quod Pythagoras semper inhibuerit, philosophari, qui cum Damoni filiæ commentaria sua commendaret, iussit ne cui extra domum ea traderet: ea vero cum ingenti pecunia posset ea distrahere, omninò noluit, inopiam quippe, patrisque monita auro prætiosiora censuit, idque cum esset mulier.* Ad Epaminondam Lysidis discipulum spectat, quæ scribit Plutarchus in opusculo de Socratis genio: *Quid*, inquit, *aiebat Theanor? Epaminondas suam sententiam non profert, eadem institutus disciplina? tum pater renidens: tale, inquit, est eius ingenium taciturnum, & caute ad loquendum sedans, audiendo & discendo inexaturabile, itaque etiam Spintharus Tarentinus cum eo hic non exiguum tempus versatus, frequenter dicebat, in neminem se hominem suæ ætatis incidisse, qui & plura nosset, & pauciora loqueretur.* Cleanthes Tarentinus, Clearcho teste, inter convivandum eloquebatur omnia versibus, ut & Pamphilus Siculus, qualia hæc sunt.

Da quod bibam.
Perdicis crus.

Mutulam aliquis mihi porrigat.
Placentam aliquis mihi dato

Ita ſcribit Athenæus, apud quem invenies Stratonem quoque Tarentinum, qui in conviviis dithyrambicos verſus imitabatur, auctore Ariſtoxeno. Philolai & Euriti Tarentinorum meminit Laertius in Pythagora, qui & ipſi fuerunt Pythagorei, præceptores Zenophili Chalcidenſis ex Thuria, Plantonis, Echecratis, Dioclis, Polymneſti Phliaſiorum. De Ennio multa ſcribit, præter explicationes in illum elegantiſſimas, Hieronymus Columna, ad quem miſi commentarios perbreves in vitam huius poetæ a Petro Crinito ſcriptam in libro de poetis Latinis. Sciri autem nunquam verè potuit, fuerit ne Tarentinus, an Rhudienſis, quoniam eum Rhudiæ genuere vetuſtæ, & Cicero in oratione pro Archia Rhudium appellat hominem, & Svidas poetam Romanum, & Meſſapium, quem Ælianus laude dignum eſſe tradit, nam dum Scipionem canit, & virum illum magnificè extollere ſtudet, ſolum Homerum, ait, pro dignitate laudare poſſe Scipionem. Rurſus Eutropius qui in fine ſecundi libri tradit, primo Punico bello Ennium natum, Tarentinum cenſet, ſicut & Euſebius, ſed hoc quoniam alibi diſcuſſimus, prætermittamus. Illud certiſſimum & ab omnibus receptum, quod a Catone Romam translatus in Monte Aventino habitarit, parco admodum ſumptu contentus, uniuſque ancillulæ miniſterio, cumque Romæ ſuum tandem obiiſſet diem, in Scipionis monumento via Appia ſepultus, inde paulo poſt eius oſſa Rhudias patriam aſportata. Sed & Pacuvium in ſcribendis hiſtoriis apprime nobilem, Brunduſinis nollem tollere; ſunt tamen qui cum Tarentinum tradant, & Quinti Ennii ex ſorore, vel ex filia nepotem, ac Tarenti egiſſe, & illi ſeni ab Actio ſcripta ſua recitata, ibique tandem nonagenarium diem obiiſſe, non ignorare debent, quibus non ingratum eſt Euſebii chronicon, quibuſque non diſpliçet multiplex Agellii lectio. Aulum Licinium poetam, qui & Archias dictus eſt, a Tarentinis non modo multis præmiis, ſed & civitate donatum, tradit Cicero in oratione, quam pro illo habuit: *Erat*, inquit, *Italia tunc plena Græcarum artium, ac diſciplinarum, ſtudiaque hæc & in Latio vehementius tum colebantur, quam nunc iiſdem in oppidis: & hic Romæ propter tranquillitatem Reipublicæ non negligebantur. Itaq; hunc & Tarentini, & Rhegini, & Neapolitani, civitate, cæteriſque præmiis donarunt, & omnes, qui aliquid de ingeniis poterant iudicare, cognitione atque hoſpitio dignum exiſtimarunt.* Hæc ille. Calliſtratus Iuriſconſultus in libris digeſtorum ſub titulo de re iudicata, in lege, *Divus Adrianus*, meminit cuiuſdam Iulii Tarentini, hunc multi crediderunt iuriſconſultum, ſed ut ibi legitur, fuit reus, teſtium perfidia condemnatus. Inter Neotericos non mediocris laus data eſt Laureto philoſopho Tarentino, apud Marinum Frecciam, ſicut apud Heſychium inter veteres in verbo γαλεώτ, Phanodemo, quem adiungit Rhinthoni poetæ. Quod autem nonnulli Pogium ſecuti, Trebellium, ut ipſi dicunt, & Sulpitium, Sybillam, tradant, Delphicam Tarenti ortam ante adventum Phalanthi, & Romuli, qui eam conſuluit) Romanis ſuis leges daturus, tempore floruiſſe, id ego nuſquam legi, atque miror Onufrium, cuius negotium fuit de rebus Romanis, & de Sybillis copioſè ſcribere, hoc non animadvertiſſe, ut omittam Svidam & Lactantium, qui de Sybillis etiam per quam multa ſcripſere. Veriſimilius eſſet credere librariorum incuria, ut accidit, lectum aliquando eſſe pro Tyburtina Sybilla Tarentinam, vocum affinitate, quamvis non ſim oblitus apud Livium obſervari Sybillæ (quam tamen ipſe non nominat) adventum in Italiam, ſed ea fortaſſe fuit Erytrhæa, quam Romulo Rege vixiſſe tradit divus Auguſtinus. Extant adhuc in Græcorum florilegio multa Tarentini Leonidæ Epigrammata, quorum aliqua hæc ſunt, & plura ad Latinam formam verſa,

Λεωνίδα Ταραντίνου.

Γ̓ξελος εὐπτώγων αἰγὸς πύσις· εἰν χοτ' ἀλωῇ·
Ὀινις πὰς ἀπαλὰς πάντας ἐδαφε κλαδους,
Τῷ δ' ἐπὶ ἐκ γαμπτύσσε ἄπυε, τάρε κάκιστε,
Γραδμισ̓ις ὑμέτερον κλῆμα τὸ καπροφύρον.
Ρ̓ιζα γὰρ ἐμπεδὸν ὖσα, πάλι γλυκὺ νέκταρ ἀύσει,
ὅσσα ἐπὶ σπεῦσαι σα τράγε θυομένῳ.

Inſiliens hircus inter vineta racemos
Exedit teneri palmitis ore novos.
Viſceribus terræ vox execrabilis exit,
Hoc buccis germen peſſimè perde tuis.
Radix dum ſalva eſt, non deerit fundere nectar,
Et Baccho ſies victima ſacra Deo.

Λεωνίδα Ταραντίνου.

ἠλκάδα πῦρ μ' ἀνέφλεξε, τύσιν ἄλα μετρήσασκι
Εὐχδουὶ πῆ πευκας ἰὰς ἐμὲ χειμαίνη.
ἠπέλαγος διέσωσεν ἐπ' ἠϊόας, ἀλλὰ θαλάσσις
Τὴν ἐμὲ γεναμένην εὗρον ἀμισσοτέην.

Ignis me excuſſit: pelaguſq; remẽſa profundum
Ad terram veniens ardeo tota pice.
Quam toties pelagus ſervavit, perdere terræ
Auſa eſt, & genitrix impia, mitis aqua.

Λεωνίδου Ταραντίνου.

Ἀστρα μὲν ἠμέρωσε, καὶ ἑρὰ κυκλὰ σελήνης,
Ἀξενα δείσας ἔμπυρος ἠέλιος.
Τ̓μνοπύλας δ' ἀγελαδὸν ἀπημαλδυνεν ὅμηρος,
Λαμπρύτατον μυσῶν φέγγος ἀνασχόμενος,

Aſtra, quis ignorat? Lunæ cycloſq; rotaſq;
Obtenebrat Phœbus dum meat ille polo.
Sic quotquot fuerint vates, vetereſq; novoſq;
Perdis Homere canens carmina geſta ducum.

Λεωνίδα Ταραντίνου.

Θῆμιν τὸν πρηγέροντα, τὸν εὐάγεως ἀπὸ χέρσου
ζωὸντα, τῳ, αἰθυίης πλείονα νηξάμενον.
Ἰχθύσι λὐσηαι, σαγηνίδα, χηραμοδύσαι,
Ὀυχὶ πιλυχάλκῳ πλώσιμα ναυτιλίης.
Ε μὴν ἠὲ ἀκτῆρος ἀπάλεσε, ἤτε καπηλὶς
Ἠλασσὰς πολλὰς τῶν ἐτέων δεκάδας.
Ἀλλ' ἐ̓σχεν καλυβηςχειπίδι, λυχνος ὀπαῖα
Τῷμακ ψ ἀβεσθὴς ἐλ χειμῶν ἀυτόμετος.

Σί-

Digitized by Google

Μηδενὸς ἐν ἀνδρῶσι φέρμεσσι, νὺ δ' ὀμέλησεν,
Ἀλλὰ συνεργατίην ἐχθυβόλων δ' ἔφορος.

Thegina Naſtorum, dederant cui retia victum,
Cui nanti ceſſit incola Mergus aquæ.
Anteaquicui colui, piſces tulit orbe ſagenæ,
Non multi remis navita navigii.
Non vis Arcturi rapuit, non Ægidis horror,
Annorum decadas ſolvit & oſſa ſenis,
Ac animam efflavit, qui iuncea tecta teneret,
Ut lychnus longo tempore ſponte perit.
Pignora non tumulum decorant, non coniugis ardor,
Sed comiti comites hæc pia buſta parant.

Λεοντίου Ταραντίνου.

Πολλοῦ ἀπ' Ἰταλίας χθονὸς, ἔκτε Τάραντος
Πάτρης, τοῦτο δέμοι πικρότατον δακρύων.
Κοὐκ ἐθέλων πλανέων ἔβιος βίον. ἀλλά με μοῦσαι
Ἔσωσαν, λυγρῶν δ' ἔστι μελιχρὸν ἔχειν.
Οὔνομα δ' ἐκ Νύμφης Λεωνίδου. αὐτάρ με δόμεναι
Κυνθίαι μουσέων φαίης ἐπάκτιος.

Sat procul Italica terra, patriaque Taranto
Et iaceo, & mortem vicerat iſte dolor.
Erronum vita hæc non vita eſt: ipſe ſororum
Muſarum cœtu diligor, atque choro,
Atq; Leonida haud periit, ſed vivet in ævum;
Plures ſpero dies nomen habere meum.

Λεοντίου Ταραντίνου εἰς ἀφροδίτην.

Τὰν ἀναδυομέναν μετρὸς ἐκ κόλπων ἔτι
Ἀφρῷ τε μορμύρουσαν εὐλιχνῷ κύπρῳ,
Εἰδὼς ἀγαλλὶς καλλοσύνᾳ ἐμερόεσσαν,
Οὐ γεγαθὼς, ἀλλ' ἐμφυχος ἐξεμάξατο.
Εὖ μὲν γὰρ ἄκραις χερσὶν ἐκλίβει κόμας,
Εὖ δ' ὀμμάτων γαλήνας ἐκλάμπει πόθῳ,
Καὶ μαζὸς ἀκμῇς ἀγγελᾷ κυδωνίῃ.
Αὐτὰ δ' ἀδέσποτα, καὶ Διὸς συνευνέτις
Φάσεται. οὖζυ, λοιδορίμεθα τῇ κρίσει.

Effugientem matris de ſinibus adhuc
Spumaque frementem pulchri toſi Cyprim,
Doctus Apelles pulchritudinem deſideratiſſ-
Non pictam, ſed vivam repræſentavit, (mam.
Bene ſiquidem ſummis manibus exprimit co- (mam,
Bene oculorum tranquillũ effulget deſiderium,
Et mammilla florentis puellæ nuncia imitatur
cotoneum malum,
Ipſa autem Minerva, & Iovis coniux (cio.
Loquuntur: o Iupiter, inferiores ſumus iudi-

Λεοντίου Ταραντίνου.

Πρὸς βῶν Ἀνακρέοντα χύδην θεσσαλομένου οἶνῳ
Θαμὰ δινευτὸν σείετον ὑπὲρ δὲ λίθου.
Ὡς χέρσιν λιχνοῖσιν ἑὸ μύμαρτυν ὑγρὰ δέδορκεν,
Ἄχρι καὶ ἀστραγάλων, ἕλκεται ἀμπεχόνην.
Δισσοῦν δ' ἀμβολάδην, τὸν μὲν μέσον αὖθι μεδύπλιξ,
Ὧλισεν, ἐν δ' ἑτέρῳ ῥικνὸν ἀέρας πόδα.
Μίλτῳ δ' ἐς βαθύλου ἐφίμασον, ἐς μαζιστὸν,
Ἀδρῶν πολλάμα τὸν δυσερώτα χέλυν.
Ἀλλὰ πάτερ Διόνυσε δύλοσφι μὴ, σὺ γὰρ ἔσικεν
Ἐκ βάκχου πίπτειν βακχιάδην δμῶα.

Senem Anacreonta fuse turbatum vino
Alpice verſatili flebilem ſuper lapide.
Ut ſenex gulons ab oculis lascivè inſpiciens,
Ulq; ad talos trahit veſtem.

Geminorum autem calciamentorum, unum quidem ſicut ebrius
Perdidit, in alio autem rugoſam pedem ada- (ptavit,
Cantat autem ſive Bathyllum deſiderabilem, ſive Magiſten.
Attollens manu amore perditam chelym.
Sed ò pater Dionyſe ſerva illum: non enim fas
A Baccho cadere Bacchiadum ſervum. (eſt

Λεοντίου Ταραντίνου.

Θῆρις δηιμάχῳ τὰ λαγωβόλα πάνι λυκαίῳ
Ταῦτα προ ἀρκαδικαῖς ἐκρέμασε σκοπέλοις,
Ἀλλοτε δηιμάχῳ δώρον κάρη ἄγριον ἁδὲ καπρου,
Κέρα κατιδύνοις τοξοτιν ἐν πολέμῳ.
Ἐν τε συναγλαΐαις παμέτασσο δεξιτερῆφι
Πρῶτα διφυὲς ἄγρευς δῶρα κατ' ἀντι φίλων.

Cres Therimachus retia Pani Lycæo
Hæc in Arcadicis ſuſpendit ſcopulis.
Sed tu Therimacho munerum gratia agreſte (numen
Manum dirigas ſagittariam in bello,
Inque convallibus aſta dexteris,
Primum cum dederit venationis munera.

Apud Paulum Iovium lib. 44. hiſtoriarum ſui temporis laudari videtur tandem Ioannes Perellus patria Tarentinus, qui ex equitum Rabatinorum ordine fuit unus inter eos triumviros, qui ætatem Mahometis pueri Tunetani Regis rexere, hic Gyneceum invaſit, quod ei tanquam profeſſione Chriſtiano tum licebat, & in libidinem effuſus, Amidæ concubinas ad unam omnes ſtupravit, Amida poſtea Perello ita uſus eſt: omnibus tormentis excruciat primò, abſciſſiſque virilibus vivum in foro comburi iubet: nec Perello conſtantia defuit, qui oblato vitæ munere adduci non poſſet, ut a Chriſtiana religione deficeret. Legitur in Nolana hiſtoria, quam edidit Ambroſius Leo libro 2. Ioannes quidam Antonius Tarentinus Epiſcopus Nolanus his verbis: *Baſilica Epiſcoporum incœpta eſt a Raymundo Urſino, finita eſt ab Urſo, atque Epiſcopo Nolano Ioanne Antonio Tarentino: Chorboſpitæ baſilicæ fabricatæ ſunt ab hoc ipſo Ioanne Antonio Epiſcopo, a quo Epiſcopale palatium inſtauratum magna ex parte fuit, atque aptius diſtinctum.* Ex Neotericis commemorantur Antonius Agellinus, Alexander Monfrida, Nicolaus Arponus, quorum primus fuit Archiepiſcopus Barentis, alter Epiſcopus Monopolitanus, tertius Oſtienſis, vivit hodie Ioannes Baptiſta Santorius Epiſcopus Tricaricenſis. Poſſem quamplures alios & in ſacra Theologia, & in legibus, & in philoſophia, ac medicina, in mathematicis, in Grammatica, manſuetioribus iq; ſtudiis, poſſem tandem & alios in armis recenſere, ſed ab his ſicut a familiis me abſtinui, ne dum eos celebriores reddere calamo ſtuderem, offenderentur magis, novi enim quanta ut inter pares invidia, & nescio an ſuo quiſque loco eſſet contentus.

Politiarum genera, & de ritu Tarentinorum.

CAP. IV.

DE antiqua Tarentinorum Repub. haud quaquam facile erit dicere, nisi prius cognita fuerint diversa, quæ apud multos leguntur, Politiarum genera, & tam ea, quæ commendantur, quam ea quæ improbantur, omnia ex lectione Aristotelis, Polybii, Herodoti, Strabonis, Plutarchi, Demosthenis, Thucydidis, Hesychii, Budæi, atque aliorum, colliguntur. In quavis igitur Republica vel unus erit, qui imperabit, vel non unus erit. Quando unus est, qui dominatur, μοναρχία Græcè dicitur huiusmodi dominium: quod si bonum fuerit, servato in illo debito ordine, βασιλεία appellabitur: at si contra fuerit malum, incertoque ordine, Τυραννὶς erit, cuius cura sola est custodia. Quando autem non est unus Princeps, sed plures, hi vel erunt multi vel pauci: ex multis bonis constituitur Δημοκρατία, cuius finis est libertas, ex multis malis exit Ὀχλοκρατία, quæ est Democratia illegitima, plebejoque recta impetu. Paucorum eadem est consideratio, quoniam si boni fuerint Ἀριστοκρατίαν formabunt, cuius finis sunt leges ipsæ, juxta quas conferuntur honores, ac dignitates: at vero si fuerint mali, Ὀλιγαρχίαν, facient, cuius finis sunt ipsæ divitiæ & earum habetur ratio in magistratuum electione. In summo igitur honore post extinctos Reges, ac nobiles viros, quemadmodum apud Athenienses, aliasque præclaras olim civitates: ut nostris etiam temporibus in Italia ipsa, ita olim apud Tarentinos fuit Democratia, & Democrates dicebatur supremus ille magistratus, qui vice Regum præerat omnibus, id ex Aristotele habetur in Republica, ubi de seditionibus loquitur: *Contingit vero* (inquit ille) *quandoque id per fortunam, velut apud Tarentum, cum superati prælio ab Iapygensibus, nobilitatis magnam partem amisissent (fuit autem id prælium paulo post id tempus, quo Medi Græciam invaserunt) ad popularem statum ex Republica facta est mutatio.* Et hunc Tarentinorum statum commendat idem philosophus his verbis: *Rectè se habet Tarentinorum exemplum imitari. Illi enim cum opes efficiunt communes ad pauperum usum, per hunc modum benevolam sibi plebem constituunt, magistratus insuper omnes duplices faciunt, ut sint alii per electionem, per sortem alii, quo enim populus percutiat, per sortem: quo autem melius gubernentur, per electionem. Est autem hoc facere in uno eodemque magistratu, ita partientes, ut alii sint ex sorte, alii electione ad eum gerendum assumantur.* Coniici ex hoc loco potest, laudabilem fuisse Tarentinorum Democratiam, in qua patrium erat, & consuetum colere Deos, cum honore obsequi parentibus, seniores venerari, legibus obedire, pauperes amplexari, omnium etiam civium in magistratu gerendo rationem haberi, quo in statu ita optimo filii armorum tantummodo parentum hæredes constituebantur, opes autem omnes fœminarum erant, atque ita adolescentium ætas bonam parentibus spem promittebat, si nullam divitiarum curam haberet; tota autem mente esset ad arma, quales dicebantur Lacedæmonii, a quibus ipsi Tarentini sunt oriundi. Tempus, quod a philosopho dicitur de initio Tarentinæ Democratiæ, illud esse existimo, quod in Clio ponitur ab Herodoto, quando quinquennale bellum constitutum est inter Lydos & Medos, *quo in bello* (ut ille dicit) *sæpe Medi victores extiterunt, & nocturnum quoddam gesserunt prælium sexto anno, signis collatis, cum æquo Marte certarent, stante acie, contigit, ut repente dies nox effieretur. Quam immutationem huius diei futuram Thales Milesius Ionibus prædixerat, hunc ipsum annum præfiniens, quo immutatio facta est. Lydi, ac Medi ubi diem noctescere viderunt, a pugnando destiterunt:* ita Herodotus. Regnabat tunc temporis apud Romanos Ancus Martius, & erat annus mundi quatermillesimus, non longe post Phalanthi ad hanc oram adventum. Pauca alia ad ea quæ dicta sunt addere visum est, & spectant ad præsentem Reipublicæ administrationem. In promptuario publicorum scriniorum, & in Archivio ipsius civitatis duplex & non obscura habendi Senatus recondita est institutio: utraque a Ferdinando Neapolitanorum Rege diversis quidem temporibus munita 1475. & 1490. autographum ipsius Regis ubique legitur REX Ferdinandus. At initio primæ institutionis leguntur hæc verba: *D. Rex mandavit mihi Antonello de Petrutiis*: in alterius fronte, *D. Rex mandavit mihi Joanni Pontano*. Sed primæ institutionis hæc erat ratio. Ex triplici civium ordine, nempe ex nobilioribus, mercatoribus, & artificibus centum & octo eligebantur, quorum potestas regendæ Reipublicæ nonnisi biennium durabat, singulorum nomina in duodecim scribebantur schedulis, ita ut in singulis novem essent terni, prædictorum ordinum schedulæ illæ cera cooperiebantur, atque in urnula inclusæ a puero doli mali inscio educebantur: quique in eductæ reperti essent, bimestre habebant dominium atque onus Reipub. His si aliquod incidisset grave quod decernendum esset, duodecim viros, quod duodecim virorum concilium dicebatur, consulebant, illorumq; sententiæ coherentes, quid omnium interesset, statuere nimio zelo curabant. At si maius quid insurgeret, exacti bimestris novem accersebantur: si verò gravissimum omnes centum & octo in concionem coibant: nihil tamen, vel à paucis illis, vel ab omnibus his, inscio, ratum, firmumq; habebatur, Prætore Urbano, qui à Rege ipso ad jus suum cuiq; præstandum, annuo (ut hodie) magistratu destinabatur. Illud obiter subiungam triplicem huiusmodi civium ordinem apud plures fuisse observatum. Diodorus Siculus libro antiquarum rerum primo, multorum urbes dicit, Ægyptiorum more fuisse partitas in tres gradus, quorum primus erat nobilium, qui præ cæteris doctrinæ dediti maiore honore digni habebantur, & in ea re sacerdotibus Ægyptiis per similes. Secundus eorum quibus agri assignati erant, utq; armis intenti patriam defenderent, illis pares qui in Ægypto agros tenentes milites

ad

ad bellum subministrabant. Tertius plebis erat atque opificum, qui artibus mercenariis intenti, necessarias operas præberent. Altera autem institutio, quæ ad hodiernum usque diem devenit (& si multis tentatum, ut ea ob civium dissidia litigiaq; reformaretur) ita se habet. Quolibet triennio Kalend. Augusti eliguntur septuagintaduo, qui futuri sunt Senatores: huius vero numeri pars minor est nobilium, plebis maior, nec habetur, ut in prima, ratio aliqua mercatorum, vel ob illorum penuriam, vel quia qui pauci sunt, nihil aut parum distant ab iis, quos artifices diximus. Horum omnium eligendorum hic mos est, ut ab iis qui iam in fine tertii anni, onus, quodregimen civitatis affert, sunt deposituri, triginta eligantur viri, decem nobiles, plebei viginti. At hi electi duos, & quadraginta rursus eligunt, à quibus & ipsi rectè, vel ne fuerint destinati, probantur. Hi ordinum ratione in tribus describuntur longiusculis schedulis, quæ A, B, C, cum signo ipsius urbis obsignantur, & in urnam simul coniiciuntur. Mox puerulus septimum non excedens annum, schedulam extrahit: quiq; in illa reperiuntur, Remp. primo administrant anno, idemque in reliquis observari consuevit. Rursus viginti isti quatuor, duorum & septuaginta pars tertia, seni in quatuor eodem ritu rescribuntur, schedulas, quæ certa adeò oblinita, ut pilulas dixeris, ac in urnulam demittuntur, quique in prima à puero extracta fuerint reperti, trimestrem habent consulendi Reip. facultatem, sexq; viratus appellatur, idemq; in singulis senariis summa cura observatur ad finem usque triennii totius. Prædicto autem majori numero tres extrinsecus adduntur, qui singulis viginti quatuor, singuli & ipsi annum præsunt, quem appellant Syndicum, propterea quod eius officium & munus sit patrocinari, omniumque causam defendere. Hi ex ordine sunt patricio & nobili, atque ad hunc honorem in urbe supremum admissi. Tentatumq; diu est, ut & ex his, qui medii ordinis sunt, admitti possent, neq; obtentum, nisi in Notariis quos dicunt, Regiisque judiciis ad contractus, de cæteris adhuc sub judice lis est inter primum civium ordinem, & medium. In omni autem concione singulisque comitiis, sive tunc Senatorum fiat electio, sive aliquid aliud decernatur, interest, ut supra attigimus, prætor Urbanus Regius, & quandoq; in controversiis, quæ non rarò obveniunt, aliquis alius vir gravior, qui provinciam ipsam gubernaret. Ii, tam illis qui eligendorum aliorum potestatem habent, quam illis, qui electi sunt, onus conscientiæ gravissimum, Regis & eius magistratuum, ac ministrorum obedientiam præ oculis præferunt cum publica & pauperum præcipuè utilitate: quin jurare omnes cogunt & singulos, ut quavis in re gerenda nullius animi motus rationem habeant, Magistratus autem per triennium duxaturi sunt hi. Syndici tres de patriciorum ordine, vel (ut dictum est) Notarii, ac Judices ad contractus: sed ad nobiles talis prærogativa spectare visa est Ferdinando Aragonio olim Regi. Horum autem munus ac partes sunt, non nova ex se decernere, sed decernenda tantum modo proponere, quæq; fuerint deliberata perficere, an autem Syndici nomen Latinum sit, Budæus docet in Græcis commentariis, nostrum est quæ ad historiam faciunt, scribere, A scribis de medio ordine tres eliguntur: partes illorum sunt proposita à Syndico & decreta, vel à sex viris, vel ab omnibus viginti quatuor ad futuram rei memoriam scribere, & quæcunque alia opus fuerint. Quæstores sex, tres nobiles, populares tres, illi ætate par totum semestrem à Kalend. Martii, usque ad pridie Kalend. Septembr. vicem servant suam noctu custodiendæ urbis, hi verò suam hyeme à Kalend. Septembr. usque ad pridie Kalen. Martii; vulgus appellat Camerlengos. Olim dicebantur tres viri, sicuti legere est in Amphitryone Plauti, & in carcerem trudebant, quos per noctem vagantes comprehendissent. Ædiles quatuor & viginti, itaut bini tres menses sint in officio, alter nobilis, popularis alter; præsunt hi ponderibus & mensuris, obsoniorumque curant genera omnia. Præfecti nundinis sive mercatibus, qui duo sunt Kalend. Maii & eodem XVII. Kal. Februarii, ut omittam tertium qui esse solet XVIII. Kalend. Septembr. Sex (inquam) quolibet triennio, (de eo enim adhuc loquimur,) eliguntur ex iis qui nobiles sunt, & totidem ex populoribus, Perceptores publicorum censuum, ac reddituum tres populares, quos vocant depositarios, quia apud ipsos publica deponatur pecunia. Omitto ianitores, ac Syndici ministros, quos porterios vocant. Omitto singularium artium præfectos, qui protomagistri appellantur, omitto tandem municipales judices, qui omnes à Senatu eliguntur.

De Tarentinorum numis, ac signis.

CAP. V.

Fluit olim (ut suo dicitur loco) atque adeò magna Tarentinorum potentia, ut non solum Iapygiæ, Magnæ Græciæ, Calabriæ, Apuliæ, & totius Lucaniæ principes essent, atque ad Istriam, Illyricum, Epirum, Achaiam, Aphricam, Siciliam vela dimitterent, sed & nummos quoque cuderent suos, Gabriel Barrius idipsum videtur significare, quando Brettiorum quam multi fuerint numi variis signati imaginibus ostendit in libro, quem de Calabriæ antiquitate edidit. Vidi ipse numum argenteum, in cuius prima facie juvenis est, qui Delphino insidens in læva fuscinam, pilcatorium instrumentum, habet, inscriptio literis Græcis sub pisce: ΤΑΡΑΣ. in altera verò juvenis item cernitur nudus, & nudo invectus equo, sinistra manu tenens lora, dextra verò supra caput equi extensa, ramum, ni fallor, olivæ in modum corollæ, atque alia item Græcis literis inscriptio. ΕΤΤΑΡΑΣ. Vidi alium numum argenteum literis & duabus stellulis à superiore tantum distinctum, siquidem in fronte huius præter verbum

TA-

ΤΑΡΑΣ legunturliteræ ΣΑΛΥΙ. At in tergo integræ non omnes sunt literæ, ut quicquid sit, colligi non possit. Addam & tertium in quo eadem figura, sed literæ. ΕΥ. ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ. Græci characteris. Sunt præterea sexcenti ferè alii, & argentei numi, in quorum utroq; latere legitur dictio hæc, præter adolescentis, Delphini, & equi picturas, grandioribus, & adhuc Græcis literis, ΤΡΕΦΕΙ. ideſt nutrit, ac si monstraretur, quæ terra mariq; huius situs sit copia. Conlici facilè potest præter ea, quæ dicta sunt, per delphinum, & equum, incolarum virtutem, qua mari, ac terra præditi tunc erant, denotari, ut per fuscinam, quæ eadem est cum tridente, vulgi studium nostris (ut antea diximus) etiam temporibus maximum piscandi: Cuius rei magnus meminit Peripateticorum magister in politicis, quod idem ipsum de Byzantio, seu (ut hodie dicitur) Constantinopolitano pelago scriptum eodem in loco requiris, licet omnibus piscandi artibus semper Tarentini uli sint, atque hodie utantur variis rerum generibus, Contis, Nassis, & hamis, quin & è muris ipsius urbis veluti è specula quadam ΔΥΣΘΕΩΡΗΤΟΝ est. Thunnos enim pisces inde piscatores observant, quemadmodum Strabo fieri tradit in Herculis portu. Hoc & in mari paryo, & mediterraneo observari quibusdam mensibus solet in mugiles, mullos, auratas, quæ optimæ adeò censentur, ut nusquam similes sint, minutos pisciculos, atque in primis sardas. Sunt, qui tradant (quoniam suus cuique sensus) Neptunum esse alterum, qui equo assidet, quasi eodem numo patrem, & filium voluissent Tarentini celebres reddere, quorum sententiæ, & quis scit, an voluerit poeta Venusinus astipulari, cum in primo carminum dixerit;

Neptunoq; sacri custode Tarenti.

Nam Acron ibidem non penitus hoc dicit, neque tamen longe discrepat. Vult enim hoc ab Horatio relatum, vel quia Tarenti Neptunus devotius quam alibi coleretur, vel quia in Neptuni tutela fuerit: nisi dixeris, quia Phalanthus Herculi, & Neptuno templa constituit, ut fortiter per illius favorem, huius vero obsequio feliciter, atque ideo Herculeum à Vergilio appellatum, aliis ita opinantibus non omnino refragarer, quasi Herculi dicatum, vel cuius Hercules numen esset tutelare. Et ΤΑΥΡΟΚΑΘΑΨΙΑ à Tarentinis celebrabatur, ut notat Hesychius. Sed de hoc alibi dictum est; putaverim ipse à contentionibus, & rixis compescendis, & eò magis ad hoc sentiendum moveor, quia apud Strabonem reperitur, Herculis imaginem capta urbe, sublimem ex ære, quæ cum tot pompis, auro, purpura, signis, Tabulis, Tarentinisque deliciis sublata est, in Capitolio fixam, opus Lysippi, quod à Fabio Maximo, qui Urbem ceperat, oblatum est donum. Est & alius numus, in cuius altero latere videtur Neptunus equestris cum literis. ΧΙΝΤΤ. in altero verò ΤΑΡΑΣ, supra Delphinum cum eiusdem literis, & in læva tridentem habens: at prope dexteram signum videtur stellæ cum literis ΑΥ. atque cum imagine mulieris alatæ binas ambabus manibus corollas habentis. Deam nonnulli credunt esse victoriam, quod genus illud numi signasse credunt Tarentinos post pactam de hostibus victoriam. Hoc vero non prætermittendum duxi, quia viros graves idem dicitare audivi, signatam videlicet à Tarentinis pecuniam fuisse post ipsius Tarae obitum, quem iuxta fluvii ripas, patri Neptuno, & patruo Jovi sacrificium offerentem nusquam viderunt, & si fabulosum, ac commentitium credi possit, & ab eo maximè, quòd de Æneæ fingitur interitu ad Numicum. Hoc vero signum non in pecunia tantum, sed & in foribus Urbis, ac Theatro posuere, Templum eidem Taræ cum ara, & statua erexere posteri, æternam illius memoriam, & statua erat virgo aureos diffusa crines, & equo in piscem desinente supervecta, ad situm Urbis mari scilicet, & terra itidem exprimendum. Prædictorum numerorum testimonio iam apparet, cur insignis, scutis, vexillis, adolescentis sit & Delphini simulacrum, neque non in fonte, qui hodie in medio foro cernitur, semimarmoreo lapide, albo, levi, & nimis in Hydruntina regione claro, & fistulis, & salientibus magno artificio scalptus. Joannes Pierius Valerianus in suis Hieroglyphicis de utroq; meminit signo, & quidem de Delphino sic: *Quod vero signum in argenteo nummo Delphino vehitur, Taras is est, ut etiam indicat inscriptio, de quo Arist. meminit in Tarentinorum Repub. apud quos numisma nummum dicit appellari, in quo Taras Herculis Delphino vectus: quanquam apud Asiaticos quoq; puerum Delphino insidentem fuisse in nummis tradit Strabo. Sed Phalanthum Lacedæmona memorat Pausanias, qui Tarentum (ut dictum est) Coloniam duxit, priusquam Italiam attingeret, naufragium in Crisæo mari fecisse, cui Delphinus opem tulerit, sublatumque dorso in littus incolumem exposuerit. Quin etiam in nummo, cuius titulus* ΤΑΡΑΣ, *eques jaculator inspicitur ob equestrem scilicet militiam, quam egregiè Tarentini sunt exercere soliti, unde apud Græcos Tarentinos ordines invenias ex equitibus huiusmodi constitutos, & ταραντινον verbum, eo se militiæ genere exercere adsignificat.* Cæl. Rhodigin. in antiquis lectionib. itaq; tradit: *Ferentarii equites ii dicuntur, qui eminus solent dimicare, quorum alii jaculis utuntur, alii arcu jaculantur. Quos Tarentinos, vocamus arcu utuntur; qui equites sagittarii, & à nonnullis etiam Scytha vocantur. Tarentinorum duo faciunt genera: alios namque suo nomine Tarentinos vocant, qui è longinquo jaculari consueverunt, alios feves, qui pugnam cominus subeunt.* Equitum Tarentinorum meminit etiam T. Livius, ubi de solertia Philopœmenis Achaï summi ducis diligenter locutus addit: *Et tum omnium primum agmen constituit: deinde Cretenses auxiliares, & quos Tarentinos vocabant, equites binos secum trahentes equos, ad prima signa misit*, & infra: *Luce orta Cretensium levis armatura, & Tarentini equites super torrentem prælium commiserunt. Leiemnastus Cretensis popularibus suis, equitibus Lycortas*

Mo-

Megalopolitanus præerat. Cretenſes & hoſtium auxiliares, equitumque id genus. Tarentini præſidio aquatoribus erant. Cicero etiam Tarentinorum equitum ad Pomponium Atticum his quidem verbis memoriam exhibuit: *De Patrone & ſuis condiſcipulis, quæ de Tarentinis in militia laborans, ea tibi grata eſſe gaudeo.* Licet non probetur hæc lectio omnibus ἀκριβέσι ſcriptoribus. Plutarchus item horum facit mentionem, & in Philopœmenis eiuſdem vita, & in Agidis, ac Cleomenis, nec non Polybius in excerptis libri undecimi. Multis autem in locis Ælianus Tarentinos celebrat milites, ut in lib. de inſtituendis aciebus; *Quamobrem* (inquit) *illi de more Tarentinorum à longe jaculantur, circularem retorquentes acceſſum & turbantes. Tarentinos jaculatores appello, ſicut inter initia operis dictum eſt à Tarentino Calabriæ oppido, cuius equites parvo quodam jaculo uti conſueverunt*, & ibidem dicit Tarentinam turmam conſtare duabus duplaribus equitum, videlicet decentorum, & quinquaginta. Duæ autem Tarentinæ magiſterium conſtituunt, equitum quingentorum ſcilicet & duodecim. Addunt alii ex neotericis Tarentinos omnes fuiſſe comatos, ſicut erant Spartani, Mileſii, Thurii, & omnes ii, quibus Laconica ſtudia, inſtitutaq; placuerunt. Hæc de militibus Tarentinis obiter ſint dicta, revertamur modo ad ſigna, unde digreſſi ſumus. Tradunt nonnulli, hiq; non admodum pauci ſignum Scorpionis, quo hodie Tarentini utuntur, primum fuiſſe à Pyrrho datum, Epirotarum Rege, Tarentinique exercitus duce adverſus Romanos, cuius rei hiſtoria ſuo ex Livio, & aliis narratur loco. Jam diu autem hoc ſaxum (ut aiunt) volvo, atque nullum ex hiſtoricis multis, quos legi, quantum potui accuratiſſimè id diçere animadverti. Sunt verò alii, qui rem huc conferunt, libidinem, & nequitiam Scorpioni deſignari picto, eique ex humani corporis partibus pudenda dedicari, & huic ſigno Martem dominari adulteriorum infamia ſemper notatum, militeſque omnes mulieroſos eſſe, atque hinc ortam fabellam de concubitu Martis & Veneris, quiq; ſupra finitorem, prodeunte Scorpio, oriuntur, eos à mathematicis laſcivos forè prævideri. Ergo fuit Scorpius, atque eſt (ut coniiciunt) Terentinæ laſcivæ ſymbolum, & nos iam de Urbis huius deliciis multa ſubiungimus. Quid ſi aliquanto plus placebit, quod ad ſuperiora adiicere cupit animus de huiuſmodi ſigno? Nam ſatis ſuperq; conſtat, diu multos quæſiviſſe, utrum doli fallaciæq; Pœnorum, quæ tot bellis univerſo terrarum orbi per tot annos innotuere, an corporum color fuſcus, an aliquid aliud ſignum dederit, ut Scorpius Africæ terræ ſymbolum haberetur? atque in quibusdam Hadriani nummis Scorpionem non aliter Africam ſignificare, quam. Cuniculus Hiſpaniam, Equus Italiam oſtendant. Et iam omnes ſcimus Annibalem Pœnorum ducem Romanis per proditionem Tarentum abſtuliſſe, *ut alibi* cura aliquantò maiore dicitur. *Veriſimilius* itaq; iuxta me eſt, ut hoc ſignum à Pœno, & non ab Epireta noſtris majoribus datum credatur. Corona autem ſuper impoſita regiam denotat Urbis quandoque fuiſſe potentiam, ut nunc Regi eſt gratiſſima, & olim multarum provinciarum caput, & regina fuit. Liliorum flores, putandum eſt, impreſſos, quia prioribus non multo ante ſæculis Gallorum Regibus fideliſſimè obtemperavit: pari poſtea & maiore, & diuturniore fide, Catholico Regi Carolo Cæſari huius nominis quinto, & Philippo eius invictiſſimo, ſemper glorioſo, & Catholicæ fidei defenſori unico adhuc obtemperat, ac natis natorum, & qui naſcentur ab illis, obtemperatura eſt, ut ſperat, atque in domino confidit. Omitto alia quæ de Scorpio vulgus ſuapte natura incertum, ac ſtolidum ſtudia in diverſa, atque contraria ſciſſum blaterat. Magnas enim nugas magno huc afferre conatu non eſt in animo, ſed quæ, vel auctorum teſtimonio, vel ob rem adeo vetuſtam coniecturа non mea ſolius, ſed & aliorum affirmare potero plæriſſimorum. Quid quod plærique contendant, Scorpium Tarentinis datum, quia adulari atque blandiri ſæpiſſimè norunt? nemo enim eſt, qui neſciat, Scorpii ingenium id videri, ut chelis videlicet blandiatur, atque amplexetur, quæ ſibi fierent obvia, eius verò caudam ſemper eſſe in ictu, nulloque ceſſare momento, quin meditetur, ne quando delit occaſioni, & propterea doli (ut diximus) atque fallaciæ ſignum ab Hieroglyphicis traditur. Eſtque apud Sophoclem Captivis proverbium in hanc ſententiam, ſub omni lapide Scorpium inſidiarii Græcè ſic: ὑπὸ παντὶ γὰρ λίθῳ σκορπίος φίλτατον κεῖται & apud Nicandrum in theriacis: Σκορπίος ἀπροϊδὲς ὀλίγῳ ὑπὸ λαιὸν ἔχουσι. *Scorpius inſidias parvæ ſub cauta tetendit.* Quinmorum acerbitatem per Scorpium notat Apuleius. Sed hæc omnia, ut ſerpenti huic concedimus, ita ob eius ingenium, maioribus datum, nobisque convenire, id verò pernegamus, ſicuti fidiſſimè teſtari poterunt, qui cum Tarentinis degunt alienigenæ. Sunt qui Scorpium propterea eſſe Tarentinorum ſignum aſſeruere, quod Urbis formam reddat figura corporis: pars enim prope arcem duas veluti chelas reddere videtur, quæ vero pontem attingit in inferiore urbe caudam indicat molliter inflexam, qua parte aquæductus nobiliſſimus à decimo uſque lapide, vel ulterius in urbem per cuniculos fictiliumque tubulorum ductiones multo labore, exquiſitoque artificio profluit, mare utrumque ſegregans, quiq; olim omnis urbis parœcias irrigare ea inprimis parte, qua non aſcendit tractus, videbatur, tentatum ſæpius noſtra ætate, ut duplex fieret, accitis undiquaq; architectis ſolertiſſimis, ſed ad ſuperiora duci haud quaquam poſſe ſine magna, quam cives non paterentur impenſa, judicatum eſt, reliquum Scorpii corpus reliqua ſignant urbis partes. Hæc de numis, & ſignis Tarentinorum dicta quantulacumq; ratione potui fidem habitura, nec ne ſint, haud ſcio.

LIBER QVARTVS.

De Tarentini agri fertilitate.

CAP. I.

AGri Tarentini fertilitatem, quam Romæ coram optimatibus plurimis illisque purpuratis prædicarat sæpius præceptor meus in Græcis literis Franciscus Caveotus Archidiaconus Solitanus, quem octuagesimo primo post millesimum & quingentesimum anno subita mihi, & sodalibus meis invidaq; mors Romam ad filium proficiscentem de via eripuit apud Castellanetenses: præter ea, quæ de vinetis, olivetis, aliisque fructuum generibus primo in libro promissa sunt, hoc in loco cum piscatione etiam copiosissima scribere in animo est, more, atque instituto nostro veterum auctorum testimonio in medium adducto, & à Polybii sententia initium sumere videbatur, nisi eius auctoritate in primo libro, & in sinu Tarentino, usi fuissemus: ibi eum consulat, qui volet: locum ex decimi libri Epitome sumptum animadvertet, ubi de huius regionis fertilitate ab eo agitur. Et fortasse hoc idem quod à Polybio scriptum est, de Tarentino emporio respexit Plautus dum in fabula, quæ Menæchmi inscribitur, hoc fingendo dixit:

Postquam iam pueri septuennes sunt, pater
Oneravit navem magnam multis mercibus.
Imponit alterum geminum in navim pater,
Tarentum avexit secum ad mercatum simul.
Illum reliquit, alterum apud matrem domi.
Tarenti ludi fortè erant, quum illuc venit;
Mortales multi ut ad ludos convenerant.
Puer inter homines aberravit à patre:
Epidamnensis quidam ibi mercator fuit,
Is puerum tollit, avehitq; in Epidamnum.
Pater eius, postquam puerum perdidit,
Animum despondit, atque is ægritudine
Paucis diebus post Tarenti mortuus est.

Duas Septimio commendat Horatius regiones amœnissimas, Tiburtinam scilicet & Tarentinam, de hac ultima, quæ nostra est, sic habet:

Unde (nempe ex Tiburtino agro) *si Parcæ prohibent iniquæ*
Dulce pellitis ovibus Galesi
Flumen, & regna petam, Laconi
Rura Phalantho.
Ille terrarum mihi præter omnes
Angulus ridet, ubi non Hymetto
Mella decedunt, viridiq; certat
Baccа Venafro.
Ver ubi longum, tepidasq; præbet
Juppiter brumas: & amicus Aulon
Fertili Baccho minimum Falernis
Invidet uvis.
Ille te mecum locus, & beatæ
Postulant arces: ibi tu calentem
Debita sparges lachryma favillam
Vatis amici.

Idem Horatius ad Quinctum suum fundum amœnitate, & fertilitate cum Tarentino comparat, atque adeo Tarentum ipsum in fundum suum translatum dicit:

. . . . . Quid si rubicunda benignè
Corna vepres & pruna ferent? si quercus & ilex
Multa fruge pecus, multa dominum juvet umbrâ?
Dicas adductum propius frondere Tarentum.

Et ad Mœcenatem:

. . . . . mihi iam non regia Roma
Sed vacuum Tibur placet, aut imbelle Tarentum.

Tarentino secessu usque adeo oblectabatur Virgilius, ut ibi carmen pastorale cecinit juxta Propertium:

Tu canis umbrosi subter pineta Galesi
Thyrsin, & attritis Daphnin arundinibus.
Utq; decem possint corrumpere mala puellas
Missus & impressis hœdus ab uberibus,
Felix qui viles pomis mereare amores
Huic licet ingratæ Tityrus ipse canat.
Felix intactum Corydon qui tentat Alexin
Agricolæ domini carpere delicias.

Laudavit & Claudianus cum amœnitatem, tum fertilitatem huius loci dicens:

Formosum Oebalii luxum pressere Tarenti.

Quin & ipsemet poeta in Georgicis agrum extollit Tarentinum multis laudibus:

Sin armenta magis studium, vitulosq; tueri,
Aut fœtus ovium aut urenteis culta capellas,
Saltus & saturi petito longinqua Tarenti.

Et ex urbibus Julii Cæsaris Scaligeri hæc habentur in commendationem eorum quæ dicimus:

Mollia quæ tenuis demittunt pondera lanæ,
Tonsa Tarentinis iugera læta jugis:)mis
Hæc eadem complent vegrandibus horrea cul-
Et tua sub prælum munera Bacche ferunt.
Nulla est in Latio Pomona beatior usquam
Nulla est Hesperidum gratior aura locis.
Se totum exhibuit lauta ad convivia Nereus,
Servit & innumeris proxima sylva feris.
Hic ver perpetuum est tantum pro frugibus
Nectareas superant sydera fœta dapes. (æstus
Quod si Cœlum imis vellet mutare superna,
Haud aliis poterat plenius esse locis.

Celebrabantur ab antiquis Tarentinæ oves, sicut legimus apud Columellam: *Græcum pecus, quod plerique Tarentinum vocant, nisi cum domini præsentia est, vix expedit haberi: siquidem & curam, & cibum maiorem desiderat: nam cum sit universum genus lanigerum cæteris pecudibus mollius, tum ex omnibus Tarentinum est mollissimum, quod nullam domini, aut magistrorum inertiam sustinet, multoq; minus avariciam, nec æstus, nec frigoris patiens.* & alibi: *Oves Tarentinæ radice lanaria lavari debent, ut tonsuræ præparentur, & generis eximii Milesias, Calabras, Appulasq; nostri existimabant, earumq; optimas, Tarentinas, & M. Columella patruus meus ācris vir ingenii, atq; illustris agricola quosdam arietes mercatus in agros transtulit, & mansuefactos tectis ovibus admisit.*

Digitized by Google

missi. Ea primum hirtos, sed putetni coloris agnos ediderunt, qui deinde, & ipsi Tarentinis ovibus impositi, tenuioris velleris arietes progenuerunt. Et pleraque similiter, inquit M. Varro, *faciendum in ovibus pellitis, quæ propter lanæ bonitatem, ut sunt Tarentinæ & Alpinates, pellibus integuntur, nè lana inguinetur quo minus, vel infici rectè possit, vel lavari, ac parari*. Pascales autem oves, quas Festus refert, posuisse Catonem pro Pascuales non Tarentinas intelligi, sed Terentinas cum secunda vocali in agro videlicet Terentino, ubi centesimo quoq; anno fiebant ludi sæculares, de quibus supra mentio facta est. Post oves commendabantur lanæ, quæ ex ipsis ovibus tondebantur. *Tarentum*, inquit Plinius, *Canusiumque summam nobilitatem habent*. & alibi: *Hispania nigri velleris præcipuas habet, Polentia juxta Alpes cani, Asia rutili, quas Erythræas vocant, item Betica, Canusium fulvi, Tarentum & suæ finis*, quem locum corrigunt multi, *puliginis*. Est & Cornelii Nepotis auctoritas, qui Augusti principatu diem obiit suum. *Me* (inquit) *juvene violacea purpura vigebat, cujus libra denariis centum venibat: nec multo post Tarentina, huic succedit dibapha Tyria, quæ in libras denariis mille non poterat emi. Erant*, inquit Servius, *juxta Tarentum Baphia, in quibus tingitur lana in eo loco, quem à Tarento hodie vix octo millibus passuum distare, Saturumque appellari diximus*. Hinc color Saturus apud Poetam in Georgicis legitur:

At mater sonitum thalamo sub fluminis alti
Sensit, eam circum Milesia vellera Nymphæ
Carpebant hyali Saturo fucata colore.

Hinc Venenum Tarentinum dixit Horat. in Epistolis:

Lana Tarentino violas imitata veneno.

Martialis sæpissimè lanarum huiusmodi, togarumq; purpurearum meminit, atq; ovium:

Nobilis & lanis, & felix vitibus Aulon
Det pretiosa tibi vellera, vina mihi.

Erat enim, quicquid alii dixerint, Aulon locus in agro Tarentino. rursus Martialis:

Te Lacedæmonio velat toga læta Galeso,
Vel quam sepositio de grege Parma dedit.

Et in Cleon meretricem:

Puella senibus dulcior mihi cygnis
Agnâ Galesi mollior Phalanthini
Concha Lucrini delicatior stagni.

Et Ravisius in cornucopia:

Ostrum antiqua Tyros, lanas imbelle Tarentum,
Sassina hæc, Memphis stamina, Sparta canes.

Sed & idem Martialis de Partheniana toga:

Dic toga facundi gratum mihi munus amici
Esse velis cujus fama decusq; gregis?
Appula Ledæi tibi floruit herba Phalanthi,
Quæ saturas Calabris culta Galesus aquis.

Laudat Macrobius in Saturnalibus Nuces Tarentinas, illasq; Favorini testimonio tradit, sic dictas quasi Terentinas, hoc est, molles à Terenon, quod est Sabinorum lingua molle. Sed & Plinius asserit duo genera Tarentinarum nucum fragili putamine, ac duro. *Quæ* (Amygdalas ipse crediderim) *Nuces sunt amplissimæ, & minimè rotundæ: præterea molluscæ putamen rumpentes*. Idem alibi *Nucum pinearum genus alterum posuit Tarentinum digitis fragili putamine, aviumq; furto in arbore. Easdem Scaliger dicit appellari Persicas: sed Tarentini vocant Ambrosias*. Turnebus in Plinio agnoscit Macrobii lectionem Terentinas nuces, quia Τέρην, unde Terentum, Sabinorum lingua molle significat. *Nucem Græcam*, (inquit Columella) *& Avellanam Tarentinam facere hoc modo poteris in quo scrobe destinaveris nuces serere, in eo terram minutam pro modo semipedis ponito, ibique semen ferulæ repangito. Cum ferula fuerit nata eam findito, & in medulla eius sine putamine Nucem Græcam, aut avellanam abscondito, & ita obruito, hoc ante Kalend. Martias facito, vel etiam inter nonas & idus Mart.* Pira item Tarentina laudat Macrobius, illaq; appellat fera, ut pleraq; alia. Cornelius Celsus, *Pira* (inquit) *quæ reponuntur Tarentina*. Sed & Plinius, qui omnia complecti voluit, Tarentina tradit Pira ferissimè legi, sic dicta à patria, ut Amerina, Picentina, Numantina, Alexandrina, Numidiana, Græca, Signina. Quid autem nostra ætate dici queat, insigne, ac præcipuum, de ovibus, lanis, fucibus, ac piris non video. Nam neque horum est copia, ut olim apud veteres, neque qualitas illa: non tamen omnino his destituimur. De oleis Tarentinis ad hæc quidem verba Theophrastus in de historia plantarum: *Circa Tarentum fructum uberem oleæ semper præmonstrant, sed sub flore pars magna perditur*. Caussamq; huius ostendit in secundo, ubi agit de caussis plantarum: *locorum* (inquit) *diversitatem caussis hisce tribuimus, ubi nihil aliud impedimento detrimentoque acciderit, ut apud Tarentum oleæ accidere ferunt. Silens enim spiritus sensu conspicuus est, quippe pleraq; adurantur, & conflatus ex mari talis occurrerit, ut invecta salsugine corrodantur flores, ac pereant. Caligo quoque sine ullo flatu egredi quædam videtur, quæ ubi flores tetigerit, exurit*. & Scaliger in Theophrasto de agro Tarentino, ità scribit: *Plautinus versus lepidissimus: si non fecero peribo, si faxo vapulabo, sic in agro Tarentino, si non flat, rubigo interficit, si flat marina nebula, crassa, fœtida, flores necat*. Sed neq; oleum idcirco semper modicum est, & quantumcumq; semper laudabile, & præcipuè quod ad condituram asservatur, Monopolitano, Ostunensi, Bituntinoque præstantius. Vina, quia & uvæ, ex quibus passæ peroptimæ fiunt, non à veteribus modò scriptoribus celebrantur, sed & nullibi per totam Italiæ oram præstantiora videntur, quin & prædulci uva novum apud veteres & Tarentinum genus vitium factum est. *Verum* (inquit Plinius) *& longinquiora Italiæ ab Ausonio mari non curent gloria: Tarentina, & Sevirianæ, & Consentiæ genita, & Tempsæ, ac Babiæ, Lucanaque antecedentib. Thuriuis. Tarentinum*

vinum (inquit Athenæus) *& quia in illo tractu fiunt omnia, leve, suave, stomacho gratum, minimè calidum, aut infestum capiti.* Ficus prædulces Tarenti nasci, quas vocant Omas, legitur apud Plinium, & hanc lectionem agnoscit Hermolaus, qui quasi ὠμὰς, hoc est crudas dici sentit, quoniam prædulces sunt statim cum nascuntur, nondum præcoctæ solibus: ita & palmarum genus in Cypro, cuius non matureſcit fructus, sed crudus admodum suavis, ac prædulcis est. At si onas legeris cum aliis Plinianì libri castigatoribus, vel hanc vocem flectes ab ὀνέομαι, quod significat emere, & sic eas intelliget Plinius, quas Tarentini vulgato nomine sanctæ crucis ficus appellant oblongas, & nigri coloris, vel detorseris vocem ἀπὸ τοῦ ὄνου, & ita illa erunt antefolia, quæ asinina sunt rusticis, quid verò quod alii agnoscunt œnadas, quasi ex vini sapore sic appellatas? Castaneas in agro Tarentino modo non videmus, ut in Campania, sed illas olim tradit Plinius laudatissimas fuisse faciles, neque operoso cibo, figuraq; planas. Credit Stephanus Castaneas dictas à Castano Apuliæ oppido non procul à Tarento, quod Castanetum, vel Castellanetum vocant: alii à Castano Magnesiæ. Myrtus folio minuto non sic hodie passim nascitur, ut olim, conspicitur frutex myrti huiusmodi prope Potamiscum flumen, ubi Principis pomarium fuisse non pauci conficiunt. At quam Cato Tarentinam appellat Cupressum, nulla est, credit Plinius, ita à Catone dictam, quod Tarentum è Creta insula primum advenerit, ubi Cupresseta fuisse tradit Cic. cum dicit primo de legibus: *in Cupressetis Gnosiorum* &c. Candelabrorum scapis nobile vocat Tarentum idem Plinius, sicut Æginam Candelabrorum superficie, sunt autem scapi columnarum partes, ut norunt Grammatici ex Vitruvii lectione annotavitq; Budæus. Sal è stagnis Tarentinis oculis utilis est, & est salsissimus siccissimus, suavissimus omnium, atq; candidissimus ad medicinæ usus ab antiquis maximè laudatus. Erant olim duæ apud Tarentinos salinæ, quarum vestigia, & nomina adhuc restant, una enim maior dicitur, minor altera: verum ex utrisq; (stagna enim sunt) imbrium descensu colligebatur salis albi copia, sicut etiam, & ex conchis alveisque qui sunt in insulis, prope urbem juxta portum parvula admodum salina est, quæ tam imbribus, quam mare infuso ad vulgarem, subnigrumq; salem, & lapidosum conficiendum adiuvatur, nec sine rivulis aquæ dulcis: illac enim aquæductus tendit ad fontem, qui est in medio foro: reddit, & hæc salina album salem suum, & subtilissimum, quando artifices volunt habita prius à Regiis ministris venia; Majoris salinæ meminisse videtur Joannes Boccatius in particula de lacubus: *Tarentinus* (inquit) *lacus est apud Tarentum Italiæ civitatem, qui æstivo æstu siccatur in salem*, quod idem sentit Plinius his verbis: *siccatur in lacu Tarentino æstivis solibus, totumque stagnum in salem abit, modicum alioquin, genua non excedens*, pauloq; post: *Marinorum maxime laudatur Cyprius sal à Salamine, ut à stagnis Tarentinus, ac Phrygius, qui Tartæus vocatur, omnium suavissimus, atque candidissimus, & propterea fragilis.* Hodie indutis bobus franguntur stagna, ne inde sal colligatur, Rege ita jubente. Abundat hodie solum Tarentinum omni frumentorum genere, non ea tamen copia, qua finitimæ civitates, ex quo conficitur panis, & popularis, & siligineus. Vocabant olim Græci σπυρὶς ἄρτος, ideſt, Doricum panem, Tarentinum videlicet, à magnitudine buccellatorum, qui & hodie sunt in usu, maximè apud vulgares, ac plebeios, & Chrysippus Tyaneus ἐν τῷ ἀρτοκοπικῷ, ideſt, in opificio panario: inter placentarum genera ex celeberrimis Tarentinam reponit, quod ante me observavit Alexander ab Alexandro ex Athenæo. Crocum non est infœcundus; & auctore Varrone, sicut in Falerno vinum, in Cassinate oleum, sic in Tarentino mel cæteris præferebatur. De Porris Tarentinis ita scribit Martialis:

Fila Tarentini graviter redolentia porri,
Edisti quoties esicula clausa dabam.

Nascitur Manna in agro Tarentino juxta oppida Palæianum, & Palæianulum, an sit autem orientali inferior, ut illa quæ in Calabria provenit, sicut in Philologia notat Volaterranus, nescio. Lapis, quem vocant Carpanum subrufum, & Tophum album copiosissimus apud Tarentinos, apud quos fiunt, & figlina vasa præcipua, quæ in aliarum maximarum urbium deliciis esse solent, sed nobis quotidiano usui. Horti suburbani non pauperes, essent, & ditissimi, nisi tanta obesset civium negligentia. Nascuntur, & herbæ arti medicæ perutiles, de quibus singulis volumen promisit edere Donatus Antonius Juranna medicus, ut meritò Græci Tarentum appellaverint εὐπορίαν πόλιν, ideſt, in qua facilè est victum invenire. Ad imprimis piscandi studio maximè vigent Tarentini, quin & ab ipsa urbe condita viguerunt: qua de re in sequenti capite, servato quodam singulorum totius anni mensium ordine, tractandum est.

De Tarentinorum piscatu assiduo.

CAP. II.

SExcenti quidem sunt, qui de piscibus magna scribunt volumina, quorum aliquot elegantiores, ut Oppianum, Aristotelem, Theodorum, Theophrastum, Nicandrum, Ælianum, Dioscoridem, Plinium, Albertum, Rondoletium, Jovium, Hieronymum Cardanum, Hippolytum Salvianum, Typhernatem Romæ medicinam sub Julio tertio profitentem, si attentè legeris, nihil erit, in piscibus, quod desiderabis. Ipse hoc in loco non omnia piscium genera, non varias illorum differentias, non multiformem naturam, non illorum condimenta, sive elixare, sive assare, sive frigere placuerit, sed illud modò attingam, quod ad Tarentinorum historiam facere existimavi: quia pisces, ab aliis in piscando, maximè exercita-

Digitized by Google

ætatis, singulis capiantur mensibus, dum-A
gna copia, consultis accuratè admodum hac
in re piscatoribus: qui ex navigiis, quos
lintres, cymbas, barcas appellant, & ex
trabibus longioribus, sive (ut dicunt) par-
maticis, lapideisque molibus tàm diu,
quàm noctu piscantur. Ea est in aquis Ta-
rentinis piscium copia, ut si urbs à condi-
tore suum non fuisset sortita nomen, Sidon
potuisset appellari, sicut Tyrii à Phœnici-
bus oriundi, suam appellarunt urbem, juxta
mare in Assyria conditam: nam Phœnicum B
lingua Sidon piscis est, & Tarentini ipsi
Ichtyophagi sunt: Captantur pisces tam in
interno, quam in externo mari hamis, re-
tibus, nassis, lineis, arundinibus, fuscinis,
aliisque instrumentis, quæ propria videntur
in tanta piscium frequenti varietate. Plures
populi gradus recensent Philosophus, & pri-
mum dat agricolis: alterum iis, qui artes
colunt: tertium appellat forensem, in e-
mendo, ac vendendo occupatum: sequitur
mox ille, qui in mari versatur, post hunc C
qui bello deditus, indè qui quæstui in-
cumbit. Constat ille exportitoribus * hunc
conficiunt piscatores, & multis locis unum-
quodq; genus prædictorum magnam conti-
net turbam, ceu piscatores Tarenti, & By-
zantii, remiges Athenis, & reliqua reliquis
locis. Consule illum si voles, nos ad men-
sium singulorum prædas transeamus.

Januarius, Februarius.

Ab die igitur Kalendarum Januarii per to-
tum Februarium ingens est Camarum copia,
omnium quidem generum, quæ multa nu-
merat Ælianus, nam & asperas capiunt,
& læves, quæq; digitorum compressu nullo
negotio frangantur, & quæ saxo ægrè con-
teruntur, nigerrimas, argenteas, & utroq;
colore mixtas. Καράβια, Καράβια. Vrticæ tot sunt,
ut nusquam totidem videris, & illæ præci-
puè quæ exigui sunt corporis. Κτένια, ἀμαλύνια. D
Digiti, sive melius dixeris Græco, & vul-E
gato nomine δακτύλοι, qui, & ab Adriatici
sinus incolis Cappæ longæ dicuntur, cum
unguibus odoratis, atque imbricibus, o-
mnes dura carne, nisi idem est testaceorum
genus, eisdem mensibus videntur frequen-
tes in foro piscario venundari; atque idem
est de vertebris, sive verticillis, sive verti-
bulis, ut vocat Gaza apud Aristotelem,
tam coloris pallidi, quam rubicundi, quæ
& ipsa sunt inter conchas, & hæc omnia
in mari interno ὄστρεα, ὄστρακα, στρόμβοι. At per uni-F
versam hyemem in aperto ingens est agre-
stium piscium captura, Chartilagineorum
præcipuè, & planorum, ut sunt Rana pi-
catrix, Raia, Squatina, Canicula, Centri-
na, Rhinobates, sive Squatria, vel Squati-
noraia ex Raia, & Squatina compositæ. Hor-
gibiles quidem aspectu, atque esu admodum
iniucundæ, & integræ ingratæ. Ranam pi-
scatricem βατραχωπλάτης, Raiam βάτος λεῖος
βάτος, ἀετεία, vocat Græci. Torpedo, cuius
vim eam esse omnium ore fertur, ut capta
retibus, priusquam attingatur, piscantium
manus stupefiant. Sed Tarentini tradunt me-
deri sibi in huius piscis tractu flatus reten-
tione. νάρκη ἀπὸ νάρκης. Passinaca, à huic
persimilis, cui piscatorum vulgus tam Ve-
netum, quam Tarentinorum Columbi no-
men dedit τρυγών. Paulus Iovius existi-
mat illum piscem esse, qui Athenæo Achan-
the est infimæ plebis obsonium, ausim ipse
dicere, quas lecorarias docti quidam homi-
nes appellant, ἢ ὄφις, Græci, sed Galenus
ἰυπόφαγος felle carentes. Aquila, quæ & ipsa
Chartilaginea, & plana est, sic dicta, quod
suis expansis alis volantem Aquilam imite-
tur, ἀετός, carnem omnes habent mollem non
iniucundam, nec concoctu difficilem: ad-
venarum solent esse deliciæ, Kalendis Maii
ad emporium, nundinasq; commeantium.
In utroq; autem mari sub idem tempus col-
liguntur Mytuli parvuli illi quidem, sed
omnium optimi, ac saluberrimi, μύες. μύτυλος.
μύτηλος. Tellinæ, quæ, & aliæ sunt à
Mytulis, quicquid dicat Paulus Jovius, qui
mavult cum Athenæo errare, quam cum
Dioscoride rectè sentire, τήλλινα. Conchæ etiam
illæ, quas aliqui Galadas, & quas Patellas
appellant, neque non etiam Squillæ, γαλαὶ,
λεπάδες, κωπάδες. Cancri tam fluviatiles, quam
marini. Gambari, Maiæ, maximum scili-
cet Cancrorum genus, Corse vulgò, & Can-
celli cum Paguris, καρίνοι, κάμμαροι καραβίδες,
πάγουροι, μαῖαι. Purpuræ, quarum copia o-
lim maxima, unde opinio veterum de lana-
rum tinctura apud Tarentinos per quam
optima (de his Ælianum consulito) πορφύραι,
πορφύραι, . Buccinæ aliquot: κήρυκες. Co-
chleæ albæ, ac nigræ, magnæ, parvæ,
mediocres, cum Nucibus, κοχλίαι, κοχλίαι.
Vermium, & quoddam genus cretaceum,
quibus pro esca, ut parva siliqua ad Aura-
tas præcipuè extrahendas utuntur piscatores,
σκώληκες. Concharum nobilissima Ostrea, quæ
ut tradunt historici, adeò apud Romanos
in honore fuerunt, ut non modo Brundusio
in lucrinum lacum transferre studuerint,
verum, & in remotissimas à mari regiones
ligneis secum lacub. asportaverint. Hæ ali-
quando veluti extincta eorum progenie,
nusquam apparent, aliquando, & me puero
tantus fuit numerus, ut vili venderentur,
ὄστρεον. Et quæ carent sanguine pectines,
quæ à Græcis κτένες, à nostris vulgò Conchæ
Sancti Iacobi dicitantur, quoniam peregri-
ni dum Compostellam proficiscuntur ad vi-
sendas Apostoli reliquias, illis solent pere-
grinationis pileos exornare. Spongiarum ge-
nera omnia, quæ recensentur à Plinio, fitq;
experientia illa in spongiarum convulsione,
quam idem refert, quod ubi avulsorem sen-
sere, contractæ multo laboriosius extrahun-
tur, σπογγιὰ, σπογγία. Citula mense Ianuario
longè melior, hunc piscem appellant omnes
piscem S. Petri, Ligures Rotulum vocant,
Rhombo est persimilis, præcipuè si caput
abscideris, χολιός. Tinca Ausonio cognitus
Tarentinos fluvios non deficit, Tenga vul-
gò dicitur. Lampetra non minus pretiosa
in Tarentino portu, quàm in Arno, & Ty-
beri fluviis, frequens tamen non est, γαλεὸς.
Alosa hoc tempore pinguis est, ac nescio,
an quæ in Tyberi capitur, Tarentinæ sit
præferenda: sed non ante hac visus eius nu-
merus, quàm anno septuagesimotertio post

millesimum, & quingentesimum. Gobius, & ille quidem multiplex, ac frequens in arena nascens, albus item, ac niger. Scombrus, quem Hicesius apud Athenæum σύχλον vocat, ideſt, boni ſucci, modo laudabilis, σκόμβρος. Lupi etiam permulti ſunt, & laudatiſſimi, qui & Spigulæ à Romanis, & Spinæ à Tarentinis dicuntur, neque in mari tantum, ſed & in Galeſo, & Tara fluviis capi conſuevit, λαβράκες Græci vocant, quamvis alii Lupum à Labrace differre contenderint, ἀκάνθους, Acus de longorum genere, roſtrumque proferens Gruis, iiſdem menſibus commendatur, βελόνη. Lucernæ, quarum ingenium eſt, lingua ignea per os exorta ſerenis noctibus lucere (adi Plinium) ἴουλοι. Et tam marina, quam fluviatilis Perca quam & inter ſaxatilem, tertio tamen loco reponit Galenus. Athenæus ait, Percam eſſe ſpinis coronatam, inſignique varietate conſpicuam, Aſſimulatur Mænis, quæ hodie Mænulæ dicuntur, binique duæ eſt Melanurus, qui alio nomine ab oculi magnitudine oculata vocatur, σπάρος, μελάνουρος, ἠὲ ὀφθαλμόκορος. Turdus etiam piſcis his diebus apparet, qui inter ſaxatiles reponitur, & nobiles vocat Plinius, κίχλη. Sub idemque tempus Coracini piſcatio eſt, in cujus capite lapillus invenitur, quem puerorum collo pro amuleto ſuſpenſum, regio morbo adverſari ignobiles quidam auctores tradunt κορακῖνος.

Martius, Aprilis, Maius,

At menſibus Martio, Aprili, & Maio, præter prædictos in aperto mari Thynnorum multitudo non rara eſt, & in littore ipſius Urbis, & per totum Iſthmum, duplicique retium ordine captantur: quorum quidem piſcium partes ſale conditæ variè nominari ſolent. Ventris enim pinguiorem adipem Tarantellum ab urbe ipſa vocant: dorſum autem magis carnoſum, ac macilentum Tonninam appellant, θυννίς. Muræna cum Congro, & Anguilla nullo quam hoc tempore magis commendata, & in utroque mari Sardæ, ac in inſulis quantò maiores, tantò pinguiores, itemque Aleces, & quæ Plinio, & Theodoro ſunt Trichiæ, digitaleſque alii piſciculi, quos laſtarenulos appellare videtur plebs, & ab antiquis, quomodo dicti fuerint, nondum reperi, Anguillæ prægrandes paucæ, ſed quæ parvæ ſunt, exiguique capitis multæ, & guſtu elegantiores, hæc in primis laudantur, μύραινα, χόγγρος ὄγχελυς, σαῦρος, μαῖνα, πτερύγιον. Adde his Lupinum oya habentem, poſt Thynnum, æſtimabilem, abdomine præſertim. Adde etiam Pinnas, Aſtracos, Polypos, Cicadas, atque Echinos, quos, & maritimas Caſtaneas appellare poteris. Horum omnium præcipua copia eſt in Martio, Optimi, & maximi Echini in externo mari. Adde præterea Pagros, ſive Phagros, qui vulgò Fragolini appellantur, ex his qui aſſantur, longè probatiſſimos, ἀμία, σῆμα, ἄσταχος, πελλικός, φάγρος, ἰχνευτήρες. Quid dicam de Pelamidibus, quas, & parvos Thynnos vocant, & à luto ſic dictas ferunt, ſiquis pedalem exceſſerint magnitudinem, in Thynnos abire?

Quid de Thynnuceris? quibus ab thynni abdomine Zyrnulis nomen eſt? Nam & zyrna appellatur imus Thynni venter, & hæc ſunt abdomina Thynnia, quæ Lucilius commendat in primo Satyrorum libro, vulgus (ut diximus) Tarantellum, & zurram vocat, quod nomen putat Paulus Jovius deductum, propterea quod in Tarentino ſinu ſale Thynni bonè aſſerventur, τάριχος. Non deſunt his menſibus Merulæ, quæ & ipſæ cum Turdo, Umbra, Aſello, à colore, quem referunt, appellantur, & ſunt ſaxatiles, κόττυφος, κίχλη, σκίαινα, ῥῆγες, ὀφύδρος. Mugilum copia eſt, & Mormyrorum, qui nec ſine piſcantium riſu capiuntur: in metu enim capite abſcondito, totos ſe occultari credunt, μύξοι, μορμύρος.

Junius, Julius ſive Quinctilis,

Abundat Junius Scorpionibus, Scorpenis, Draconibus, Anguillæ his diebus pinguescunt, ut alias; ſed juxta fluvios, qui portum ingrediuntur, ſepiſſimè atque ingentes capiuntur. Aliud genus piſcium, qui Coccyges à piſcatoribus dicti ſunt, verumtamen ſi Jovium audire placebit, Merula cum Coccyge erit eadem, piſcem vocalem appellat Ariſtoteles lib. 4. Animalium. Sequitur Quinctilis, quo Auratæ non linea, & hamo, ſed retibus ad inſidias paratis captantur, & Sardæ circumjecto rete, ubi primum viſæ ſunt, præcipuè in Galeſo. Eodemque menſe nigræ Cochleæ, & Purpuræ colliguntur, σκάλαι, μύρικες θαλάσσιαι, κόχλαι.

Auguſtus ſive Sextilis,

Aſellorum menſe Sextili duo illa genera quæ Plinius commemorat, in aperto mari grandiora, quam incluſo, vulgò Cergne, atque idem tempus profert Corvum κόραξ. Salpæ optimæ ſunt his diebus, piſces tam operoſè atque eleganter à natura depicti, Cephali quoque, & illi multiplices variis nominibus appellati à corporis accidentibus, nam & Capitones à capitis amplitudine dicuntur, & apud Græcos caput eſt κεφαλή. Labeones à prominentibus labris inferioribus. Sic, & Ceſtres, Bacchi, Myxini, Chelones, leuchiſti, & Mucones alii appellantur. σάλπαι, βαῦς, κεστρεύς, σπάρος. Quod autem tradit Ælianus in primo de Scaro piſce, id Tarentini de Cephalo experiuntur; Sed Ælianum audiamus, eſt enim hiſtoria gratiſſima. *Scarus cum aliis herbis marinis, tum alga imprimis veſcitur, omnium piſcium ad Venerem inflammatiſſimus eſt. Cauſa cur capiatur, eſt cupiditas inexplebilis in feminam, eam non ignorantes rei piſcatoriæ, qui ſunt peritiſſimi, hoc modo illi inſidias ponunt, ut comprehenſa femina ſummum os ad tenuem fuſiculum ex ſparto confectum alligent, eamque vivam per mare trahant, ubi eorum cibilia eſſe, & in quem locum congregentur, norunt. Conficiunt etiam grave plumbum figura rotundum, longitudine trium digitorum, quo ex chordis appenſo trahitur Scarus femina captiva. Aliquis eorum naſſæ in piſcatorio navigio accommodatæ os late dilatavit, datque operam, ut naſſa in Scarum captum,*

ptum convertatur. Ea enim sensim domitiatur lapide ad certam mensuram facto. Mares vero non aliter, quàm homines ad conspectam amatam libidinis furore feruntur, circumq; eam concursantes, alius alium prævertere, viq; appropinquare, & contingere studet, ut solent iuvenes vehementer amantes, & osculum, aut vellicationem, aut aliud quippiam furtum amatorium venantes. Qui deducit fœminam sensim, & pedetentim insidiis collocatis recta ad nassam tum amata, dicetes amantes discere. Cum proximè ad nassam hi accesserunt, plumbum in interiorem partem à piscatore traductum, ex linea decidens, fœminam in nassam detrahit, quo simul influentes mares capiuntur, ac pœnam dant Scari eiusmodi furentis libidinis. Hæc Ælianus. Verum hanc venandi industriam non vidi apud Tarentinos in Cephalorum captura: sequuntur nihilominus fœminam filo tractam, ac tridente bis terq; sauciati non recedunt, donec semimortui capiantur, vel succumbant. Vulgò Ovato dicitur hoc piscis genus. Maxima Tarentinis Cephalorum gratia est, habent enim ova, quæ geminis veluti folliculis incisa parte luminis recentibus eximuntur piscibus. Hæc Græco nomine passim Ovataricha, ideſt salita ova nuncupantur. Sunt apud Græcos Ταριχαι obsonia pretiosa, & probè condita: hæc autem ova inter Principum obsonia reponuntur. Piscium carnes absque abdomine vilius plebi venduntur, interno mari capiuntur, & præcipuè ante Urbis januam in Archiepiscopali piscaria. Omatarichа sunt salsamenta apud Græcos, quæ cruda comeduntur, ὠμοταριχαι: ita scriptum reliquisse Alexim testatur Athenæus. Pinguescunt Cephali, ut multi alii pisces in aquis Galesi fluvii, neque ex Cephalis solum Ovatarichа fiunt, sed & ex aliis piscibus, præcipuè ex Spigulis, sed quæ ex Cephalis nobiliora. Hieronymus Mercurialis appellat Botargas plebeo nomine, quorum inventorem Lampridio sic referente, Heliogabalum fuisse tradit. Et apud Herodotum idem Mercurialis scribit usurpari hoc verbum Ταριχευω in corporum mortuorum conditoris; propterea, cum plures Ægyptii tenerent modos, quibus mortuos à putredine servarent, primus omnium, atque etiam frequentius à populo usurpatus fuit, qui ex solo sale constabat, unde merito condire corpora, salire dicebatur, & quæ condita erant τεταριχευμενα. Ovatarichis proximum est Caviarium, quod si nigrum est, ex ovis Sturionis conficitur: si rubrum, ex ovis Cyprini saliti, & in massam congesti, in Caphia, quæ ad Tanaim civitas est; unde & Caphiarium dici potest.

September, October, November, December.

Venit inde Septembri mense ingens quædam Soleatum copia, quæ à M. Varrone Lingulacæ nuncupantur, ab Athenæo Buglossi, eoquòd bovinæ linguæ effigiem imitentur. Harum ingenium recensent omnes ferè scriptores, ac ipse benè expertus collaudo Jovium, qui frictas Arancii mali succo pipereque conditas probari in conviviis asserit. Smarides, & Menæ huius mensis laudabiliores: Βοῶπες. Oculata, sive Melanurus, quem Percarum ducem supra diximus, licet de hac re magna sit inter scriptores contentio, quam prudens, ac sciens prætereo, hoc tempore cum Boca provenit. Boca autem picturatum habens dorsum à voce sic dicta est, aliis Boopa, quoniam hic piscis prægrandes habet oculos instar bovis. Gregatim capitur, ut nullum alium piscem his diebus ferè cernas in macello piscario, Βοῦς. Auratæ captura optima est (quamvis toto anno huius generis pisces capiantur, quas infantes ab ætate appellant, quo nomine pueruios, vel puellulas dicimus) à Kalendis Octobris usque ad Martinalia, quæ apud Tarentinos pisce potius quam carnib. solent celebrari, vel per totum Novembrem, χρύσοφρυς. Synodontes pisces, si Græca voce, uti volemus, Dentices si Latina, Auratis perimiles in venatione illas sectantur. Σινοδων. Cephalorum, & quoddam genus, cui longo collo nomen imposuere veteres piscatores. Trigla, Τρίγλη, quod ter in anno pariat, sive Mullus optima eodem mense, capitur parvo mari, & in ea præcipuè parte extra Urbem, ubi piscaria Sancti Leonardi dicitur à sacello, quod illi Sancto erectum adhuc apparet, quæ, & prope Archiepiscopalem piscariam cernitur, non longè à fornacib. qui locus ad fornaces dicitur, quia ibi præter calcem coquuntur cretaceæ domorum tegulæ, imbrices à vulgo dictæ, unde tecta imbricata. Sardæ etiam, & Sargi eodem tempore felices, ut mirer cur Brundisinos potius commendarit Ennius quam Tarentinos, nisi fortasse ibi commorans illis frequentius vesceretur, σάργος. Et, & minor Sargus ipse etiam gregalis, & Sparus, qui meliorem, quam pisces alii plures, succum habet, his temporibus in Auratarum comitatu, σπάρος à verbo Græco σπαίρω, ideſt palpitare. December novissimus anni mensis mollioribus affluit piscibus, ut sunt Polypi, loligines, sepiæ, & quæ intra domum latet suam, Testudo, religiosorum quorumdam; qui à carnium esu sanctissimo instituto abstinent, obsonium paschale, hoc mense sæpius in littore hæret. Sexcenta etiam alia piscium genera ne ab antiquis quidem cognita singulis apparent mensib. ea propriis nominib. nec audeo, nec possum appellare: & in hac re piscatores nomen (ut opinor) sibi ipsi effingunt. πετροῦς πελώρους, τευτλούς, σπαρους, χελώνη, θαλάττια. Portentosos aliquando capiunt pisces; sed in mare, quod maius vocant, nos apertum, vel externum sæpè ante hac appellavimus. Balenam, me puero, tormentis, ac telis Tarentini milites sauciarunt, ea in acta Gallipolis mortua inventa est; κῆτος, Cete. Capiuntur, & aliquando monstruosi pisces quamplurimi, inter quos præter Gladium, vel Spatham, (à telo quod in fronte gerit, sic dictum) multi visi sunt humanas manus, oraq; habentes, & inter eos etiam Vituli, qui, & Phocæ appellantur, Tursio, seu Tursio Gaza. Delphines quotidiani ferè prospiciuntur ex muris ludere, quales Ovidius in maiore suo volumine describit, hos φιλανθρώπους. Græci vocant, ideſt hominum amatores. Quid de Coralliis dicam? ad quæ col-

colligenda; & Tarentini, & Siculi, & Neapolitani piscatores non semel visi sunt contendere. Non expertus est Plinius, vel nusquam de his audivit, legitve: nam ut multorum locorum, sic & Tarentina laudasset Corallia, ea etenim sunt, & quam ramosissima, & quam maximè rubentia, non scabrosa, non lapidea, non inania, non concava, retibus avelluntur, sed acri ferramento prius præcisa. Scribit idem Plinius aquatilium tegmenta plura esse, quæ cum omnia in Tarentino mari, quotidie experiremur, hic apponere haud visum est indignum. Alia corio, & pilo integuntur, ut Vituli, & Hippopotami: alii corio tantum, ut Delphini: Cortice, ut testudines: Silicum duricia ut Ostrea, & concha: Crustis, ut locustæ: Crustis & spinis, ut Echini: Squamis, ut pisces: aspera cute, ut Squatinæ, qua lignum, & ebora poliuntur: molli, ut Murenæ: nulla, ut Polypi. Vendendorum piscium ars piscinaria appellari potest, ἰχθυοπωλικὴν appellavit Athenæus: & frequentissima est apud Tarentinos, essent, & multa dicenda de ritu condiendorum piscium, sed quia varius, ac plebeius est, omisimus. Hæc de Tarentinorum piscatu, non quæ essent omnia dicenda, sed quæ colligi potuere consultis in hoc (ut præfati sumus) piscatoribus quamplurimis. Illud autem non prætermittendum, quod Principibus in Urbe præsidentibus, non omnibus, qui cives essent, sed illis tantum piscari liceret, qui veniam ab ipsis consequerentur, ut in nemoribus, ac Sylvis fieri pro ferarum venatione solet.

De Tarentinorum deliciis, ac luxuria.

CAP. III.

NUllus est, qui vel in seipso, vel in aliis non experiatur, opum affluentiam eam esse, ut sæpius ad malum cogat hominem suaptè natura ad illud ferè semper pronum, atque proclivem. Hinc nostrorum maiorum deliciæ, ut in proverbium cesserint, non secus, ac Siculæ, Syracusanæ, Persæ, Tyrrhenæ, atque Sybariticæ. Laudat Ælianus in varia historia Phocionis uxorem, quæ mariti vestem gestabat, neque opus habebat veste Tarentina, quasi molli, ac lasciva. Julius Pollux Tarantinidion vestem appellat pellucidam Tarentinis usitatissimam. Ταραντινίδιον τὸ Ταραντῖνον substantivè genus vestis subtilis muliebris. Athenæus auctorite cuiusdam Semi Delii, qui scripsit librum περὶ πάνων de Pæanibus hæc refert: *Quos Ithyphallos nuncupant, personas ebriorum induunt, coronas gestant, & manicis anthino colore tinctis manus operiunt: tunicis vestiuntur albo distinctis, Tarentino amictu præcinguntur ad malleos usque demisso.* Quibus in verbis duo animadverti possunt, anthinum colorem esse violaceum, & Tarentinum amictum è mollissima lana, qualis erat Tarentina, contextum. In epistola ad Mecænatem Horatius appellat Tarentum imbelle.

. . . . . *mihi jam non regia Roma*
Sed vacuum Tybur placet, aut imbelle Tarentum. Imbelle, inquam appellat, quasi otiosum, quietum, à bello vacuum, & voluptati deditum. Ob quam eandem causam dictum alii volunt ab eodem in Satyris molle, quibus non astipulatur Macrobius. Alexander ab Alexandro, ex sententia cuiusdam Lucii Parthenopæi, recenset multorum ingenia populorum, sed veterum, ut credo, ex loci natura, aut cœli clima te, ita vitiis obsepta, ut propria illis sint, atque perpetua: & inter cætera hæc posuit: *Asiani, Jones, Abydeni, Medi, Arabes, Tarentini, & Galatæ, molles, & effœminati, enervatis animis, ad inertiam nequitiamq; parati, omnibus imbuti delinimentis, in gymnasiis & turpibus amoribus exerciti. Illecebræ enim luxuriæ ad extinguendum vigorem animi, apud eos sunt.* Erant Tarentini frequentissimi in compotationib. & genialibus conviviis, in quibus dabantur, & circumferebantur coronæ: unoquoq; mense publicum epulum instruebant, cæso bove, privati plebei etiam tunc Veneri, & commessationibus indulgebant assiduè. Ebriæ mulieres desudantes unguenta vino permiscebant. Hinc Juvenalis satyra sexta:

Atq; coronatum, & petulans, madidumq; Tarentum.

Hinc Salmonius poeta:

Et Sybaris sequitur luxus, madidiq; Tarenti.

Hinc Pontanus:

Bacchi deliciæ, aut madens Tarentum.

Marcus Tullius ad Trebatium ita scribit: *Indicavit mihi Pansa meus, Epicureum te esse factum. O' castra præclara; quid faciebas, ô te Tarentum, & non Samarobrinam misisse?* Lacædemonius Megillus in primo legum apud Platonem ostendit, & ipse Tarentinorum delicias, & ebrietatem. Dicit enim se vidisse civitatis universæ vinolentiam in Bacchanalibus. Hæc sunt eius verba de voluptate differentis: *Quò enim* (loquitur de Lacedæmoniorum legibus) *omnes homines summopere in voluptates vehementissimas, petulantiamq; & insaniam incidunt, id ab universa regione lex nostra exterminavit. Nec in agris, nec in urbibus, quas Spartiatæ gubernant compotationes, videbis: Sed nec in compotationibus coniuncta, quibus ad omnes voluptates moveamur. Nec ullus est, qui cuidam ebrietate lasciviens obviam factus, non maximo ipsorum supplicio statim afficiat, neque Bacchanalium tempus ipsum liberet, quemadmodum, & apud vos in curribus vidi, & apud Tarentinos, qui nostri coloni sunt, omnem in Bacchanalibus ebriam civitatem.* Quod autem Tarentini aliquando ebrietati studuerint, ac commessationibus, facile etiam possumus ex eo judicare, quod legitur de Pyrrho, & ipsis Tarentinis. Huius quidem rei meminit Fabius Quintilianus, capite de risu, neq; non Valerius Maximus, cuius verba apposui: *Audierat Pyrrhus apud quosdam in convivio Tarentinorum, parum honoratum de se sermonem habitum: accersitos qui ei interfuerunt, percunctabatur, an ea quæ ad aures eius pervenerant, dixissent? Tum ex his unus, inquit, nisi nobis vinum defecisset, ista quæ tibi relata sunt, præ iis quæ de te locuturi eramus, lusus, ac iocus fuis-*

fuisse. Tam urbanæ crapulæ excusatio, tamque simplex veritatis confessio iram Regis convertit in risum: qua quidem clementia, & moderatione assecutus est, ut sobrii sibi Tarentini gratias agerent, & ebrii benè precarentur. Obiter hic libuit apponere, quod Blondus in Roma triumphante de Cynea Pyrrhi oratore narrat, quia fortasse, & ad Tarentinos spectare tàm verisimile sit, vel videri possit, ut quidvis aliud. Unde (inquit ille de vini usu agens) iocus prodiit viri excellentissimi Cyneæ Regis Pyrrhi oratoris, cuius à Romana legatione ad Regem suum redeuntis servi & familiares, cum apud Ariciam Urbem nunc funditus dirutam, vino immoderatius hausto, ut solent ebrii, capitis dolorem, & nauseam ab aeris gravitate causarentur: quin (inquit ille) vini hoc effecit austeritas, illiusq; inhumani indignitas: undeliter ægens inspectas altissimis in ulmis (quod etiam nunc fert regionis natura) vites, illis ostendit, matremq; dixit vinorum, à quibus tantum acceperunt incommodum, in tam alta cruce meritò pendere. Sed Argivorum luxui subdit hæc pauca Rhodiginus: Tarentinis inveterati fuit moris, matutinis se poculis ita invitare, ut iam frequentiore foro, semulenti plane viserentur. Athenæus ex sententia Theopompi, & Callistrati de eadem re sic habet: Theopompus ex lib. decimo Philippicorum, à quo ultimam partem, ubi de Atheniensium oratoribus, & Reipub. administratorib. agitur, quidam separarunt, his verbis refert intemperantem, & prodigum Eubulum Demagogum fuisse. Tantum luxu (inquit) & improba alieni cupiditate in Tarentino populo cæteros anteivit, quantum Eubulus circa epulas intemperans fuit, qui & Atheniensium vectigalia in alendis semper mistibus consumpsit. Idem alibi: Tarentinorum (inquit) civitas propemodum quoto quoque mense boves immolat, & convivia populo exhibet: coit verò turmatim vulgus, & assiduè compotat. Sic autem de cæteris nationibus Tarentini dictitant, alios quidem homines industria, & circa munera sua laboriosa sedulitate in posterum vitam sibi comparare: se vero quia conveniant, & voluptatem inde percipiant, iam vivere nec expectare, dum olim vivant. Jam verò (inquit Ælianus in historia animalium) si quis, qui nondum excesserit extrema pueritia, Thunni sanguine illiniatur, non pubescet. Hoc idem Torpedo, & marinus Pulmo efficiunt: nam in aceto putrefacta eorum carnes, & mento aspersa fugam pilorum facere dicuntur. Quid ad hæc Tarentini, & Tyrrheni Sophistæ malorum investigatores, conantes pilorum evulsione ex virilis mulieres facere? Addam, & si invitus, neque sine ingenti vultus robore, sed historiæ ratione coactus, quod in Athenæo legitur de nonnullorum facinore militum, qui dum bellicosi, ac fortes haberi voluerunt, tanta in miseros hostes abusi sunt, & imprudenti insolentia, ut magnam inde & sibi, & suis omnibus acquisiverint infamiam. Athenæi verba hæc sunt: Clearchus libro quarto viarum ait, Tarentinos populos censsos viribus, & copiis, quas tum magnas possidebant, voluptatibus, ac deliciis usque adeò se tradidisse, ut totius corporis cutem lævigarent, unde pilorum avellendorum exemplum reliqui sumpserunt. Vestes (inquit) textiles pellucidas omnes gestabant, quibus nunc luxuriat molliusculorum fœminarum cultus. Secundum eorum peccatum id fuit, quod deliciis corrupti, & licentiæ vitæ ad iniurias vicinis inferendas pertracti, oppidum in Iapygibus Carbinam cum devastassent, virgines, & florentes ætate matronas in Carbinatum sacris ædibus congregarunt: deinde tentoriis sibi, nuda omnibus clara diei luce corpora spectanda præbuerunt, ut cui libitum esset, his tanquam in miserum gregum insilierit, libidinem suam expleret, illarum, quæ è collecta fuerunt pulchritudine, sub omnium oculis, Deorum præsertim: ante quos, id nunquam patratum iri credidisset oppressus ille populus. Tanto flagitio sic indignatus est Deus, ut quotquot Tarentini scelus id adversus Carbinatas præter ius, & humanitatis leges commiserant, exanimaverit fulmine. Ad nostram usq; memoriam Tarenti ante singulas ædes pylæ statuæ sunt pro foribus, & in illis eorum, qui militarunt adversus Carbinates, insculpta nomina, & quando interierunt de cælo tacti, nec eorum qui sic vitam amiserunt, quisquam miseretur, nec legitima iis libamina effundunt, sed Iovi fulminanti sacra faciunt. Hæc ille. Unam Tarentini ducebant uxorem pro liberis procreandis (de veteribus loquor) at duas insuper ducebant luxuriæ, & voluptatum gratia. Et quoniam de uxoribus facta est mentio, illud non est silentio prætereundum, Tarentinos hanc olim habuisse consuetudinem, quod ex novis sponsis in prima cœna neuter manibus cibum sumere audebat suis, uterque expectabat cibum, ut sibi ab aliis porrigeretur: aliter si fecissent, coniugium nullum erat. Servatur huius hodie moris aliqua particula. Nam quando nova uxor mariti domum primò ingreditur, ab aliquo consanguineo utrique ad os porrigitur argenteo cochleari aliquid mellis, vel obsonii Zaccaro confecti, ut sit boni hominis indicium, eos in pace dulcissimè convicituros.

Quæ Tarenti accidisse ferantur.

CAP. IV.

Gratam (inquit Ælianus) accepti beneficii memoriam ipsæ etiam bestiæ retinunt. Tarentina mulier nomine Heracleis, & cæteris in rebus, & maximè raro fœminarum genere fuit, & verò ab omni stupro integram castamque se marito conservavit. Quippe quæ ut viventem eum studiosè, & diligenter coluisset: sic posteaquam è vita excessit, se fidissimam, & ab omni libidine continentem humato coniugi præstans, urbanas commemorationes, & domum in qua mortuum vidisset maritum, adeò male oderat, ut præ mœrore ad sepulchri monumentum, ubi sepultura affectus esset ille, miserrimè commoraretur. Hæc igitur fœmina cum æstivo anni tempore ciconiis pullorum suorum volatum experientibus, unus, & infirmissima ætate, & alæ suæ debilitate delapsus, alterum crus fregisset

set, eiusmodi; essum intuita, se cognito morbo misericordem pullo præbuit, nam & vulnus obligavit, & medicamentis, & cibo potioneq; adhibitis, cicatricem obduxit, & ad incolumitatem perduxit, atq; iam advolatum confirmatum è manibus dimisit. Hic admirabili quadam naturæ intelligentia non ignorans se conservata vitæ præmium mulieri debere, anno post cum adversum Solem fortè apricantem eam, quæ sibi benignè fecerat, perspexisset, demisso atque humili volatu proximè ad ipsam profecta, in eius sinum lapidem evomit: deinde in tecto subsedit, cuius facti admiratione commota Heracleis dubitabat, quid hoc esset. Cum igitur lapidem intus alicubi deposuisset, nocte insequenti somno soluta eum fulgere, & radiatam domum tanquam immissis facibus ex eo splendere perspexit, ubi verò Ciconiam comprehendisset, & vulneris cicatricem percepisset, hanc cognovit eam esse, quam miseratione commota curavisset. Hæc Ælianus. Scribit Ovidius lib. septimo metam: Æsonem Jasonis patrem à Medea ex sene factum fuisse juvenem, ubi eum in aheno recoxerit, quod & legere poterit, qui volet apud Volaterranum in Philologia. Verum hoc posset, ut debet, figmento adscribi poetarum. Quod autem legitur in Hispano quodam libello, cui titulus: *Iardin de flores curiosas*, & cuius auctor est Antonius de Torquemada, fortasse non erit adeò fabulosè narratum, ut non videatur verum *qui dicatur*, refert enim per quendam Bernardum (est enim dialogus) anno post natum dominum quingentesimo, & tricesimo primo, vel secundo, cum Romæ ipse degeret, publicam fuisse per totam Italiam vocem, ac nuncium certissimum, Tarenti senem quendam capularem, & decrepitum centum annos natum, juvenem esse factum mutatione dentium, pellis, & quicquid pilorum in toto corpore haberet, unguium etiam tam manuum quam pedum, itaut vix à suis internoscereturr, vixisseq; sic validum annos quinquaginta, uxorem duxisse, & filios etiam suscepisse, tandem ad eam devenisse cariem, ut lignum potius censeretur quàm caro. Hoc idipsum pluribus accidisse ibidem scribitur, & ab eodem auctore: sed quia ad nostram illi haud pertinent historiam, prætermitto. Commodavit mihi librum Hispano scriptum idiomate Joannes Baptista Atheniensius Jurisconsultus peritissimus, ut qui maximè in tota Iapygia, & ipse nobilis inter Tarentinos. Est, & inter ea, quæ humana excedunt consilia, reponendum, quod in lamia Angelus Politianus, & Cælius Rhodiginus in antiquis lectionibus memoria dignum censuere, id ita est. Bovem apud Tarentinos in agro quodam pascuo fortè Pythagoras conspicatus viridem adhuc fabaciam segetem morsu truncantem, rogavit bubulcum, moneret bovem suum, ne illam depasceretur. Huic bubulcus illudens, atqui (inquit) bovatim loqui nescio, tutè si scis potius moneto. Non cunctatus ipse accessit propius, & in aurem bovi illi voce tamen summissa diutulè locutus imperavit, non modò ut in præsens, sed ut etiam in perpetuum pabulo fabacio abstineret. Itaque bos ille Tarenti deinde mollitèr consenuit, in Iunonis fano sacer habitus, cibisque hominum vesci solitus, quos illi obvia turba offerebat. Visus est Tarenti viculus biceps anno domini millesimo quingentesimo septuagesimotertio mense Februarii Massafræ oppido natus, quem octipedem etiam aiebant bubulci, portentosum caput Tarentum fuit asportatum ad Præfectum provinciæ, qui ibi commorabatur ob panem nauticum conficiendum pro classe regia, quæ adversus Turcas parabatur in sancto illo fodere. Et quoniam de pane facta est mentio, addendum videtur prodigium, quod ab auctore chronicæ historiæ recensetur *Sylla* (inquit) *apud Romanos præfecto, & Sothere Ptolomæo apud Ægyptios regnante, cum in convivio, quod Tarenti tunc temporis celebrabatur, panis divideretur, sanguis inde effluere visus est, qualis è corpore humano saucio emanare solet. Quo quidem tempore septem dierum spacio cum grandine lapides ceciderunt universum ferè Tarentinorum agrum devastantes.* Erat apud Tarentinos, sicut apud Athenienses Prytaneum, ubi judices, & magistratus versabantur, consultabantque de Repub. eo in loco etiam publicè alebantur qui de Repub. benè essent meriti. Habebatur hic honos maximus. In Tarentino Prytaneo Dionysius Iunior Siciliæ Tyrannus candelabrum dicavit, in quo totidem succenderentur lychini, quot in anno numerantur dies. Hoc ab Athenæo refertur, auctore Euphorione in historicis commentariis. Animantia bruta homines adamasse, & formosos præcipuè, atque virtute præditos multi scribunt: quantus autem Delphinorum fuerit amor in huiusmodi, docent Herodotus, Plutarchus, Paulanias, Athenæus, Theophrastus, & Plinius. Hic tandem cum multa adduxisset exempla, quibus hoc verum esse persuaderet, subdit: *Nec modus exemplorum. Eadem Amphilochii, & Tarentini de pueris delphinisque narrant. Quæ faciunt, ut credatur, Arionem quoq; Citharœdicæ artis interficere nautis in mari paratis, ad intercipiendos eius quæstus eblanditum, ut prius caneret cythara, congregatis cantu Delphinis cum se dejecisset in mare exceptum ab uno Tænariam in littus pervectum.* Herodotus in Clio hanc Arionis fabulam sive historiam dicit tum accidisse, cum parta ingenti pecunia voluisset ille Corinthum ad Periandrum redire: cumq; profecturus esset à Tarento, quia nullis magis quam Corinthiis fideret, navigium virorum Corinthiorum conduxit. de eadem plura leges apud Plutarchum in convivio septem sapientum. Hymnum quo se Arion gratum Neptuno exhibuit leges apud Ælianum in Tænaro, cui Cereapoli cognomen antea fuerat, Arionis, & Delphini statua cernebatur cum hoc subscripto Epigrammate:

E pelago servavit Arionа Cydone natum
Delphinus vector, diis ducibus Siculo.

Habuit, & ager Tarentinus multorum cineres præclarissimorum. M. Pacuvius Ennii ex sorore nepos Tarenti moritur annos natus

tus quinquaginta, in cuius tumulo hæc legebantur carmina:

Adolescens tametsi properas: hoc te saxum rogat,
Ut se aspicias, deinde quod scriptum est, legas.
Hic sunt poetæ Pacuvii Marci ossa,
Hoc volebam nescius ne esses. Vale.

Sunt, & multi qui contendunt Virgilium apud Tarentinos suum obiisse diem, unde illa distichas:

Mantua me genit, Calabri rapuere, tenet nunc
Parthenope, cecini pascua, rura, duces.
Qui pecudes, qui rura canit, qui prælia vates,
In Calabris moriens hac requiescit humo.

Sed hæc mirabilia non sunt, quocunq; enim pergit homo, secum affert moriendi necessitatem, quæ vitari nullo modo potest, videtur tumulus Virgilii Neapoli supra antrum ad ædem divæ Mariæ, quæ ad pedem cryptæ dicitur cum disticho:

Quid cernis tumuli hæc vestigia? conditur olim
Ille hoc, qui cecinit pascua, rura, duces.

Est apud Hieroglyphicos Tarantula invidiæ symbolum, cuius exitiale virus à medicis tale describitur, ut læsis inducat stuporem, genuum labefactationem, demumque universi corporis σκμός, idest, tremorem, qui in proverbium usque abierit. Est Tarantula, idem cum Phalangio, animal ex aranearum decuria, quarum multa genera refert Nicander in Theriacis: & videtur in tota Iapygia, nedum Tarenti. Qui ad hoc vermiculo mordentur, non sibi mederi solent Cancrorum pastu, quod naturæ impulsu faciunt Cervi, ut docet Plinius: sed ut legitur apud Theophrastum Academiæ post Aristotelem successorem, cantilenis, fistulis, ac tympanis: eosq; delectant colores varii, ut alius rubro, alius viridi, caruleo alius alliciatur, odioq; habere videntur quemvis alium, fœminæ aliquando mordentur, quæ instar Amazonum & Lacænarum, nisi mavis Baccharum, gladios in manibus habere, signaq; feriendi, defendendique, ac si in singulari certamine, non erubescunt: hos vulgò dum simili insaniunt morbo, Tarantatos vocant, qua de re agnominatione quadam nonnulli utuntur dicentes, Tarentini Tarantati, dum huius Urbis cives, eos præcipue, quos constantia decet, volunt levitatis arguere. Inter alios huius rei scriptores, Alexander ab Alexandro juris peritissimus tam multa scripsit in libris Genialium dierum, ut plura (ni fallor) Latinè an dici queant, non videatur, quo doctore qui non fuerit contentus, adire illum haud pigeat Ælianum ex principibus Græcis unum in historia animalium: videbit enim admiratione dignissima de Phalangiis præcipuè Zacynthi, quorum morsu totum humanum corpus obtorpescit, & debilitatum tremore afficitur, & frigidissimum illicò fit, & vomitum cum convulsione patitur, membrumque genitale illi intenditur. At si qui ab eorum morsu integri atque intacti balneas, quarum lavatione Phalangii vulnerati fuissent usi, fortè subissent, aut pedes abluissent, omnibus doloribus, quibus torquentur, morsu pressi exarserunt. Andreas præterea Mathiolus in secundo Dioscoridis commentario annotavit, & pauca alia eadem de re, ictos videlicet ab hoc verme, variè, ac diversè torqueri: alios perpetuò canere, alios ridere, plorare alios, multos clamitare, nonnullos dormire, plures vigiliis affici, pleroſq; vomitionib. laborare, non paucos saltare. Sunt qui sudant, alii tremebundi fiunt, quidam pavoribus infestantur, plerique alii alia patiuntur incommoda, fiuntq; phreneticis, lymphaticis, ac maniacis persimiles. *Quæ* (inquit) *Symptomata tam varia, atque diversa non aliunde provenire dicendum est, quam aut ex vario eorum animalium veneno, aut ex demorsorum hominum temperamentis*, & paulò ante dixerat: *Sed mirum certè quam facilè huiusce veneni vis musica mulceatur. Quandoquidem auditis lyricis instrumentis, vel tibiarum sono, primo statim occursu icti à Tarantula à languoribus cessant, & in medium tripudiare, & saltare incipiunt, tamque diu rem prosequuntur, ac si sani essent, & nullo unquam tenerentur dolore. Quod si eveniat, ut tibicines tantillum conquiescant, ac interponant, non multo post tempore in terram concidunt, & ad pristinos redeunt languores: nisi tam diu indeficiente sonitu saliant, atq; tripudient, donec veneni virus partim insensibiliter per cutis meatus, partim per sudorem exeat, & discutiatur. Ob id igitur tibicines stipendio conducuntur, alternatimque mutantur, absque ulla sonitus intermissione, tam diu tripudient demorsi, quousque penitus curati quiescant.* Hæc ille, qui etiam sua addit coniectura à Tarento Urbe dictam Tarantulam, non à Tarantula Tarentum, ut nonnulli imperiti asserverunt. Scribit Philostratus multos libros de vita Apollonii Thyanei, 15. lib. 7. cap. inquit. *Nerua, qui post Domitianum justè, modestèque imperavit, iam ad imperium vocari videbatur: id præcipuè Orphytus, & Rufus opinabantur: hos Domitianus paratarum contra se insidiarum insimulans in insulam relegavit: Neruam quoque Tarentum secedere iussit.* & cap. XII. *Cum quidam ex iis, qui unà cum Apollonio erant in custodia, quæreretur, propterea se accusatum, quod Tarenti, ubi dominabatur, sacrificans publicis precibus non addidorat Domitianum Palladis filium esse. At enim* (inquit) *arbitrabaris fortasse Palladem non peperisse, cum semper habita sit virgo: ignorabas autem (ut opinor) Deam ipsam Draconem quandoq; Athenienſibus peperisse.* Erecta domorum tecta, Tarentini ut plurimum cannitia conficiunt, adiecto arenario, & tegulis, præter trabes & forcipes. Zacharias Lilius in libro de situ orbis dicit, Oebaliæ nomine Urbem esse in Italia juxta Tarentum ab Oebalo Telonis Regis Capreæ filio sic nuncupatam, citatq; Virgilium in Georgicis, cuius versu alibi nos adscripsimus. Quæ Lilii sententia movit me, ut crederem, unam ex paræciis Urbis inde nominatam. Dividitur hodie quantulacunque

Digitized by Google

est in quattior parœcias, quarum una Balei parœcia est appellata, corrupta fortasse voce ab iis quæ Oebaliam juxta Galesum habitabant. At si quis volet fortasse, & aliarum parœciarum nomina cognoscere, illa quidem recentia sunt, & altera divi Petri parœcia dicitur, tertia Turris fœnnæ, quarta cognominatur à ponte; duæ inquam sunt, in superiore Urbe, totidem in inferiore. Quòd Virgilius lib. Æneidos 7, laudat Galesum quendam his versibus.

Corpora multa virum circa, seniorq; Galesus
Dum pauci medium se offert, justissimus unus
Qui fuit, Ausoniisq; olim ditissimus arvis,

Amicum fortasse laudaverit suum, cui ob recepta beneficia Tarenti erat obligatus: juris ergo hospitalis memor, ita remunerat. Tributa & vectigalia multa, ac varia sunt. Nam alii Regi debentur, ac solvuntur, alia senatui, & colliguntur ex piscatu piscium, & ex illorum venditione, & pane confecto, ex vino, ex oleo, ex croco, & ex domorum, prædiorumve censibus, ex pauperum labore, & ex mercimoniis. Habent hodie, ut in tota Christiana Repub. laudabilem hanc consuetudinem Tarentini, ut sicuti in Urbe quilq; sibi domum condidit, in qua cum familia bene ageret, atque viveret, ita quoq; contendat extruere sacellum cum sepultura, in qua mortuus humaretur pie honesteq; cum suis, non extra Urbem secundum celebres vias, sed in basilicis magnis, quas alibi recensebimus. Ritus autem efferendi ad sepulturam cadavera, illaq; sepeliendi, quia iidem sunt, qui apud omnes, nihil opus esse existimavi de illis agere, sicut alii consueverunt in suarum urbium historiis: nempe de campanarum pulsatione, de illarum vario numero juxta mortui dignitatem, & comitatu cognatorum, affiniumque, etiam mulierum, quando defunctus effertur, de vestibus lugubribus, de pompa, quæ partim præcedit, partim sequitur, de facibus, de cruce, de amicis, qui catervatim se comites præstant, deq; sacerdotum divinis precibus, & tandem de humatione, & funebri oratione, quæ non semper habetur, sed quando illustris quidam vir, sive mulier, sive antistes sit, qui vitam obierit.

LIBER QUINTUS.

CAP. I.

TArentini sive ea, quæ in Phalantho dicta est, sive alia, à Spartanis ratione oriundi, armis ut plurimum, quam initio habuere potentiam, consumpsere. Notum illud est, militare scilicet studium durum, atque horridum ita fuisse Spartanorum proprium, ut degeneres haberentur, & matribus etiamnum indigni, nedum patribus, qui in armis à prima usque ætate non se exercerent. Primum igitur, & antiquissimum bellum, quod post Lucanum, cujus nulla præter nomen est memoria, Tarentini gessere, fuisse creditur illud, quod adversus Thurios, Sybaritasq; gestum Pausanias, & Strabo cum Herodoto in Terpsichore tradunt, Thuriorum imperator fuit Cleandrida è Sparta profugus, & huius belli causa, Siritidis amnis, atque Urbis vendicatio ferebatur. Convenere tandem uterque populus, ut communiter habitata Tarentinorum tantum Colonia Sybaris judicaretur, quæ non longè post Heraclea dicta, & nomen, & locum commutavit. Missos alii scribunt colonos à Tarentinis Heracleam, quos prius è Siritide deduxerant. Hæc autem omnia accidisse constat post eam cladem, quam Sybaritæ à Crotoniatis acceperant, ex quibus pauci admodum superstites ad Lucanorum, non admodum durissimam servitutem sunt tracti, sed à Tarentinis iterum subacti, ac penè destructi ad Romanorum tutelam confugere; at illi mittentes pro virorum illius temporis paucitate accolas, mutato nomine Copias appellaverunt. Diodorus scribit hæc, quæ de Heraclea dicta sunt, eo accidisse anno, quo Athenis præfectus erat Apseudes unus, ac princeps ex novem qui nobiles erant præsidibus, & Rom. Coss. creati T. Virginius, & Proclus Geganius Macerinus. Ejusdem Heracleæ causa, & propter agrorum fines, ut scribunt Herodotus, & Diodorus, bellum suscepere Tarentini adversus Messapios quibus, & Dauniorum, & Peucetiorum Reguli favebant. Si igitur Messapia ea est, quam Strabo depingit in Peninsulæ Typum à Brundusio usque Tarentum isthmo inclusam stadiorum decem post trecenta, veritissimum erit bellum Messapium illud esse, quod uriæ fuisse tradit Herodotus in Polymnia, & Diodorus in Iapygia. Hyriam appellat Herodotus, traditq; à Cretensibus hoc pacto fuisse conditam. Cretenses cum in Sicaniam magna traiecissent classe, & quinquennio Camicum Agrigentinorum urbem obsedissent, ad extremum non valentes illam expugnare, neq; in obsidione permanere, cum fame perirent, ea relicta abire, dumq; circa Iapygiam cursum tenerent, ingenti eos tempestate adorta in terram ejecti sunt, laceratisq; navibus cum nullus in Cretam ostenderetur receptus, illic sublidentes Urbem Hyriam condidere, & mutato nomine pro Cretensibus Iapyges Messapii facti sunt, & pro insularibus continentis habitatores. Adeo autem huius urbis creverat potentia, ut totius Iapygiæ imperium nullo negotio fuerit ferè consecuta; at nunc eò miseriarum devenit, ut nullus credere possit Messapiorum aliquando regiam fuisse. Sita est in Apennino, & facie inferum Mare prospicere videtur, duodecim millibus passuum per continentem distans, tergo superum, unde quindecim milliaribus recedit. Bellum gessit cum Tarentinis, & Rheginis Celabriæ populis, tantoque apparatu belli prælium fuit commissum, tanto militum numero, tantisque pugnatum animis, ut illud adhuc dicatur, nusquam antea tantum humani sanguinis tantamque stragem accidisse. Illo (inquam)

die

Digitized by Google

die quo prælium habitum est, tria millia hominum ex Uritanis desiderata sunt, Tarentinorum verò, & Rheginorum ne ab ipsis quidem hostibus qui superfuere, occisorum numerus teneri potuit. Rhegini ut opem Tarentinis hoc in bello præstarent, Micythi cuiusdam Anaxilai famuli suasu adacti sunt. Erat hic apud Rheginos vir non mediocris auctoritatis, ut qui ab Anaxilao Rege procurator ibi fuerat relictus, sed Rhegio post hac excedens Tegeam Arcadum incoluit, semper autem Tarentini societatem cum Rheginis, & arma iunxerunt. Nam, & Tarentinorum opibus etiam ipsi usi sunt, quando à Dionysio seniore sunt obsessi. Ælianus etiam in varia historia narrat, quod cum Tarentini à Romanis obsiderentur, periculumq; esset, ne fame ad deditionem compellerentur, Rhegini decimo quoque die jejunium decernentes victum Tarentinis concesserunt. Descendentibus ergò utrisque in aciem Iapygibus (inquam) & Tarentinis atrox conseritur pugna, ubi cæsis (ut dictum est) tot millibus, vix tandem Japyges victoria potiuntur. At hostes victi, ac profligati in duas cum fugerent partes, diversi rapiuntur, nam Tarentum pars agmine præcipiti, pars Rhegium contendunt, Iapyges confestim duo itidem agmina ad fugientium terga cædenda dirigunt, alterum Tarentinos opprimere properat, quibus cum breve spatium fugæ daretur, magna occurrentium, ac resistentium multitudo cæditur. Qui Rheginis insistebant, tanta præcipites contentione sunt insectati, ut cum illis simul intra mœnia irruperint, atq; illo impetu momentoque sunt urbe potiti. Decedentibus autem hostibus cum liberi essent Tarentini, Memores calamitatis, & periculi illius, festum quotannis constituerunt, quod jeiunium appellabant, Nistiam alio vocabulo. De Uria leges plura apud Strabonem, qui illam ponit in via Appia, plurima apud auctorem de situ Iapygiæ, qui præcipuè immoratur in nomine urbis huius, explicando. Non pauca in oratione, quam Quintus Marius Corradus edidit ad cives suos Uritanos de divo Francisco Durrachino divinis honoribus præstandis. Donatus tandem Castilio, & ipse Uritanus Medicus tres præ manibus libros habet de cœlo Uritano, quod invitis omnibus, & contra quotidianum periculum defendit saluberrimum, Tarentino, Brunduſinoque, (si Diis placet) præferendum. Illud tandem adiecit Diodorus hoc fuisse bellum Menone rem Athenienſium publicam gerente, Romanisque Coss. Lucio Aemylio Mamerco, & Caio Cornelio Lentulo, eiusdemque videtur meminisse Aristoteles libro de Repub. quinto, Cum eisdem Messapiis non longè post Tarentini denuò congressi, victoriam nacti sunt, ob cuius memoriam equos æneos, captivasque fœminas Delum dono miserunt, quod in Phocicis apud Pausaniam his legitur verbis: *Iam Tarentinorum equi æuei, & captivæ faminæ dona sunt, quæ Messapiis barbara gente finitimis suis victis miserunt. Tarentini etiam de Peucetiis barbara natione à se victis decimam Delphos miserunt: signa elaborarunt Onatas, Egineta, & Calynthus: equestres, & pedestres sunt imagines: Opis Rex Iapygum Peucetiis auxilium ferens, atque hic quidem in pugna cadenti persimilis: qui verò adstant, Taras heros est, & Phalanthus Lacedæmonius, & ab eo non longè Delphinus: ante enim quam in Italiam perveniret, navi in Crisæo mari fracta, ad littus Delphino evectum Phalanthum tradunt.*

Bellum quod Tarentini alias gessere cum finitimis Barbaris.

CAP. II.

POst Archytam civem, & imperatorem, post paucos alios bellorum duces, de quibus supra meminimus, cum nullos haberent quorum ductu sperarent post hac de hostibus victoriam, coacti sunt in discrimine bellico Tarentini ad exteros confugere duces. Atque initio Archydamo Agesilai filio usi sunt, ut scriptum reliquit Pausanias in Laconicis. Traiecit Archydamus in Italiam, quo tempore Tarentini bellum gessere cum finitimis barbaris, quo in bello, Apollinis, cuius numen læserat, indignatione interfectus sepulturæ honore caruit, quamvis multam hostibus pecuniam Tarentini afferrent. Hos finitimos Barbaros Diodorus Siculus appellat Lucanos, quibus cum iterum Tarentini sunt congressi. Alii ex eodem Pausania, Achæos tradunt, qui Metaponto à Samnitibus deleta, locum habitarunt destitutum: hostes quidem Tarentinorum nullam aliam ob causam, nisi quia à Lacedæmoniis, quorum Tarentini coloni sunt, fuerant ejecti: additur, & simultatis causa altera ex Strabone, Achæi Leucippum socium legatum ad Tarentinos miserunt, ut ad diem, noctemque locum habitationi permitterent; repetentibus autem postea Tarentinis locum, si dies erat, ad noctem se recepisse respondebant, si nox, rursus ad diem referebant. Quare indignati Tarentini bellum movere destinarunt. Indignationis, quam Apollo in Archydamum ostendit, si quis causam volet cognoscere, adeat Theopompum: ille enim scribit, quòd Archydamus, cum esset Phocensibus fœdere junctus, ab illis cum uxore Donicha donis corruptus Apollinis fanum diripuerat. Evenit hoc anno ab urbe condita decimo quarto supra quadringentesimum, quo tempore Athenienſibus præerat Charondas, Romæque Consulatum iam inierant Caius Plautius iterum, & L. Aemilius Mamercinus, atque Macedoniæ Rex Philippus Athenienſes aliqua clade nitebatur deprimere. Anno deinde sequente, vel septimo post, ut supputat Paulus Orosius, Tito Manlio Torquato tert. P. Decio Mure Coss. cum Lucanorum Populi in Tarentinos coiviſſent, Alexandrum Epiri Regem classe transuectum in Italiam venisse constat. Alias nec semel Tarentinus miles sub Archyta præcipuè levi docuerat certamine, iram sine viribus inanem esse. Fugarat (inquam) quandoque inimicum exercitum. Fugatumque fuerat insecutus. At in novo hoc tantoque apparatu prudens

sibi cavit ; ne bellica fortuna aliquando terga suo quidem more averteret. Accito hac de causa a Tarentinis Alexandro, Dodonæum quod consuluerat oraculum, respondit, sub monens aquam caveret Acherusiam, Pandosiamque Urbem, ibi fatis eius terminum dari. Oraculum duobus his Græcis versibus fuit expressum foliis scribente Sybilla;

Αἰεκάδη προφύλαξο μελαν Ἀχερουσίαν ὕδωρ
Πανδόσιόν τε πόλιν, ὅτι τᾳ θανατος πεπρωμένος ἐστί.

Quo circa Alexander transit ocyssimè in Italiam, ut quam maximè procul urbe abesset Pandosia, & Acheronte amni quem in Epiro ex Molosside fluentem in stagna inferna accipit Thesprotius Sinus : ignarus in Italia, & Urbem, & fluvium eiusdem nominis esse ; & Justino scribente, sperans non minorem in Occidente materiam Italiæ, Siciliæ, & Africæ occupandæ sibi a fortuna porrigi, quam Alexandro sororis filio in Oriente Asiæ, & Persiæ. Primo quidem congressu Alexandro minus obsequens fuit militaris alea : sed indignatus rem sibi malè gestam propter ingratos Tarentinorum mores obvenisse, quia sibi obtemperare noluerunt, publicum Græcorum conventum illius tractus eorum compulsus odio, ad Thuriorum agrum traducere conatus est, qui in Herculea Tarentini soli æde, antiquorum ritu, celebrabatur, jussuque ad Acalandrum amnem ædificari locum, ubi concilia fierent, Aulo Cornelio iterum, Gn. Domitio Coss. bellum Alexandrinum traxit Samnites in Lucanorum auxilium. Hi duo populi adversus Regem & Tarentinos, qui Regem acciverant, dum a Pesto excursionem facerent, collatis signis pugnam habuere cruentam, sed eo certamine superior Alexander factus, Romanos sibi conciliavit, cum esset incertus an a se devicti populi fidem essent servaturi, eo tamen tempore cum Brutias Lucanasque fudisset legiones, cumque Heracleam Tarentinorum, quam diximus Coloniam, quæ jam ab illis defecerat, Consentiam ex Lucanis, cum Siponto, & Brutiorum Aceranam sive malueris Therinam sibi obsequentes, subegisset, ad alias sese cum exercitu suo convertit urbes, ex quibus trecentas illustres familias in Epirum obsides misit. Scribit Livius non paucis interitum Alexandri huius Molossi sub C. Petilio, & L. Papirio Mugillano Coss. ibi cognosces vim fatorum vehementem, nam Alexander in Italia, quo se receperat, non in Epiro unde aufugerat, Acheruntem adinvenit amnem, & Pandosiam urbem non longe ab Oppidis, quæ hodie Acheruntia, & Matera appellantur, ibidem invenies, anno eodem Alexandrum Philippi in Ægypto Alexandriam de suo nomine conditam appellasse, cujus Molossus erat avunculus Olympiæ matris frater, Adjicitur ab aliis fide dignis, corpus Alexandriæ Tyriis militibus redemptum, sepulturæque perhonorificè ab eisdem traditum, scribit Strabo pluribus & ortum, & educationem ejusdem, at hæc omnia nos ex industria prætermisimus, cum nihil ad rem nostram facere visa fuerint; narrat Justinus ex Trogo, Appulis Alexandrum movisse bellum, sed ab illo tandem abstinuisse, antiquitatis fata veneratum.

De Cleonimo Spartano, & Agathocle Siracusanorum Tyranno,

CAP. III.

Occiso, & in aquis necato Alexandro, Brutii, & Lucani non destiterunt cum cæteris finitimis Tarentinos infestare, usi sunt hoc tempore Tarentini militiæ duce Cleonymo Spartano ; si vera sunt, quæ scribit Strabo, & illius ductu atque auspicio Thurias in Calabria urbem subegere, fuit Cleonymus magnæ apud Tarentinos existimationis, quod apertè colligitur ex Aristotelis opusculo illo, ubi de admirandis agit auscultationibus; *Italiæ* (inquit) *mons est Gryssus nomine, in quo veneni quædam species lethalis oritur, hujus vis atque natura, ut si quis ex ipso aspersus fuerit, continuo concidat, ac calnus efficiatur, membraque totius corporis defluant, quamobrem superficiem corporis defunctorum miseratione dignam inde esse tradit, Hanc autem veneni speciem ferunt Paulum, Peucestium, & Gajum cum Cleonymo Spartano tradere decrevisse, à Tarentinis compertos, ac de veneno interrogatos capitales pœnas persolvisse,* Hactenus philosophus. At quoniam de Cleonymo Spartiata haud plura invenimus ad nos pertinentia, præter hæc quæ dicta sunt, omissis quæ in Pyrrho, & Demetrio Plutarchus refert ad Agathoclem tota præsens se conferat oratio. Hic Syracusis abscedens indignatus, quod honore & dignitate Chiliarchatus auctore Sosistrato fuerat privatus, in Italiam profectus ad Brutios desciyit, quibus cum adversus Crotoniatas eisque favenies Syracusanos, bellum movit, sed eo prælio victus Agathocles fugatusque, a Tarentinis fuit exceptus quam benignissime, ubi ob singularem quam profitebatur militaris rei peritiam, præfectura donatus est, cumque in rerum novarum suspicionem postmodum incidisset, dignitatem simul cum civitate qua fuerat donatus, amisit, Agrigentini a Sosistrato ad reprimendam Agathoclis tyrannidem cohortati, ducem exercitus Cleomenis Regis filium, maximum, qui paratam in Lacedæmonia classem habebat, delegere. Is Tarentum Sparta navigans Tarentinos cum parata quam & ipsi habebant, classe, ad Agathoclis expugnationem socios adscripsit, quibus cum applicuit tandem Agrigentum. Ejus adventu Agrigentini magna primum sunt affecti lætitia, sed postea hominis vecordiam, luxumque, ut rei militaris imperitiam, & quod dolo Sosistratum cum coarguentem ad necem depoposcerit, Syracusani, Agrigentini simul, & Tarentini experti spretum, militiæ præfectura privarunt, lapidibusque etiam impetiverunt, cæterumque ipse eorum delusso impetu noctu, cæteris ignorantibus, Agrigento sua classe solvens, Lacedæmona reversus est, & Tarentini cognito ejus recessu Tarentum reverterunt. Cæteraquæ de Agathocle scribuntur, leges apud Thomam Fazellum, Trogum Pompejum,

Digitized by Google

jum, & ejus abbreviatorem Justinum, Diodorum Siculum, & Athenæum; ibi enim juvenies Agathoclem humili loco, & sordido genere utpotè ignobili, & figulo patre genitum, Syracusarum urbis tyrannidem occupasse, cui puero post patris obitum dormienti ingens apum examen favuum mellis ad os convolans formavit; notatur eius libido jam inde ab adolescentia, utraque enim Venere laboravit, quare Timæus scortum promiscuum impudentissimum, & cuique obscœnissimo expositum Triorchen a Trioche avo effrenata libidinis appellabat, ex cujus lascivia natum ferunt proverbium: ex scorto Rex, ut in verbo Graculus legitur apud Suidam, Uno autem illo commendatur quod in amica fortuna nunquam sine fictili opere cœnasset, opesque simul cum paupertate admiscuisset, qua de re extat Ausonii quod sequitur epigramma perelegans, quo alios ad modestiam cohortatur:

Fama est fictilibus cœnasse Agathoclea Regem,
Atque abacum Samio sæpe oneraſſe luto.
Fercula gemmatis cum poneret horrida vasis,
Et misceret opes pauperiemque simul:
Quærenti causſam respondit: Rex ego qui fum
Sicaniæ, figulo sum genitore natus.
Fortunam reverenter habe, quicunque repente
Dives ab exili progrediere loco,

Eum mortuum uxor sic lamentata & luxisse perfertur; *cur non ego te? cur non tute me quoque?*

Quæ fuerit inter Romanos, & Tarentinos simultatis origo.

CAP. IV.

ERat in tractu magnæ Græciæ ad Zephyrium promontorium Urbs a Naritiis condita, ea dicebatur Locri, cujus non modo Virgilius apud Latinos meminit,

Hic & Naritii posuerunt mœnia Locri:

Sed & Livius, Solinus, Pomponius Mela, & Trogus: apud Græcos Ptolemæus ipse, Strabo, Pausanias; Stephanus, & Eustathius. Palæpolis deinde dicta quasi vetus, ut Neapolis, Nova civitas. Cum igitur obsiderent Palæpolim Romani in eo bello, quod adversus Græcos gerebant, cum Lucanis, & Appulis fœdere juncti, Publ. Philone Cos. cui triumphus ob partam decretus est victoriam, hac ratione sunt urbe illa potiti, obsessi Locrenses cum jam experti essent vana, atque indubria esse, quæ a Tarento, & Samnitib. expectarant auxilia, auctorib. Nymphidio, & Charyalo civibus sese Romanis sponte dedidere, levissimum deditionis malum opinati, gravissimum si vi caperentur. Quod factum cum Tarentini resciviſſent, ac si illi ita miserè obsessi, atque ipsis defecissent, ac non magis illos ipsi vana auxilii spe delusissent, increpare eos, ut in societate non fortes, ira atque invidia in Romanos furere cœperunt, audientes insuper Lucanos, & Appulos jam in Romani populi fidem transiviſſe. His & sequentibus cautis iniere Tarentini consilia investigandæ pro serendis discordiis viæ, atque artis, ut Lucani, quos jam ad Romanos isse certò cognoverant, revocari impel-

lique ad abolendam Romanam societatem possent. Eo enim res pervenerant, ut Romani aut hostes, aut domini haberentur, discrimenque rerum suarum in bello Samnitico, & illius ab eventu verti cernebant. Hortantur itaque primum omnium Samnites Tarentini, ut forti animo sicut eos decebat, bellum sustineant, auxilia, & commeatus promittentes, inde subducunt Lucanorum quosdam juvenes, qui pretio asciti clari magis inter populares, quam honesti, inter se multati virgis cum corpora nudata in civium cœtum intuliſſent, in media concione gemebundi vociferati sunt, jussu Romani Consulis se fœde cæsos, ac prope securi percussos, quod Romana castra ingredi ausi fuissent. Res suapte naturæ deformis cum speciem injuriæ magis quam doli præseferret, concitati homines illorum clamore magistratus Senatum cogere poscunt, ut bellum Romanis inferatur; alii ad concitandam in arma agrestium multitudinem discurrunt, tumultusque etiam sanos consternante animo decernitur, ut societas cum Samnitibus renovetur, & legati ad eam conficiendam mittantur, Repentina res, quia ut causam nullam, ita ne fidem quidem habebat: quo circa sunt a Samnitib. coacti, & obsides dare, & præsidia in munita loca accipere, cæci quidem in fraude, & in ea nihil recusarunt. Dilucere deinde brevi fraus cœpit, postquam criminum falsorum auctores Tarentum commigravere; & amissa de omni re potestate nihil ultra quam ut facti pæniteret, frustra eis restabat consilii, & quoniam de Samnitib. facta est mentio, ridicula illa Tarentinorum legatio ad Samnites, & Romanos initio belli prædicti, sequatur necesse est. Anno ab urbe condita 400. & 39. cum Samnites ad Luceriam castra haberent a Papirio consule, cujus curæ delegatum fuerat bellum a collega Publio, coacti essent, ut vel dimicarent vel sese dederent: per id tempus parantib. utrisque sese ad prælium, legati interveniunt Tarentini Samnitibus Romanisque denunciantes, ut bellum omnino dimitterent: per utros stetiſſet quominus ab armis recederent, adversus eos se pro alteris acriter hostiliterque pugnaturos, ea Papirius legatione audita perinde, ac si motus fuiſſet eorum dictis, cum collega se communicaturum respondit: quo accito cum tempus omne in apparatu bellico consumpsiſſet, collocutus de re haud dubia, signum pugnæ proposuit: cum interea agerent Cos. divina humanaque omnia, quæ quando acie dimicandum sit, agi assolent: expectabant Tarentini legati quid responderet: illis Papirius, qui legationem acceperat, ait: *Auspicia secunda esse, Tarentini, pullarius nunciat; litatum præterea est egregiè, auctorib. Diis, ut videtis, ad rem gerendam proficiscimur*; inde jussit ferri signa, copiasque eduxit, vaniſſimam increpans gentem, quæ suarum impotens rerum pro domesticis seditionibus, atque discordiis, aliis modum pacis, ac belli facere æquum censeret. Samnites ex parte altera cum omnem belli causſam remisiſſent, quia aut pacem verè cupiebant, aut expediebat simulare, ut Tarentinos sibi conciliarent, cum instructos re-

repente ad pugnam Romanos conspexissent, A tantum naves Romanæ classis vix tunc per vociferari se in Tarentinorum auctoritate manere, nec descendere in aciem, nec extra vallum arma ferre: deceptos acie potius quodcumque casus erat passuros, quam vi sprevisse pacis auctores Tarentinos videantur, qua de causa Romani Coss. vallum hostium militem subire cogunt. Hic momento temporis repletis fossis, munitionibus disiectis castra miles irrumpit, cædis, & ruinæ omnia complens, fuissentque hostes ad unum obtruncati, nisi duces militem a cæde imperio & minis revocassent: dolere vulgò omnes interpellatam suæ iræ dulcedinem, ob idque Coss. adiisse: sed pro concione edocti sunt sexcentorum equitum, qui in hostium potestate essent, rationem haberi oportuisse, ne qui in Urbe inclusi erant, recente suorum cæde irritati, florem Romanæ juventutis crudelissimè necarent. Laudare milites quod suæ iræ itum esset obviam, omniaque prius ferenda existimare, quam salutem tot fortissimorum juvenum prodendam.

Initium belli inter Tarentinos & Romanos.

CAP. V.

BEllum quod inter Tarentinos & Romanos duce Pyrrho Epirotarum Rege maximo, sumptum est, & scribit Agellius fuisse anno ferè urbis conditæ quadringentesimo, & septuagesimo, qua tempestate Epicurus Atheniensis, & Zeno Cittiensis philosophi erant percelebres. Paulus Orosius, quem post Dijum Antoninum Florentinorum Episcopum assequitur Joannes Sedennius in Hispana historia, ab hoc numero sex annos subtrahit. Plinius ad annum septuagesimum secundum, nonnulli ad septuagesimum tertium supra quadringentesimum referunt. Polybius in primo dicit anno uno ante Gallorum in Italiam adventum, Tarentinos bellum cum Romanis gessisse, vocato ad se Rege Pyrrho: illud animadvertendum, quod anno trigesimo quarto ante, hoc est ab Urbe condita quadringentesimo, & trigesimo septimo, Tarentini fuerant domiti à C. Junio Bruto Bubulco Cos. ob eam arrogantiam, qua usi sunt, Romanis, & Samnitibus edicentes, ut à bello desisterent, sicut in præcedenti visum est capite. Verba Livii apposui non multa illa quidem ex libro nono, sed attentione digna: *Apulia* (inquit) *perdomita (nam Tarento quoque valido oppido Junius potitus erat) in Lucanos perrectum*. Hæc Livius. Indictum Tarentinis bellum fuit a Romanis, eo quod iniuria (quod jus gentium minimè patitur: neque enim: ὑπερόπτων juxta Græcum proverbium τύπτεται, sed ὑβρίζεται affecissent turpissima eorum legatos, & fœciales ex Urbe missos ad res de more repetendas, cum Romanam classem illac prætereuntem spectaculo Amphitheatri, cujus formam ovum retulisse detecta nostris diebus indicant vestigia, & quod portui ad prospectum maris imminebat, a longè visam hostiliter invaserint, odio in illos concepto ob devictos sese a Junio, (ut diximus) non modo Samnites, quibus cum icerant fœdus. Quinq; tantum naves Romanæ classis vix tunc per fugam sunt elapsæ, cæteras Tarentini in portum retraxerunt suum, ac profligaverunt, occiso ad hæc Duum viro, qui præerat classi, præfectisq; etiam navium singularum impiè trucidatis, & omnibus qui bello utiles erant recisis, reliquis pretio divenditis. Incredibilis populi tunc florentis Tarentini superbia, qui scelus sceleri juxta (ut dictum est) gentium neglecto, addidit, sed verè finem fruendarum opum, quibus ad B invidiam abundaverat, quæsivit. Tanta vero legatorum fuit constantia, ut cum omnes pulsati essent, unusque etiam urina aspersus in Amphitheatrum (ut est consuetudo Græciæ) introducti, legationem, quibus acceperant verbis peregerunt, de his quæ passi erant, conquesti non sunt, ne quid ultra ac mandatum sibi esset loqui præsumerent, intimisque eorum pectoribus antiqui moris respectus dolore, qui ex contumelia gravissimus sentitur, convelli non potuit. Tuncque primum Romani adversus Transmarinos hostes dimicaverunt, Legatos suos ita vindicantes a Tarentinis pulsatos, ut alias à Fidenatibus, à Teuca Regina, à Gallis Senonibus interfectos Suidas in verbo φίσσω Romanum civem, quem in legatione urina, sive stercore inquinarunt, Posthumium appellat, quem Tebennum cognominatum ex illo tempore tradit à Romana veste polluta, cui tebenno nomen inditum tradit à Tebenno quodam Arcade, qui primus eam chlamydem induit, cum Ionium sinum ingressus esset, & ab illius loci incolis susceptus: à quo edocti indigenæ eodem modo vestierunt, & vestem Tebenniam vocarunt, postea nomine corrupto, Tebennus dicta est. Data est provincia Æmilio Cos. quinimis atrox paucis diebus agros depopulatus est Tarentinos. Addit divus Antoninus, quod Romani dum secum meditarentur, qui & quanti essent hostes, necessitate coacti proletarios etiam juvenes, qui pauperes erant & plebii, ad sumenda arma, ac si militia esset tumultuaria, excitarunt. His itaq; rationibus Tarentini à Romanis bello potiti, cum magnæ illorum potentiæ viribus impares inferioresq; se agnoscerent, neq; tutò possent se finitimorum fidei committere, ut qui sæpe levissimis de causis defecissent, cumque ob innatam superbiam nobiliumque pravitatem bellum nollent deponere, Pyrrhum nobilissimum Epirotarum Regem ac Imperatorem tunc maximum ducem accersere statuerunt, utpote inter cæteros Reges magis ociosum, reiq; militaris peritissimum. Quibus autem placuerit hæc sententia, quiq; in eam pedibus iverint, dicam paulo post, ubi paucis docuero, quis nam fuerit hic Pyrrhus, quem in tanta adversus Romanos expeditione accersendum magno conatu curarunt Tarentini. Erat Pyrrhus materno genere ab Achille, paterno ab Hercule oriundus. Pausanias in Atticis refert, Alexandrum Philippi habuisse propinquissimum, si quidem Tharypus quidam à Pyrrho Achillis decimus quintus Alcetam genuit, Alcetas Arybbe fuit pater, & Neoptolemi. Arybba natus est Æacida, Neoptolemo Olympias,

hæc

hæc mater fuit magni Alexandri, Æacida pater Pyrrhi, occiso ab Epirotis patre, cum ad necem, & ipse quoque infans quæreretur furtim subtractus est, & ad Illyricum delatus, & traditus Heroæ Glauci Regis uxori fuit nutriendus. Cum undecimum ageret annum revocatus a suis tanta virtute creyit, ut cum, sicut Cæcilius scribit, imperium orbis agitaretur, & Romanos potentes videret, Apollinem de bello consuluerit; ille ambiguè de more respondit;

Aio te Æacida Romanos vincere posse.

Hoc ad se dictum trahens auxilio Tarentinis contra Romanos venit, Huic (tradit Ælianus) per gratum fuit Aquilæ cognomen, quemadmodum Antiocho Accipitris. Accepto ab Epirotis regno sibi debito, primum in Corciræos arma movit, quo in bello navalibus copiis (ut Thucydides est auctor) à Tarentinis fuit adiutus, ut alias ab iisdem adjuti sunt Lacedæmonii adversus Athenienses, metuebat Pyrrhus Corcyreorum insulam, quam finibus suis ex adverso sitam, hostibus pro statione futuram aliquando suspicabatur. In Macedonia aliquando est dominatus, pulso Demetrio, quoque a Lysimacho inde pulsus est, atque in patriam revocatus, multas ab eo clades est passus, hæc atque alia de Pyrrho leguntur, priusquam Tarentinis opem ferret.

Metonis Tarentini oratio, ne Pyrrhus accerseretur,

CAP. VI.

COncilio, quod Tarentini inierant de Pyrrho adducendo, licet per majores natu & graviores resisteretur, eam sententiam civitati maximè obfuturam perniciemque multam allaturam clamantes, qui tamen belligerendi auctores fuerant, in concionibus suffragiisque ferendis plus potuere, strepitumque & vi audiri bonos, & prudentes viros non permisere; quo in tempore quidam Meton nomine, vir urbanus, & ea ipsa die, qua decretum de Pyrrho vocando sciri per populum debebat, & multitudo in concione sederat, accepta corona & lampade, quasi ebrius tibicine ducente, ludibundus in concionem pervenit, utque fit in turba populari, aliis applaudentibus, aliis ridentibus, & ut procederet in medium invitantibus, processit ille ridiculus, & quasi aliquid cantaturus astitit, sed ubi silentium nactus est, *Viri* (inquit) *Tarentini bene facitis qui jocari & ludere volentibus dum licet, permittitis: si tamen sapitis cuncti, hac ludorum libertate fruemini, antequam Pyrrhus adveniat, Nam tunc non nostro, sed ipsius arbitrio vivendum erit.* Hæc verba non multos ex Tarentinis casuræ libertatis admonitos commoverunt, murmurque fuit per concionem laudantium approbantiumque: sed qui Romanos timebant, ne facta pace dederentur, formidantes populum increparunt, quod ità inhonestè se deludi paterentur, & simul his dictis Metonem concione propellunt, ejectoque confestim, ut in suam sententiam decretum fieret, obtinuerunt. Quo firmato, oratores cum donis ad Pyrrhum transmittuntur non solum Tarentinorum, verum etiam Italicorum, qui dicerent se indigere sapiente & magnæ auctoritatis viro: nam copias satis frequentes sibi in Italia affuturas ex Lucanis, Messapiis, Samnitibus: equitum eum XX. peditum CCCL. millia habiturum. Hæc non Pyrrhum solum extulere, sed & Epirotas ipsos ad militiam adeo inclytam, & quæstuosam proptiores fecerunt. Persuaserant Regi Italiam toti Græciæ felicitate præstare, necesse satis æquum se amicos, & supplicum more auxilia rogantes iniquissimis temporibus suis deseri, hæc exponentibus legatis, Trojani belli eventus Pyrrho in mentem venit; spemque concepit, ex animi sententia omnia eventura, quando ipse ab Achille (ut diximus) originem ducens adversus Trojæ Coloniam arma esset sumpturus. Scribit Joannes Sedennius auctor Hispanus in summa clarorum virorum ad Philippum Catholicum simul, & invictum Regem nostrum semper felicissimum, Pyrrhum humiles Tarentinorum preces respexisse, at imprimis majorum exemplo suorum, Alexandri videlicet, quo de egimus, Molossi, huic populo veniisse suppetias. Erat præterea & regnandi percupidus, magni Alexandri æmulatione ductus, cui totius orientis imperium contigisse audierat; hac sibi occasione a fortuna præstita, totam saltem Italiam occupare sperabat; nolui tautem (ut dictum est) Apolline inconsulto arma capere, sed per hanc Apollo suam ambiguam consuetudinem perurbanè respondit, ut è duobus quidquid accidisset ipse divinus, non modo verax haberetur; ait enim, ut ex Ennii fragmentis colligitur;

Aio te Æacida Romanos vincere posse,

Atque ita sive Pyrrhus a Romanis, sive Romani a Pyrrho vincerentur, securus fatidicus, utrumlibet spectaret eventum: sed verissimum illud credi potest, quod ab eodem Ennio traditur.

. . . stolidum genus Æacidarum
Bellipotentes magis quam sapienti potentes.

Nam dicto Apollinis per obscuro in voluntatem tracto, Pyrrhus pro Tarentinis stare adversus Romanos omnino decernit.

Cyneæ ad Pyrrhum sermo de abstinendo ad Italiam adventu, belloque ibi gerendo.

CAP. VII.

ERat his temporibus in Thessalia Cyneas, vir magni ingenii, quique cum Demosthenis fuisset auditor in ejus imitationem se tradens maxime vim dicendi illius assequi videbatur. Hic apud Pyrrhum degens cum sæpe ad civitates transmitteretur, verum esse ostendit illud Euripidis dictum: *Omnia conficit oratio, vel quæ hostile etiam ferrum conficere non potest*; Et Pyrrhus ipse dicere solitus erat, plures a Cynea oratione, quam a se armis captas, partasque esse urbes, itaque ipsum semper in honore habuit maximo, ususque plurimum est illius opera. Hic igitur Cyneas Pyrrhum ad Italiam adeo inclinatum cernens, cum inveniset illum aliquando otiosum, fretusque quod alias eo fami-

Digitized by Google

familiariter esset usus, in hujusmodi sermonem adduxit: Egregii quidem bello Romani esse dicuntur, & multis bellicosis imperare gentibus, quod si eos superare nobis Dii concesserint, quid tunc agemus Pyrrhe? adhæc Pyrrhus: De re haudquaquam obscura (inquit) o Cynea percontaris, neque enim barbara nobis, neque Græca civitas illic resistere valeret, Romanis superatis, sed haberemus confestim Italiam totam, cujus magnitudinem & potentiam minime te ignorare arbitror. Parumper ergo commoratus Cyneas, enimvero cum Italiam cæperimus (inquit) quid tunc agemus? & Pyrrhus nondum mente ejus intellecta, proxima (inquit) est Sicilia insula fœlix, & populosa, capi verò facilis ob seditiones ac discordias civitatum, rectè dicis (inquit Cyneas) sed an finis militiæ ac laborum nobis erit Siciliam cepisse? Deus modo (inquit Pyrrhus) victoriam præstet, nam his veluti præludiis utemur ad res maximas conficiendas: quis enim se Libya abstineat, & Carthagine, quam nuper Agathocles clam ex Syracusis profectus exigua classe paulo absuit quin caperet? his autem victis nullus nobis resisteret hostis: ita est, inquit Cyneas, constat enim, quod & Macedoniam recuperare, & Græciæ dominari certissimè cum hac potentia licebit: Sed victis omnibus ac subactis, quid faciemus tandem? Et Pyrrhus ridens, otium (inquit) agemus, & quotidiana festivitate mutuisque sermonibus lætitiaque perfruemur. Cum ad hæc Cyneas Pyrrhum adduxisset: & quid vetat, o Rex (inquit) quo minus nunc ista lætitia & festivitate & otiò perfruamur? adest quippe nobis sine labore facultas eorum, ad quæ per sanguinem, molestias, & pericula nostra, & aliorum perventuri sumus; his Cyneas verbis turbavit potius Regem, quam ab incœpto retraxit, spem eorum quæ conceperat, deponere nequeuntem: uterque quidem parum honesta intulit, & Rex qui otium, non beneficentiam, & cultum justitiæ victoriæ fructum credidit, & Cyneas qui Regem in otio retinere satius duxit, quam ab injuria mortalibus inferendâ avertere: quamvis alias laudabilior videri possit Pyrrhus, qui tanquam continens ac prudens præsentem audebat molestiam & pœnam subire, ut postea diuturniore perfrui valeret voluptate. Interea Tarentini legationem iterarunt, adjectis Samnitum, & Lucanorum precibus, & Pyrrhus cum esset post ictum cum his populis fœdus, intentus ad bellum cum Romanis gerendum, excogitavit, primo jactis subliciis pontibus, intervallum Græciæ atque Italiæ ab Apollonia ad Hydruntum continuare: quam idem post eum M. Varro, cum classibus Pompeii piratico bello præesset, tentavit: sed cum aliis Pyrrhus & fortasse majorib. præmeretur curis, cumque Tarentini festinandum esse monerent, propterea quod Romanus exercitus cum Æmilio Cos. in universos igni feroque irrueret fines, nullo sibi obviam eunte, sed totus omnia ad libidinem vastaret, plurima expugnaret oppida: injuriam insolenter acceptam insolentius & crudelius vindicaret, ad expeditionem a tam memorabili aversus opera se accingit: atque Cyneam ipsum Oratorem paucis interjectis diebus cum tribus millibus militum Tarentum misit, ab Antigono naves ad exercitum deportandum mutuo petit: multæ etiam rates, & omnis generis navigia ex Tarento ad hoc idem faciendum delata sunt, ab Antiocho pecuniam petiit, quia opibus, quam militibus instructior erat: a Ptolemæo Macedonum militum auxilia: sed Ptolemæus, cui nulla dilationis ex infirmitate virium esset venia, quinque millia peditum, equitum quatuor millia, Elephantos quinquaginta, qua ex parte virium bis (ut dicetur) Romani victi sunt, non amplius quam in biennii usum tradidit. De his paulo aliter scribit Plutarchus: nam Elephantes viginti numero dicit ratibus super imposuisse Pyrrhum, coramque aliquot cœpisse refert Pausanias in ea pugna, quam idem gesserat cum Demetrio, equitum præterea tria millia, peditum viginti millia & tria, sagittariorum duo millia, & funditores quingentos.

Pyrrhi naufragium in mari Jonio, quando Tarentum appulerit, & de caducatore ad Romanos misso.

CAP. VIII.

HOc apparatu Pyrrhus Epirotarum, Thessalorum, Macedonum, & incognitis in id tempus Elephantis, navigans, anno ab urbe condita (ut scribit Orosius) sexagesimo quarto supra quadringentesimum, relicto Ptolemæo filio, ut Epirotarum præesset regno decimum quintum annum agente, cum medium teneret Jonium, rapitur vento Borea intempestivè exorto, classis per mare dissecta, navesque dispersæ aliæ in Libycum, ac Siculum pelagus sunt delatæ, alias in summam Japygiam, cum superare nequirent, nox simul & procella in loca aspera, cæcaque illidens omnes confregit præter regiam. Erat autem septiremis, quæ post mortem Pyrrhi fuit Annibalis Carthaginensium Ducis, & eam amisit in navali prælio, quod gessit cum Romanis in Sicilia, & in scapham prosiliens fuga saluti suæ consuluit. Hæc igitur nautarum & gubernatorum magna vi adversus venti impetum nitentium, tandem littus versum adigitur, & dum obliquum habuit ventum, magnitudine ac robore resistebat, evadebatque, sed postquam à terra veniens procella ferire proram cœpit, ac ne fatisceret, magnum erat periculum, & se mari sævienti variisque agitato ventis permittere terribilissimum omnium videbatur, Pyrrhus sese ex navi in mare deiecit, statimque circa ipsum familiarium amicorumque pro eius salute fuit certamen: sed nox, & fluctus cum magno fragore, ac violentia opus difficile auxiliantibus faciebant, Itaque vix tandem luce exorta vento deficiente ad terram pervenit, corpore, quidem penitus exhausto, at robore animi invicto, Messapii in quorum litora evaserat, promptissimè ad opem ferendam convenerunt, & simul naves quædam ex tempestate superstites advenere, in quibus erant equites perpauci, peditum verò circiter duo millia, elephanti duo, Paucis post diebus cum his

his copiis profectus, & militibus à Cynea obviam adductis, Tarentum expectatus intravit, quo tanto apparatu Tarentini non minus admirati sunt, quam gavisi sunt, imprimis propter Elephantos, qui nusquam in Italia ante hac fuerant conspecti. Primo quoque tempore nihil invitis Tarentinis agere cœpit, quoad navibus ex mari servata copia convenere. Sed cum animadverteret populum sua sponte non servare seipsum, nec servari ab alio posse, sed tanquam illo propugnaturo domi sedere balneis conviviisq; indulgentem, clausit gymnasia, & deambulatoria omnia, in quibus spatiantes pro rebus verbis militabant: potus vero, & lascivias intempestivas inhibuit. Delectum habuit ita acrem, ut multi imperium ferre insueti, ex urbe migrarent, servitutem vocantes non vivere ad voluptates. Decius Magius superbam appellavit Pyrrhi dominationem, & miseram Tarentinorum servitutem: hic enim unus fuit qui restiterat, ne huiusmodi præsidium in Urbem acciperetur. De Pyrrhi adventu scribit Pausanias in Atticis, legisse se in libris non sane illustrium auctorum Pyrrhi cum alacritatem, quam in præliis præ se tulit, tum providentiam qua se ad futuras dimicationes comparavit. In Italiam classe transmisit, cumq; iam appulisset, non prius adesse eum Romani animadvertere, quam commissa cum Tarentinis pugna, se ille cum exercitu inopinato ostendit, factoque repente impetu, hostium (ut par fuit) agmen turbavit. Videndus etiam est Polybius in primi libri fragmentis, quid fecerint Rhegini Tharentinorum, ut diximus, amicissimi, audito Pyrrhi in Italiam adventu. invenies enim eos Romanorum opem, ac præsidium postulasse, & à militibus eò per Romanos, missis fuisse urbe sua depulsos, aliasque huiusmodi calamitates perpessos, tandem & urbem & agros recepisse. Sed iam historiæ seriem prosequamur. Albinus Romanus consul magno iam apparatu adventare, & Lucaniam omnem acriter vastare nunciabatur. Albinus in Plutarcho solo legitur, Eutropius, Lucius Florus, Plinius, Sabellicus, Orosius, Sigonius, Livium secuti, P. Valerium Levinum Cons. tradunt à Romanis ad hanc expeditionem tunc missum: quin & ante hunc Levinum adversus Tarentinos ab aliis compluribus ducibus benè pugnatum legitur, recensetur in his L. Aemilius Barbula, cum Q. Marcio Philippo in Capitolinis triumphis. Hoc audito nuncio Pyrrhus, quamquam non advenissent sociorum copiæ omnes, indignum tamen ratus tolerare, hoc cum exercitu obviam proficiscitur, verum præmisso non multis millibus passuum caduceatore ad Romanos si vellent ante bellum, se iudice, & mediatore cum Tarentinis de jure causam decerni: responso autem à Cons. dato, Romanos, nec elegisse Pyrrhum judicem, nec hostem formidare, tunc progressus inter Pandusiam urbem Heracleamq; castra posuit. Cumq; audiret Romanos trans flumen Sygin castra habere, non longè ab ipsa Heraclea secus amnem ipsum speculandi gratia obequitavit, ordinemque & formam castrorum, custodias, & disciplinam admiratus Romanorum, *hæc* (inquit) *barbarorum disciplina barbara non est, sed opera eorum videbimus*. Eutropius & eum secutus Blondus sentiunt non ipsum Pyrrhum explorasse, sed alios à se missos, qui capti à consule Levino per castra ducti sunt, cumque vidissent omnem exercitum, dimissi sunt, jussi ut quæcumque geri à Romanis vidissent, Pyrrho renunciarent. Explorato igitur, ut cumque fuerit, perlustratoque exercitu, ipse de futuro sollicitus expectare socios, quos ex naufragio perdiderat, statuit: adversus autem Romanos si fortè amnem Syrim transire tentent, stationem opposuit, at Romani, ut ille expectare decreverat, sic ipsi prævenire festinantes, transnare cœperunt flumen, haud uno tamen vado pedites equitesque, sed pluribus simul locis: itaque metuentes Græci ne circumvenirentur, se retraxerunt. Et Pyrrhus ut hæc sensit, turbatus pedestrum copiarum ducibus mandavit, ut confestim armatos milites in ordinibus continerent, ipse autem cum tribus millibus equitum profectus est, sperans transeuntes adhuc & sparsos sine ordine Romanos invasurum, accessuq; suo in ripa adhuc tumultuantes conturbaturum: at ubi clypeos multos pro flumine stantes, equi telq; in ordine obviam prodire conspexit, primus omnium in hostes medios delatus, armis atque ornatu egregiè insignis, gloriam, ac famam virtutis suæ rebus ipsis asseruit. Manus enim & corpus exhibens prælio, & contra hostes fortiter pugnans, providentiam tamen boni ducis non omittebat, sed ubicunq; auxilio opus erat accurrens, rectis consiliis bellum gubernabat. In ea pugna Leonatus Macedo virum Italicum, conspicatus intentum, semperq; contra stantem, & simul se moventem, cernis (inquit) ò Rex barbarum illum, quem niger equus pedibus albis portat? Is magnum quoddam agitare in animo videtur, nam te solum intuetur, & tibi soli intendit: & Pyrrhus ad hæc: fata quidem, ò Leonate, nemo potest effugere, verum enim vero nec iste, nec alius quisquam hostium in manus nostras venisse gaudebit, adhuc loquebantur, cum Italus citato equo infesta hasta Pyrrhum invadit: non tamen Regem percussit, sed equum, & simul à Leonato ipsius equus percutitur, ambo in terram ceciderunt, sed Rex à suis protectus asportatur, in aliumq; recentem equum cum subito conscendisset, ad pugnam est reversus. Italus verò pugnans sua virtute infelix confoditur. Erat hic genere Ferentanus, Præfectus turmæ nomine Eplacus. Hoc periculum admonuit Regem magis cavere.

De errore ex armis Regis concepto: de Romano exercitu fugato: de numero occisorum: & de Pyrrhi animo ob victoriam elato.

CAP. IX.

POst hæc Pyrrhus nihilo ad pugnam segnior, cum equites animadverteret impetum ferre non posse, phalangem insuper accitam opposuit. Ipse chlamyde & armis uni ex amicis Megadi traditis atque illius assumptis, incognitus ad prælium revertitur. Resistentibus autem acriter Romanis, diu anceps fuit prælium, septies enim dicuntur pepulisse, ac pulsi esse utrinque omnibus morti intentis, & fugæ nescius, nam permutatio armorum quæ ad salutem Regi plurimum contulit, paulominus rem subvertit, victoriamque hostibus præbuit. Certatim enim ad cædem eius, qui arma Regia gestabat, concursum est. Sed ante omnes Dester quidam nomine illum prostravit, chlamydeq; & casside detracta se Pyrrhum occidisse clamitans, & spolia ostentans ad Consulem properavit. Erat ob hoc Romanis lætitia, Græcis verò secordia atque formido, itaut parum abfuerit quin in fugam se converterint: donec Pyrrhus intellecta re per aciem discurrens nudo capite se militibus ostendit, Decreverat inde iam aufugere; tanto hostium impetui non resistere posse, animadvertens, cum equis Romanorum ob Elephantes conterritis, ac sessores inde auferentibus, ac plurimo excutientibus, immissus à Pyrrho equitatus, Romanos qui semper vincere consueverant, non absq; Epirotarum, & Tarentinorum sanguine, & Consulem in primis in fugam convertit: cum præsertim nox quæ iam aderat, prælio finem dari suaderet. Orosius non beneficio noctis tantum pugnæ finem impositum tradit: verum etiam quia Minutius quartæ legionis primus hastatus protertam in se manum belluæ gladio desecuit, & conturbatam dolore vulneris, averti bello, atque in suos sævire compulit, eiusque immoderato discursu perturbari, ac permisceri cœperunt. Huius Minutii Lucius Florus adhuc meminit: sed accidisse hoc scribit non in primo, sed in secundo post ad Asculum prælio, quando belluarum terror iam exoleverat. Hac autem victoria adeptus est Pyrrhus plus gloriæ quam lætitiæ, sed plurimum proventus: nam multæ civitates defecerunt à populo Romano ad ipsum, & imprimis Locrenses, qui occiderunt omnes Romanos milites, qui in Urbis præsidio erant. Quot autem in utroq; exercitu fuerint militum millia desiderata certa ratio non est. Dionysius non multo pauciores quindecim millibus ex Romanis cecidisse scribit. Hieronymus autem tantum septem millia, ac mille & octingenti capti in hostium potestatem venere, quos Pyrrhus postea liberaliter dimisit. Ex his autem, qui cum Pyrrho erant, Dionysius tredecim millia: Hieronymus pauciores quatuor millibus cecidisse tradit, optimos quidem ex amicis, & Ducibus, & quibus maximè utebatur, fidebatq; Pyrrhus eo prælio amissos. Orosius aliter videtur sentire, Romanorumq; ostendit relatum cecidisse peditum quatuordecim millia octingentos octoginta, captos mille trecentos, ac decem: equites autem cæsos ducentos quadraginta duos, & captos duos, & octingentos, signa amissa duodecim. At quantus numerus è diverso sociorum Pyrrhi fuerit extinctus, memoriæ traditum non esse dicit, maximè quia scriptorum veterum mos est ex ea parte, quæ vicerit, occisorum non commemorare numerum, ne victoriæ gloriam maculent damna victoris: nisi fortè quum adeo pauci cadunt, ut admirationem, terroremque virtutis augeat paucitas perditorum, sicut in prima Persici belli congressione apud Alexandrum magnum fuit, cui inter quadringenta ferè millia hostium interfecta, novem tantum modo in exercitu eius pedites defuisse referuntur. Pyrrhus finita pugna cum Romanos adversis vulneribus occisos, trucique vultu mortuos tacere videret, sublatis ad cœlum manibus: quàm facile (inquit) erat orbis imperium occupare, aut mihi Romanis militibus, aut me rege Romanis. Amicis præterea gratulantibus: quid mihi respondit, cum tali victoria, ubi exercitus robur amittam? quia cladis atrocitatem hoc in bello excepta Diis suis, hominibusq; testatus est, affigens titulum in templo Tarentini Jovis, in quo hæc scripsit:

Qui ante hac invicti fuere viri, pater optime Olympi,
Hos ego in pugna vici, victusq; sum ab iisdem.

Et cum à sociis increparetur, cur se victum diceret qui vicisset? respondit: ne ego si iterum eodem modo vicero, sine ullo milite Epirum revertar.

De eo quod Pyrrhus fecerit fugatis Romanis: illorum exercitus augetur: legatio Cyneæ: auctoritas Appii Cæci.

CAP. X.

POstridie Pyrrhus castra cœpit Romanorum, quæ noctu fuerant, Cos. fugato, deserta: spolia etiam ex cæso collegit hoste: urbes sociorum aggressus, ac regionem multam, totamque trementem Italiam, Campaniam, Lirim, Fregellasque populatus eò processit, ut trecentis non amplius stadiis Roma cum exercitu abesset. Eutropius memoriæ tradidit ad Praneste, post Campaniam devastatam, venisse decimo octavo ab urbe lapide: cuius trepidæ oculos fumo, ac pulvere implevit. Interea Lucanorum, Brutiorum, Samnitum copiæ, ut in legatione acceperat, ad eum venere, quos licet de tarditate reprehenderit, tamen gaudere & magnificare videbatur, quod ipse cum suis, & Tarentinorum duntaxat copiis magnum Romanorum exercitum superasset. Possem ipse sentire, quod non venissent, nisi de subita victoria cognovissent: invidebant siquidem omnes populi Romani iam tum præclaro no-

Digitized by Google

nomini, stemmata antiqua vires paulisper habebant. Romani Levinum Cos. non revocarunt, quamquam dicatur, Fabritium dixisse, non Romanos ab Epiratis, & Tarentinis, sed Levinum à Pyrrho superatum: arbitratus ob hoc non victum exercitum, sed ducem à duce superatum. Hæc antequam fierent, scribit Orosius, miserabilem belli cladem gravioribus monitis auctam accumulatamqi, præsensisse Romanos: nam pabulatores forte progressos, velut hostilis quædam oborta tempestas cum horribili fragore cœli correptos, diris fulminibus excussit, quippe triginta quatuor eorum idem turbo prostravit, duodecim femineos sexus elicti, jumenta examinata, & capta quam plurima: ut meritò contigisse non signum vastationis futuræ, sed vastatio ipsa referatur. Scribit Suidas Grammaticus, Romanos in hoc bello cum pecunia indigerent, Iunoni pro pecunia comparanda vota fecisse: illa eos admonuit, ut justitiæ armis uterentur, ita enim pecuniam eis nunquam defuturam: facti deinde voti compotes, Monetam Iunonem adorarunt, atque in eius rei memoriam numisma moneta inscriptum in templo Junonis asservandum, dedicarunt. Supplemento exinde habito, insuper amplificato militum numero, nulla mentio pacis, id quod Pyrrhus expectabat, a Romanis facta est, hæc res Pyrrhum in admirationem convertit, visumque est, ut prior ipse ad eos mitteret, & experiretur, an pacem vellent. Etenim existimabat non esse præsentis potentiæ suæ, urbem Romam capere posse: rursus post partam victoriam, amicitiam, & pacem fore sibi perglorioſam. Missus itaque Cyneas a Rege legatus cum primoribus civitatis locutus est. Traditur etiam postquam venerat Romam die senatum introisse, atque ibi antequam initium inchoaret orationis, omnes ordines propriis salutasse nominibus. Erat quidem hujus viri admirabilis memoria, ut Hippiæ, Senecæ, Cyri, Simonidis, & aliorum circumfertur: dona etiam Pyrrhus per Cyneam ipsis Principibus, neque non illorum uxoribus, transmittenda curavit, quippe qui cupiebat, ut qui suam cognoverant in re militari virtutem, cognoscerent & liberalitatem: nemo autem accipere dignatus est, sed responderunt viri, si pax publicè fieret, se & sua omnia Regi offerre. Scribit etiam Ælianus mulieres respondisse, præclara quidem esse dona, & digna eo qui misisset; sed gestare illa sibi esse nefas. In senatu multa præclara, & humaniter dicta sunt a Cynea, cum & liberationem captivorum, & auxilium ad subigendam Italiam populo Romano Pyrrhus offerret, ac pro his nihil aliud, quam amicitiam sibi, Tarentinis securitatem postularet. Et constabat senatores ad pacem inclinari, victoriam semel magno prælio, & secundam Pyrrhi victoriam ob superadditas Italorum copias metuentes: cum Appius Claudius vir nobilitimus quidem, cæterum senectute, & orbitate oculorum post Censuræ functionem a Reip. muneribus cessans, auditis iis, quæ a Rege annunciabantur, ac rumore obtinente, senatum pacem esse decreturum; tolerare non potuit, sed in curiam se deferri jussit. Lectus igitur in lectica per forum, ubi ad januam curiæ pervenit, filii simul & gener suscipientes ipsum, stipantesque in Senatum duxerunt: factum est silentium ad præsentiam tanti viri: ille autem ubi suo constitit loco, ita dicere est exorsus: *Antea quidem patres conscripti, hanc meam vestrorum fortunam permoleste ferebam; nunc autem doleo, atque angor, quod non ultra cæcitatem ipsam surdus etiam sim, ne turpes consultationes ac sententias vestras, quæ hujus urbis gloriam subvertunt, audire compellerer: ubi est enim illa jactantia, quam crebro verbis usurpare soletis, affirmantes, si magnus Alexander in Italiam profectus nobiscum adolescentibus, aut cum patribus nostris tum florentibus conseruisset bellum, nequaquam eum nunc ut invictum gloriam habiturum, sed aut fuga, aut morte sua majorem huic urbi gloriam, nomenque relicturum fuisse? Hanc igitur insolentiam verborum nunc rebus ostendite. Chaones & Molossos, qui semper Macedonum præda fuere, & Pyrrhum Regem eorum formidatis, unum ex Alexandri satellitibus, quem semper secutus est, ac coluit, & nunc non magis Tarentinis auxilium ferens, quam hostes domi fugiens in Italia versatur, ausus profiteri principatum in Italia cum hac potentia, quæ ad parvam Macedoniæ partem conservandam sufficere non valuit. Non itaque hunc removebitis, si amicum feceritis, sed alios invitabitis per contemptum nostri, quasi superare nos facile sit, si Pyrrhus abibit, ne dum pœna non data eorum, quæ contra nos fecit, verum etiam mercede accepta fœderis, eo auctore cum Tarentinis Samnitibusque recipiendi.* Hæc Claudii verba ad studium belli omnes, consilio immutato, traduxere, quod bene exponere videtur Ovidius in fastis:

Appius est auctor, Pyrrho qui pace negata
Multum animo vidit, lumine captus erat.

Cujus orationem Cicero appellat volubilem, sed paulò fervidiorem: quem eundem dicit in tanto cæcitatis casu, neque privato, neque publico muneri defuisse, & Ennius ut totam historiam, ita hanc Appii orationem, fuit versibus complexus.

Quo vobis acies mentis, qua stare solebat
Ante hac, dementi tendit se flectere paci?

Cum igitur omnes in hujus senis pedibus issent sententiam, Cynea dimisso respondebat: Pyrrhus Italia excedat, tunc si volet de amicitia, ac societate verba faciat: quoad verò esset in armis, populum Romanum adversus eum belligeraturum, etiam si mille Valerios Levinos pugna superasset. Dicitur Cyneas interea dum hæc in senatu agerentur, cognoscendi cupiditate, moribus, ac institutis Romanis studium impertisse, atque ea de re cum optimis viris locutum Pyrrho postea retuliſſe cum alia multa, tum Senatum Romanum multorum Regum si hi congressum videri: talesque illic omnes ferè senatores, qualis unus ipse Pyrrhus apud Epirum, & reliquam Græciam putaretur) de

Digitized by Google

multitudine populi formidare se subjicions, ne adversum quandam hereditam Hydram pugnare videantur: supra duplum enim plures quam antea pugnassent Consuli decretos, & multiplices etiam ex eis qui armi ferre possent, superesse.

De Romanorum legatione; & Cali Fabritii virtute: quomodo Pyrrhum commonefecerint: & de mutuis donis.

CAP. XI.

PErsuasit Marcus Junius Romanis, cum in Senatu essent, ut ad Pyrrhum in Heraclea cum exercitu commorantem, legati pro redimendis captivis mitterentur: quibus missis & auditis, respondit Rex testatus Deos, se cum Romanis de gloria & imperio non mangonum more negotiari, propterea pretium non accepit: hanc quidem præclaram sententiam Regisque integritatem ita expressit in Annalibus Ennius;

Nec mi aurum posco, nec mi pretium dederitis,
Nec cum ponentes bellum, sed bellipotentes,
Ferro, non auro vitam certamus utrique,
Vos ne velit, an me regnare hera, quidve ferat sors
Virtute experiamur, & hoc simul accipe dictum:
Quorum virtuti belli fortuna pepercit,
Eorundem me libertati parcere certum est.
Donum ducite doque volentibus cum magnis Diis.

Inter legatos autem Cajus Fabricius fuit, qui cum audisset Romanos à Pyrrho victos ad Labienum conversus, *Pyrrhus* (inquit) *non Epirotæ, neque Tarentini vicerunt*. Hujus a legatione reversus Cyneas retulerat, maximam apud Romanos mentionem haberi, ut viri boni quidem, atque bello egregii, cæterum vehementer pauperis. Huic Rex seorsum blanditus, ut pecuniam a se caperet, suadebat, non ob aliquam turpem causam, quam proposuisset, sed ob amicitiæ, & hospitalitatis signum: quamvis non desint, qui tradant, quartam regni sui partem promisisse, ut a Romanis deficeret, & ad se transiret: renuente autem Fabricio, tunc quidem plura dicere, ac tentare destitit. Postridie vero volens illum terrere, utpote qui nunquam antea elephanthum vidisset, jussit dum simul loquerentur, maximum elephantum post aulæam juxta se constitui, ac deinde subito aulea sublata elephas ex improviso conspectus, proboscidem super caput Fabricii extulit ac vocem terribilem alperamque emisit: at Fabricius tranquillo conversus, leniterque arridens inquit: *Nec heri aurum, nec me hodie bestia permovit*. In cœna autem apud Regem acta cum multi, ac varii sermones inciderent plerique verò de Græcia, ac de philosophia, fortè evenit, ut Cyneas Epicuri mentionem faceret, memorans ea quæ ab Epicureis dicuntur, de Diis immortalibus, ac de Rep: ut nonnulli finem bonorum in voluptate ponentes, curam Reip. fugiendam senserint. utpote fælicitatis corruptionem: Deos autem a gratia, atque ira longissimè remotos, nec ullam de nobis curam suscipientes, in A otio vitam, & plenam voluptate conjectare etiam ipso dicente, Fabricius exclamat, *hæc utinam* (inquit) *hæc Pyrrho, & Samnitibus cordi sint, quam diu adversus nos bellum gerunt*. His & aliis rationibus mentem viri Rex admiratus magis, ac magis optabat pacem quam bellum cum Romanis habere, & Fabricium privatim rogavit, ut facta pace una secum esse vellet, primus amicorum & ducum suorum futurus, ad hæc Fabricius submissa voce fertur respondisse: *ut ne hoc quidem tibi Rex conducit: illi enim ipsi qui te nunc admirantur & colunt, se mihi experiuntur; a me potius quam a te regi optabunt*. Pyrrhus non cruentus, neque superbè Fabricii verba suscepit: sed quanta magnitudine animi ille foret, ad amicos protulit, & captivos illi credidit soli, ut is noctem decerneret pacem senatus, postquam cum parentibus, ac domesticis Saturnalia peregissent, ad eum remitterentur, atque ita factum est. & post fælicitatem adversus non redeuntes C pœna mortis per senatum decreta. Scribit etiam Eutropius senatum jussisse, ut omnes captivi quos reddiderat Pyrrhus, haberentur infames, quod armati capi potuissent, nec ante eos ad veterem statum recturos, quam sibi notorum hostium occisorum spolia reportent. Cajus Fabricius legatus paulo post, & Q. Æmilius Coss. interjecto anno facti, cum in castris essent, jamjam cum hoste congressuri, medicus Pyrrhi nocte ad Fabricium venit, promittens venenose Pyrrhum necaturum, si sibi aliquid pollicitarentur. Hunc D Fabricius vinctum reduci ad Dominum jussit, Pyrrhoque dici, quæ contra caput ejus medicus spopondisset. Tunc Rex admiratus dixisse fertur, ille est Fabricius, qui difficilius ab honestate, quam sola suo cursu converti posset. Demochari huic medico nomen fuisse tradunt, addentes non illum venisse, sed literas ad consules dedisse. Valerius Antias furtim eum venisse scribit, remque ad patres a consule delatam, atque publicè legatos ex urbe ad Regem missos, qui eum R commonerent, ut ab insidiis suorum sibi caveret, nulla Democharis interim mentione tum ad regem facta. Claudius Quadrigarius, non Democharem, sed Nicæam id pollicitum, prodidit, neque legatos a senatu missos, sed literas a Coss. ad Pyrrhum datas, quia Fabricius collegam Æmylium adduxerat, ut hoc agerent, detestati injuriam servi medici: extat literarum exemplar juxta Quadrigarium apud A. Gellium. *Coss. Romani* F *salutem dicunt Pyrrho Regi. Nos pro tuis injuriis animo strenuè statim commoti inimicitèr tecum bellare studemus: sed commenti exempli, & fidei ergo visum est, uti te salvum velimus, ut esset quem armis vincere possimus. Ad nos venit Nicæas familiaris tuus, qui sibi pretium a nobis peteret, si te clam interfeciſſet, id nos negavimus velle, ne ob eam rem quicquam commodi expectaret; & simul visum est, ut te certiorem faceremus, ne quid ejusmodi si accidisset, nostro consilio civitatis putarent factum, & quod nobis non placet precio, aut præmio, aut dolis pugnare, tu nisi caveas, jacebis*. Plutarchus aut breviore exemplo literas nonnihil ab his di-

verso

versa de tua mente [illegible] Fabricius, & Æmilius Cos. Pyrrho Regi salutem. Neque amicorum, neque hostium fortunatus existimatus esse videris, cum hanc epistolam ad nos missam legeris, tum facis agnoscas te bonis quidem & pijs viris bellum inferre, in malitia vero & injustis confidere. Hæc autem non tui gratia tibi significamus, sed ne mors tua cuiquam offerat, quasi virtute nequiverimus, nisi dolo superare contenderimus. Pyrrhus his literis lectis, medicum sceleris convictum (facilè enim id facere poterat, quoniam filii sui pocula in convivio Regi ministrarent) omnem supplicio affecit, ac laqueo suspendi jussit: captivosque sine pretio, ut beneficii susceptæ id honamentum esset, populo Romano restituit, tursusque Cyneam misit pro pace firmanda. At Romani nec gratiam ab hoste, nec mercedem accipere volentes parem Tarentinorum, atque Samnitum captivorum numerum Pyrrho remiserunt: neque enim insidias Pyrrhi gratia indicasse, sed ne viderentur Romani, ut dictum est, dolo vincere, perinde atque si apertè haud possent. De amicitia verò, & pace nihil agi denuò permiserunt, priusquam Rex ipse cum suis, atque exercitu, eumque his, quas secum ex Græcia duxerat naves, ex Italia navigasset.

Secunda Pyrrhi, & Romanorum pugna apud Asculum: accersitur Pyrrhus a Siculis ut Carthaginenses effugaret: Tarentum tandem remeat.

CAP. XII.

ANnus secundæ hujus pugnæ inter Pyrrhum, & Romanos fuit juxta Eutropii tempora quadringentesimus ab Urbe condita, ac septuagesimus quartus, quo fuisse constat Coss. P. Sulpitium, & Decium Murem, sed in Chronologia Livianæ historiæ, Carolus Sigonius asserit, hoc anno fuisse Coss. iterum C. Fabricium, & Q. Æmilium, anno autem superiore prædictos Sulpitium, & Decium, quod si ita est, priorem dicemus fuisse pugnam in qua Orosius Fabricium legatum vulnere ictum exponit, & exinde Medicum Fabricio Cos. pollicitum Regi se venenum daturum. Miror etiam in epitomis Livianis nusquam legi nomen Sulpitii, & Decii. Apud Glareanum in anno prædicto 474. Coss. ponunt P. Sulpitius Averrio. P. Decius Pyrrhicus, in sequenti C. Fabricius, Fuscinus iterum; Q. Aemilius Papula iterum, priore anno fuit habita oratio contra Pyrrhum ab Appio Cæco, sequenti verò gestum fuit prælium, quo de agimus: sed hæc alii viderint, sequar ipse quod plures scribunt, ratus minus esse errare cum multis, faciliusque veniam mereri. Pacem igitur hac ratione Romanis abnegantibus, Rex bellum exequitur cum Pu. Sulpitio, & Decio Coss. apud Asculum in Apulia, ut sentire videntur Plutarchus, & Lucius Florus: hæc urbs ducali nostris temporibus dignitate insignitur, cujus meminere non pauci scriptores: Appianus in primo, L. Florus in bello Tarentino, Strabo in Geographia recentiores Aesculum Picenti appellari; quia & Pelignorum est Asculum. Locum autem hunc refert idem esse munitione prævalidum, cui & muri, & circumstantes montes supereminent. Plura de hoc oppido leges in Blondi Italia. Dicebatur ab antiquis Satrianum Asculum, & Plinius appellat nobilissimam Picenti Coloniam in ea pugna, quæ ad hanc Urbem capta est fieri, compulsus Rex ad loca aspera, & flumen ortive multoque limo abundans, cum Elephanti impetum nullo modo sustinere possent, multis vulneribus ac magna suorum cæde usque ad noctem dimicavit, nox prælium diremit. Postridie vero sive, ut alii, triduo post æquioribus structa acie locis, & asperioribus saltibus præsidiis occupatis, missisque inter Elephantos jaculatoribus, ac sagittariis, denso agmine Romanos invasit: addit Julius Frontinus juxta Homericum versum, quo pessimi in medium reciperentur, ita Pyrrhum milites disposuisse, dextro scilicet cornu cum Samnitibus Epirotas, sinistro Brutios, atque Lucanos, at in media acie eos collocavit omnes, qui inviti pugnabant, equitatum & Elephantos in subsidiis esse mandavit: contra verò Cos. optimè suis in cornua divisis equitibus, legiones in prima acie, & in subsidiis collocarunt, & his immiscuerunt auxilia, [illegible] neque a loco, ut pridie, adjuti æqua planicie contra frontem venientes, cum priusquam adessent Elephanti, pedites profligare properarent, graviter adversus sarissas cum gladiis pugnabant, nulli labori parcentes: vulnerando ac cædendo hosti intenti, nullam prorsus rationem habebant, tandem post longum tempus dicitur fuga Romanorum militum ex ea parte, qua Rex præmebat hostes fieri cæpta, sed plurimum Elephanti suo robore, atque audacia perfecerunt, cum non possent Romani solita virtute uti, sed quasi violentia cujusdam supervenientis fluctus, aut terræmotus in fugam compulli, fuga verò non longa, sed in castra fuit. Addit ad hæc Paulus Orosius, Elephantos congestis in belluas pilis, vibratisque in turres facibus, in ea pugna vulneratos, atque in fugam conversos: deinde subjectis inter posteriora ac mollia ignibus exagitatos, exitio etiam suis fuisse, cæsa idem Orosius vult in ea pugna fuisse quinque millia Romanorum, de exercitu vero Pyrrhi viginti millia prostrata, sive dimidia pars exercitus amissa, ut scribit Julius Frontinus: Regis insignia ablata tria & quinquaginta, Romanorum undecim amissa, sed hæc res varie traditur: nam præter ea, quæ dicta sunt, Hieronymus, cujus testimonio, & auctoritate ut plurimum utitur Plutarchus, sex Romanorum millia eo prælio cecidisse tradit, a Pyrrho autem, in Regiis commentariis relatum esse dicit, tria millia & quingentos quinque fuisse desideratos. Dionysius tamen nec duas ad Asculum pugnas, nec superatos refert Romanos, ac semel duntaxat usque ad solis occasum pugnatum, vix tandem prælium diremptum vulnere, cum Pyrrhus hasta brachium transfixus, sive humero saucius a satellitibus in armis suis fugientium postremus referretur, & impedimenta Samnites diriperent: dicitur Pyrrhus in re-

censendo

censendo numero militum suorum, dixisse, si alia item pugna Romanos ita vicerimus, omnino periemus : maxima enim militum pars, quos secum advexerat cum amicis ducibusque ferè omnibus interierant, & præterea nulli erant, quos denuo vocaret. Romanis verò quasi ex fonte quodam abundantissimo tam celeriter castra replebantur, ut ne superati quidem remittebant animum, sed magis ad prælium incendebantur. His peractis, in Siciliam Agrigentinorum, Syracusanorum, & Leontinorum legatio Pyrrhum avocavit, nam cum Carthaginenses classe in Siciliam invasissent post Agathoclis Tyranni obitum, cujus erat Pyrrhus ipse gener, & ex cujus filia Helenum, & Alexandrum susceperat, omnes ferè Græci nominis urbes ad vastitatem redegerant, sub idem tempus ad eum ex Græcia legati venere, qui nunciata Ptolemæi Cerauni a Gallis cum exercitu trucidatione immanissima, a Seleuco regnum Macedoniæ ademptum, pro ipsis Macedonibus auxilia magnis ab eo precibus implorabant : dum Rex quæreretur duabus his legationibus adversus fortunam, quam plurium ac magnarum rerum occasiones in unum idemque tempus concessisset, cum duobus simul officiis fungi nequiret, consultò ad Siciliam, utpote materiam rerum grandiorem propter propinquitatem Libyæ afferentem, conversus est, statimque Cyneam Thessalum misit, civitatibus, uti consueverat, suo nomine præfaturum, sed ut non prius ad Tarentinos venit, quam reliquisset custodem sui regni Ptolemæum filium quindecim annos natum, ita noluit in Siciliam prius navigare, quam præsidium, cui Helenum alterum filium præfecit, apud Tarentinos reliquisset, Alexandro, quem tertio susceperat, in longinquæ expeditionis solatia asportato, cui postmodum Locrorum curam dedit, quæ urbs cum multis aliis regionis illius primò in prima se dederat pugna, at Tarentini, & si cæteras civitates valido firmasset præsidio, graviter id ferebant, postulabantque, ut adversus Romanos bellum gereret cum una, qua de causa venerat, aut qualem acceperat urbem, talem relinqueret : sed nullo ad eos benigno responso facto, Tarento decessit, jubens ut quiescerent, & tempus expectarent. Congressus in Sicilia cum Carthaginensibus victoriam primò summo cum honore assecutis, illorum potentiam domuit, adductis secum Tarento peditum triginta millibus, equitibus verò quingentis supra duo millia cum viginti navibus. Ingressus Syracusas totius tunc insulæ caput, Theonis, & Sostrati Principum Syracusanorum suffragiis Rex Siciliæ sicut Epiri, est appellatus. Civitates, quæ fidem præstiterant Cyneæ facundia, illi statim se dedunt : cæteræ vel vi, vel ultro in deditionem quoq; sunt receptæ, Erycem postea & natura, & magis Pœnorum præsidiis firmatam urbem cum ingenti exercitu subita oppugnatione aggressus, ludos Herculi si ea potiretur, voluit. Inde scalis ad mœnia admotis, omnium primus muros conscendit, plures ex resistentibus in præceps deiecit, pleroſq; gladio transfixit, ipse illæsus terribili, ac atroci aspectu hostem præ formidine ab armis cessare cogens, urbem expugnat ; quam adeptus Herculi votum spectaculumq; ex omnis generis ludicris insigne celebravit. Sed in victoria quæ natura insolens & superba est, non eum se exhibuit, quem præstiterat. Qua de re his successibus, & rerum magnitudine elatus Heleno filio Agathoclis nepoti Siciliæ veluti avito, Alexandro verò Italiæ regno destinato, cum non benignè, sed imperiosè, ac superbè civitates premeret, contra consuetudinem sui initii, in quo egregiè mitis, ac placidus, nullique molestus fuerat, de populari Tyrannus factus, ingratitudinis, ac perfidiæ notam contraxit. Quin & Theorem virum Principem per quem non modo Syracusarum urbem, sed per plures etiam aliæ civitates adeptus fuerat, interfici jussit. Idem de Sostrato procul dubio facturus, nisi fuga salutem sibi ille redemisset : qua ratione adversus ipsum Siculorum odia exarserunt, ac statim aliæ civitates, quæ Pyrrho se ante hac dederant, Carthaginensibus contra quos classem instruxerat ingentem, aliæ se Mamertinis conjunxere. Cernens igitur defectiones, & conspirationes contra se initas Pyrrhus, & quæ Siciliam veluti navem vi agitatam ventorum, tenere nequiret, & non sine ignominia eam relinquere cogeretur, peropportunè ad dedecus celandum literis Samnitum, & Tarentinorum acceptis, quia vix resistere bello poterant, & ferè suis exclusi regionibus, auxilium rogabant, occasionem hinc arripiens abeundi ex Sicilia, quasi non metu nec rerum Sicularum desperatione, sed opulationis causa recessit, Tarentum velis remisq; adnavigans, fertur cum abiret classe, quam contra Libyam paraverat, Siciliam respexisse, atque ad amicos conversus dixisse, ò quantam, & qualem Carthaginensibus, & Romanis pro hac insula relinquimus palæstram, Barbaris in ipso recessu insultantibus, Carthaginensibus verò navali prælio in ipso portu lacessentibus, compluribus ex navibus suis, quæ ducentæ erant numero, amissis, in Italiam remeavit. Mamertini etiam è vestigio terrestri itinere absque Romano duce soli per se eum per Calabriam insecuti, eius agmen in locorum angustias coniecerunt, atque à tergo & à lateribus adorti, duobus eius Elephantis prostratis, plures circum eos milites occiderunt. Unus autem præ cæteris ferox barbarus procero corpore, & splendidis armis superba voce Regem in singulare certamen provocabat. At Pyrrhus ob hæc irritatus, iraque accensus, & fœdatus sanguine (nam grave acceperat vulnus in capite, cum maximo impetu in aciem irrueret) truciq; aspectu terribilis in pugnam rediit, & barbarum illum consecutus, ita caput percussit, ut vi ictus ex virtute gladii usque ad partes inferiores plaga descenderet, caderentq; hinc inde divisæ corporis partes. Hoc barbaros continuit ne amplius prosequerentur, quasi supra humanam vim Pyrrhum admiratos conterritosq; inde quod reliquum erat itineris securè profectus Locros ad filium se contulit Alexandrum, Crotone eversa, pecuniamque Proserpinæ per derisum raptam, cum diceret intempestivam religionem superstitionem esse, & opes cogere

Digitized by Google

te ſine labore prudentiam, advehere tenta-
vit, quam Pleminius legatus pauco poſt an-
norum numero interiecto, ſpoliaſſe traditur,
ſed ea naufragio relata eſt. Ad quod facinus
peſſimi, & ſceleratiſſimi quidam impiorum,
& nefariorum dogmatum Epicuri ſectatores,
Pyrrhi amiciſſimi illum moverunt, & eos
tradit Suidas fuiſſe Evegorum Theodori, &
Balacrum Nicandri, & Dinarchum Niceæ
filios. Tarentum inde pervenit peditum vi-
ginti, equitum tribus millibus ſecum addu-
ctis, ſtatimq; optimo quoque ex Tarentinis
delecto adverſus Romanos, quæ tunc in Sam-
nio caſtra habebant, contendit. Superati mul-
tis iam præliis Samnites ſpeque ſimul cum
rebus amiſsa, ſimulq; ob navigationem in
Siciliam adverſus Pyrrhum infenſi, minus
frequentes ad eum venerunt.

TERTIUM, ET ULTIMUM BELLUM

Inter Tarentinos, & Romanos per Pyrrhum, & eius ab Italia receſſu.

CAP. XIII.

SUpremam cum Pyrrho, & Romanis pu-
gnam omnes referunt Hiſtorici, quorum
Principes ſunt, Plutarchus, Livius, Juſti-
nus, Oroſius, Eutropius, Valerius Flaccus,
Cicero in Catone, & in oratione pro Muræ-
na, auctor libri de viris illuſtribus, & Va-
lerius Maximus: ac nos maiore ex parte
quod & fecimus hucuſque, Plutarchum in vi-
ta Pyrrhi ſequimur, aliis tamen non deſpe-
ctis. Quintum alii omnes tradunt, atque
ultimum fuiſſe annum, ex quo Pyrrhus ad
Italiam advenerat, quo cum Coſſ. Curio
Dentato congreſsus in Aruſinis campis victus
eſt, & in fugam converſus, ſed hiſtoriæ or-
dinem aggrediamur. Pyrrhus omnibus co-
piis, quæ octoginta millibus peditum, equi-
tum vero ſex millibus conſtabant, bifariam
diviſis, & partim in Lucaniam miſſis, ut
alterum Conſulem Lucium Cornelium Len-
tulum demorarentur, ipſe contra Marcum
Curium Dentatum quartò Conſulem apud
Beneventum caſtra habentem, exercitum du-
xit. Curius verò quòd & collegæ adventum
expectabat, & ſimul auguriis bellare certan-
tibus pugnam, ut poterat, detrectabat: è
diverſo feſtinans Pyrrhus, eum opprimere
priuſquam collega adveneret, fortiſſimiſque
militibus, & bellaciſſimis Elephantis dele-
ctis, noctu caſtra ex ſuperiore loco aggredi
contendit. Longam & ſylvis denſam viam
euntem lumina defecerunt, & in errorem
delapſus uſque ad matutinum tempus eſt:
Orta exinde die a Romanis conſpicitur de
montibus deſcendere. Primo itaque trepida-
tum eſt in caſtris, ſed tamen peractis ſacris,
neceſſitate cogente, Curius caſtra egreſſus
primos invadit, eoſq; in fugam vertens o-
mnes conterruit, ut etiam complures ibi
caderent, & multi Elephantes caperentur.
Hæc victoria Curium extulit, ut ad æquam
deſcenderet pugnam: prodiens itaque in a-
pertum, ſignaq; conferens partim hoſtes
in fugam convertit, partim, & ipſe cum
ſuis, beſtiarum impetu, ad caſtra repulſus eſt.
At milites præſidio caſtrorum relicti, qui
frequentes pro vallo ſtabant, a Coſ. vocati,
impetu de ſuperiore loco facto, belluas in fu-
gam per ſuos retrovertere coegerunt. Hæc res
victoriam Romanis tradidit, & ſimul princi-
patum, nam gloriam quaſi inſuperabiles ex
illa victoria nacti, conſeſtim Italiam, & pau-
lo poſt Siciliam ſubegerunt. ex copiis Pyr-
rhi cæſa tradit Oroſius 3000. capti autem ſunt
1300. Eutropius ea die cæſa ſcribi hoſtium
2300. addit præterea Oroſius rationem victo-
riæ. nam Romani aſſueti jam, ut ſupra ſcri-
ptum eſt, cum belluis pugnare, cum mal-
leolos ſtupa involutos, oblitoſque pice uncis
inſuper aculeis tenaces præparaſſent, eoſque
flammatos in terga belluarum turreſque vi-
brarent, non difficile furentes, ardenteſque
belluas in eorum excidia, quorum ſubſidia
fuerant, retorſerunt. Curius in conſulatu
triumphavit tertiò, nam primò triumpha-
rat de Samnitibus, & iterum de Sabinis:
primus Romam Elephantes quatuor duxit,
laudatuſque abſtinentia, quippe nihil omni-
no ex præda regia, qua exercitum, atque
urbem ditaverat, attigit. Hic eſt ille M. Cu-
rius qui Samnitibus legatis, cum ipſe in fo-
co rapas torreret, magnum auri pondus pu-
blicè offerentibus, reſpondit, malo hæc in
ſictilibus meis eſſe locupletibuſque imperare,
quam ipſe fieri locuples. Hic eſt ille Curius
de quo in 6. Æneidos tam ſublime cæcinit
Latinus Homerus.

Ille triumphata Capitolia ad alta Corintho
Victor aget currum, cæſis inſignis Achivis.
Eruet ille Argos, Agamemnoniaſque Mycenas,
Ipſumque Æaciden genus armipotentis Achillis
Ultus avos Trojæ, templa & temerata Minervæ;

Hic eſt ille Curius de quo in bello Gothico
tam honorificentiſſimè ſcribit Claudianus:

Sublimi certè Curium canitore vetuſtas,
Æaciden Italo pepulit qui littore Pyrrhum.
Nec magis inſignis Marii Paulique triumphus
Qui captos niveis Reges egere quadrigis.
Plus fuga laudatur Pyrrhi, quâ vincla lugurthæ,
Et quamvis gemina feſſum jam clade fugarit:
Poſt Decii lituos, & nulli pervia culpæ
Pectora Fabritii donis invicta vel armis,
Plena datur Curio pulſi victoria Pyrrhi.

Nullus (inquit Florus) *pulchrior in Urbem, aut ſpecioſior intravit triumphus: quum ante hunc diem nihil, niſi pecora Volſcorum, greges Sabinorum, carpenta Gallorum, fracta Samnitum arma vidiſſet: Tum & captivos aſpiceres, Moloſſi, Theſſali: Macedones, Brutius, Appulus, atque Lucanus: ſi pompas, aurum, purpura, ſigna, tabulæ, Tarentinæque delitiæ, ſed nihil libentius populus Romanus conſpexit, quam illas, quas timuerat cum turribus ſuis, belluas, quæ non ſine ſenſu captivitatis ſummis cervicibus victorum equos ſtquebantur.* Fuit auctore Onufrio in Faſtis, hic triumphus, menſe Februario, anno ab Urbe condita, CDLXXIIX. atque idem ponit de iiſdem Tarentinis triumphaſſe prius Lu. Æmilium Barbulam. VI. idus Quinctilis,

lis, anno CDLXXIII. cujus rei solus Verrius Flaccus meminit, atque idibus Decembribus Cajum Fabricium Luscinum anno CDLXXV. de cujus triumpho idem Verrius agit, & Cic. in L. Pisonem. Refert idem Onufrius solius Flacci Verrii testimonio nisus, Spurium Carvilium Maximum de Lucanis, Brutiis, Samnitibus, Tarentinisque triumphasse anno CDXXCI. & eodem anno meminit Lucii Papyrii cursoris: qua victoria tradit magnam Italiæ partem in potestatem populi Romani redactam, victis præsertim Tarentinis, Samnitibus, Lucanis, & paulo ante Gallis Senonibus, & Etruscis. Quæ ipse potui apud scriptores fide dignos observare, vel meis, vel illorummet verbis recensui, in cæteris satis visum est, vel eos tantum citare, vel eorum libros & capita signare, atque ostendere, per me jam non stetisse, quin & in singulis idem facerem: sed me Pyrrhus Italia recessurus expectat. Rebus itaque Tarentinorum, & Pyrrhi vehementer attritis ac perditis, de fuga (quia sibi aliter per Romanos, & sine pugna minime liciturum speraret) ipse Rex tale cœpit consilium. Legatos cum literis ad Asiæ Reges, ipsumque Antigonum misit, ab aliis pecuniam, auxilia ab aliis, ab ipso Antigono utrumque exposcens, cum verò legati reversi literas reddidissent, Epirotarum & Tarentinorum Principes in concionem vocat; ibi quas acceperat literas, non recitavit, sed propediem affutura auxilia affirmavit. cum percrebuisset igitur fama, in Romanorum etiam exercitu, & è Macedonia, & ex Asia magna Pyrrho auxilia adventare, nihil illi novi moliri ausi sunt. Pyrrhus verò ea, quæ consecuta est nocte, ad Epiri montes, quæ Ceraunia vocantur, classe transvectus est, per hunc itaque modum Italia, Siciliaque dedicit Pyrrhus sex (ut solus sentire videtur Plutarchus) annorum curriculo in illis absumpto, & rebus quidem attenuatis, sed animi robore invicto: famam ex eo bello nactus, quasi peritia rei militaris, & fortitudine atque audacia plurimum in tot suæ ætatis Reges præcelleret: sed quæ possidebat spe illorum, quæ nondum habuerat, deperderet, nihilque eorum quæ ad tuendum jam parta attineat, conservaret. itaque assimilavit illum Antigonus lusori, qui & multa, & bene jaceat, sed cedentibus uti nesciat. De Pyrrho quamplurima iterum essent dicenda, sed quoniam ex abundanti videri possent dicta, prætermittam, subditurus tamen Scaligeri de illo Epigramma.

Robore nulli, nulli animis, nulli arte secundus,
Magno ter tanto major Achille meo.
Veras quæro acies, & veri prælia Martis,
Qui petat imbelles maluerus esse domi.
Aut totum, aut nihil, at parvum nihilominus, ille
Dedecet Æacidas, progeniemque Jovis. (lud
Nolim exprobetur tenuis victoria Pyrrho.
Vinci à Romanis vincere penè fuit.

Hæc satis videbantur superque sufficere ad hujus libri absolutionem, nisi unum occurrisset ex chronologia Caroli Sigonii subjungendum de iisdem temporibus captivitatis Tarentinorum, & de Pyrrhi in Italiam adventu, & ab illa recessu: quod ideo apposui, quia aliquanto diversus est Sigonius ab Onufrio, & lector quem velit in hac re, habeat auctorem. Cum Tarentini ante bellum quam cum cæteris est initum, anno (ut Plinius refert) ab urbe condita 472. cum illi classem Romanam diripuissent, & legatos Romanorum, qui ea de re remissi fuerant, questum contumeliis affecissent. Bellum autem cum Pyrrhi Epirotarum Regis, & Brutiorum, & Samnitum societate, in decimum usque annum est protractum. Sp. Carvilio L. Papyrio Cos. quo anno Tarento a Romanis capto Tarentinis pax, & libertas est concessa. triumphasse autem de Tarentinis, & Brutiis C. Fabricium anno CDLXXV. C. Junium CDLXXVI. Q. Fab. Gurgitem CDLXXVII. Triennio post C. Claudium (de utriusque Sp. Carvilium, & L. Papyrium anno CDLXXII. pluribus verbis in Fastorum consularium commentariis demonstravit: tu lector illum consulas, jam ego libro finem impono. hoc altero tantum quod sequitur adjecto. Quid sibi velit Eusebius in chronico, dum dicit Milonem Romanis Tarentum tradidisse, illosque Calabriam Messanamque tenuisse anno mundi 4925. declaratur apud Julium Frontinum lib. 3. c. 3. quod Papyrius cursor Cos. apud Tarentum Miloni, qui tum præsidio Epirotarum urbem obtinebat, salutem ipsi, & popularibus, si per illum oppido potiretur, pollicitus est: quibus præmiis ille corruptus persuasit Tarentinis, ut se legatum ad consulem mitterent, à quo plena promissa ex pacto referens in securitatem oppidanos resolvit, atque ita in custoditam urbem Cursori tradidit. Hoc autem eventisse conjiciendum est non multo post discessum Pyrrhi ab ea regione.

LIBER SEXTUS

De Fœdere inter Tarentinos, & Cartaginenses icto.

CAP. I.

TArentini post Pyrrhi discessum, domesticis ut antea viribus diffisi ad Carthaginensium opes per legatos confugiunt: hi punico ingenio Tarentinis opem ferunt, cleffemque suam auxilio misere. Quæ sanè res mirum in modum, ut par erat, Romanis displicuit, nam inter eos, & Carthaginenses jam inde a Pyrrhi bello fœdus erat quartò, ut L. Florus tradit, renovatum, sed ternò ut Polybius. legitur enim, quod eo ipso tempore, quando ad Pyrrhum legati Romanorum venerant pro captivis redimendis, Mago Dux Carthaginensium Asdrubalis, atque Annibalis pater cum CXX. navium classe, & fœdere jam inde abejecto, Urbe regio nomine cum illis icto in auxilio Romanorum venit. Is Curiam ingressus ægrè Carthaginenses dixit ferre, quod bellum in Italia a peregrino Rege, atque ab externis militibus illatum haberent, missumque ob eam causam, ut socios auxilio ju-

Digitized by Google

juvaret. Unde gratiæ actæ sunt Carthaginensibus à senatu hac bona voluntate, non tamen accepit oblatum auxilium. Sed eodem tempore idem Mago ad Pyrrhum divertit, Afrorum sagacitate usus, ut populo Carthaginensi Regem conciliaret, ne in Siciliam transuehere posset, ad quam verebatur Mago Regem aspiraturum. Addit Polybius tunc temporis renovatum tertiò fœdus inter Carthaginenses & Romanos his conditionibus: Si cum Pyrrho fœdus percusserint, cuvato uterq; populus, ut auxilium alteri ferre liceat iis, quibus bellum inferretur. Si Carthaginenses sociive Romanorum auxilium implorabunt, navigia præbento ad trajiciendum, belligerandumque. Si Romani sociive Romanorum postulabunt, mari Carthaginenses opitulantor, in terram verò ut descendant nemo compellito. Suis quisq; stipendia soluito. Censet Orosius hunc annum societatis Tarentinorum cum Pœnis adversus Romanos fuisse 475. aliis quinque adiectis octuagesimus est. Neque adversus Tarentinos solum esse bellatum, sed & Samnites, Brutios, ac Lucanos. Nam ex tabulis Capitolinis cognoscitur. De his omnibus triumphasse Coss. L. Papirium Cursorem, & Sp. Carvilium Maximum. Plerique testantur à Fabio Licinio, & C. Claudio Coss. prælio Tarentinos superatos, & cum illis Carthaginenses, qui etsi nondum hostes apertè sunt judicati, vinci tamen se à Romanis posse senserunt. Anno etiam 84. post 400. dato iterum adversus Romanos Tarentinis auxilio, cum à Senatu per legatos arguerentur, turpissimam rupti fœderis labem, præsumpto accumulavere periurio, quin & ipsi de Romanis conquesti sunt, propterea quod cum Hierone Syracusarum Rege societatem iniissent. Ad Pœnos etiam defecere Tarentini cum his populis: Atellanis nempe, Calatinis, Hirpinis, magna Apullorum parte, Samnitib. præter Petelinos, Brutiis omnibus, Surrentinis, Metapontinis, Campanis, Neapolitanis, Crotoniensibus, Locrisq; quando Annibal pugnavit ad Cannas cum Æmilio Paulo, & Terentio Varrone Coss. Hanc defectionem tradunt fuisse tertiam, non contenti pace, & libertate, qua cæteris in bellis fuerant à Romanis donati. Erant tamen sub Romanorum ditione, sicut videre est apud Polybium, qui recenset copias, quæ Senatui pop. Romani adiunctæ erant, tradit, in Sicilia, & circa Tarentum duas legiones præsidii causa constitutas, quarum singulæ habuerunt peditum quatuor millia, & ducentos, equites vero ducentos tantum. Et tunc præcipuè hoc fecere Romani, quando viderunt Sempronium ab Annibale devictum. Etenim timentes ne ad Urbem Romam victor Pœnus permearet, parare novas copias, auxilia in Siciliam, ac Sardiniam mittere. Tarentum, & cætera Italiæ oppida munire, quinquaginta, & quinq; triremium classem ædificare, omni denique studio ad bellum intendere. Quin, & ante devictum Sempronium 25. naves M. Valerio datæ sunt, quibus oram maritimam inter Brundusium, ac Tarentum posset tutari, quo quidem tempore legati à Philippo Macedonum Rege ad Annibalem missi, (quorum princeps Xenophantes dicebatur, fefellit in mendacio struendo, ut qui maxime) vitarunt portus Brundusinum, ac Tarentinum, quia custodiis navium tenebantur Romanorum, ac ad Laciniæ Junonis sacellum in terram egressi sunt: coacti posteà, & paulò post Romani illorum astutia detecta, 25. alias, quæ paratæ erant, naves superioribus addere, ut tutius totam Italiæ oram maritimam ab Ostia præcipuè usque Brundisium possent custodire, & in ipsa Macedonia Regis Philippi sententiam explorare, an fœdus cum Annibale esset initurus.

TARENTINI QUIDAM JUVENES Annibali promittunt sui populi societatem.

CAPUT II.

POst Cannensem cladem acceptam ad Pœnos Græcorum fermè omnis ora defecit, non tamen omnes populi simul. Nam anno 30. post 500. defecerunt Locrenses cum Crotoniatis: tertio anno post Tarentini cum Metapontinis, quæ res ita se habet. Annibal cum Avernum veniisset in animoque haberet occupare Puteolos, ad lacum Averni, quinque Tarentini juvenes ex iis quos partim ad Trasymenum lacum; partim ad Cannas cæperat, domumque dimiserat, eadem usus comitate qua adversus omnes Romanorum socios, memores beneficiorum eius, referunt perpulisse magnam Tarentinæ juventutis partem, ut Annibalis amicitiam, & societatem habere mallent, quam populi Romani; addentes ad hæc legatos se à suis missos, rogare Annibalem, ut exercitum propius Tarentum admoveat: futurum enim, ut si signa eius, si castra conspecta à Tarento sint, haud mora ut se dederent, in potestate juniorum plebem, in manu plebis rem Tarentinam esse. Læto quidem animo Annibal hos audivit, ac collaudatos oneratosque ingentibus, ut par erat, promissis dimisit, domumq; ad cœpta maturanda redire jubet, seq; in ipso tempore affuturum cum exercitu esse. Ad hunc modum Tarentinis juvenibus dimissis, ingens ipsum cupido incesserat Tarenti potiundi. Urbem esse videbat cum opulentam, & nobilem, tum maritimam, & in Macedoniam oportunè versam, Regemq; Philippum, à quo legati fuerant missi, hunc portum, si trantisset in Italiam, cum Brundisium Romani haberent nihilq; ipse inde speraret, petiturum. Eo ipso tempore descenderat (ut diximus) ad lacum Averni, per speciem sacrificandi, re tamen ipsa ut tentaret Puteolos, quiq; ibi præsidio erant. Sacro igitur perpetrato, ad quod venisse finxerat, pervastatoq; agro Campano usque ad Miseni promontorium, cum frustra tentasset Puteolos capere, Neapoli pulsus, & Nola, qua potiri speraverat, à plebeis occultè accersitus, Tarentum ad certiorem proditionis spem proficisci motis castris pergit, cum maxima omnium, quacunque ierat, clade. In Tarentino agro pacatum incedere agmen iussit. Nihil ibi violare

lare, neque aliquam vim exercere, cogitabat ita conciliare sibi posse Tarentinorum animos. Cæterum cum propè iam mœnibus accessisset, nullo ad conspectum primi agminis, ut rebatur, motu facto, castra ab urbe fermè passus est mille metatus.

ANNIBAL A TARENTINO agro castra movit, & defectio quando fuit capta.

CAPUT III.

TArentum triduò antequam Annibal ad mœnia accederet, à M. Valerio propræture qui classi ad Brundisium præerat, P. Valerius legatus missus. Is primorum iuventute conscripta, dispositisq; ad omnes portas, circaq; muros, qua res postulabat, stationibus, die, ac nocte plurimum intentus, neque hostibus, neque dubiis sociis quicquam præbuit ad tentandum. Sicque diebus aliquot frustra ibi absumptis, Annibal, cum eorum nemo, qui ad lacum Averni adessent, aut ipsi venirent, aut nuncium literasve mitterent, vana promississe, & se temerè secutum cernens, castra inde movit. Tum quoque intacto agro Tarentino, quamquam simulata lenitas nondum profuerat, tamen spe labefactandæ fidei haud abstinens, Salapiam tendit, ubi hyemare constituit, fecitq; fœnus locum ipsum meretricio amore insignem. Eoq; frumentum ex agris Metapontino, & Heracleensi comportat: iam enim media æstas exacta erat, & hybernis placebat locus. Prædatum inde Numidæ Mauriq; per Salentinum agrum, proximosq; Apuliæ saltus dimissi, unde cæteræ prædæ haud multum, equorum greges maximè abacti: è quibus ad quatuor millia domanda equitib. divisa. Et sequentem æstatem in agro consumpsit Tarentino, incassum tamen: sed spe per proditionem urbis Tarentinorum potiundæ, non abiecta. Ipsorum autem Salentinorum ignobiles, quæ multæ erant, urbes ad eum citra ullum Numidarum, quos miserat, negotium defecerunt. Mox Tarentinæ Urbis defectio ita initium sumpsit, caussa de foris illius maturandæ interveniente. Phileas Tarentinus, diu iam per speciem legationis Romæ cum esset, vir inquietum semper gerens animum, & qui minimè otium (quo tum diutino senescere videbatur) solitus erat pati, aditum sibi ad obsides Tarentinos invenit. Custodiebantur in atrio libertatis minore cura, quia nec ipsis, nec civitati eorum fallere Romanos expediebat. Hos crebris colloquiis sollicitatos, corruptis ædituis duobus, cum primis tenebris custodia eduxisset, ipse comes occulti itineris factus profugit. Luce prima vulgata est per urbem fama, emissiq; qui sequerentur, à Terracina comprehensos omnes retraxerunt: deducti in Comitio virgis, populo id probante, cæsi, de saxo deiiciuntur. Huius atrocitas pœnæ duarum nobilissimarum civitatum in Italiæ Græcarum animos irritavit, tum publicè, tum etiam singulos privatim, ut quisque tam fœdè atque inhumaniter interemptus, aut propinquitate, aut amicitia contingebat. Ex iis tredecim fere nobiles iuvenes, inter quos primi quinque Tarentini coniuraverunt, quorum principes Nico, & Philomenus erant. Polybius addit Tragiscum, quem multi insignivere Cay prænomine, quod frequens erat Terentinis, & per illud Brutum, terrenum, & colonum hominem designabant, siquidem γῆ terra est, unde γήϊος, & γαῖος deducuntur. Quod si Tragiscus ex nobilibus erat, credi non idcirco non potest ita fuisse nominatum, nam & illis diebus erat agricultura apud eos, qui ex prioribus erant civitatum.

DE SIGNO, QUOD ANNIBALI iuvenes coniurati dederant pro aperiendo ostio.

CAPUT IV.

COniurati adolescentes, priusquam aliquid moverent, colloquendum cum Annibale rati, principio sive per speciem venandi, sive excursionis facturi, urbe egressi ad eum proficiscuntur, & cum haud procul à castris Carthaginensium abessent, cæteris sylva propè viam sese occultantibus, Nico, & Philomenus progressi ad stationes, comprehensique nihil dicentes, neque unde, neque qui essent, sed hoc solum significantes, velle se ducem convenire, ad Annibalem ducti sunt. Illo ipsos admodum propenso animo ad colloquium admittente, excusant, & patriam & se, & simul Romanos multis, ac variis modis accusant: ne præter rationem ad huiusmodi caussam egredi viderentur. Cum igitur, & caussas consilii sui, & quid pararent, exposuissent, Annibal eos, & collaudavit, & accessum eorum comiter accepit: denique à se sic dimittit, ut citò ad se redeant, seq; rursus conveniant, in præsenti verò iubet, ut priora ex iumentis emissis, & hi viri unà cum illis, ubi longius à castris essent abacti, confidenter dimitterentur: se namque curaturum ea, quæ securitatis essent. Hoc autem ob id faciebat, ut sibi accessum ad scrutandum res iuvenum pararet: & illis fidem apud cives populares; facerent, quasi ab ipso imperatore ad latrocinia excurrerent, urbe egressi. Cum id autem, quod iussus erat, fecisset Nico, Annibal erat animo grato, & hilari, propterea quod hactenus ægrè commodum poterat perficiundi negotii nanciscendi occasionem. Philomenus verò magis adhuc propositæ caussæ inhiabat, quia, & securus datus erat accessus ad colloquendum, & Annibalem animo invenerat propenso, & præterea sufficientis commeatus copiam suis dandam esse fidem ab illo acceperat. Tum partim inito pacto, partim commeatu prosperè succedente non modò fidem faciebant Tarentinis, sed & æmulatores habebant non paucos. Postea secundò excurrentes, & consimiliter singula exequentes fidem Annibali dederunt ipsi, & rursum ab illo acceperunt, quod videlicet Carthaginenses Tarentinos liberos reddere, nec vectigalibus, aut tributo ullo in loco gravare, nec aliquid aliud illis imponere, ne præsidium quidem vellent.

Digitized by Google

sent. Romanorum verò ædes, & diversoria, si urbe potirentur, Carthaginensibus diripere liceret. Deinde, & illud paciscuntur, quod custodes, ubi ad castra venirent, ipsi in promptu acciperent. Quibus factis, potestatem acceperunt frequenter accedendi, & colloquendi cum Annibale, nunc velut ad excursionem, nunc quasi ad venationem civitate egressi. His ita ad futurum compositis, plures quidem occasionem observabant, Philomenum verè venationi deputarunt. Etenim propterea quod ei rei supra modum studebat, putabatur nihil in vita melius facere posse, quam venationi incumbere. Quapropter huic id muneris occasione capiendarum ferarum exequendum iniunxerunt: Primum ut Cajum Livium civitati Præfectum (hunc Livius M. Livium Macatum, Cic. M. Livium Salinatorem appellat) deinde eos, qui vestibulum portarum, quas Temenetidas vocant, custodiebant, sibi devinceret. Erant portæ Temenetidæ sitæ fortasse, qua parte erat lucus: τέμενος enim Græcis lucus est. Hic accepta hac commissione, quædam ipse venando exequebatur, quædam ipsi per Annibalem parabantur. Ipse continuò feras captas afferebat, & earum alias Caio, alias custodibus vestibuli portarum, ut portam ipsam Rhinopylam dictam Græca voce, qua posticum sive posticulum significatur, in promptu aperirent. Frequenter enim noctu per illam, metum hostium prætexens ingrediebatur, & egrediebatur. Cum verò eiusmodi consuetudinem Philomenus apud custodes portæ comparasset, ut sine ulla hæsitatione, quotiescunque noctu ad murum accedens indicium fistula dabat, Rhinopylam ipsi confestim reserarent, observantes Romanum Præfectum, cuius domus ad portam erat, quandoque ad musæum foro vicinum cum pluribus (ut solebat) iturum, ipsum illum diem Annibali deputant juvenes coniurati. Finxerat Pœnus quod ægrotaret, ne Romanis insolitum videretur, si plusculum temporis illis locis immorari ipsum audirent. At tum etiam cum vicinus esset statutus dies, magis infirmitatem simulabat, abstinebatq; a castris per totum triduum, vel quatriduum, via qua Tarentum itur. Qua ratione Romanis quoque, qui in præsidio Tarenti erant, suspecta esse jam segnis mora ejus desierat. Cæterum ubi tempus adfuit, circiter mille viros corporis agilitate, & animi confidentia excellentes, tam ex equitibus, quam ex peditibus delegit, illisque mandavit, ut quatuor dierum commeatum quisque secum haberet. Livius auctor est, decem millibus peditum, atque equitum electis, quarta vigilia noctis, signa movisse Annibalem. Moturus ergo castra sub crepusculum matutinum festinanter proficiscebatur. Octoginta vero ex Numidis delectis equitibus, in mandatis dedit, ut exercitum triginta stadiis præcederent, & in utrasque itineris illorum locorum partes excurrerent, nequis totum exercitum conspicari posset. Sed ut alii interciperentur ex fugientibus, alii verò qui evaderent, incursionem a Numidis fieri in civitate nunciarent. Cum autem Numidæ stadiis quasi centum abesient, & viginti, cœnam parant ad fluvium quendam præruptum, & qui ægerrimè vadari potest: & collectis ad se Ducibus clarè significat, quid conaretur: Et ingenuè hortatur, primum velint cuncti dextros se se viros præstare, quod nunquam ipsis majores præmia proposita essent. Deindè ut quisque suos milites in itinere sub se retineant & cohibeant, & acriter increpent eos, qui prorsus suum locum transgredi, prævaricarique vellent. Postremo ut animum adhibeant ad ea, quæ præcipiuntur, nec quicquam proprio arbitrio extra jussa moliantur. Sed eodem ferè tempore Tarentum fama pervenerat, Numidas equites paucos, populari agros, terroremque latè agrestibus injecisse. Ad quem nuncium nihil ultra motus Præfectus Romanorum, quam ut partem equitum postero die luce prima juberet exire, ad arcendum populationibus hostem. Interea adeò nihil obedienter curatum est, ut contra pro argumento fuerit illa procursatio Numidarum Annibalem exercitumque castris non movisse.

ANNIBAL PORTA TEMENETIDA Tarentum ingreditur.
CAPUT V.

ANnibal sic Duces exercitus sui allocutus, principium profectionis facit, cum esset adhuc caligo, ad hoc contendens, ut muros circa noctem intempestam adveniret, & præeuntem habens Philomenum, cui & Synagrum ad constitutum usum addiderat. Et Cajo Livio Romanorum Præfecto, cum sodalibus in Musæo commoranti, cum jam potandi studium prope ad summum inter illos incaluisset, nunciatur, Numidas ex occidentis partibus regionem totam invadere: ille cogitans quid faceret, ut illos deprimeret, advocatis ad se Ducibus mandat, ut dimidia equitum pars sub matutinum egressa crepusculum, hostes regioni incommodum inferentes reprimerent. Hoc enim erat quod potissimum de tota causa conjectare tunc posset. At qui cum Nicone, & Tragisco erant, ubi tenebras ingruisse perspexerunt, cuncti intra urbem collecti, ne Livii reditus facilis esset cum suis obfuerunt. Cum igitur propere exurgerent alii ad quendam præscriptum intra se locum accedentes, illic permanent: Alii vero Cajo obviam eunt, jocantes, ac ludentes intra se, & quasi eos qui in convivio fuerunt redecturos se simulantes, imò magis velut alienati propter temulentiam eorum, qui cum Livio erant, mox atque congressi essent, utrinque risus oritur, & ludus incontinens, deinde reflexi domum reducunt Cajum. Ille vero quiescit temulentus, sicut solent, qui totos dies bibunt, nihil præcipuum, aut grave habens in animo, sed plenus gaudio, & socordia. Nicon vero, & Tragiscus receptis ad se adolescentibus, divisserunt se in tres partes, & habita observatione, accessus fori opportunissimos occuparunt, ne quid eos, vel eorum quæ extrinsecus acciderent, vel quæ in ipsa Civitate fierent, lateret. Appropinquant autem, & ad domum Caji, certe futurum scientes, ut si qua suspicio ejus, quod Livio eventurum erat, oriretur, primum illum fore conficiendum,

Digitized by Google

dum, & quicquid gereretur, initium ab illo sumendum. At sicut frequenter post reditum a conviviis accidere solet, cum jam tumultuatio illa summatim transisset, & multitudo plebis sopita jaceret, ac noctis progressu spes propositi integra maneret, tum congregati ad executionem procedunt. Erat autem adolescentibus pactum, & conventio cum Carthaginensibus, Annibalem oportere, cum ad civitatem venisset, circa μεσημέρι, id est mediterraneam regionem ad latus Orientis, & ad portas quas Temenetidas vocant, ignem in tumulo accendere, qui a nonnullis Hyacinthi, a quibusdam Apollinis Hyacinthi tumulus appellatur. Eos verò, qui cum Tragisco erant, ubi hoc ita fieri vidissent, signo per ignem dato, respondere vicissim, quo facto Annibalem ignem extra civitatem accensum extinguere, ac pedetentim appropinquare ad portam. Hisce ita constitutis, juventus, quæ intra urbem erat, cum eam civitatis partem transisset, quæ habitabatur, venit ad monumenta mortuorum, pars enim Orientalis civitatis Tarentinorum plena erat monumentis, quia mortui etiamnum omnes intra mœnia apud eos juxta vetus quoddam oraculum sepeliuntur: ferunt enim Deum per oraculum significasse, satius illis ac melius fore, si cum pluribus habitent: illos vero sic se quam optimè juxta oraculum habitaturos putare, si mortuos quoque intra mœnia secum retineant, ideoque illos ad hunc usque diem mortuos suos intra muros sepellire. Juventus igitur (ut ad rem revertamur) civitatis, cum ad hunc Pythonicum tumulum perveniſset, quid esset futurum expectabat. Appropinquante autem Annibale, & quod constitutum erat faciente, mox atque ignem ii, qui cum Nicone, & Tragisco erant: prospexerunt, animum sumentes rogum accensum, & ipsi intus ostendunt: ubi verò Annibalis ignem extinctum rursus prospiciunt, cursu, & studio ad portam properant festinantes, quia volebant eos, qui cum Annibale erant omnino prævenire, occisis primi vestibuli custodibus, propterea quod se ad ingressum componentes Carthaginenses segniter, ac pedetentim proficiscebantur: cum autem successu potirentur, & custodes jam antea capti essent, alii alios occidunt, alii vectes infringunt. Portis properè, ac in tempore apertis, accedunt ii, qui cum Annibale erant, incessu sic commensurato usi, ut sine ulla protractione Civitatem ingrederentur: ingressum autem juxta propositum securum, & sine tumultu consecuti, putantes se jam maximam conatuum suorum partem perfecisse, ipsi quidem confidenter ad forum accedunt per eam plateam, quæ a profundo ducit: equites verò intra muros relinquunt haud pauciores numero duobus millibus, quos illic subsidii gratia esse volebant, cum adversus ea, quæ extrinsecus supervenire poterant, tum contra alios incertos casus, qui in ejusmodi conatibus plerumque evenire solent, cum ad loca foro vicina venissent, exercitum in platea sistunt.

PHILOMENUS PORTA ALtera juxta consuetudinem ingreditur.

CAPUT VI.

PHilomenus verò sollicitus quomodo suas quoque partes commodè exequeretur, foris expectabat. Non enim cum ignem accendissent ad eam partem accurrerant, & Philomenum suem habentem in feretro, & Lybyes una secum circiter mille extra portam vicinam miserant, volentes secundum id, quod initio propositum fuerat, non simpliciter ex una tantum spe, sed ex pluribus, hanc causam exequi. Philomenus verò cum ad murum secundum consuetudinem suam appropinquasset, mox atque ad illum accessit, aderat confestim custos ad Rhinopylam descendens: illo extra portam dicente, ut properè sibi aperiretur, quod suem sylvestrem portantes onere gravarentur, custos id cupidè audiens sedulò aperit, sperans ad se quoque aliquam eorum pertinere partem, quæ Philomenus cæpisset, eo quod antea semper particeps fuisset eorum, quæ inferebantur: ipse itaque Philomenus primum locum in illo cuneo habens, ingreditur, & cum eo alius quispiam Numidicum gerens apparatum, quasi unus ex ejus loci incolis esset, & post hunc alii duo feram à tergo deferentes. Cum autem jam quatuor intra portam essent, eum qui tam liberaliter aperuerat, & qui simpliciter absque suspicione ulla, ut suem grandem palparet, accurrebat, percutientes interimunt, & sequentes, alios verò præcedentes, Lybies circiter triginta pedetentim, & tacitè ad portulam inducunt. Hoc facto continuò alii vectes abrumpunt, alii custodes vestibuli occidunt, alii Lybies adhuc extra portam existentes symbolis datis advocant, & illos quoque ingressos cautè juxta constitutum ducunt ad forum. Annibal, cum hi quoque prioribus adjuncti essent, alacris factus, quod institutum hoc secundum animi ipsius sententiam succederet, cœpto insistebat. Separat itaque duo Celtarum millia, ac divisis illis in tres partes, duos unicuiq; parti ex adolescentibus, qui caussam hanc obibant, ac consequenter nonnullos ex suis ducibus deputat, simulque a se dimittit, & mandat, ut vias opportunissimè, quibus ad forum itur, occupent, & ubi id fecissent juvenes ejus loci excipiant, immò & cives in quos incidissent, illæsos servent, plurimumque Tarentinos inclament, ut in eo loco maneant, quod data ipsis esset permanendi securitas. Carthaginensium, & Celtarum ducibus præcipit, ut Romanos, si quos obvios habuerint, occidant: illi itaque a se invicem divisi expediunt, quod in mandatis acceperant. Hoc autem hostium ingressu Tarentinis patefacto, redditur civitas plena clamoribus, & perturbatione inopina. At Cajus, cum & ipsi hostium ingressus innotesceret, cogitans se iam nihil efficere posse propter temulentiam, confestim domo cum famulis suis egreditur, & cum ad portam venisset, quæ ad portum ducit, custoq; Rhinopylam aliam aperuisset, per illam effugiens piscatoriam navim ex illis, quæ in

na-

navali ſtatione erat, una cum ſuis aſcendit, & in arcem aſportatur. Poſt id temporis Philomenus tubas navales Romanas parat, quibus nonnulli uſum earum propter conſuetudinem callentes, circa theatrum ſtantes clangebant, ſignaque dabant. Romanis verò in armis ſecundum conſuetudinem ad arcem concurrentibus, ſuccedit hoc cœptum Carthaginenſibus ex animi ſententia. Qui plateas illas inordinatè, ac ſparſim ingrediebantur, incidebant alii in Carthaginenſes, in Celtas alii, quibus hoc pacto occiſis, magna Romanorum militum multitudo peribat.

ANNIBAL QUAM HUMANiſſime Tarentinos alloquitur.

CAPUT VII.

ILluceſcente die Tarentini quidem in ædibus ſuis quieſcebant, cum non poſſent amplius diſponere, quod accidebat: etenim ob clangorem tubæ, & quoniam nulla afficiebantur injuria, nec rapina exercebatur in Civitate, motus illos ex Romanis eſſe exiſtimabant. Ubi verò ſuorum multos in plateis occiſos, & nonnullos ex Galatis interemptorum Romanorum cadavera ſpoliare cernebant, de Carthaginenſium adventu ſuſpicari cœperunt. Annibal autem cum exercitum jam in foro locaſſet, ac Romani in arcem ſe ſe, quam cuſtodia, & antea occupaverant, ſubduxiſſent, clara luce per præconem edicit, ut Tarentini omnes ſine armis in foro congregarentur: juventus verò civitatem circumiens clamat ſimul ad libertatem, hortaturque, ut Carthaginenſes ipſorum bono adeſſe conſiderent. Quotquot itaque ex Tarentinis favebant Romanis, re intellecta ſecedebant in arcem ad Præfectum, reliqui ad præconis vocem inermes congregabantur: hos Annibal benignis, & humanis alloquitur verbis: cum autem Tarentini unanimiter ſingula, quæ dicebantur propter inopinam ſpem annotaſſent, tum quidem multos ex illis dimittit, mandatque ut ſinguli domum reverſi foribus ſuis nomen Tarentini diligenter inſcriberent, ſi verò quiſquam id nominis Romano cuipiam diverſorio inſcriberet, illi mortis ſupplicium determinat: ſelectos itaque ad eam rem accommodatiſſimos ad diripiendum Romanorum ædes mittit, dato illis ſymbolo, ut ædes Tarentinorum nomine non inſcriptas hoſtiles eſſe judicarent, reliquos verò, ut iſtis ſubſidio eſſent, in acie detinet. Cum autem multa, ac varia ſuppellex ex ea direptione congeſta eſſet, Tarentiniſq; commoditas conceptæ ſpei reſpondens ceſſiſſet, tum demum ad arma adverſus Romanos revertuntur. Hoc ipſo tempore teſtatum reliquit Livius multa Romæ, & foris loca de cœlo tacta: Reatæ ſaxum ingens volitare viſum: Solem rubore ſanguineo perſimilem: quibus prodigiis de more procuratis, erant jam Coſſ. in provinciam abituri, quum allatum eſt Tarentum ab Annibale captum, poſt centeſimum, ut refert Plutarchus, propè annum, ex quo in Romanorum ditionem poteſtatemque venerat.

ANNIBAL CUM TARENtinis init de munienda Urbe conſilium.

CAPUT VIII.

SEquenti die Annibal inito cum Tarentinis conſilio, civitatem muro ab arce diſtinguere, & communire decernit, ne quis metus a Romanis arcem occupantibus in poſterum ipſis Tarentinis relinqueretur: igitur civitatem primum vallo præmunire aggreditur correſpondente mœnibus arcis, & tumulo, qui eſt ante arcem: (hodie hic tumulus juſſu Philippi Auſtriaci Regis exciſus eſt,) quoniam autem certò ſciebat, fore, ut nunquam hoſtes quieſcerent, ſed eo loco vires ſuas oſtenſuros, ſufficientes adhibuit copias, arbitratus nihil magis in futurum ad hoc neceſſarium fore, ut Romani abſterrerentur, & Tarentinorum animi confirmarentur. Romanis verò mox, atque vallum initio ſtruebatur, confidenter & audaci conatu adverſarios invadentibus, Annibal cum illis parumper congreſſus, provocat eos ad pugnam. Et quoniam plures extra tumulum prorumpebant, hortatus ſuos, ad pugnam conſligit cum hoſte. Cum autem pugnaretur acriter, quantum loco anguſto, & muris cincto fieri poterat, tandem circa finem conflictus violenter repreſſi Romani retrocedunt, & multi ex illis in Numidarum manus vivi incidunt, major verò pars repreſſa, & in foſſam præceps data periit. Poſthac igitur Annibal abſq; diſcrimine civitatem, ut cœperat, vallo communit, & rebus ex animi ſententia; geſtis tranquillitate potitur. Hoſtes enim concluſos intra muros jam non ſibi tantum, ſed & arci metuentes, manere coegit: Civibus verò tantum indidit animi, ut ſe jam citra Carthaginenſes, illorumque ſubſidia Romanis reſiſtere poſſe putarent. Deinde modico interſtitio a vallo urbem verſus relicto foſſam molitur, vallo ac muro arcis correſpondentem, unde per vices ad murum civitatis coacervatio fieret. Præterea & vallo adhuc ei foſſæ impoſito, contigit ex ea munitionem fieri haud multum muro inferiorem. Præterea hanc quoque internè verſus civitatem interſtitio commenſurato relicto, murum extruere aggreditur, facto illius initio ab ea parte, quam ſervatricem vocant, uſque ad eam quæ profunda dicitur: ſic ut etiam ſine murorum ſubſidio munitiones illæ ſtructuris ſuis ad hoc ſufficerent, ut Tarentini ſecurè habitarent. Relicto itaque una cum neceſſariis ſuis ſufficiente equitum ſubſidio, ad civitatis, ac muri cuſtodiam caſtra metatur, loco ab urbe ſtadiis quadraginta diſtante ad fluvium, quem nonnulli Galeſum, plurimi verò Eurotam vocant, quod cognominis ab eo fluvio accepit, qui Lacedæmona præterfluens, & ipſe Eurotas vocatur. Sunt autem hujuſmodi cognomina Tarentinis tam in agro, quam in civitate multa, propterea quod coloniam, ſicut ante pluribus dictum eſt, & cognationem a Lacedæmonibus indubitanter acceperunt.

DE

DE CONSILIO ANNIBALIS pro oppugnanda arce, & de navibus per urbem transvehendis.

CAPUT IX.

Muro autem tum propter Tarentinorum diligentiam, ac sedulitatem, tum propter Carthaginensium cooperationem absoluto, deinceps Annibal arcem etiam excindere, ac demoliri cogitat. Cum autem ad obsidionem illius iam prope structuras absoluisset, Romani auxilio in arcem per mare ex Metaponto accepto, parumper recreati, noctu invadunt Annibalis structuras, & cunctos operum illius, & machinarum apparatus destruunt. Quo facto de obsidione quidem arcis desperat Annibal, & muris civitatis undique absolutis, Tarentinos congregat, illisque declarat summopere necessarium esse, adversum præsentis temporis incommoda, ut mare in suam potestatem occupent. Etenim cum locus, quo naves portum ingrediuntur, in potestate arcis esset, sicut & antea dicebatur. Tarentinis haud, quaquam liberum erat navibus uti pro arbitrio, aut è portu navigare. Romanis verò securè quæ necessaria erant adferebantur. Quod cum fieret, nunquam esse poterat civitati firma libertas. Hæc cum considerasset Annibal, Tarentinos instruxit, futurum ut qui arcem tenerent, si spem commoditatis, quæ ex mari erat, amitterent, confestim ipsis ultro cedentes arcem relinquerent, & locum traderent. Hæc audientes Tarentini assentiuntur quidem dictis: at quomodo perfici illa possent, in præsenti neutiquam intelligere poterant, nisi classis à Carthaginensibus missa adveniret, id quod tunc temporis fieri non poterat. Quapropter conjicere nequibant, quo respiciens Annibal hæc ipsis proponeret: illo vero affirmante posse ipsos suapte opera citra auxilium Carthaginensium, maris consequi potestatem, magis adhuc stupentes erant, mentem enim illius assequi non valebant. Ille cum plateam bene dispositam cerneret, eam videlicet, quæ intra murum quidem erat, ducebat verò juxta murum ex portu in externum mare, illic cogitabat naves è portu ad Australe latus trajici posse. Hoc consilium cum Tarentinis aperuisset, confestim non modo consentiunt, sed & virum hunc mirum in modum extollunt, intelligentes nihil illius industria confidentiæque obsistere posse. Confectis subitò rotis paratur navibus iter, & dicto citius opus absolvitur: nam ad propositum hoc, & animi propensio, & multitudo operantium cooperabatur. Tarentini itaque suas hoc pacto naves ad exterum mare transferunt, & secure illos obsident, qui ex arce externa subsidia intercipiebant. Annibal verò civitate relicta, castra cum exercitu metatur, & tertio die, ad vallum initio structum revertitur, & reliquam hyemis partem illic degens in eo loco manet. Fuit hic annus quando Tarentum à Romanis ad Carthaginenses defecit, ab Annibale ita occupatum, decimus secundi belli Punici, ut Livius significare, hæsitans tamen, videtur, octavus, & quadragesimus supra quingentesimum ab urbe condita, a mundi totius origine 93. supra nongentesimum & quatermillesimum, quo tempore Philippus in Macedonia regnabat, Antiochus, Achæo jam dudum citra murum sublato, in Syria, Ptolemæus Philopator in Ægypto: Eratque in Judæa pontifex Osias. Hæc omnia his carminibus cæcinit Silius Italicus:

Verterat, & mentem Tyrin ad conata Tarentum
Fortisque intrarant Poeni: sed enim arce coruscа
Fisa loco manus Ausoniа stipata sedebat.
Hic miranda movens classem, quæ condita porta
Astabat, (namque angustis è faucibus æquor
Erumpit scopulos inter, patuloque recessu
Effundit campis secretum gurgite pontum)
Inclusas igitur, quibus haud enare dabatur,
Arce superpositа claustris maris extulit actu,
Perque aversa tulit portatas arua carinas.
Lubrica roboreis aderant substramina plaustris
Atque recens casi tergo prolapsa juvenci
Aequoream rota duc it per gramina puppim.
Et iam per colles dumosque ad littus adacta,
Innabat pelago veniens sine remige classis.

ACCERSITUR ANNIBAL A Campanis, utque Tarentinorum arcem linqueret, exoratur.

CAPUT X.

Cum Annibal circa Tarentum, Coss. ambo in Samnio essent, sed circumsessuri Capuam viderentur, quod malum diuturnæ obsidionis esse solet, jam famem Campani sentiebant, quia sementem facere prohibuerant eos Romani exercitus. Itaque legatos ad Annibalem miserunt orantes, ut priusquam Coss. in agros suos educerent legiones, viæque omnes hostium præsidiis insiderentur frumentum ex propinquis locis convehi juberet Capuam. Annibal Annonem ex Brutiis in Campaniam cum exercitu jubet transire, & dare operam, ut frumenti copia fieret Campanis. Hoc anno cum nulla feciſſet mora, tandem à Coss. fugatus vix unde venerat, in Brutios rediit. Et Campani audita sua pariter, & suorum clade legatos ad Annibalem miserunt, qui nunciarent duos Coss. ad Beneventum esse diei iter à Capua, tantum non ad portas, & murum bellum esse: ni properè subveniat, celerius Capuam, quam Arpos in potestatem hostium venturam: ne Tarentum quidem non modò arcem, tanti debere esse, ut Capuam, quam Carthagini æquare sit solitus, desertum indefensamque populo Romano tradat. Annibal curæ sibi fore rem Campanam pollicitus, in præsentia duo millia equitum cum legatis mittit, quo præsidio agros populationibus possent prohibere, quam rem idem poeta eodem in libro ita scripsit.

Nuncius interea vectis non more carinis
Terrentem freta curarum fervoribus implet,
Dum procul Oebalios amat expugnare nepotes,
Et primus rostris sulcet navalibus arva,
Obsessos Capuæ muros, claustra ipsa revelli
Portarum ac totum miseris incurrere bellum:
Linquit cœpta ferox, pennasque addente pudore
Atque ira simul immani per proxima motu,

Evo-

Digitized by Google

volat, & miniatus ruida ad certamina fertur.

Romanis interim, ſicut aliarum rerum, arcis Tarentinæ præſidiique, quod ibi obſideretur, curæ eſſe. C. Servilius legatus ex auctoritate Patrum a P. Cornelio Prætore in Etruriam ad frumentum coemendum miſſus, cum aliquot navibus onuſtis in portum Tarentinum inter hoſtium cuſtodias pervenit, cujus adventu, qui antè exiguâ ſpe vocati ſæpè ad tranſitionem ab hoſtibus per colloquia erant, ultimò ad tranſeundum hoſtes vocabant, ſollicitabantque, & erat ſatis validum præſidium, traductis ad arcem Tarenti tuendam, qui Metapontini erant, militibus, itaque Metapontini extemplo metu, quo tenebantur liberati, ad Annibalem defecere, hoc idem eadem ora maris, & Thuſini fecerunt, movit eos non Tarentinorum magis defectio, Metapontinorumque, quibus indidem ex Achaia oriundis etiam cognatione junĉti erant, quam ira in Romanos propter obſides nuper interfectos. Annibal poſt pugnam ad Herdoneam commiſſam, ubi Fulvianum deleverat exercitum adeò, ut ex decem, & octo millibus hominum vix duo millia evaſerint. Tarentum duxerat legiones ſpe, aut vi, aut dolo arcis Tarentinæ potiundæ: quod ubi parum proceſſit, & fruſtra tentari omnia vidit, ad Brundiſium flexit iter, ratus ut id oppidum prodiretur, ſed ibi cum tempus fruſtra quoque tereret, legati Campani (jam enim Coſſ. Appius Claudius, & Q. Fulvius, foſſa valloque Capuam circundare paraverant, eoque res evaſerat, ut portis muroque adhæreret Campanus, ſeque contineret) ad eum venerunt quærentes deſertam ab eo Capuam, ac propè redditam Romanis, orantesque ut tunc ſaltem opem non circunſeſſis modo, ſed etiam circumvallatis afferat, quibus Annibal magnificè reſpondit, & antea ſolviſſe obſidionem, & tunc adventum ſuum Coſſ. non laturos, cum hac ſpe dimiſſi legati vix regredi Capuam jam duplici foſſa valloque cinctam potuerunt. Cum in hoc ſtatu ad Capuam res eſſent, Annibalem in diverſum Tarentinæ arcis potiundæ, Capuæque retinendæ trahebant curæ, vicit tamen reſpectus Capuæ, in quam omnium ſociorum hoſtiumque converſos animos videbat, documento futuræ qualemcunque eventum defectio à Romanis habuiſſet, igitur magna parte impedimentorum relicta in Bruttiis, & omni graviore armatura cum delectis poditum equitumque, quam poterat aptiſſimis ad maturandum iter in Campaniam contendit; ſequuti tamen tam raptim euntem tres, & triginta Elephanti, in valle occulta poſt Tifata montem imminentem Capuæ conſedit, idem poeta Italicus Annibalis iram, celeremque motum deſcribens, hanc ſubjunxit ſuperioribus carminibus comparationem:

Haud ſecus amiſſo Tygris ſe concita fœtu
Emicat attonitæ pauĉis luſtratur in horis
Caucaſus, & ſaltu tranſmittitur alite Ganges,
Donec fulmineo partus veſtigia curſu
Colligit, & rabiem preſſo conſumit in hoſte.

Sed nos Annibalem dimittamus cum Centenio cognomento Penula ſimiliorem, quid deinceps Tarentinis acciderit, deſcripturi.

PUNICA CLASSIS TARENTUM à Sicilia accerſitur, & Tarentinis bellum navale gerunt cum Romanis.

CAPUT XI.

A Eſtatis ejus extremo, quo Capua capta eſt, (rem ita interciſſam videbis apud Livium) & Scipio in Hiſpaniam venit: Punica claſſis ex Sicilia Tarentum accerſita ad arcendos commeatus Romani præſidii, quod in arce Tarentina erat, clauſerat quidem omnes ad arcem à mari aditus: ſed aſſidendo diutius arctiorem annonam ſociis quam hoſtibus faciebat: non enim tantum ſubvehi oppidanis per pacata littora apertoſq; portus præſidio navium Punicarum poterat, quantum frumenti claſſis ipſa turba navali mixta ex omni genere hominum abſumebat, ut arcis præſidium etiam ſine invecto, quod ibi pauci erant, ex ante præparato ſuſtentati poſſet. Tarentinis, claſſiq; ne invectum quidem ſufficeret; tandem majore gratiâ quam venerat, claſſis dimiſſa eſt. Annona haud multum laxaverat, quia remoto meritimo præſidio ſubvehi frumentum non poterat. Exinde cum in arce Tarentina vix inopia tolerabilis eſſet, ſpem omnem præſidium quod ibi erat Romanum, Præfectuſque præſidii, atque arcis Livius in commeatibus a Sicilia miſsis habebant, qui ut tutò prætervehherentur Italiæ ora, claſſis viginti ferè navium Rhegii ſtabat. Præterea claſſi commeatibusq; D. Quinctius obſcuro ortus genere, cæterum multis fortibus factis gloriâ militari illuſtris. Primò quinque naves, quarum maximæ duæ triremes à Marcello ei traditæ erant, habuit: poſtea rem impigrè ſæpè gerenti, tres additæ quinqueremes; poſtremò ipſe à ſociis Rheginiſq; & à Velia & à Peſto, debitas ex fœdere exigendo, claſſem XX. navium, ſicut antea dictum eſt, effecit. Huic a Rhegio profectæ claſſi Democrates cum pari navium claſſe Tarentinarum numero, quindecim millia fermè ab urbe ad Sacriportum obvius fuit. Velis tum fortè improvidus futuri certaminis Romanus veniebat. Sed circa Crotonem Sybarimq; ſuppleverat navigio naves, inſtructamq; & armatam egregiè pro magnitudine navium claſſem habebat. Et tum fortè ſub idem tempus ferè, & venti vis omnis cecidit, & hoſtes in conſpectu fuere: ut ad componenda armamenta expediendumq; remigem, ac militem ad imminens certamen vix ſatis temporis eſſet. Rarò alias tantis animis pares concurrerunt claſſes: quippe cum in majoris diſcrimen rei, quam ipſæ erant, pugnarent. Tarentini, ut recuperata urbe a Romanis poſt centeſimum propè annum, arcem etiam liberarent: ſpem commeatus quoque hoſtibus ſi navali prælio poſſeſſionem maris ademiſſent, interclusuri. Romani ut retenta poſſeſſione arcis oſtenderent, non vi aut virtute, ſed proditione, ac furto Tarentum amiſſum. Itaque ex utraque parte ſigno

Digitized by Google

gno dato cum rostris concurrissent, neque retrò navem inhiberent, nec dirimi a se hostem paterentur, quam quis indeptus navem erat, ferrea iniecta manu, ita conserebant ex propinquo pugnam, ut non missilibus tantum, sed gladiis etiam propè collato pede præliarentur. Proræ inter se cunctæ hærebant, puppes alieno remigio circum agebantur. Ita in arcto stipatæ erant naves, ut vix ullum telum in mari vanum intercideret: frontibus veluti pedestris acies urgebant, perviæq; naves pugnantibus erant. Insignis tamen inter cæteras pugna fuit duarum, quæ primæ agminis concurrebant inter se. In Romana nave Quinctius ipse erat, in Tarentina Nico cui Perconi fuit cognomen, non publico modò, sed etiam privato odio invisus atque infestus Romanis, quod eius erat factionis, quæ Tarentum Annibali prodiderat. Hic Quinctium simul pugnantem, hortantemq; suos incautum hasta transigit. Ille simul atque præceps cum armis procidit ante proram, victor Tarentinus in turbatam, duce amisso, navem impigrè transgressus cum submovisset hostes, & prora iam Tarentinorum esset, puppim malè conglobati tuerentur Romani, repentè, & alia a puppi triremis hostium apparuit. Ita in medio circumventa Romana navis capitur. Hinc cæteris terror iniectus, ut prætoriam navim captam videre, fugientesque passim aliæ in alto mersæ, aliæ in terram remis abreptæ, mox prædæ fuere Thurinis, Metapontinisq; Ex onerariis quæ cum commeatu sequebantur, per paucæ in potestatem hostium venere, aliæ ad incertos ventos hinc atque hinc obliqua transferentes vela in altum evectæ sunt. Nequaquam pari fortuna per eos dies Tarenti res gesta. Nam ad quatuor millia hominum frumentatum egressa cum in agris passim vagarentur, Livius qui arci præsidioq; Romano præerat, intentus in omnes occasiones gerendæ rei, C. Persium impigrum virum cum duobus millibus armatorum ex arce emisit, qui vage effusos per agros palatosq; adorsus cum diu passim cecidissent, paucos ex multis trepida fuga incidentes semiapertis portarum foribus in urbem compulit, ne urbs eodem impetu caperetur. Ita æquatæ res ad Tarentum: Romanis victoribus terra, Tarentinis mari: frumenti spes, quæ in oculis fuerat, utrosq; frustrata est pariter.

DE Q. FABIO MAXIMO COS. qui Tarentum à Carthaginensibus recuperavit.

CAPUT XII.

ANno ab Urbe condita 541. vel ut alii supplent, quinto, Fabius Maximus, (cui Verrucoso fuisse cognomen Plutarchus, & Plinius auctores sunt, quemque cunctatorem appellavit Ennius quum dixit,

Unus homo nobis cunctando restituit rem.)

Consul creatur, cuius collega fuit Q. Fulvius Flaccus quart. Cos. Utriq; Italia provincia demandata, regionibus tamen partitum Imperium. Fabius ad Tarentum, Fulvius in Lucanis, ac Brutiis rem gereret? Q. igitur Fabius Cos. cum oppidum in Salentinis Manduriam (hodie Casale novum appellatur populo frequentissimum) vi cepisset, ac quatuor millib. hominum captis, præter cæteram prædam, Tarentum profectus est, atq; in ipsis faucibus portus posuit castra. Naves quas Livius habuerat tutandis commeatibus, partim machinationib. onerarat, apparatuq; mœnium oppugnandorum, partim tormentis, & saxis omniq; missilium telorum genere instruit: onerarias quoque naves non eas solum, quæ remis agerentur, ut alii machinas, scalasq; ad muros ferrent, alii procul ex navibus vulnerarent murorum propugnatores. Eæ naves ab aperto mari, ut urbem aggrederentur, instructæ, paratæq; sunt. Fabium Tarentum obsidentem leve dictu momentum ad rem ingentem obtinendam adiuvit. Quod ita est. Præsidium Brutiorum datum ab Annibale Tarentini habebant. Eius præsidii præfectus deperibat amore mulierculæ, cuius frater in exercitu Fabii Cos. erat, is certior literis sororis factus de nova consuetudine advenæ locupletis, atque inter populares tam honorati, spem nactus per sororem quolibet impelli amantem posse, quid speraret ad Cos. detulit. Quæ cum haud vana cogitatio visa esset, perfuga iussus Tarentum transire, ac per sororem Præfecto conciliatus, primò occultè animum eius tentando, deinde satis explorata levitate blanditiis muliebribus perpulit eum ad proditionem custodiæ loci, cui erat præpositus.

Ubi & ratio agendæ rei, & tempus convenit, miles nocte per intervalla stationum clam ex urbe missus, & quæ acta erant, quæq; ut agerentur, convenerant, ad Cos. refert. Fabius vigilia prima, dato signo iis qui in arce erant, quique custodiam portus habebant, ipse circuito portu, a regione urbis in Orientem versa occultus consedit. Canere inde tubæ simul ab arce, & à portu, & à navibus, quæ aperto mari appulsæ erant. Clamor undiq; cum ingenti tumultu, unde minimum periculi erat, de industria ortus. Cos. interim silentio continebat suos. Igitur Democrates, qui præfectus classis antea erat, fortè illi loco præpositus, postquam quieta omnia circa se vidit, alias partes eo tumultu personare, ut captæ urbis interdum excitaretur clamor, veritus ne inter cunctationem suam Cos. aliquam viam faceret, ac signa inferret, præsidium ad arcem, unde maximè terribilis accedebat sonus, traducit. Fabius cum temporis spatio, & silentio ipso (quod ubi paulò ante strepebant excitantes provocantesq; ad arma, inde nulla accinebat vox) deductas custodias sensisset, ferri scalas ad eam partem muri, qua Brutiorum cohortem præsidium agitare, proditionis conciliator pronunciaverat, jubet. Et primum captus est murus, adiuvantibus, recipientibusq; Brutiis, & transcensum in urbem est, deindè proximè refracta porta, ut frequenti agmine signa inferrentur. Tum clamore sublato sub ortum fermè lucis nullo obvio armato in forum perveniunt, omnesq; undique

Digitized by Google

dique ad aream portumq; pugnabant, in se convertunt. Prælium ita aditu fori maiore impetu quam perseverantia, commissum est. Non animo, non arte belli, non vigore, aut virtute corporis par Romano Tarentinus erat. Igitur pilis tantum coniectis, prius penè quàm consererent manus, terga dederunt, delapsiq; per nota urbis itinera, ut suas arces, ita domos. Duo ex ducibus Nico, & Democrates fortiter pugnantes cecidere. Philomenus qui proditionis ad Annibalem auctor fuerat, cum citato equo ex prælio avectus esset, vacuus paulò post equus erransq; per urbem cognitus, corpus nusquam inventum est. Creditum vulgò in apertum puteum ex equo se præcipitem dedisse. Carthalonem autem Præfectum Punici præsidii cum commemoratione paterni hospitii, positis armis, venientem ad Cos. miles obvius obtruncat. Alii alios passim sine discrimine armatos inermesque cadunt, Carthaginenses Tarentinosque pariter. Brutii quoque multi passim interfecti vili sunt, non modo per errorem, ut credebatur à plerisque, verum etiam pervetere in eos odio. Additur, & tertia, quæ & potior caussa: ad proditionis obortam famam, ut vi potius atque armis, non dolo, & insidiis captum Tarentum videretur, pœnitus extinguendam. Tum à tanta cæde jussi milites, ut ad diripiendam urbem discurrerent. Quod non modo ab illis absq; ulla mora factum est, sed alacri animo quisque locum observabat, unde plus prædæ domum reportaret.

PRÆDÆ A ROMANIS IN EXpugnatione Tarentina acquisitæ declaratio.

CAP. XIII.

TRiginta millia servilium capitum dicuntur capta ac vendita: ingens vis argenti facti signatique, aurique LXXXIII. millia pondo, tria millia talenta scribit Plutarchus, atque Romam in ærarium invecta. Signa tabulæque propè ut Syracusarum ornamenta æquarent. Sed majore animo generis ejus præda abstinuit Fabius quam Marcellus. Nam interroganti scribæ quid fieri de signis vellet? (ingentis erant magnitudinis Dii, suo quisque habitu in modum pugnantium formati) Deos iratos Tarentinis relinqui jussit, quod etiam Marcello Syracusis devictis, opes, & signa offendenti Deorumq; sacra inferenti dixisse fertur, ut exemplo suo Deos hisiratos relinqueret, & ipse Tarentinis. Murus inde ab eodem Fabio, qui urbem ab arce dirimebat, diruptus est, ac dissectus: & Herculis tantum simulacrum Tarento advectum in Capitolio juxta æream suæ equestrem statuam locavit. Dum hæc Tarenti aguntur, Annibal iis, qui Cauloniam obsidebant, in deditionem acceptis, audita oppugnatione Tarenti, dies noctesque cursim agmine acto, cum festinans ad opem ferendam, captam urbem audisset, & Romani (inquit) suum habent Annibalem: eadem qua cœperamus arte, amissus. Ad amicos autem privatim tunc primum dicere sibi in mentem venisse, ut iam pridem perspexisset, difficile ipsis esse, nunc autem impossibile præsentibus copiis Italiæ potiri. Ne tamen fugientis modo convertisse agmen videretur, quo consisteret loco, quinque millia ferme ab urbe posuit castra. Ibi paucos commoratus dies, Metapontum se recepit: inde duos Metapontinos cum literis principum eius Civitatis ad Fabium Tarentum mittit, fidem a Cos. accepturos, impunita priora fore, si Metapontum ei cum præsidio Punico prodidissent. Fabius vera, quæ afferrentur, ratus, diem qua accessurus esset Metapontum, constituit: literaq; ad principes edidit, quæ ad Annibalem delatæ sunt. Enim verò lætus successu fraudis, si ne Fabius quidem dolo invictus esset, haud procul à Metaponto insidias ponit. Fabio auspicanti priusquam egrederetur à Tarento, aves semel, atque iterum non addixerunt. Hostia quoque cæsa consulenti Deos Aruspex cavendum à fraude hostili, & ab insidiis prædixit. Metapontini postquam ad constitutum non venerat diem, remisi, ut cunctantem hortarentur, repentè comprehensi, metu gravioris quæstionis detegunt insidias. Ab hac fraude arbitratur Plutarchus cum multis, Deorum benevolentia servatum fuisse Fabium: sed hæc ante Tarentum captum contigisse autumat.

QUÆ GLORIA FABIUM PROsecuta ob captum Tarentum.

CAP. XIV.

FAbio Tarentum astu captum magis, quam virtute, gloriæ magnæq; famæ fuit. Qua de re sic Italicus poeta, quem alias in hoc præsertim libro citavimus, scripsit:

Tunc & Tyndarii Latias fortuna Tarenti
Auxit opes laudemq; simul, nam perfida tandem
Urbs Fabio devicta seni, postremus in armis
Ductoris titulus cauti, solertia tutum, (muris.
Tum quoque adepta domos captis sine sanguine
Namq; ut compertum, qui Punica signa regebat,
Fœminea exuri flamma, tacitusq; quiete,
Exin virtute placuit dolus, ire sorori,
(Nam castrisserat in Rutilis germanus amatæ)
Cogitur, & magnis mulierbria cedere corda
Pollicitis, si reclusas transmittere portas
Concedat Libycus rector votique potitus.
Evicto Fabius Pœno circundata telis
Incustodita penetravit mœnia nocte.

Romani cum aliis honoribus Fabium affecerunt, tum eius filium Cos. designarunt. Cumq; is magistratum iniisset, & quædam ad bellum disponeret, pater sive ætatis vitio, sive alia quadam vi morbi, sive quod filium tentare vellet, invectus equo per medium circundantium turbam incedebat. Quem cum vidisset juvenis, non tulit, missoque ad eum lictore, patrem descendere ex equo jussit, ac pedibus accedere, si quid à magistratu petiturus esset. Quod imperium ut nimis superbum, atque arrogans cæteri indignè tulerunt: & in Fabium omnes oculos

animumque converterant, quem putabant priore gloria indigna pati. Ipse autem repentè ex equo desiliens, equo citius ad filium properat, eumq; complexus, & gratulans: rectè (inquit) fili, & sentis, & agis: nec latuit te quibus imperes, & quantam imperii molem susceperis. Sic & nos, & maiores nostri Romanam civitatem exauximus, publicam pietatem privatis, patriæ gloriam semper parentibus, ac liberis præferentes. Consulendus est A. Gellius cum Valerio Maximo, Georgio Trapezuntio, Cassianeo, aliisque iureperitis, rectè ne iusserit filius, & rectè paruerit pater. Nos ad historiam transeamus. Quo tempore Marcello Cos. delignato mandatum est, ut de Etruriæ defectione inspiceret, Tarentinorum legatis pacem petentibus cum libertate, ac legibus suis, responsum a senatu est, ut redirent, cum Fabius Maximus Cos. Romam veniisset. Non multo autem tempore post, de Tarentinis magna contentione in senatu actum est coram Fabio, defendente ipso, quos cœperat armis, aliis infensis, & plerisque æquantibus eos Campanæ noxæ, pæneq; Senatusconsultum in sententiam M. Aecilii factum est, ut oppidum præsidio custodiretur, Tarentiniq; omnes intra mœnia continerentur, res integra postea referretur, cum tranquillior status Italiæ esset. Huius autem præsidii, quod Tarentum fuerat missum, bonam partem Coss. jussu Locros ductam, Annibal sub tumulo Petiliæ equitum duobus, peditum tribus millibus in occulto locatis aggressus est, ad duo millia armatorum cæsa, & mille, & ducenti fermè vivi capti, alii dissipati fuga per agros saltusq; Tarentum revexerunt. Et de M. Livio arcis Tarentinæ Præfecto haud minore certamine actum est, aliis S. Consulto notantibus Præfectum, quod eius socordia Tarentum proditum hostibus esset, aliis præmia decernentibus, quod per quinquennium arcem tutatus esset, maximeq; unius eius opera receptum Tarentum foret: mediis ad Censores, non ad senatum cognitionem de eo pertinere dicentibus: cuius sententiæ, & Fabius fuit, adiecit tamen, fateri se opera Livii Tarentum recepisse, quod amici eius vulgo in senatu jactassent. Neq; enim recipiendum fuisse, nisi amissum foret. Post hæc fuerunt alias Tarentini suspecti, ne ad defectionem redirent, ideo scripsit Q. Crispinus ad Senatum se Comitiorum causa non posse Romam venire, quia præter viæ laborem, quem pati facilius non posset, de Tarento sollicitus erat, ne ex Brutiis Annibal eò converteret agmen: moritur paulò post Tarenti juxta quosdam. Fuit sequenti anno Tarentum missus C. Hostilius ad eum exercitum, quem T. Quinctius Cos. habuerat. Mandatur L. Manlio, ut in Græciam legatus iret, & si fortè Tarentinos cives ab Annibale ibi relegatos reperiret, domos redire juberet, diceretque omnia, quæ ante bellum habuissent, eis reddere populum Romanum. Duæ etiam legiones circa Tarentum, & Salentinos Q. Claudio obtigerunt. Sed hæc levia sunt. Hoc adiiciendum duxi Fabium Maximum propterea Herculis, & non Iovis, (de qua Lucilius lib. 16.

A *--Lysippi Iuppiter ista*
Transvit quadraginta cubita, altus Tarento)

statuam Tarento Romam advexisse, nulla, & ipse cum tota Fabiorum familia Herculeus dicebatur, ut docet Ovi. in Fastis.

Testamen Herculeæ superessent semina gentis
Credibile est ipsos consuluisse Deos.

Hic fuit ille Fabius, qui iterum dictator creatus, Annibalem pluribus victoriis ferocem cunctando coercuit, unde de eo præclarè Ennius scripsit.

Unus homo nobis cunctando restituit rem,
Non ponebat enim rumores ante salutem,
Ergo posq; magisq; viri nunc gloria claret.

TARENTVM ET SALENTINOS *Provincias, Tarentinos Municipes, & Colonos fuisse.*

CAP. XV.

DE Provinciarum origine, deq; earum numero, & quomodo confectæ sint juniores Grammatici, Sigonius præcipuè, Robertellus, Onufrius, permulta scribunt. Illud modo dicendum, quod Tarentum cum Salentinis provincia fuerit, mirorque satis id omissum ab aliis fuisse, nisi forte crediderint, Tarentum, & Salentinos in Sicilia provincia recenseri, sed constat ill aliter esse, & ex iis quæ supra dicta sunt, & ex iis quæ dicentur. Anno igitur tertio, & decimo belli Punici Q. Claudio Tarentum, C Hostilio Tubulo Capuam prorogatum in annum imperium est. Decimo etiam quinto eiusdem belli M. Cornelio, P. Sempronio Coss. T. Quinctius Tarentum, C. Hostilius Tubulus Capuam pro Prætoribus, sine priore anno cum vetere uterque præsidio obtinuerunt. Coss. etiam M. Æmilio Lepido, & C. Flaminio. L. Terentius Siciliam, Q. Fulvius Sardiniam, Ap. Claudius Tarentum, M. Fulvius Galliam provincias sortiti sunt. Magno etiam illo tetuili motu in Asia orto, Tarentum provinciam L. Posthumius prætor habuit. Isque de pastorum coitione, qui vias latrociniis pascuaque publica infesta habuerant, quæstionem secure exercuit: ad septem millia hominum condemnavit, multi inde fugerunt, de multis captum est supplicium. Omitto, quæ Livius scribit de L. Quintio, cui ad Consule[m] milites perscripti, ut tueri omnem oram Tarentum Brundisiumq; valeret. Perfectis comitiis, idem dicit, quas provincias Prætoribus esse placeret, retulit ad senatum. Coss. decreverunt duas Romæ juris dicendi causa, duas extra Italiam, Siciliam, Sardiniam, duas in Italia Tarentum, & Galliam &c. Lege Iulia belli socialis anno primo lata, Tarentini Municipes facti sunt: nam antea fœderati tantum erant, & suis non Romanis legibus utebantur. Hoc autem fuit Sext. Iulio Cæsare, & L. Martio Philippo Coss. Velleius Paterculus auctor est, ductam esse Coloniam Tarentum post annum, quàm Fabrateriam oppidum non longè ab Aquino. Id fuit anno urbis *sexcen-*

tesi-

Digitized by Google

tesimo, & trigesimo primo, quod non laudatur ab iis qui tempora observant, nam aliquot post annis tanquam foederatam jure Italico, quod erat extra Latium, civitatem voluit in eam adscribi Archias poeta, quem Cicero defendit luculentissima illa oratione, quæ extat, sed ipsi viderint, nam & Sigonius, & Onufrius Plutarcho, & Velleio astipulantur. Exigebant Romani à Tarentinis, ut à Rheginis, & Neapolitanis sua tributa, sicut responderunt Minioni Antiochi Regis legato. Nos a Rheginis, & Neapolitanis, & Tarentinis, ex quo in nostram venerunt potestatem, uno, & perpetuo tenore juris semper usurpato, nunquam intermisso, quæ ex fœdere debent, exigimus. Verum quia hæc obscura sunt, ad finem libri accedamus.

LIBER SEPTIMUS.

TARENTUM QUANDO *fuerit instauratum.*

CAP. I.

UNiversam Gothorum historiam multi quidem & Græcis & Latinis illustrarunt literis. Procopius Cæsariensis in castris Belisarii viri illius patricii, & Justiniani Imperatoris strenuissimi ducis medicus: Guido Ravennas: Leonardus Arretinus: Blondus Forliviensis: Raphael Volaterranus: Æneas Sylvius Senensis, qui magnam hujus ætatis partem ante summum pontificatum apud Germanos egit: Agathius qui longo, & copioso volumine res Gothorum gestas ab usq; Trojæ incendio narrandas aggreditur: Paulinus Collenucius, qui Neapolitanorum Regum facta scripsit, ac dicta Ethrusco sermone edidit: Omnium vero novissimus Joannes Magnus, qui & ipse Gothus, & sedis Apostolicæ in Suecia, & Gothia legatus Julio hujus nominis tertio pontifice maximo, in Upsalensis Ecclesiæ Archiepiscopalem assumptus est dignitatem. Ut omittam vetustiores, qui de Gothorum origine, divisa eorum gente, cæteris rebus memoria dignis tam Gothicè, quam Græcè, & Latinè, ut Ablabius, Dion, & Jordanes scripserunt. Apud omnes unum quod sequitur, ad nostram pertinere provinciam invenio. Quo tempore Totilas, qui aliter Balduilla dicebatur, sextus, & quadragesimus Gothorum Rex externus, tam in expugnandis hostibus terribilis, quam erga devictos perhumanus, bellum cum Belisario pro Gothis in Italia gerebat, anno domini Salvatoris quingentesimo, & quadragesimo septimo, Vigilio summo pontifice, & Justiniano Romanorum Imperatore, quidam Calabri, & illorum finitimi domo profugi Tarentum, quod aliquandiu dirutum, desertum, incultumq; superioribus bellis jacuerat, instaurarunt, non veterem urbis aream, non primam mœnium longitudinem circumplexi, sed partem portui propinquam aditu a tergo facillimè munito, cum eam in chersonesi speciem mare utrinque alluat. Conveniunt secum scriptores prædicti, hoc quod de Tarento diximus renovare, eo præcipuè accidisse tempore, quando Totilas Romæ sive Silva, sive exersa egressus, parte exercitus sui Belisarii copiis obiecta, ipse adversus Vitalianum Justiniani germanum fratrem proficiscitur, qui audito Hostis teterrimi adventu le cum multis militibus receperat intra Hydrunti mœnia. Post secundam urbis captivitatem, cum Totilas expeditionem in Siciliam pararet, & obiter Rhegium expugnare tentaret, inde Tesmundi, & Amerei, qui urbis præsidio erant, ingenio, & virtute expulsus, Tarentum invalit, estq; ea urbe brevi potitus, quæ non dum adeò communita à nostris conditoribus fuerat, ut hostium vacaret effugere incursionibus. Captum Tarentum Totilas muris extero mari circumlepit, locumque ut ibi suorum esset sedes, elegit, relictisq; in ea copiis, Ragnerium præstantissimum inter Gothos præclarum quidem, & fortunatum, sed maximè incolatorem; quod subsequens docebit factum. Cum audisset Ragnerius unà cum Morrha, qui Acheruntiæ præerat, Crotoniatas longa Gothorum obsidione fatigatos, liberos tandem ab illa esse, ob Græcorum classem jussu Imperatoris Thermopylis ex improviso profectam, cumq; perspiceret socios multa cœlo perfractos, ac profligatos partim ad se Tarentinum in portum cum ratibus aufugisse, partim ad Scyllæum fretum loco propinquum delatos abiisse, à Totila ad Imperatorem Justinianum cui tota hæc regio obsequium præstabat, ac suberat, accepta prius ab illo fide pro sua, & suorum salute, deficit cum Morrha, ab utroq; fehis Gothis obsidibus præditis, qui Hydrunti sub Pacurio Peranio cive Romano, urbis Præfecto custodirentur. At ubi audivit Totilam à Longobardis occisum, & Tejam in regium culmen assumptum; Francos, & Burgundiones in societatem adversus Narseten Justiniani ducem venturos, præcipuit se ad illum transisse, & pro Gothis iterum stare constituit. Ut verò obsides reciperet suos, quorum recuperandorum studio nimio flagrabat, huiusmodi incessit astutia; ad Pacurium, quem Hydrunti Præfectum dicebamus, ac Prætorem, mittit qui suo nomine dicerent, ut vel auxilium præstaret adversus Gothorum copias, quas contra se venturas cognovisse simulavit; vel saltem, ut Hydruntum sibi liceret tutò commeare, quo inde Ionico sinu transmisso Byzantium deferretur. Misit Pacurius nihil adhuc fraudis suspicans, è suis militibus 50. Hos Ragnerius intra præsidium admissos, & in potestatem suam redactos custodiri vinctos jussit, & ad Pacurium per nuncios iterum misit, ut sibi suos reddendos omnino curaret obsides, si milites Tarentum à se missos salvos cuperet, & incolumes. Sensit tandem ille sibi graviter illusum, ac simul ira accensus, paucis militibus in Hydruntina custodia relictis, ipse cum cæteris copiis adversus Ragnerium profectus est: quem etiam in pugnam descendere ausum in fugam convertit, sed milites suos à periculis eripere nequivit, omnes ad unum à Ragnerio ante

Digitized by Google

congressum in carcere trucidatus. Deinde Ragnerius cum cæteris viæ, circumsistentibus undique hostibus, clausæ essent, nec in Tarentum subsidi posset, nam & Tarentini fidem Græcis servari, invito illo, volebant, Acherusiam ad hos cum magno vitæ discrimine delatus est. Eodem tempore Brundusini à Gothis, in quorum potestatem ante hæc venerant, classe, qua Constantinopolitanus in castra advehebatur, contra publicam fidem intercepta, defecerunt, estq; ob eam rem non parum in Tejanis castris rei frumentariæ inopia laboratum. Hæc de Tarentinis, quæ prodita sunt in diuturnis bellis Gothorum in Italia per tot duces gestis, nusquam quod mihi constitit, quando fuerit ante Pyrrhum Lucanorum, & Calabrorum exactum, & everium Tarentum, sed de tota hac re consulito Procopium libro tertio.

Quid Longobardorum, quid Saracenorum temporibus Tarenti evenerit.

CAP. II.

AD initium Pontificatus Vitaliani hujus nominis inter Petri successores primi, & novissimi, Constantius Imperator confectum comparatumque exercitum in Italiam transducendum instituit, non quidem, ut juxta famam tunc à se accuratè dissemina-tam Longobardis Germaniæ populos, inde ejiceret: sed ut urbem Romam, & subjectas illi, vel provincias, vel civitates homo avarissimus divitiis ornamentisque spoliaret. Constantino itaque filio consorte imperii declarato, & Constantinopoli relicto, classem, quam instruxerat, præmisit Athenas, quo ipse pedestri itinere est profectus: inde navigium ingressus, ventos nactus secundos, oram solvit, ac nullo prius in loco, quam apud Tarentum substitit. Copiis in eam civitatem expositis, qui erat maximus, & dignus Romano Principe exercitus, constituit Constantius terrestri itinere in Samnium venire, Beneventum obsessurus: at ubi intellexit urbem valido præsidio, multisque comeatibus Rhomoaldi diligentia munitam esse, Luceriam munita urbem, vi cœpit, captam solo æquavit, quid inde secutum sit, haudquaquam nostrum est scribere. Hoc tantum satis fuerit cognoscere, quod anno Domini 657. Orientali imperio Tarentum subesset, & Constantinus cum parum proficeret, paulò post Tarentum reversus in Siciliam navigavit. Et quoniam Beneventi meminimus, non est silentio prætereundum quod in Leone II. viro Latinè Græceque doctissimo apud Platinam legitur: Rhomoaldum ducem Beneventanum ingenti comparato exercitu, Tarentum, Brundusium, ac totam denique Apuliam occupasse: ejusque uxorem Theodatam mulierem pientissimam ex his manubiis non longè a Benevento Basilicam in honore Beati Petri ædificasse, adjecto sacrarum virginum cœnobio. In portu Tarentino, & in externo mari extant vestigia arcis cujusdam latericiæ; quæ à Sarracenis nomen adhuc servat: distat ab urbe ternis, neque integris stadiis, locus à piscatoribus pro Thynnis captis Martio, Aprili, Majoque mensibus frequentatus. Conjici hinc nullo negotio potest Sarracenos aliquando Tarentum divertisse, urbem expugnasse, arcemq; illam pro præsidio erexisse: de his hæc ad nostrum institutum facientia, colligere visum est. Sarraceni cum è Mauritania ad Italiam revertissent, depositâ è navibus, quam ingentem secum abduxerant, præda, Siciliam, Tarentumque eodem invaserunt tempore, in eos Michael Imperator Constantinopolitanus Theodosium Patricium classis Præfectum, jussit navigare. Sed tulit illius anni infortunium, ut dum magnis, & nunquam antea visis apparatibus in Christi fideles immaniter sævirent Sarraceni, Michael ipse Imperator Græcus primò, & brevi post, Gregorius IV. Romanus, & summus Pontifex, & Ludovicus Imperator Romanorum eodem fere mense suum obierint diem. Is fuit humanæ redemptionis annus 842. Saracenis interea, ut præfati sumus, Siciliam, Tarentinumque duce Sabba Regis Maurorum Præfecto obsidione præmentibus, Theodosius qui orientalis præfecturæ classem agebat, copiis è Græcia adductis diffisus ad Venetos se contulit, & Petro Andronico, ac Joanni ejus filio Venetis ducibus Spatharii dignitate, quæ tunc erat omnium illius sæculi maxima in imperio ornatis, ab ea Repub. impetravit 60. navium classem, quam ipsi Veneti suo ære armarent: ea auctus Theodosius, non prius ab inchoata in Venetiarum portu velificatione destitit, quam sinum attigit Tarentinum. Sabba verò Sarracenus, quam primum eam omnium inter se pio fœdere conjunctorum Christi fidelium classem Adriatico emenso in sinum Tarentinum flectere intellexit, sive quia timuerit, sive quia timoris simulationem rebus suis conducere sit arbitratus, ob sidionem Tarenti solvit, & ad Crotoniatarum litus repentè navigans, Christianis quid rei esset facturus, dubium movit. Ea in re magnas classes vicinitate, levia oblatis occasionibus conserebantur certamina, tandem utriusque classis duces Sabba, & Theodosius, vel inviti ad certamen protrahi visi sunt, quo fractis, & fugatis Christianorum copiis in Venetos, qui pugnæ erant intentissimi, magna ejus cladis calamitas cessit: nam eorum naves partim mersæ, partim captæ sunt, militum verò paucis in barbarorum potestate factis, reliqui ad internecionem sunt cæsi. Theodosius autem Præfectus navium, quas Constantinopoli secum adduxerat, majore parte amissâ, saluti suæ fugâ consuluit. Ea elati victoria Sarraceni sinum denuo ingressi Tarentinum, omnem ejus oram ferro igniq; vastabant, quos non multo post Veneti receptam ulciscentes cladem, duce Urso Particiaco fuderunt, anno 864. Anno Virginei partus 914. rursus Sarraceni ad Italiam devastandam regressi sunt, hanc sibi redeundi occasionem arripientes. Apud Græcos cum Constantinus puer, Leonis filius, orientali imperio potiretur, quidam nomine, & genere Romanus, quem Leo pater dum viveret, classi præfecerat; pueri tutelam primò, deinde imperium armis doloque occupavit. Qua rerum turbatione, Calabri, Appuli, & alii

& alii qui in ea essent ora, cum legitimo Imperatori Constantino, sicut consueverant, subesse nequirent, adulterino rebelles erant. Romanus iste pessimus erat vir nulla alia ratione ab initio Imperatori carus, nisi quia Venator fortissimus Leonem agros vastantem, & obvios quosque trucidantem occiderat, quod idem ætate nostra Salvatori Abbatillillo Tarentino adolescenti in Africa obvenisse traditur: sed, miser desciscit a Christiana fide, & vixit transfuga gratiosissimus Mauritanæ Regibus multorum equitum ductor. Romanus itaque cum maxima in Italos, & Romanos præcipuè, apud quos licet sordido loco natus erat, impietate Sarracenorum abuteretur, Africanorum Regem impulit, ut ad Calabros, Appulosque sibi rebelles perdomandos copias traduceret. Ea gens, quia Christianum, & imprimis Italicum immani, & crudeli odio prosequebatur nomen, Calabros, Appulos, Lucanos, & Salentinos omnes non domuit modo, domitosque Græco Imperatori obedire coegit: verum etiam commissis cædibus, rapinis, incendiis; pene ad internecionem usque delevit, adeoque vincendo insolens est facta, ut de subigenda diruendæque Romanæ urbis ratione sæpe numero secum consuluerit: multitudine igitur sua Sarraceni confidentes omnem illam Italiæ plagam a strictoribus Calabrorum, & Hydruntinorum promontoriis in ampliorem terram, quæ maria inter superunt, ac inferum semper se extendit, usque ad ipsa propè urbis Romæ mœnia tunc cœperunt, quæ brevi posteliminata Græci Imperatoris memoria ab ea barbarie jugo domitrix est oppressa. Consilio autem Joannis decimi, & Alberici Marchionis ejus fratris copiis, Romæ finibus expulsi, Gargani montis arcem communierunt, ibique sedem cum cæpissent, Italiam multis postea temporibus vexaverunt, & eam præcipue, quæ ab Aterno, cui Fluvio nunc Piscariæ est appellatio, in Salentinos, & Tarentinum sinum extenditur, cum alteram, quæ à Tyberi amne in Calabros porrigitur, Hungari effera, & indomita gens, & quæ nulli mortalium ætati, aut sexui parcere solet, devastarent, ab Alberico invitati ad opem urbi præstandam. Unde Græci Calabriam, Salentinos, Apuliam obtinentes, satis duxere cum illis ad inducias venire: aliter enim suæ, & subditorum saluti: & indemnitati consulere haud poterant: quod ita esse sequens historia docebit. Ab anno Dominicæ Nativitatis nongentesimo, primo & sexagesimo per decennium Constantinopoli, & in tota Græcia clavum Imperii tenuit Nicephorus: is fuit nepos Nicephori Phocæ, qui cum minimè relictere valeret Saracenorum viribus, Eustathio Calabriæ duci, qui in Ivo esset dominam, mandat, uti fœdus annui census conditione cum Sarracenis inire studeat, quod & magna factum est difficultate, & posthac sæpius cum illis quiescere nescientibus, bellum gessit. Hujus ergo Nicephorus alter (ut dictum est) nepos, & cujus filiam, sive sororem Theophaniam Otho secundus duxerat, Tarentum ædificiis omnibus spoliatum renovavit, quod ita nobis constat. In arce Tarentina inventus est lapis magnus, ubi Græce erant sequentes literæ incisæ, quibus significatur Tarentum tot Saracenorum incursibus constatam, ac penè relictum iussu ipsis Nicephori fuisse restitutum. Ἐβλεψά με πεπρωὸν, ὑσονδυσιπόλεως πρέσβυν, λίαν μὲν ἐπιφανὴς ἐγενόμην, ἡ λοιπὸν ὑπὸ Σαρακηνοῖς ἐπιπεπτωκόσι κακοπαθῶ. Τούτου δ' ὄμβρος ἐπὶ τῶν μοχθηρῶν πραγμάτων, ἐμεσόλευσε μὲ ἀνθρώπων δὲ ἀγαθὴ τύχη πάλιν ἐπεσκέψατο με. Νικηφόρος ἀρχιτέκτων ἔξοχος ἀμφὶ τὴν ἑσπέραν τῶν δὲ μελῶν ἤρξατο θεμελίων. Πρόσπορος ἐπιτελῶν δ' οὖν ἀκοδόμησε βλέπω με ἐσκυλμένον. ἡ μὲν Νικηφόρος αὐτοκράτωρ χρήσιος, ἡ ἐμὲ ἐκ τοσούτων κειμένην. ἡ γὰρ με πάντες ἐκεῖνοι βάρβαροι, καὶ παλαιοὶ σαρακηνοὶ ἐξ Ἀφρικῆς ἐκστρατεύσαντες ἐκ Θεμελίων κατέβαλον, ἀπόλωσε διὰ παντός, καὶ ἐκέλευσε Νικηφόρῳ ἀρχιτέκτονι κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον πολυθρύλητον, ἀνεγεῖραι ἐκ τῇ τύχῃ ἐπὶ σεβάσμιον πράγματος ἐκ ἀκοσμήσαι. Sic ita latinitate donatæ sunt, ut ab omnibus intelligantur. Vidisti me paulo ante quoniam modo diruta infeliciter fuerim, satis planè splendida fui, & admodum illustris, novisque ornata mœnibus: qua tamen in adversis rebus moveri nequaquam potuerunt. Sed nunc bona fortuna iterum erecta sum. Nicephorus Architectus egregius vespertina hora locare cœpit fundamenta. Prosperè inde percurrens opus, quod conspicis, perfecit. Cæterum Nicephorus Imperator fortis, & pius, videns me humi iacentem (me jamque Libyci barbari, vetereſque Saraceni ex Aphrica postea profecti solo æquarunt) iterum erexit visu mirabili; jussit Nicephoro artifici sua ætate præstanti, atque optimo, ut me sua arte rebus operi idoneis exornaret.

De Bohemundo primo Tarentinorum Principe, Constantia uxore, & Bohemundo parvulo.

CAP. III.

ANno humanæ salutis 1061. post obitum Nicolai secundi Allobrogis, Robertus Guiscardus Gothifredi frater, fugatis ab Italia Sarracenis circa hæc tempora illò reversis, Calabriæ, & Apuliæ Comitatui, quem ab eodem Pontifice cum solvendi tamen annui census conditione Ecclesiæ Romanæ acceperat, Matheram, & Tarentum per suos oratores, conventione, ut inde ut ex Hydrunto Græcos ejiceret, adjecit, & suæ subegit ditioni: is ex Aberada uxore filium suscepit Bohemundum, qua mortua alteram duxit Goglegardam nomine Gisulphi Salernitani Principis ob Guaimarum fratrem, neptem, ex qua Rogerium habuit filium. Cum igitur ipse Robertus ad opem Michaeli Dioclizi Constantinopoli expulso ferendam navigasset, priusquam discederet, Rogerio omnes Italiæ res, & Bohemundo navigationis præfecturam demandavit. Non longè post Roberto apud Cossiopen insulam, fugatis Venetis, defuncto, anno ætatis suæ 62., & Christi nati sexto supra octuagesimum, & millesimum, Rogerius minor natu in ducatum successit Apuliæ, cui ob patris absentiam præerat, & ad eum haud mora omnes Italiæ populi sicuti,

& ge-

Digitized by Google

& genitori, præter Siciliæ civitates, obediturі pervenerunt. Bohemundus natu major, quem ex prima, ut diximus, Robertus susceperat conjuge, dolens nimium, nimiumque indignè ferens, quam nulla sibi in Italia civitatum pars daretur propria, classem cum terrestribus copiis Hydruntum advexit, quod vix fecerat, & quæcumque genitori, & sibi apud Illiricos paruerant, ad Alexium Græcum Imperatorem defecerunt. Hoc ipso tempore Rogerius animum suæ in Italia potentiæ adjumenta intendens, Capuam urbem potentissimo invasam exercitu cœperat, cui etiam omnes populi, quicumque hinc à Tyberi, inde à Vulturis ad Campanum pertinent agrum, quia Romani Pontificis Romanique populi jam enervatas videbant vires, sese permiserunt, regebatos. Bohemundus ut primum turbatos, ac quassatos de navigatione equos satis quiesse, & milites omnia bello necessaria comparasse conspexit, Hydrunto velis passis in Rogerium fratrem navigavit, & cum illo ad Farnetum, qui Beneventanus locus est, aciebus utrinque militari peritia structis, conflixit. Decertatum tradunt prælio haud quaquam cruento, solo homine in eo occiso, nam Comites paterni utriusque exercitus pacem his conditionibus propositis, & acceptis composuerunt, ut scilicet Bohemundo pars obvenisset ducatus Apuliæ, & Principatus Tarentinus tam sibi, quam hæredibus; Rogerius titulum ducatus cum cæteris retineret oppidis, quæ pater in Italia possedisset. Et in Urbano secundo testatum reliquit Platina, hoc eveniss præcipuè summi ipsius Pontificis auctoritate, fratribus ut ab armis desisterent, imperantis, se enim Urbanus Melphim contulerat, synodum ibi habiturus, cum parum Romanis jam pridem novis rebus studentibus confideret: pace facta Rogerius Melphim ad Pontificem vadit, & ligium se, ac vasallum (ut ajunt) Romanæ Ecclesiæ devinciens, ducatus, & paternæ successionis confirmationem ab illo obtinuit. Exinde contra Sarracenos in Siciliam trajiciens, Syracusas cœpit, & tunc Halam Roberti Frisonis filiam duxit uxorem: erat Friso comes Flandrensis, & antea Danorum Regi filiam eandem desponsaverat: ex hac Robertus duobus in adolescentia defunctis, Rogerio scilicet, & Amphulso, in quibus verissima paternæ virtutis reddebatur effigies defunctis, Gulielmum suscepit ducatus Apuliæ successorem. Et per idem tempus Roberto ita occupato, Bohemundus, qui parum erat contentus concessis a fratre civitatibus, quarum maxima pars sub principatu continebantur Tarentino ab Aufido fluvio, usque ad Japygium, hinc a mari supero, inde à Tyrrheno usque ad Zephyrium promontorium, Melphim furto surripere ausus est. Quod cum Rogerius, ut pateretur, nullis eorundem paternorum Comitum suasionibus adduci potuisset, bellum utrinque iterum parari cœptum est, & primo Rogerius, quia a Sarracenis magnam Siciliæ partem occupantibus sibi, & omnibus ditionis suæ, & Siciliæ timebat, viginti millia bellicosorum hominum stipendio conduxit, & in Italiam secum transuexit, adjunctisque illicò copiis, quas ex Calabris, Lucanis, Appulis non omnibus, sed ex Apulia sibi subjecta, contraxerat, in Melphim iter direxit, Bohemundus verò ad decem millia habens secum milites veteranos sub se nutritos, & disciplinam a se edoctos militarem, in propinquo Melphi, naturaque munito se continens loco, urbem, cum ipse adesset, decernit conservare pro se adversus fratrem: atque ut hoc melius, & facilius efficeret: fœdus iniit cum Beneventano, vel (ut alii) cum Capuano Principe Ricardo fraterno hoste, qui ea fratrum discordia percepta in patriam redierat: bellum hoc iam ab omnibus exitiale habiturum exitum credebatur, nisi inopinatum, improvisumque consilium accidisset. Urbanus Pontifex cum in Gallias Placentia abiret, rem memoratu dignam est aggressus. Concilio apud Clarummontem habito, ita principes Galliæ ad recuperandam Hierosolymam a Sarracenis jamdiu occupatam excitavit, ut anno restitutæ salutis 1094. tercentum millia hominum nomen in militiam Christianam dederint, signumque crucis susceperint. Bohemundus animo quidem generosior, cum tot principes clarissimos plurimum gloriæ, & meriti consecuturos intelligeret, quo inde multo clariores forent: cumque videret militum manus cum classe tripartitò profectas, partem videlicet unam Brundusium, Barulensem portum alteram, & tertiam Hydruntum, laudabili exarsit æmulatione, & ab ipsis principibus viris, quibus cum illico in Cimonem venit, suasus, liberum Rogerio fratri fecit, Melphim ne, an cætera quæ sibi essent de Appulis occuparet: & statim è suo vestiario purpureas, non nigras, ut quidam tradunt, eduxit Chlamydes, pluresque inde abscidit notas perexiguas, quibus cum præter delectæ nobilitatis equites, & pedites voluntarios, Italæ gentis ad duodecim mille viri cruce fuerunt ab eo insigniti. Movit autem Rogerium Bohemundi, quam in hac re præstitit, animi generositas: dansque commilitionibus suis, si illum in Græciam sequi vellent, libertatem abeundi, Melphim obsidione solvit. Declaravit præterea Rogerius, omnia sibi cum fratre Bohemundo esse communia. In hoc bello multa, atque præclara gessit Bohemundus, ab omnibus quidem hujus historiæ scriptoribus illustrata, & præcipuè a Roberto Monacho, Gulielmo Tyrio, & aliis, qui universam belli hujus seriem literis illustrarunt, & novissime Etruscо carmine a Trissino poeta nostra ætate ingenioso, & locuplete decantata. Duxit Bohemundus Constantiam Philippi Francorum Regis filiam, ex qua duos suscepit filios, Bohemundum, qui patri successit, non modo in Tarentino, sed & in Antiochenо principatu (in bello enim illo Orientali Antiochiæ Princeps ab omnibus fuit Bohemundus electus, & in ejus possessione confirmatus) & filiam, cujus nomen non legi, quam Constantia mortuo viro, Raymundo Guilielmi ducis Austriæ filio matrimonio conjunxit. Moritur Antiochiæ Bohemundus anno 1106. Sed sunt qui scribunt in Japygia, & Canusii suum obiisse diem: videtur quidem

Ca-

Canusii sepulchrum, ut colligitur ex hist. A ria Joannis Pontani. Extant duo apud Tarentinos privilegia, tam Constantiæ quam Bohemundi junioris, quorum alterum fuit datum anno 1118. & sequens alterum. In utroque continentur dona, quæ tam ipsis, tunc degentibus principibus, concessa sunt, cœnobio pervetusto Beati Petri Apostoli, quæ olim erat insula, quam ab aliis majoribus. Sunt autem dona hæc quæ sequuntur: Usus duarum Cymbarum, seu sphiratorum, ut vulgo ibi legitur, quædam domus, in Tara fluvio Molendini unius constructio, terrarum jugera aliquot, & alia, quæ vetustate corrosa legi non possunt: parum vixit Bohemundus junior cum Constantia matre, qui tamen Patris vestigia sectatus Gualterio primo Tarentinorum Archiepiscopo novas auxit jurisdictiones: quo mortuo Tancredus, qui a Bohemundo seniore fuerat puero tutor relictus, & principatuum Antiocheni, & Tarentini administrator: ex eadem Normanna familia Antiochiæ dominium adipiscitur: soror autem Bohemunduli Tarenti, quæ cum marito Raimundo etiam Antiochia donatur a Balduino Rege, cujus præfectura privaverat Tancredum, quid inde secutum sit, usque ad annum 1195. ad nos nihil pertinet, præter illud quod legitur de Rogerio secundo, qui Rolemanno Archiepiscopo omnia supra dicta privilegia confirmavit anno salutis 1133. ex voto, quod parentum gratia divo Cataldo voverat.

Extinctis penitus Normannis, atque in Italia jam eorum memoria obliterata, Henrici Friderici Ænobarbæ, vel Rufi Barbarossæ filius, genere Suevus, cœpit in utraque Sicilia regnare. Huic adolescenti Cœlestinus III. anno 1195. Constantiam Rogerii Regis filiam Deo dicatam, & jam grandævam è cœnobio Panormitano eductam simul cum Regni utriusq; juribus matrimonio jungendam curavit, reservato tamen annuo censu, qui Pontifici feudatario (ut dicunt) jure quotannis solveretur. Angelo tunc Tarentinæ Ecclesiæ Antistiti eodem anno confirmavit omnia privilegia per superiores Reges concessa, illaque ampliora. Costituens in suis diplomatibus hæc adjicere consuevit verba: *In nullo melius salutem nostram consulimus, quam si Ecclesiarum Dei commodis, & quieti prospicimus.* Verba profecto tanto, & quovis Catholico Rege digna, potentatus eminentiam non ab humana, sed a Divina manu cognoscente.

Moritur Henricus Panormi, sive (ut alii) Messanæ anno 1197. & Philippo germano suo Hetruriæ duci Imperii, & Regnorum administrationem demandat, eò enim venerat cum Constantiæ uxore, & filio quadrienne a summo Pontifice invitatus ad bellum Asiaticum ob Hierosolymam denuo recuperandam. Constantia ejus uxor, & ipsa magnæ pietatis mulier, confirmavit denuò Ecclesiæ Tarentinæ privilegia omnia, & ea præcipuè quæ maritus irrogarat, rata ac firma declarans, quod idem fecit filius Fridericus tertio post anno, qui vivente matre suo in officio piè, ac religiosè non modò prudenter se gerebat: illa tutem ad meliorem vitam progressa, cœpit immanissimè Ecclesiam lacerare omnibus modis vicibus; Romanos Insectatus Pontifices, Honorium III. Gregorium IX., & Innocentium IV. unde factum est: ut ab hoc, & a Communione fidelium, & ab Imperio per sententias dejectus, cum in gravem morbum incidisset, a Manfredo Spurio, filio ex Ancilla genito, virum Tarentinorum principem jam electum, eo ipso ita sponsam dilectam, virginem, in oppido Apuliæ Florentino suffocatur. Tancredus, ut dolorem paterni obitus temperaret, in ejus tumulo voluit, ut [illegible] versus, quales ætas illa proferebat, inscriberentur:

Si probitas Sensus, cursum gratia, census,
Nobilitate genus, fortunam tollere mortis,
Non foret invictus, Fridericus, qui jacet intus.

Instituit Hæredem suum ex asse Fridericus priusquam moreretur, Conradum filium, quem sibi peperit [illegible] filia Joannis Brenni Regis Colim Hierosolymitani, cujus gratia perpetuus ei, & posteris hæreditario jure titulus ejus regni concessisse creditur. Conradum Manfredus veneno sustulit, ingratus quidem nec contentus, quam præter Tarentinum principatum, à Friderico patre Siciliæ ulterioris fuerit hæres relictus, sed priusquam moreretur Conradus, Conradinum suum vel, ut alii, fratris sui Henrici filium instituit hæredem: Manfredus suppressit illius testamentum, conscios quoscunque veneno sustulit, populos ad Conradini fidem, ut admissa facinora contegeret, est hortatus, misit legatos in Germaniam, qui puerum veneno extinguerent. At mater pueri summam habens curam, loco ejus alium exhibuit puerum legatis, suspicionemque, quam de illis non inanem habuit, in pueri ostensi morte comprobavit: simulavit inde Manfredus Conradini mortem, allegans se fratris hæredem, ideo omnia regni loca occupasse præsidiisque firmasse: atq; ejus opera atrati quidam nuncii ex Germania venerunt, qui flentes affirmabant Conradinum ab humanis exemptum simulatoque mœrore exequias defuncto adolescenti celebravit, quibus peractis, Regem se continuò appellari, salutarique edicto mandavit.

Evocatur ab Urbano Pontifice adversus Manfredum Carolus Divi Ludovici Francorum Regis Frater, Andegavensium dux, provinciæque Narbonensis comes, & ei utriusq; Siciliæ concesso jure mandat, ut incumbatorem Manfredum vi deturbet, deturbatumq; jugulet: injungit item, ut quadraginta millia (quibus aliqui octo millia adjiciunt) numum aureorum, quotannis Pontifici tributi nomine penderet, atque ad Romanum Imperium, neque ipse, neque quicunque posthac Neapolitani Reges futuri essent, pateretur assumi. Carolus a Beatrice Condemania uxore trium Reginarum sorore, maximè sollicitatus trajecit Alpes, & diu variis cum Manfredo prœliis congressus, illum tandem ad Beneventum superatum interficit, juxta Colorem fluvium, cujus ossa Consentinus Consul, quia communione fidelium privatus occubuit, absque ullo funerali officio dejici jus-

jussit: collecta postmodum ad ripam Viridis fluvii a Pœnatibus Apuliæ dividentem, & in Lyrenum cadentis jussu Clementis quarti sepulta sunt: vixit Carolus I. Regni culmine annos un de viginti. Mo[illegible] Regia civitate Apuliæ clarissima, cu[illegible] annum ageret quintum, & sexa[illegible]aum [illegible]li & Philippo filiis relictis, [illegible] translatum in majo[illegible]

Petrus Aragonii [illegible] filiæ maritus tenta[illegible] occupavit, quia, mortuo Co[illegible] Neapoli Carolus securi percussit, [illegible]ario ad Constantiam uxorem pertineret. Fuit autem occasionem, ut hoc faceret, quia in Gallos Rege Carolo II. conspiraverunt omnes Siculi anno salutis 1281. in cujus [illegible]onis factum traditur a Panormitanis, & [illegible]ie, & vesperarum hora quicquid [illegible] Siciliæ Gallorum fuit, ad internecionem traditum est. Eo facto a Carolo, ad Petrum Aragonium [illegible]ecerunt. Conflixit inde Aragonius cum Carolo, & captivum in Siciliam, inde in Aragoniam secum duxit, & quatuor annos in carcere detinuit. Philippus Franciæ Rex, & Caroli frater patruelis magnum agens exercitum, voluit Carolum de manibus Aragonii liberare: commissoque ad Cathaloniam prælio, Philippus fugatus est, & Petrus Aragonius lancea ad faciem vulneratus, cum revertisset ad Villam francam suo ense, equi habenas ab alio, & hoste detenti incidens, quia parum diligens fuerat, nec victoria uti sciverat, mortuus est. Exigit locus ut & alia quæ sequuta sunt, explicentur, testamentum scilicet Petri Aragonii, successio Jacobi secundi ejus filii, Liberatio Caroli, obsides ab illo dati, fides ab eodem Aragonio non servata, renovatio belli inter Aragonium, & Carolum, pax rursus per Odoardum Angliæ Regem inter eos facta, conjugium inter Caroli filias Elionoram, & Blancam, & Jacobum, ac Fridericum Aragonenses, multaque alia, quæ à divo Antonino in secunda parte, & aliis scripta sunt copiosius: sed nobis curæ sunt ea tantum, quæ ad Tarentinos, sive cives, sive principes pertinent, & propterea illis omissis ad Philippum transimus.

Philippus quinctogenitus Caroli II. Princeps Tarenti tres habuit uxores, quarum prima fuit Romaniæ despota, & ex ea duos habuit filios, & totidem filias. Primogenitus dicebatur Petrus, qui ob maternam hæreditatem Romaniæ despotus creatus est, cum duxisset filiam Regis *Balearum* in Hispania, ex qua nulla susceptа prole moritur adolescens cum adhuc pater viveret, & ejus ossa servantur Neapoli ad Divi Dominici juxta avum Carolum, Alter Philippi filius dictus Carolus moritur cum Petro Gravinæ Comite patruo in subsidio Florentinorum. De fœminis hæc tantum habentur, primam Armeniæ Regi nupsisse: alteram Athenarum ducem, & Lycii Comitem ob maritum Gualterium de Briencia fuisse. Ab altera uxore, quæ fuit Maria Caroli Valesii filia, nullam Philippus habuit prolem. Tertiam Balduini Flandriæ Comitis filiam, & Imperatoris Constantinopolitani Catherinam habuit uxorem fœcundissimam: nam ex ea quinque sibi nati sunt filii, tres mares, fœmellæ duæ: Robertus, Philippus, & Philippus. Margarita, & Maria, Robertus patrem in principatu sequitur, reliqui alter alteri succedunt. Habuerat Tarentinus nonnulla privilegia Philippi, & Catherinæ, cum huiusmodi [illegible]ionibus *Philippi claræ memoriæ Illustris Hierusalem, & Siciliæ Regis filius princeps Tarenti, justitiariis &c.* Extant & literæ, quas vocant, exequutoriales ejusdem Philippi sub anno 1307. in favorem fratrum Dominicanorum, qui ordinis Prædicatorum dicuntur, pro nonnullis domibus, aliisque bonis, quibus bellorum causa fuerant spoliati. *Catherina Dei gratia Imperatrix Constantinopolitana, & Principissa Tarenti, justitiariis &c.* Philippi privilegium unum datum in hospitali Tripergularum anno domini 1320. primum Catherinæ datum Neapoli 1334. [illegible] & tria sequentia, sed variis diebus, nec solo Latini, sed & Græci idiomatis. Obiit tandem Philippus Neapoli annum agens sexagesimum, & ad divi Dominici sepellitur.

Philippum (ut diximus) Robertus primogenitus sequitur, dictus ut matris hæres, Imperator Constantinopolitanus, non modo princeps Tarentinus, eius uxor fuit Maria Borbonia dux, & ex ea nullos habuit filios superstites. In privilegiis erat inscriptio; *Robertus Dei gratia Imperator Constantinopolitanus, despotus Achaiæ, & princeps Tarenti*. Unum anno 1359. datum Casertæ, quæ fuit primum. Tarenti alterum, 1360. Neapoli tertium eodem anno, sic & quartum, & quintum, usque ad undecimum, sed non eodem die. Moritur Neapoli cum uxore, hæc in æde divæ Mariæ Virginis, quæ Nova appellatur, recondita, ille ad divi Georgii, cujus cum vetustate dirutum esset sepulcrum, sacerdotum cura ibi rem sacram facientium reconditum est. Apparet inscriptio.

Roberto absque filiis defuncto successit Philippus frater, qui ex Philippi superioris filiis erat tertius. Duxit primo Mariam Caroli ducis Calabriæ Consobrini sui, & Mariæ Valesiæ martetterae filiam viduam, quæ habuerat Carolum ducem Durrachii, & ipsius Philippi Consobrinum: suscepit ex ea aliquot filios, sed omnes in puerili ætate perdidit. Mortua Maria, & in Cœnobio Sanctæ Claræ Neapoli sepulta, transiit ad secundas nuptias cum annum ageret 38. & curreret annus Domini 1368. & duxit uxorem Elisabetham filiam Stephani tertiogeniti Regis Ungariæ, ex qua nullos habuit filios. Uterque Tarenti moritur, & sepelitur in æde divi Cataldi. Philippus ab anno 1363. usque ad 1370. concessit Tarentinis multa privilegia, & his ornabatur tituliis: *Philippus Dei gratia Imperator Constantinopolitanus, Romaniæ despotus, Achaiæ, & Tarenti princeps*. Margarita prima eius soror, quæ vivo patre fuerat Regina Scotiæ, insciis fratribus alterum habuit virum Francicum de Baucio Montis Caveosi comitem, qui Nuptiarum ergò Andreæ ducatu ornatus est, & inde natus est Jacobus de Baucio dictus, & ipse Imperator Constantinopolitanus, & princeps Tarenti. In Margarita finem habuit,

dum

Digitized by Google

dum Neapoli moritur viri causa ibi detenta, Philippi principis Tarentinorum domus: nam Maria altera soror virgo innupta obiit 1348. & Ludovicus frater, Joannæ maritus 1362. Habent Tarentini à Francisco privilegium in undecim distinctum Capita, cuius Titulus: *Franciscus de Baucio dux Andriæ, & Comes Montis Caveosi, ac Baroniarum Bettæ, Theani, & Misani, maritus Imperatricis, &c.*

Roberto Caroli II. tertiogenito, qui ob Caroli Martelli fratris obitum, & ob Ludovici Episcopatum, & religionem, patri successerat, absq; filiis mortuo, contigit ut Regnum veniret ad Ioannam primam Roberti neptem. Pauca scribimus de hoc Principe, quia pauca sunt ad rem nostram spectantia, quorum illud notissimum, quod in Archiepiscopi scripturis legitur, anno scilicet 1316. concessisse Gregorio tunc præsuli in oppido Gryptaliarum Nundinas per octo dies. Qui plura volet de hoc Rege cognoscere, adeat divum Antoninum, legat Blondum, videat Franciscum Petrarcham.

Dum Robertus esset in extremis, legavit, ut Andreas Caroli Martelli fratris sui filius, ducta Joanna eius nepte, Regnis præesset. Joanna volens avi sui voluntatem perficere, accepit in virum Andream, quem ex corporis habitu Andreasium vocabant. & cum eo, & in Apulia, & in Sicilia tres annos regnavit, demum cognita viri illius socordia, quamvis ex eo prægnans esset, Aversæ suspendi laqueo mandavit. Quod fuisse tradunt anno Domini 1345. in mense Septemb. cum tertium infelix, & vigesimum ætatis annum ageret, sepultumq; patet in majore Neapolitana basilica. Huius Principis necem deflet Franciscus Petrarcha lib. Epistolarum 6. ad Barbanum Sulmonensem epistola, cuius initium est. *Heu quam violenti.*

Transiit Joanna ad secundas nuptias cum Ludovico filio Philippi Principis Tarentinorum: sed Ludovicus Hungariæ Rex, & germanus Andreæ laqueo necati, audito tanto scelere venit cum exercitu in Italiam ad ulciscendam fratris necem, & bello per septennium magna clade attrivit Regnum, cuius initio cœpit Sulmonem: etenim Sulmonenses resistere absque ulla trepidatione pro suis Regib. ausi fuerant. Joanna interim, & Ludovicus ejus vir Tarentinus Princeps dictus aufugere Narbonam, relicto in Regni custodia Carolo Dyrrhachino, filio Joannis Peloponnesi, idest Moreæ, Principis: hunc Hungarus Rex captum cum suo præsidio, capite plecti mandavit eodem in loco, ubi Andreas frater jam impiè, & inhumaniter fuerat suffocatus. Neapolim postea se contulit, & ei, cum nullus obstaret, ingressus novam occupavit arcem, ipsa (ut ferunt) consentiente Joanna: & multos, qui ab illa in fratre steterunt, proceres, in carcerem detrusit, ab anno 1347. usque ad 1352. Facta est demum inter Hungarum, & Joannam pax, & in Regnum reversa, consentiente Clemente V. accepit cum marito coronam Regiam, nam primò his conditionibus illi nupserat, ut solo Tarentino principatu contentus, sineret, ut ipsa Regiam exerceret auctoritatem. Regina Avenionensem urbem, quæ sui erant patrimonii vendidit Pontifici: at ille remisit ei loco pretii tantundem, quod jure feudi Apuliæ debebat: nam tot gravibus jactata casibus non fuerat solvendo. Habuit Ludovicus ex Regina duas filias, Catherinam, & Franceſcam, illa moritur quinquennis, hæc 6. die post parentum coronationem 1351. de tota hac re scribit Poggius in lib. de varietate fortunæ, & Petrarcha ad Philippum Cavalicensem Episcopum his verbis: *Rex Siculus dilatatum diadema recepit, interque eum, & Hungaricum regnatorem pax nunc æterna convenit.* Post decennium migrat Ludovicus è vita absque filiis die Jovis 7. Calend. Julii, magnifica justa more Regio fiunt in divi Dominici, ubi filiæ sepultæ fuerant: corpus verò transfertur Neapolim ad Monachos Divæ Mariæ Montis Virginis, ubi ejus mater erat reposita Catherina Flandrensis comes.

Fuit tertio Joanna uxor Jacobi Regis insularum Balearium, quo etiam brevi vita defuncto, cum non concepisset ex eo, habuit virum Othonem Bruycensem ducem Theutonicum, quem noluit Regem appellari, sed Tarentinum Principem, sic enim ipsamet illum appellat in suo (ut vocant) indulto, proceribus quibusdam Neapolitanis facto, qui de primatu inter se contendebant, orta controversia inter nobiles platearum, quas vocant Portæ novæ, Portus, S. Archangeli, Nidi, & Capuanæ. Othone vivo Joanna fuit regno spoliata non a posthumo filio, quem ex Andrea conceperat, ut multi contendunt, (ille enim puer quadriennis in Hungaria, quo a patruo Ludovico missus fuerat, moritur) sed a Carolo III. qui Urbani VI. mandato venit Neapolim anno salutis 1381. accepto Romæ regio diademate. Oderat Urbanus Joannam, tum quia favere ausa fuerat Clementi VII. Antipapæ: tum quia dicebatur adoptasse sibi in filium, quia ex Othone non conceperat, Ludovicum Andegavensem Ducem, Regis Francorum filium; nullo igitur obviam ad resistendum exeunte, Carolus urbem ingressus Reginam in Castro novo obsedit, & Othonem virum a suis captum militibus custodiri præcepit in arce S. Felicis, & cum per deditionem Castrum intrasset novum, Reginam capit, captam necari mandat occultè, tunc ægrotantem, puluillo ori adjecto. Otho uxoris morte audita aufugit, carceris sui custodib. pecunia corruptis, sed paulò post moritur Fogiæ: Hujus Joannæ extant in arca scriptutarum Archiepiscopi Tarentini nonnulla privilegia, donationes atq; immunitates ab annuo censu Curiæ regiæ solvendo Casali, atq; Ecclesiæ Gryptaliarum.

In Philippo juniore diximus ex Francisco Baucio, & Margarita Philippi sorore natum Jacobum, qui ab Aloysio Andegavensi principatum obtinuit Tarentinum, & Lycii comitatum, atque uxorem duxit Agnetem Dyrrachini Caroli filiam, quæ Cani Scaligero prius nupserat, & fuit dictus Imperator Constantinopolitanus ob Robertum, & Philippum Principes Tarentinos avunculos post Agnetem uxorem Neapoli mortuam, ex qua prolem nullam habuit, ipse moritur Tarenti, & sepultura marmorea conditur, quatuor adhuc è

Digitized by Google

marmore columnis ſuperpoſita, duobus leonibus ad baſim ſervientibus. Apparent inciſæ præter inſignia hujuſmodi literæ circa frontem ſepulturæ carmine heroico.

Hoc tuus Andria dux Franciſcus Baucia proles
Extruxit templum. Jacobi tegit oſſa Tarenti
Principis: huic mater Caroli de ſtirpe ſecundi
Imperii titulus, & Bauci ſanguine claro:
Hic Romania, & deſpotus Achajus urbes
Subjecit bello.

Hoc ſepulchrum me puero fuit eductum de Sacello brachii Sancti Patris noſtri Cataldi, atque apertum; & ibi fuerunt reperta oſſa Jacobi cum Dalmatica auro ſerico contexta, manipulo, ſtola, ſceptro, corona, regiis inſignibus. Tradunt alii ſuum Adriæ obiiſſe diem, indeque cum marmoreo ſepulcro Tarentum translatum.

Raymundum, quem Romandellum, vel Raymundellum cognominabant, ſuſceperat Jacobus ex prima uxore, ſed natu grandiorem expulit a ſe: ille autem intendit in Syriam, ibique cum contra Pœnos multa egregiè feciſſet, ac ferociſſimum quendam Sarracenum militem interemiſſet, victor in Regnum reverſus, mortuo patre Tarentino principatu dignus habitus, illum nullo negotio obtinuit. Neque ſolum præfuit Tarenti, ſed & Hydrunti, Brunduſii, Lycii, Martinæ, Ulxenti, Herithi, Gallipoli, Hoſtunii, Bitunti, Motulis, Bitettæ, & Cupreſſani, præter oppidula, quæ vulgo Caſalia vocantur, & cum eſſet Joannæ ſuperiori cariſſimus, ab ea dono recepit Soletum Græcorum oppidum. Habuit uxorem Mariam Engeritam Francorum ſanguine clariſſimam, ex qua habuit multos filios, & filias, omnes quidem magni nominis, ſed de Joanne Antonio Tarentinorum Principe nobis erit dicendum. Notatur & illud præcipuum de Raymundo, quod Urbanus Pontifex cum contenderet a Carolo, quem ad Regiam provexerat dignitatem, ut ſuus nepos Butilus nomine, nullius neque virtutis, neque conſilii, Capuæ ſaltem Princeps eligeretur: Carolus, vel quia non expedire ſibi hoc ſentiret, vel quia tanti beneficii eſſet immemor, prohibuit Urbano bellum contra ſe paranti, adhibitis cuſtodibus, exitum urbis, atque palatii. Obtinuit tandem Pontifex diſſimulata ad tempus injuria, veniam a Rege, ut ob æſtus vitandos Nuceriæ commorari ſibi permitteret, ibi poſt veniam a Rege impetratam contra illum inchoavit (ut dicunt) proceſſum, miſſa de more per ſatellites citatione, qui brevi ſe venturum Nuceriam reſpondit, diluiturumque objecta crimina non verbis modò, verum etiam armis. Nuceriam itaque cum ſatis magno exercitu veniens, urbem obſedit, cum Pontifice: qua indignitate motus Raymundus, ſuis fretus copiis, quas ſub Rege duxaverat, Urbanum, & totam ejus familiam ad proximum deduxit litus, vel Barium (ut alii) & Genuenſium triremibus ad id inſtructis paratiſque impoſuit.

Extant apud Tarentinos quatuor Ladislai privilegia, quorum tria præcedentia data ſunt eodem anno 1407. & menſibus Martio, Aprili, & Majo: ultimum anno ſequente. Hic Ladislaus fuit filius Caroli III. & cum eſſet puer Urbanum Pontificem habuit adverſarium, qui ob paternum ex prædicta in Raymundo cauſſa odium regnum illi ſubvertere cupiebat: ſed Cajetani magna, ut ſubditos decet, uſi fide, & puerum, & Regnum ſervarunt. Capit Regnum in Apulia, cum eſſet annus Chriſti Salvatoris 1385. mortuo patre venit in Italiam, quia in Apulia proſperè minimè ſuccedere audiebat. Regnavit ibi unde triginta annos, coronam adeptus per Bonifacium Papam V. anno pridie poſt Calend. Junii. Anno 1408. cum Ladislaus in Apulia obſideret Civitatem Tarentinam, ubi dominabatur Duciſſa Maria uxor Raymundelli Baucii cum filiis ſuis, poſt multa prælia eam duxit uxorem, (duas enim priores perdiderat, alteram divortio, veneno alteram) cum filiis Tarentum accipiens. Hæc vocata fuit Regina Maria. Ladislaum ferunt concubinæ dolo in actis venereo venenatum occubuiſſe, atque per Joannem tertium, & vigeſimum excommunicatum anno 5. vel 6. poſt occupatum Tarentum.

Joanna hujus nominis ſecunda Ladislai Regis tanquam legitima hæres, fratre abſque liberis defuncto, & ad Eccleſiam S. Joannis à Carbonara Neapoli ſepulto in Apuliæ regnum ſucceſſit, & regnavit annos 21. accepto diademate a Martino tertio, qui & quintus dicebatur. Hæc anno 1414. conceſſit Tarentinis multa privilegia, & omnia quinto Idus Septembris data. Improbatur in hac Gynœcocratia naturæ legibus inimica, quæ viris prudentiam, robur, animi magnitudinem, imperandi vim dedit, fœminis ademit.

Joanna ob Geldriæ Ducem maritum vita defunctum vidua, ut vitaret ortam de se, & ab omnibus creditam infamiam, nupſit Jacobo Burbonio Marchiæ Demarcho certis conditionibus, nempe ne titulum Regis uſurparet, aut Regiam ageret perſonam, ſed Tarentino contentus principatu, quem frater Ladislaus, ut dictum eſt) occupaverat cum ejus veſtigalibus, Regni adminiſtratio libera ſibi permaneret, multi ex proceribus Regni cum inviderent Sfortiæ, inclitæ Sfortianæ familiæ anteſignano, datis ad Jacobum unis, binis, ternisque literis, illi perſuaſerunt, ut nomen animumq; afferret Regium, nulla enim ſibi ita venturo defutura eſſent auxilia: duabus igitur navibus Venetiis Manfredoniam brevi appulſum, omnes proceres occurrentes Regio nomine ſalutarunt, Regemque appellarunt: ſolus Sfortia, cui ob ductam Catharinellam Pandulphi ſororem, Regina liberalitatis digreſſa terminos; largita fuerat Beneventum, Manfredoniam, Barolum, itemque Tranium urbes, quibus viginti oppida, partim in Appulis, & Samnio, partim in Brutiis, atque Lucania adjecit, ad Beneventum obvius ſalvum adveniſſe Comitem gratulatus eſt, quare Jacobus ira concitus in Beneventanam arcem illum conjici, equitatumque ejus omnem è veſtigio diripi, oppida per vim cum urbibus eripi mandavit, mox Benevento in inſulæ Megaris arcem, cui ab ovo nomen eſt, devectum acerbiſ-

Digitized by Google

bissimis tormentis cruciare decreverat. Summo omnium applausu Neapolim Jacobus excipitur, una omnium voce Rex salutatur, Arcemque novam prodente Aversano Comite, cui a contrario eventu Servatori nomen erat, ea potitur: interfectoque Pandulpho Alopo, qui alter cum Sfortia Reginæ concubitor credebatur, nuptiales mensas ejus sanguine conspergit: Potitus regno Gallos ubique præfecit, urbibus illos, & oppidis donavit. Neapolitanis etiam, & cæteris regni proceribus omnino septis Regnum consilio armisque Gallorum administravit. Reginam conjugalis quidem thori consortem fecit, sed erepta totius imperii potestate multis oneratam probris, thoro (quod muliebrem animum asperius vulneravit) sæpius ablegatam, & severè castigatam, ne diffugeret, a Gallis custodiri jubet. Sed duo Neapolitani, altitudine animi insignes, eripiendæ, asserendæque in libertatem Reginæ, ac expellendi Regis negotium susceperunt, Othinus Caracciolus, qui inter optimates auctoritate, & opibus præcellebat, & Anechinus Morominus popularium Princeps. Hi cum Regina, quæ festo quodam die a viro licentiam impetrata, de Arce exierat, a dextra, sinistraque comprehensam comitarentur, stipati valida juvenum manu eam in Capuanam arcem perducunt. Extemplo Reginæ nomen acclamatur, invaduntur Galli, totaque urbe fugati in arcem compelluntur. Rex ad inopinati periculi discrimen consternatus portas claudi jubet; Neapolitani ex adverso circumvallare arcem, egressus obstruere, & latè obsidere Regem pergunt. Quibus rebus non modo dignitati, sed & saluti vehementer timens, nudatusque omni militum præsidio, & consilii penitus inops, his conditionibus in deditione est receptus, ut in posterum Regiis titulis abstinere. Tarentinus sive Dux, sive Princeps, sive Comes mallet, appellaretur: Gallos verò omnes, præter 40. in Galliam remitteret, & Sfortia statim custodia emitteretur, redderenturque ei vi erepta oppida, ac renovato veteri honore Magister equitum crearetur. Vix undecim mensibus Jacobus regnaverat, cum nobilissimorum civium, quos honoribus privarat, conspiratione in potestatem Reginæ redactus, eum superbiæ & crudelitatis exitum tulit, ut Talionis pœnam subiret: sed demum impetrante Martino summo Pontifice, cum liberiore custodia servaretur, navigio repente conscenso Tarentum, ubi Princeps erat, profugit. Eam urbem Regina potenti exercitu obsidendam jussit, & hujus belli onus Joanni Antonio Ursino injunxit, ut inde expulso Jacobo, ipse Tarentinus esset Princeps, sicut Raymundus fuerat pater. Sed Jacobus à pluribus sibi adhærentibus deceptus venit in conditionem cum Joanne Antonio per Mariam ejus matrem, & accepta nescio quanta pecunia in Gallias delatus, & religioni addictus, Anachoretæ pallio utebatur, superstes Reginæ, quæ Neapoli absq; liberis moritur anno 1435. quartò nonas Februarii.

Statui paterno, hoc est Tarentino principatui adjecit Joannes Antonius prædives Barium, Montem pelusium, Pomaricum, Materam, Acquavivam, Minervinum, Rubos, Casamaximam, cum Labello, quæ oppida sunt in Lucania, & Peucetiis: at in principatu ulteriore Flumarum, Vicum, Cœdoniam, Bisaccium, Carbonariam, Accadiam, Carifram, Vallatum, Sanctum Sosium, Castellum, Sanctum Nicolaum, Torcarinum, Guardiam Lombardam., Montem Apertum, Bonitum, Melitum, Montem acutum: in Campania autem emit Marilianum, & Acerras pervetustam civitatem. Expulso ratione superius dicta Jacobo, in quo verum cognitum est proverbium secundam fortunam stulto viro nequaquam esse diuturnam, variam atq; incostantem sese ostendit Regina, illa tandem mortua prævaluit Alfonsus Rex Aragonius è citeriore Hispania accitus, quem florentem armis, pluribusque rebus gestis insignem Regina ante alios adoptaverat, & Neapolim post diuturnam obsidionem per vim cœpit, Renatoque expulso, victor regno potitus est: fuit Alfonso Joannes Antonius carissimus, & ab illo non modo fuit adiutus in persecutione, quam passus est a Regina, quæ dolens Tarentinum principatum a sua ditione præreptum, Jacobum Caudolam Bari ducem in eum moverat cum exercitu, ut tanta dignitate spoliaret, sed etiam confirmatus in principatu, fuit ab eodem electus magnus Connestabulus, qui magistratus in regno primas habet in militia, redituque erat ejus centum millia aureorum, cum obligatione tamen, ut quoties opus esset, jussu Regis Joannes Antonius armatos secum haberet mille equites, quos vocant levis armaturæ. Ejus uxor fuit filia Jordanis Columnæ, fratris Martini Papæ, & ab ea non suscepit filios. De qua sic scribit Calentius ad Hiaracum. *Veni ad Annam Columniam Tarentinam tuo, & Regis jussu: nunquam vidi tanti corporis mulierem, ea domum pene omnem sedens complebat, ita ut stanti mihi deesset locus ad dicendum: Os magnum, oculi ut bovum putares, grandia membra omnia supra quam credibile est, ut vox Leænæ: cumque literas illi Regia manu scriptas reddidissem, legit, & gratias egit scriptori, qui tam blandam, ac candidam epistolam dedisset: post collecta paululum vestæ, ac sella posita me sedere iussit, & si qua super essent, dicere: sedi, dixi, audivit, respondit. Summa est hæc, se iniussu Regis non abituram, verum signa fugæ sunt lectica ante fores, navis in portu Brundusino parata, comites in equis, per donum solliciti clientes, quid ultra? me detinet tibi renunciare, quare his literis scias velim, ut si quid facto opus sit, habeas, & quid cogitandi tempus, & disturbandi: vive:* & paulo post: *Diluculo mulier abiit, Hiarace, puellas secum duxit quatuordecim, equites sexaginta, aureorum millia decem ferè, suppellectilem reliquit, iter facit versus Saletum oppidum scito.* Habuit tamen Joannes Antonius nothum quendam filium, qui cum nullius esset valoris, donatus ab illo est Lycii comitatu. Habuit & tres filias illegitimas, quarum prima fuit uxor Julii Antonii Aquævivæ S. Flaviani Comitis, dos ejus creditur fuisse Bitettum, Cupressanum, & Bituntum civitates, cum his oppidis, Casa maxima, Joia, Cassano, Nucibus, Turri & Castellano. Altera fuit uxor Comitis Catanzarii,

zarii, qui fuit primogenitus Marchionis Crotonis, in tota tunc temporis Calabria potentissimi. Tertiam duxit Jacobus Sanseverinus. Privilegium Joannis Antonii quod habent Tarentini, datum anno 1432. Calend. Septemb. fuit illud, quod continet discrimen inter Tarentinos, & Uritanos, de finibus, ac terminis agrorum. Hujus Principis jussu fabricata est Basilica S. Antonii Patavini, sicut docent duæ Tabulæ lapideæ cum insignibus ipsius Principis Latinis, & Gallicis literis idem continentibus. Habitant ibi fratres minores, qui de observantia nuncupantur. Utriusque tabulæ literæ id sonant:

„ Joannes Antonius de Bauciode Ursinis Ta-
„ renti Princeps, Dux Barii, Lycii comes,
„ regni Siciliæ magnus Conestabulus, &c. Hanc
„ construi fecit Ecclesiam sub vocabulo & no-
„ mine Beati Antonii Anno Christi M. CCCC.
„ xlviii.

Est & tertia tabula, quæ rudiores quosdam versus, quales ætas illa parturiebat, continet, hoc ipsum idem demonstrantes, adscripti ne ab aliquo deliderarentur:

Hæc domus Antonio Patavino sacra locatur,
Principe Joanne Antonio dominante Tarenti.
Sub quo præses erat fidus Nicolaus ibidem
De Cupressano Leonardo milite cretus,
Mille quatercentum septem Sol aureus orbes
Arce sub Ætherea Christi quadraginta rotabat.

Ab eodem Principe fuit constructum Sacellum Beati ejusdem Antonii, quod cratibus ferreis voluit circundari, & ibi apparet ipsius statua genuflexa.

De Alfonso primo scribimus hæc pauca, quia & ab ipso Tarentini habuere privilegium, ut scilicet in utraque Sicilia cives haberentur, omniumque immunitatibus gauderent. Hic cum liberis ex justo matrimonio careret, Ferdinandum, quem susceperat ex pellice, Ducem Calabriæ declaravit in spem successionis, cujus res ut validius constitueretur, Isabellam Tristani Claromontis filiam, qui erat dux Venusinus, Joannis Antonii ex Catherina sorore neptem, uxorem habere voluit. Quæ ab Alfonso pro Neapoli præsertim ornanda, & arcibus, & mole, & portu, & rebus militaribus, & studiis scientiarum, & Reipub. administratoribus facta sunt, quia parum ad rem, quam scribimus pertinere viderentur, prætermitto. Cæterum ingravescente ætate febre correptus anno salutis 1458. haud multis post æstivum solstitium diebus fato functus est, cum Neapoli, quam Urbem per aquæductus immissis militibus, Renato abstulerat anno 1442., annos sexdecim regnasset, ætatisque suæ annum agens quartum, & sexagesimum, in morbum tradunt incidisse, quia hyeme in Apuliam profectus aucupii, ac venationis studiis ultra vires indulsisset.

Ferdinandum ab Alfonso hujus nominis primum in Regno Neapolitano hæredem institutum, Reguli omnes, & civitates, missis undique oratoribus, Capuæ conventu habito Regem salutarunt, & in ejus verba de more jurarunt, præter Joannem Antonium Ursinum Tarentinorum Principem: oderat enim Joannes Antonius Ferdinandum, sive quia indignum censebat hominem illegitimo sobolis, quia rumor erat Regem concubuisse cum sani Principis uxore, cujus ipse [illegible] tonius erat ex Raymundo, & [illegible] Noverat Rex Principis animum [illegible] quillum, quippe cui ab adolesc[illegible] nes in se, discordiasque gratas [illegible] geret. Erat Joannes Antonius [illegible] veritatem occultaret?) vario, [illegible] constanti ingenio, ac parum firm[illegible] apud quem etiam sancti honestiq[illegible] tus respectus quantum studium [illegible] cura erat ejus assequendi, quod [illegible] nasset, atque ut sui parcissimus [illegible] bello abundè timidus, sic in pa[illegible] dens suis, aut amicorum opibus [illegible] ga, & maximè quieta Alfonsi p[illegible] buerat. Is igitur per finitimas [illegible] nocaque opportuna clam summittere [illegible] aliis præmia, aliis delictorum co[illegible] promitterent, nobiles alios suæ i[illegible] gloriæ majorum admonerent, Regn[illegible] que, vel cupidum rerum novaru[illegible], vel [illegible] alieno pressum, vel rei suæ pe[illegible] ligerent, tentare, hortari, sollicita[illegible] pollicendo erigere, opes ejus ost[illegible] desinerent, deniq; belli eum au[illegible], ac Ducem offerrent. His atque aliis animos hominum ad belli studia cum impelleret, in Galliam quoque ad Carolum Regem, & Genuam ad Renati filium mittit, qui eos ad Regnum armis repetendum hortentur, omnibus denique artibus participes socios, duces consilii sui quærit, atque habere tentat. At Rex artes illius veritus, nunc per literas, interdum per oratores, aut amicos, operam dabat, illum uti conciliaret, appellabat eum patrem, confitebaturque Alfonsum parentem, non nisi per eum regnum fuisse adeptum. Sed jam (ut diximus) Principis in se odium animadverterat Rex, quando erat Dux Calabriæ, vivo adhuc patre, neque sibi in hac re profuit Isabella neptis matrimonio juncta, quæ nunquam cessavit avunculum accusare, deque illo conqueri, quod per eum sibi non licebat cum marito quietè vivere, & Regno frui, nunquam tamen quievit Tarentinus Princeps, quousque adversum Regem arma moveret: & movit tandem, bellumque illud à Joanne Pontano, de quo prædicta omnia collegimus, elegantissimè scriptum per biennium ferè gestum est, donec Ioannes Antonius hoc modo è vita commigrasset. Dum Ferdinandus Sueſſam obsideret, levibus ex initiis de pace cœptum est agitari: cumq; intelligeret Jo: Anton. quartana in dies magis magisq; premi, cupiens in Apuliam quam primum finitimaq; Tarentinis loca cum exercitu proficisci, pace jam facta discendentem in Apuliam Regem, Antonius Vidanus Sancti petrinas, & Antonius Agellus Tranensis adierunt Principis legati, iique Romam, ut ajebant, iturі. Habito secum congressu Rex illos ad Joannem Antonium remisit, qui aggravante eius quartana Idid. Decembrib. in arce Altamuræ diem obiit. Mors tamen eius suspicione non caruit: Nam uterque Antonius in suspicionem cum venisset initi cum Rege consilii, subminatus in cubiculo solus cum esset, ac sine testibus, Princeps eis fuerat, ubi Tarentum,

Digitized by Google

tum, quo properabat, perveniſſet, ſecuri quam parum in illos animadverſurum. Id à puero, qui aſſiduus in cubiculo verſabatur, clanculum, & quaſi non audiſſet exceptum, atque ad alterum ex Antoniis perlatum, à quo blanditiis pollicitationibuſq; delinitus puer fuerat, præproperandam ad necem perpuliſſe utrunque creditum eſt. Itaque multam ad noctem ingreſſos cubiculum, ut qui repentinum aliquod afferrent, ſomno morboque oppreſſum ſtrangulaſſe. Statimque ad Regem miſiſſe mortis nuncium. Multaque comperta violentæ mortis ſigna ſtatim divulgatum eſt. Mortuo Principe Ferdinandus diſpoſitis per opportuna loca copiis, Tarentum proficiſcitur, ibique invenit pacata omnia, mox per totum fere commeans Regnum, nullum alicuius nominis oppidum adiit, ubi non benignè liberaliterque fuerit a civibus acceptus: ipſe omnes publicè privatimque, ac præſertim benè meritos quoque proſecutus eſt privilegiis, muneribus, beneficiis, & alios liberavit vectigalib. alios ornavit ſtipendiis, & equeſtri prærogativa. Extant apud Tarentinos multa huius Regis privilegia, quæ ſingula multas habent illorum pro Reipub. utilitate petitiones, ſicuti privilegium, quod fuit in arce Tarentina expeditum ſub anno 1463. & Regni ſexto, 42. quæ & ipſi Tarentinæ, quam dicunt, univerſitati conducere tunc cenſebantur, ac certis quibusdam civib. Sed inter eas ſecunda admodum credita eſt laudabilis, qua petebant, ut Rex Urbem ipſam tutaretur, atque communiret, haberetq; ſuo ſub dominio, neq; pateretur poſt hac, ut ſub principali eſſet poteſtate, niſi qui futurus eſſet Princeps, eius foret legitimus filius. Privilegium item Averſæ datum 1464. undecim habet petitiones, privilegium in arce Nova Neapolitana ſequenti anno datum 1465., 47. continet particulas de modo vivendi ipſorum civium, cuius initio hæc leguntur verba: *Ferdinandus Dei gratia Rex Siciliæ, Hieruſalem, Ungariæ univerſis, & ſingulis præſentes literas inſpecturis tam præſentibus, quam futuris. Illis inſtinctu dignæ conſiderationis inducimur benefacere, quos nobis novimus probabili experientia ſerviviſſe: ſed ad illos potiorib. beneficiis efferendos deflectimur, qui pro fidei obſervantia forti conſtantiq; animo labores, atque pericula diverſimodè ſubierunt. Sanè in mente noſtra ſæpius revoluentes quod propter integram fidem, quam univerſitas, & homines civitatis Tarenti noſtri fideliſſimi, ſignanter poſt obitum quondam illuſtris Principis Tarentini erga ſtatum noſtrum opere, & effectu demonſtrarunt, ſe, & ipſam civitatem ſponte, & voluntariè nobis dantes, & aſſignantes, quo fit, ut pacatis belli fremitib. pax extemplo ſuborta ſit. Eorum quidem opera, & exemplo multa, & complurima alia beneficia nobis ſubſecuta ſint &c.* in fine autem hæc. *Quibus quidem Capitulis majeſtati noſtræ porrectis nomine præfatæ magnificæ civitatis, & hominum Tarenti fuit nobis humiliter ſupplicatum, ut dicta Capitula, unà cum decretationib. adiectis juxta ipſorum ſeriem, & tenorem benignè confirmare, ratificare, applicare, convalidare, concedereque, & indulgere dignaremur, ad diuturnam firmitatem, perpetuumq; robur. Nos ipſius magnificæ univerſitatis, & hominum precib. clementer annuere volentes, repetentes memoria quantum ipſi univerſitati Tarentinæ, & hominibus eiusdem civitatis debeamus, quippe qui quam primum eis licuit, partes noſtras illico ſecuti ſine ulla armorum vi, ultro ſeſe nobis dediderunt, nomen noſtrum invocaverunt, nos in urbem receperunt, & ſumma veneratione præclariſque honoribus proſecuti ſunt, quæ res nobis quietem peperit, regnum ſtabilivit, & nomen noſtrum reddidit, & venerandum, & formidabile exemplumq; fuit, ut caput pleraque membra ſequerentur: Conſiderantes etiam quantum noſtra interſit, ut hæc præclara urbs, quæ olim Romanis ipſis formidabilis fuit, pro virili noſtra inſtauretur, ne madidum nobileque Tarentum, ut veteres appellabant, ad internecionem adigatur, ſed priſtinam dignitatem aliquando accipiat: Impulſi etiam, quòd hæc Capitula majeſtati noſtræ porrecta prudentiſsimè inſtituta, & egregiis rationib. adinventa ordinataque ſunt, quodque partes noſtræ ſunt hanc urbem inſignem favoribus proſequi, beneficiis cumulare, noſtriſque gratiis favere, & omni ex parte tanquam urbem claram inter Regni primates, de nobiſq; benemerentem cariſſimam habere &c.* Ut omittam alia ad annum uſque nonageſimum primum poſt mille, & quadringentos expedita. Suſcepit ex Iſabella conjuge Ferdinandus plures filios, quorum primogenitus fuit Alfonſus dux Calabriæ, alter Fidericus, tertius Joannes Cardinalis, qui fuit Tarentinus Archipræſul, quartus Franciſcus, fœminæ fuerunt Helionora, quam Herculi Eſteſi, & Beatrix, quam Matthiæ Pannoniæ Regi, Tertia Spuria, quam Antonio Pii ſummi Pontificis propinquo locavit. Henricum item Spurium habuit, ex quo genitus Aloyſius, qui neptem Innocentii Pontificis pactam prius matrimonio habuit: mox Pontifice defuncto abdicata, Cardinalis Tarraconenſis eſt à ſucceſſore creatus. E° Regiis filiis Franciſcus, & Joannes Cardinalis, & Henricus, Juvenes admodum defuncti, patre ſuperſtite. Varia Ferdinandus per ſe, & per filium Alfonſum geſſit bella: etiam cum Procerib. Neapolitanis rurſus mortuo Joanne Antonio eſt tumultuatus. Hinc illa conſpiratorum comprehenſio, in carceres coniectio, ac demum ſilentio noctis omnium occiſio, & nonnullorum per fruſtra concilio. Anno etiam Dei noſtri humanati 1480. quando Mahumetes Græciæ domitor Rhodum maximis viribus oppugnabat, improviſus Turcarum adventus, qui oportunitate breviſſimi tractus freti ab Aulona totaque Epiro accitis copiis, non modo Apuliam, ſed cunctam Italiam incredibili terrore compleverat. Sed Hydruntum in Salentinis urbem brevi accepit, decimo ſeptimo vix in obſidione oppugnationeq; conſumpta die. Unde coactus Rex Ferdinandus Alfonſum filium à Florentinis armis ad Regni ſubſidium revocavit, & ad Hydrunti reparationem: Iniunxitq; Raymundo Baucio Uxenti Comiti, ut ſtatim Tarentum, cui à Turcis maximè timebat, le conferret cum præ-

præsidio peditum quadringentorum. In bello autem adversus Turcas pro Hydrunto ab illis recuperando tenuerunt Tarentini 4. onerarias naves, Unamq; triremem, & transmiserunt trecentos pedites, quibus ipsi victum ære publico subministrabant, sicut legitur quibusdam in Regiis literis, quæ Neapoli expeditæ fuerunt 18. Calend. Septemb. anno 1482. quib. mandabatur, ne Tarentini vexarentur in solutione, quam extraordinariam vocant, qua de re extat adhuc processus. Mors Mahumeti Turcarum Regis, qui fœdus cum Venetis adversus Ferdinandum inierat, magnam Alfonso occasionem, quam citissimè Hydrunti reparandi porrexisse creditur. Nam Turcæ audito Imperatoris sui obitu, quotquot intra Hydruntum erant, salvis reb. illi se dedidere, aliquot Alfonsus inter suos milites detinuit, sicut scribere videtur Antonius Galatheus Ferdinandi Medicus. Moritur Rex Ferdinandus intra biduum ex morbo, & Catarrhi descensu, quem ex immoderata venatione conceperat, octavo Calend. Februarii, hora 17. anno salutis restitutæ 1494. & sexagenarius decessit, cum annos undequadraginta regnasset, ac statim Alfonsus eius primo genitus justis regali pompa defuncto patri persolutis, ad imperium evehitur. Rex in primis à Federico fratre natu minore, reliquisq; Neapolitanis principib. salutatur, auditæq; gratulantium, qui aberant, procerum legationes, urbiumq; quæ undiq; officii gratia Neapolim coibant.

Alexandro pontifici huius nominis sexto, qui antea Rodericus Borgia nuncupabatur, per oratores suos humiliter supplicat Alfonsus Junior pro Bulla Pontificia, quam omnium Cardinalium consensu annis superioribus fecerat Innocentius octavus, qui Alexandrum præierat. In legatione autem fuerunt, ipso ita jubente, Eugenii, Nicolai, Pii, & Sixti investituræ recensitæ: & demum Alfonsus Apuliæ, & Siciliæ Regno, quia vivo patre Dux fuerat Calabriæ, investitus est; hoc enim erat consuetudinis, ut primogenitus Regis, dum pater dominaretur, Ducis Calabriæ nomen haberet, & qui Dux fuerat, Rege mortuo, in Regem eligeretur. Sic Ferdinandus senioris Alfonsi filius, qui ante paternam coronam Princeps erat Capuanus, coronato patre. Dux Calabriæ est electus. Ad Alfonsum autem quo deagimus, investiendum, ex Sacri Senatus Consulto declaratus fuit legatus Jannes Borgia Pontificis nepos Sanctæ Susannæ præsbyter Cardinalis Montis regalis nuncupatus, vir & auctoritate, & integritate maximus, & missus Neapolim cum ingenti prælatorum, & curialium comitatu Regem investivit, & coronavit 1494. 8. Idus Maii. Quod tanta cum solemnitate exactissimaq; ceremoniarum omnium observantia factum fuisse legitur, ut nullum unquam sacrum solemnius in ea urbe præclarissima ita percelebre fuisse credatur. Quæ ad Tarentinos pertinent. Alfonsus cum patre vivo exactis Hydrunto Turcis muniendum Tarentum curavit. Fuerat (ut diximus) antiqua urbs munitissima, & murus centum circa turrib. jungebatur: ultima quæ tunc temporis adhuc stabat Centenariæ nomen servabat, aliarum lapides ad muniendam, & instaurandam urbem Alfonsus jussit transferri, quamvis à Turcis, & à Gallis fuerat auditum à Byzantio ad Neapolim, à Parisiis ad Hydruntum munitiorem se Tarento nullam vidisse urbem. Fossa longis navib. permeabili a continenti Urbs fuit excisa (ut alias diximus) per Marcum Antonium Philomarinum. Ex uxore Hippolyta Maria Galeatii Mariæ Sfortiæ sorore, quam vivo patre duxerat, suscepit Alfonsus Ferdinandum, & Isabellam filios. Hanc nuptæ Joanni Galeatio Mediolanensium duci: quod quidem conjugium turbavit Alfonsi felicitatem, qua in Regno vix frui cœperat: Historia plurib. explicatur ab aliis, pauca hoc annotavi, ut ad Ferdinandum II. facilius descenderem. Dum Isabella cerneret Ludovicum viri sui patruum minimè permissum, ut Principis ille munia subiret, scripsit ad avum Ferdinandum, & Alfonsum patrem, ut vel legationibus, vel literis, vel quavis alia ratione Ludovico persuaderent, vellet, quæ sua erat fides, atque justitia. Fratris sui filio non adulto modo, atque firmo, sed etiam planè iam viro, atque adeo duorum filiorum patri, aliquando tandem regnum tradere, suique illum imperii, suarumq; rerum compotem facere. Literis lectis missi sunt Antonius & Ferdinandus Gennarii viri graves ad Ludovicum, qui nomine Aragoniorum Regum illi persuaderent, ut restitueret Mediolanense Imperium Joanni Galeatio nepoti, quæ cum noluisset Ludovicus facere, Alfonsus patre invito, qui paulò post moritur, movere in eum arma decernit. quæ audiens Ludovicus, Gallorum Regem Carolum in Italia evocat, suas illi opes, copiasque pollicens, quamvis sibi postea valde exitiabilem fuisse illius adventum perdoluerit. Carolus audita Ferdinandi primi morte, magno cum delectu Neapolim se conferre decernit. Alfonsus sentiens hostium copias iam propinquas esse, cumq; amissa omni spe, suisq; reb. omnino diffidens, cumque cerneret se populis infensum, Regnum Ferdinando filio possidendum permisit, Fiderico fratre adhibito, eumq; uti alterum parentem vereatur gravi oratione commonet. Ipse cum bonis quib. potuit, ubi primum idoneam nactus est tempestatem, in Sicilliam transmisit, & Messanæ tandem mortuus est, & in Maiori Templo sepultus;

Junior Ferdinandus annos natus 20. Rex à patre Alfonso factus, 10. Calend. Febr. anni nonagesimi quinti millesimi, & quadringentesimi in Castello Ovi, quæ mari undique alluitur, totam visus est perequitare civitatem in veste Regia cum Fiderico patruo, præeunte vexillario cum vexillo, Regemq; acclamante, & salutem illi deprecante: quo in fastu de omnib. optimè meritus vix mensem permansit integrum. Nam Carolus interea Regnum fuerat ingressus cum magna militum copia, quam ei dederat Ludovicus Sfortia, cui post partam victoriam principatum promiserat Tarentinum. Cum igitur cerneret adolescens Rex in ipsam Gallici tumultus flammam se incidisse, eam non expectavit, sed sponte cedere sta-

Digitized by Google

ſtatuens, cum ſuos gratia, & indole antecederet, Regni proceres ad ſe cum Caſſino Neapolim rediiſſet, vocatos in hanc ſententiam eſt allocutus: Quando Deus, in cuius manu omnium eſſe poteſtates, omniumque jura Regnorum non ignorarent, ita vellet, ut Gallorum furori a ſe cederetur, ceſſurum omnino ſtatuit, neque viribus impar eſſet; populis magis, quam ſibi incommoditatem pareret. Agi ſecum longè felicius putare, Regem in bello ob virtutem occumbere, quæ privatum cum ignominia vivere. Quod ſi amor ullus Aragonenſium apud eorum corda remaneret, cum quandoq; ſi forte ſuperſtes fuerit, poſt eam calamitatem in patriam revocarent, ſperarentque non Regem ſed Regni laboriſq; ſocium habituros. His dictis omnes amplexus obortis lachrymis diſcuſſit cum Fiderico patruo, & uxore Ferdinandi avi ſui altera, nomine Joanna ſorore Regis Ferdinandi Hiſpaniæ eiuſque filia: ſeſe primò contulit in inſulam Megarim, ex qua non longè ab urbis littore Neapolitani Reges qui præceſſerant, arcem Ovi dictam munitiſſimam illam quidem effecerunt. Mox in Ænariam inſulam trajecit. Dum Neapolim cum exercitu accederet Carolus, Aquilani ſe & locum ſuum ſtatim dediderunt, quæ idem & Caſſinates, Capuani, Nolaniq; fecerunt. At illi qui in munitione erant S. Germani, reſtiterunt, ſed dicto citius oppidum à Gallis fuit expugnatum, direptum, atque obtentum. Adveniens Neapolim poſt expugnatas vi, ac prætio arces duas, à civibus admittitur, & in Regem recipitur. Neapolitanos ſequuntur Calabri, Brutii, Lucani, & Appuli. Tarentini idem fecerunt, ii præcipuè (ut ferunt) qui ex medio, atque infimo erant ordine: nam ex nobilib. perpauci Gallis adhæſere, unde illorum adventu multi capite truncati ſunt, & propterea volens Carolus pergratum ſibi id fuiſſe, quæ ſtatim à ſe adverſus Aragonenſes ſteterint demonſtrare, privilegium conceſſit, ut non modò ii, qui nobiles eſſent, & ex prima civium claſſe, ſed & ii, qui ſunt medii ordinis, quos vulgò cives vocant honoratos, in Syndicum, qui primus in ſenatu eſt magiſtratus, poſſent eligi, dicunt tamen privilegium illud non fuiſſe Caroli ipſius manus ſubſcriptione munitum. Sed hanc de Syndicatu controverſiam, quæ magnos in urbe excitavit tumultus, Antonius Orificius ſenator præſtantiſſimus, & nunc conſilii Regii Præſes ſua diremit ſententia: cenſuit enim ab eo minimè excludendos eſſe Notarios, & judices Regios, qui contractuum ſtipulationi præſunt. Carolo poſt quatuor vix exactos menſes in Galliam redeunte, propterea quod cœperat paulatim exercitus deficere, & partim morbis, partim cædib. debilitari: Eoq; magis, quod Ludovicus dux, quem cœpti iam pœnituerat, ipſum ad Regnum recipiendum invitaſſe, & Veneti non æquo animo Gallos in Italiam invaſiſſe patiebantur, omnibuſq; conatib. ad eum expellendum conſpiraverant, Ferdinandus in regnum increbili omnium ſtudio Neapolitanorum præcipuè, qui Gallos iam faſtidirent, rurſus eſt revocatus, quod fuiſſe tradunt Nonis Quinctilibus, priuſquam Alfonſus pater moreretur. Nam ille hoc animadvertens erexit ſe ad ſpem iterum recipiendi regiminis: ſed Ferdinandus, uti Regum ferè omnium moris eſt, qui regnandi cauſſa, neq; pietate, neq; verecundia permoventur, patris deſiderium celeriter eluſit, illum orans, atque obſecrans ne initia infirmæ adhuc victoriæ intempeſtivo adventu ſuo perturbaret, & everteret: oderant enim illum omnes, ut præfati ſumus, ob multorum procerum cædem, ſed accepta Rex junior à patre ingenti pecunia cum Conſalvo Ferdinando Magno duce Rhegium Meſſana navigavit, quo capto Monopolim in Japygia juſſit expugnari, quæ inter multas præcipuè maritimas urbes adhuc Gallorum præſidiis fulciebatur. Sed magna fuit, & Ferdinando, & Fiderico patruo difficultas urbis noſtræ reparandæ, cuius rei ita ſe habere ferunt hiſtoriam. A Tarentinis Galli ſicuti à Venuſinis, & Cajetanis datæ acceptæq; fidei teſſeras in Galliam ſecum detulerant, quo circa volebant cives, ii præcipuè, qui ex ſecundo, & tertio ordine erant, ex quib. neq; omnes primi deſciverant, pro illis emori magis quam fidem ſolvere, & rurſus in Aragonenſium, quorum tempora tam varia cum maximo omnium detrimento perſpexerant, ditionem accedere. At Ferdinandus non deſtitit legatos mittere, qui omnia ſuo nomine illis pollicerentur, quæ peterent. Videns demum Tarentinorum pro Gallis tantam animi conſtantiam, quantam Aragonis in amica fortuna ſervarunt, urbem decrevit mari, terraq; aggredi. Præfecit claſſi Fidericum patruum Altamuræ Principem: At terrenarum copiarum ducem inſtituit Cæſarem, qui patris ſui etiam frater dicebatur, ſed Spurius. Cum itaq; terra mariq; viderent ſe Tarentini obſeſſos, non propterea timore perculſi à Gallis ſtatim defecerunt, ſe majora pati pro ſervanda Carolo data fide inter ſe ſanciverunt. Terreſtris exercitus ductor Cæſar infeſto agmine illorum agros devaſtare, urbem tormentis oppugnare, obvios quoſq; occidere, aditum aliis ad urbem occludere: & marina claſſis ſub Fiderico aperti maris imperium habens pejora facere non deſiſtebat. Nullus erat dies, nox nulla abſque tumultuariis inter noſtros, & Aragonios prælis: hinc ſpes quandoque futuræ oriebatur victoriæ, hinc deſperatio tantam miſeriam poſſe pati. Erat Tarentinis animus, & ſi urbs tota mœnib. nudaretur, ſua, conjugum, filiorum, opponere corpora, nec pedem referre, nec hoſti locum relinquere perexiguum, ut in urbem immitterentur. Quin quò acrius bombardarum ictib. undiq; petebantur, eò firmiores conſtantioreſq; ſe exhibebant. Erat tunc in claſſe Marcus quidam Cizenus, qui prætor 25. roſtratis navib. præerat à Venetis Senatoribus Gallorum hoſtibus, opem Ferdinando ut in hoc bello ferret, miſſus, is ad Tarentinum littus cum applicuiſſet, claſſi quam Fidericus ductabat, naves adiunxit ſuas. Expoſiti recentes milites tantam agris, illos depopulando, cladem inferebant, ut id Tarentinorum aures animoſque ſimul feriens, illos nulla mora armatos

Digitized by Google

matos impulit, ut hosti tam perfido, & qui ab ipsis nullam receperat injuriam, occurrerent. Dum dimicaretur, clamore hinc inde (ut fit) exorto, tantum Venetis militib. timoris est injectum, tanta illorum cædes facta, ut peracto ad vesperam certamine, observatum sit mane mille hostium de navali exercitu desiderari præter trecentos, qui vivi capti à Tarentinis fuere: Reliquis ad naves fugatis, dux Cizenus ad mortem saucius vix evasit. Tarentini cum Gallico præsidio victores ad urbem redeunt, quos adhuc bellare avidos in fortuna usque adeo amica, dux Gallus, ut victoria uti scirent, domumq; ut pedem referrent, admonuit. Veneti adhortantib. Ludovico Mediolanensium rectore, & Alexandro Pontifice Ferdinandum defendere, & adversus Gallorum violentiam rabiem, & regnicolarum perfidiam diadema regium illi conservare. Ea tamen initio subsidii fuit proposita, acceptaq; conditio ut sibi maritimæ in Adriatica ora urbes, Tranium, Monopolis, Polymnianum, Mola, Hydruntum, & Brundusium pignori traderentur, tamdiuq; essent sub ditione Veneta, donec Ferdinandus expensam eo bello pecuniam Senatui persolvisset. Aragonenses animadversa non absq; animi cruciatu Tarentinorum pertinacia, morientium magis quàm ut à Gallorum deficerent fide, Georgium Svillum Gallis præpositum, & eam urbis partem tutantem, quæ portum respicit, ubi turris altissima erecta est, nostris adhuc diebus Citadella vocata, munerib. ac pollicitationib. variis tentare cœperunt, atque per legatos, quibus se altera die Gallus responsurum promisit, ad deditionem adhortari. Sed re à principe majoris arcis Præfecto, cui Svillus suberat, detecta, Tarentinorum consilio jussus est Svillus hostibus tanquam lassus dediturum se urbem promittere, & re id præstiturum in se recipere. Verum ergo dux Gallus cum Aragonicis legatis sequenti, ut dixerat, die ad colloquium: ostendit placere sibi sublata munera: consuluit ut in crastinum, prima sequentis noctis luce, pars navium Citadellæ muro adhæresceret. Sic enim expositæ navali turbæ, inimicoq; terrestri instructo agmini Turris portas aperiret. Aderat iam dati ad deditionem signi hora. Tarentini ad eam advolant portam tutandam, qua admittendi hostes credebantur. Signo utrinque dato acceptoque naves aliquot ostensum ad murum accedunt, & copiis instructis dux Cæsar rei potiundæ studio eodem adventabat. Erat præfectorum omnium urbis illud consilium, ut inimicum inter pontem, qui longus est, & Citadellæ ostium clausum trucidarent: sed rei exitus illos ineptè fefellit. Nam ubi hæc agi tentabantur, displosum è mœnibus in hostem tormentum, coegit illum subsistere. Sentientes Tarentini cum Gallis suum nihil jam profuisse inter se conceptum stratagema, assiduis tormentorum ictibus inimicas naves percutere, percussas submergere, submersas obruere, timorem undiq; terroremque iniicere tentarunt. Dux terrestris ad fugam agilior, ne, & sibi hujusmodi aliquid accideret, retrocedere cum exercitu consuluit. Moritur interea Ferdinandus Rex nonis Octobris, & anno 1496. cum Neapoli regnasset duodeviginti menses, & moritur absque sobole, cum in matrimonium duxisset Joannam Ferdinandi primi filiam, non ex matre patris Alfonsi, sed ex sorore Hispani Regis susceptam, & Alfonsus jam suum obierat diem decimo ante mense, hoc est 15. Calend. Januarii anno 1495. Quæ res haud mediocri Gallis, & Tarentinis voluptati esse potuit, sic enim ab utroque liberati exercitu, quo tandiu fuerant obsessi, tempus sibi consulendi, ut illi abirent, hi ut post hac quietè viverent, habuerunt.

Ferdinando juniore extincto, Neapolitani, Fidericum in regni culmen admiserunt. Hic Gallorum reliquias, quæ adhuc in regno substiterant, ut vel sibi obedirent, vel morerentur, vel saltem ad suos recederent, remearentq; magno suscepto labore, coegit, atque idem per Alexandrum Sextum Capuæ coronæ regiæ insigni donatus est, decimo à Ferdinandi obitu mense, 4. idus Augusti, quo die celebratur divi Laurentii combustio. Tarentini interea tot mutationum pertæsi, & dominantium Gallorum tœdio affecti, cœperunt intra se, in tanta fortunæ varietate, quid potissimum agerent pro sua salute, & quiete discutere, deficerent ne à Gallis, & Aragonensibus, quos ad regnum provectos cernebant, & quib. ante Gallorum adventum suberant, sese dederent, an utrosque desererent, & novum quoddam subiectionis jugum, quod diuturnius, & levius foret, subirent. Omnes tandem in eo conveniunt, ut Venetis Senatoribus se subiicerent, quos & si iratos suspicari superiore prælio poterant, quia tamen justos, ac modestos eosdem fuerant alias experti, Monopolim, erectis prius Venetis vexillis, quæ felicissima vocabant, Adriatici maris urbem triginta ferè millib. passuum à Tarento remotam ad Aloysium Lauredanum, ibi pro Rep. rectorem legatos mittunt, qui omnium nomine illum obsecrarent, obtestarenturque, ut sibi subveniret, & in nova hac pro sua Rep. deliberatione iret suppetias, ille ne temerè aliquid inscio Senatu faceret, statim literas hac de re tam seria dandas, perferendasque curat Venetias. Tarentini præterea duos mittunt legatos, alterum ex nobilioribus, è medio ordine alterum. Audita Veneti proceres legatione, & voluntate Tarentinorum, quia res erat magni consilii indigna: Nam & ipsi Aragoniis Regibus militarum (ut visum est) captis pignoribus urbium faverant Ferdinando adhuc vivo: & si Tarentini imperio potirentur, sperarent facilè universam Japygiam, & Calabriam sub se, & brevi habere posse, complures dies sententiis dicendis, quid Tarentinis responderent, consumpserunt, & recipiendi ne essent, ut petebant, vel ad suos Reges Neapolitanos remittendi. Huc tandem deveniunt Tarentum, unum ex Senatorib. mitti oportere, qui urbis illius curam gereret, haberet ad dignitate Reip. servandam, nomen provisoris, sed potissimum illud studeret, ad illud nervos intenderet suos, ut Tarentinis Fidericum Regem, & Fiderico civitatem conciliaret

Digitized by Google

ret jam enim poterant Tarentini memoria repetere illius adoleſcentis in ſuam civitatem benevolentiam. Nam cum provinciis præeſſet vivo tunc patre, liberalem in privilegiorum confirmatione ſe præſtitit. Nondum Andreas Zancanius (hunc enim Senatus legatum deſignarat) diſceſſerat, & Oratores Hiſpaniarum Regis, Ludovici Mediolanenſium ducis, & imprimis Alexandri Pontificis Maximi Venetias appulerunt, qui Senatores admonerent, ne in Tarentinorum cauſam adverſus Neapolitanum Regem ſe inſinuarent. Veneti non minis territi, ſed laborem, quem prævidebant, fore ut cum invidia paterentur, devitantes, Zancanium, ne navem conſcenderet, & Tarentum ſe conferret, continuerunt, iniunctoq; onere levarunt. Dum hæc fierent, non ceſſabant Tarentini cum Gallis intra mœnia ab exercitibus ſepti pro virili ſe defendere. Crevit tamen in tanta biennii ferè obſidione rerum omnium inopia, ut moribundi, & ab Aragonicis ducibus tentati, ad deditionem ſe inclinare cœperint: eò magis, quia fruſtra à Carolo Gallorum duce auxilia ſperarent. Et jam ipſi urbem magna ex parte munitioreque dirutam, agros pervaſtatos, animalia omnia occiſa, piſcationem perditam oculis cernebant. Quin ad tantam vivendi pervenerant miſeriam, ut canes, mures, beſtiarum, quæ intra urbem erant, coria, fame invaleſcente, comedentes ſtomacho hebetari, ac langueſcere indies, vitamque diutius vivere non poſſe ſentiebant. Convenerunt tandem cum Gallis, qui in præſidio erant, ut ad hoſtem legati deditionis conditiones utriſq; proficuas relaturi deſtinarentur. Conſentiunt Galli, qui ſe perditos omnino videbant, id fieri, dummodo, & ipſi junctim cum Tarentinis legati mitterentur. Qui ad hoc electi fuerunt, Cæſarem terreſtium copiarum ducem adeunt, rogant, concionem cogeret, ut audito, quid vellent, omnium aſſenſu ad Regem perferretur. Unus ita dicere orſus eſt: Ea ſemper dux invicte, noſtra fuit, erga Reges Neapolitanos, fides ut mori potius majores noſtri, & nos illorum veſtigia ſecuti, elegerimus, quam illam aliquando violare: ceſſimus tempori quandoq; & veluti membra capiti ſemper adhæſimus. Nam quod Neapolis fecit, id nos facere decebat. Adverſa Aragoniorum fortuna, tempora tam varia, quæ cum diſcrimine, & bonorum, & vitæ, & cum urbis etiam totius perditione ſumus experti coegerunt modò, ut quam Gallis fidem præſtiteramus à Neapolitanis prius præſtitam, ſervaremus, proq; ea parum duximus, negleximus, quod pane miſeri ex furfure confecto, quo genere canes paſcuntur, diveſci cogeremur, ſordidiore illo quidem, & interiora ob ſiccitatem adſtringente. Urticas vix coctas, ne vel ſapore, vel innatis læderemur aculeis, quoties eſitavimus? Sed modò omnibus jam perditis extenuati corpore, pallore, ac livore idolis facti ſimillimi, pacem oraturi, veniamq; exoraturi à ſociis ad te miſſi ſumus, quam largiri his conditionibus, neque tibi, neque Fiderico, quem Regem accipimus, amplexamurque illius quamvis abſentis proſtrati genua, ſit, quæſumus, permoleſtum. Liberos poſthac cuiuſlibet ſtatus Tarentinos, non ſervos, ut qui bello capiuntur, poſcimus: leges, magiſtratuſque, quibus antea degebamus, ſalvos petimus, integroſq; bona noſtra, quæ tot cladibus vix pauca conſpiciuntur, noſtra eſſe precamur, nullumque Regi vectigal pro damni recepti ſpecie ſolvendum recepturi. Gallorum præterea duces, qui, & ipſi legatos nobiſcum miſere, cum toto præſidio intactos, inviolatoſque in Galliam uſque tranſmitti, rogamus, ac obſecramus. Hæc ſi concedentur, jam Tarentinæ portæ Aragonenſibus pateſcunt, ingrediantur, quando libitum fuerit, dominentur in noſtra urbe, ut Alfonſi, ut Ferdinandi, nihil eſt, quod eos impedire poſſit. Rex certior per Cæſarem de hac legatione factus, non tam urbis obtinendæ deſiderio, quod maximum quidem erat, quàm timens, ne Regi Turcarum, cui vicini ſunt Tarentini, (quod quidem nunquam ipſi cogitaverunt, ut ex Senatus conſultis conſtat) ſe dederent, cum magna, & ſuæ ditionis, & totius Italiæ jactura, atq; pernicie, petita ſtatim concedit, & majora, ac graviora pollicetur: & ſcribi, veluti leges ære inciſas perpetuoque ſervandas, legatorum propoſitas juſſit conditiones ad hæc ferè verba: Liberi Tarentini immuneſque cuiuſcunq; ordinis poſthac in utraq; Sicilia ſunto. Suos vivendi ritus, conſuetudineſq; magiſtratuum eligendorum ſalvas habento. Vectigal Regi poſthac, quod non eſſet ex uſu, ob veniam defectionis impetratam, non ſolvunto: præſidium militum inviti non recipiunto. Gallorum duces cum toto ſuo exercitu intacti, & nulla affecti injuria Tarento in Galliam, & reliquo regno, ſi volent, abeunto. Sic igitur Fiderico ſe Tarentini dediderunt. Vix quintum in pace annum regnaverat poſt Gallorum diſceſſum Fidericus, & in eum facta eſt nova, ſed major Hiſpani, Galliciq; Regum, Conſalvo magno inde, Namurtio hinc ducibus conſpiratio. Convenerant enim Ferdinandus Rex Hiſpaniæ Catholicus dictus, & Ludovicus Gallus, Regnum inter ſe Fiderico expulſo, partirentur. Ferdinando ut utraq; obveniret Calabria cum tota Apulia, & Salentinis, ibiq; ſortiretur nomen Ducis Calabriæ, & Apuliæ. Ludovico autem cum reliquæ provinciæ, tum in primis tota Campania. Samnium, populi Marſorum, & Pelignorum cum regio nomine. Tanta autem calliditate Ferdinandi nomen in fœdere ſuppreſſum eſt, ut Fidericus à nemine in ipſo ſummi periculi metu majorem opem, quam à Ferdinando conſanguineo, vetereq; ſuo defenſore expectaret. Sed deſperatis rebus cum uxore, & liberis in Iſolam Aenariæ inſulæ arcem confugit, iratuſq; Hiſpano Regi, à quo ſe deſtitutum querebatur, cum Namurtio atq; Obenigno Gallorum ducibus aſſignata illis arce Neapolitana tranſegit, ut ſibi tutò liceret in Galliam navigare, expeririq; Ludovici Regis clementiam quem ſupplex eſſet aditurus. Venia ergo navigandi ab illis impetrata contulit ſe ad Ludovicum, à quo quidem fuit perbenignè acceptus, ſed ibi in

Gallia paulo post moritur, cum esset annus humanæ salutis quartus post quingentesimum & millesimum.

Reliquerat Tarenti Fidericus ob spem pacis à Ludovico impetrandæ Ferdinandum filium adolescentem natu maximum, quem de more aliorum Regum Calabriæ ducem vocabant, ut urbem totius regni tunc munitissimam, atque opportunissimam præsidio tueretur. Erat cum Ferdinando puero regio Joannes Gevarra Potentianus regulus, & Leonardus Alesius è Rhodia militia vir bellica virtute insignis. Tenebatur, & eodem tempore Fiderici præsidio Manfredonia ad Garganum montem, ubi vetus fuit Sipontus. Reliquæ urbes, juxta Regum conventionem & arces partim in Gallorum, partim in Hispanorum concesserant potestatem. Consalvus itaque quoniam Salentinus ager, & Japygia Hispano (ut diximus) obvenerant Regi, coactis in unum copiis, & accitis à Namurtio, à quo nondum dissenserat, Gallorum duce Vasconum sagittariorum cohortibus duabus, & totidem equitum alis, ad Tarentum castra posuit. Eò quoque venere alii cum Prospero, atque Fabricio Columniis ducibus, qui apud Consalvum magna erant in existimatione, atque honore. Bellum geri cœptum. Erumpebant: ut plurimum Aragonii, & in subiectis urbi campis equestrib. præliis admisto pedite adversus Hispanos dimicabant. Consalvus cum desperaret urbem vi, ac tormentis expugnare se aliquando posse, premendam acri obsidione, ac fame domandam judicavit. Consumpserat jam aliquot ea in obsidione menses, cum multis sensim conjecturis animadvertit, Gallos haud quaquam regni divisione jam facta contentos, occultè hostilia moliri, literisq; transmissis solicitare Gevarram adolescentis Aragonii nutritium, & Leonardum præsidii præfectum, ut suo potius quam Hispano Regi, qui Fidericum destituerat, Tarentum dederent. Auxerat quoque suspicionem Alegria Gallorum ducum longe promptissimus, qui paulò ante per speciem religionis postularat, ut sibi aditus pateret, ad Sancti Cataldi templum, scilicet ut votum pro salute susceptum oblatis donariis præsens exolveret. Et per idem tempus Galli Manfredoniæ præfectum, ut sibi non Hispanis arcem urbemq; dederet, magnis invitarent pollicitationibus. At Consalvus cum in præoccupanda Manfredonia miros Gallorum conatus superasset, egit cum Gevarra, ac Leonardo Gallorum suaptè natura hostibus, ut ad deditionem Hispano regi maturandam, adolescentem æquis conditionibus propositis hortarentur. Audierat jam illum, ut præcellentibus animi dotibus vigentem, unum quod primum, & novitiū mum tamdiù obsessis urbibus remedium esse solet, cives humanissimè, & quandoq; pertulis lachrymis appellasse singulos quosq; pensasse, patris majorumq; suorum publicè, ac privatim benefacta commemorasse, auxilia prope diem affutura permisisse. Admirabili interea stupendaq; Consalvo ratione Annibalis Pœni exemplo circiter viginti navigia plaustris imposita ab aperto pelago in internum, atque conclusum mare transvexerat, qua parte urbs minimè erat munita, ut hodie jussu Philippi Regis munitissimam cernimus suis popularium domus frontibus inter se conjunctæ pro muro erant, nihil unquam hostile inde expectantibus Tarentinis. Ingenti itaque militum plausu, multisq; tympanorum, ac tubarum cantibus in portum deductis navibus, totoq; mari quantulumcunque est vagantibus magnus Aragoniis terror est illatus, quanquam ea res specie ipsa quam usu, & facultate oppugnationis terribilior erat. Nec multo post velut desperatis rebus Leonardus, & Gevarra Ferdinando adolescenti persuasere, ut se incolumem meliorib. fortunæ casibus servaret. Si enim consenescere obsessa in Urbe perseveraret, certa ei instarent vitæ pericula. Jam enim considerare poterat, infensos sibi imminere longè maximos, & potentissimos Reges, & cæteros principes eorum esse fœderatos, à quibus auxilia operiri, & opinione stultum, & exitu miserum videretur. Falsum præterea esse quod ferebatur, patrem scilicet Fidericum cum Ludovico Galliæ Rege in Italiam descendere. Tarentinos, quos sibi jam agnoverat obsequentissimos, adeò cumulatis diuturnæ obsidionis tædiis & incommodis afflictos esse, ut jam acerbiora quæq; exoptent, modò obsidione, belloque liberati tot ærumnis atque laboribus finem inveniant. Si urbem arcemque dederet, à Consalvo absque ullo negotio, & facilè impetraturum, ut sibi in quascunq; velit terras cum omni regia suppellectile & totoque domestico comitatu libere statim proficisci liceat. His atq; aliis adductus adolescens Ferdinandus consiliis Gevarram ad Consalvum emittit: induciæ sex dierum statuuntur, commeantibusque intra urbem Aloysio Errera, & Petro Paceo Consalvi præfectis, de Tarenti deditione utrinq; transigitur. Cuius quidem tam celeris, & præpropere Leonardus, & Gevarra cum nonnullis Tarentinorum primoribus, libertatis desiderio motis ingenti invidia flagrarunt. Nam illi etiam obsides Raymundum Maramontem, & Januccium Ficatellum Consalvo dederunt, ut securus esset, fore ut ab Aragoniis, quæ promitterent, servarentur. Ferdinandus puer Regius summo cum honore, & singulari humanitate ab Hispano Duce susceptus, cum Regno excedere, & paterna sequi maturaret consilia, à Bitunto oppido non multo post Tarentum retrahitur, frustra quærens, & interdum gemens, quod fallaciis inductus, & sub fide Regia proditus custodiæ traderetur, & Consulvum sibi, ut patri, fidem non servasse, receptorum immemorem beneficiorum, sed verebatur Dux prudens Hispanus, ne adolescens Fiderici Patris consilio innixus ad Gallos Hispanis infestos transiret, Aragoniorumq; animos in spem recuperandi sui Regni erigere, & renovato bello ab Hispanis niteretur avertere. Defendebat se Consalvus, si quæ promiserat, non præstaret, id totum ex Regis voluntate pendere, qui uti absens, ignarusq; earum rerum, ex jureconsultorum responsis nullæ Consalvi sponsione obligari posse censeretur.

Nec

Digitized by Google

Nec multis inde menſibus adoleſcens regius, (quod vehementer mœrorem eius auxit) in Hiſpaniam deductus eſt, ubi in libera honeſtaque cuſtodia paternæ ſimul fortunæ, & iniquæ ſuæ ſortis caſum æquo animo pateretur, vixitq; ſeptuagenarius abſque liberis, ſed cum uxore Germana Ludovici XII. Francorum Regis ex ſorore nepte, quæ ante fuerat uxor Ferdinandi Regis Catholici, moritur tandem Valentiæ cum ibi fungeretur proregis magiſtratu. Multi ex Tarentinis militibus eum videre ſuſpirantem, regnumq; ſuum non abſq; lachrymis ſaltem cernere exoptantem, deque multis, quos erga ſe obſequentes noverat, interrogantem. Quo die Ferdinandus in Hiſpaniam captivus miſſus eſt, obſides Maremontius, & Ficatellus, qui Gryptalis Conſalvi juſſu, & in navib. quandoq; fuerant detenti, Tarentum rediere à civibus magno excepti applauſu, quod fuiſſe ſcribunt Calendis Martii anno ſecundo à quingenteſimo, & milleſimo.

Orta eſt haud multò poſt inter Conſalvum & Namurtium, hunc Gallici, illum Hiſpani exercitus ducem, contentio magna de finibus regionum, & præcipuè de Capitinata, quæ Daunia eſt, & Baſilicata Lucaniæ regione. Tentatum primò, ut tollerentur lites togatorum hominum, & jureconſultorum arbitrio: Mox inſolentia, & libidine militari res ad altercationem cruentiſſimam eſt deducta. Hiſtoriam huiuſmodi integram, quantacunq; fuit, pluribus, & elegantioribus verbis proſecutus eſt Paulus Jovius in vita magni Conſalvi, nos inde ea collegimus, quæ huc pertinere cenſuimus. Quum diu Conſalvus contra Namurtium in tota Apulia evagantem ſuis cohortibus iviſſet, multiſque locis expuliſſet: exigua militibus ſuis quiete recreatis Petrum Navarrum cum ſua Cantabrorum cohorte, Canuſio Tarentum miſit, ratus eam urbem ducendo bello, parandæq; demum victoriæ grave momentum habituram, cui hoſtis ex propinquo vehementer inhiaret, maximè valido fideliq; præſidio muniendam. Namurtius enim Meſſapiam, Dauniam, Japygiamq; pervagatus, multa in Salentinis oppida in poteſtatem redegerat, & in his Lectium nobile oppidum, Lupiæ antiquitus dictum, præterea Calatanam antiquiſſimam Theſſalorum Coloniam, quæ hodie à Sancto Petro nomen duxit, & Nardoum à Leucadia, Neritho, condentibus Græcis dictum. Item Rhudias Ennii poetæ natalibus celebres, quæ Rhodiæ hodie vocantur: Oriam demum, & Mottulam. Converſiſque ſignis, & Gallipoli ex itinere fruſtra tentato, Tarento copias admoverat, nihilq; ſe commovente præſidio, & quieſcentibus Tarentinis, Cuperſanum adortus eius oppidi Regulum fidem mutare coegerat. Poſtremo urbem Caſtellanetum medio, ſed obliquo itinere inter Tarentum, atque Brunduſium ſitam, ea conditione in fidem acceperat, ut præſidii cauſa duas Gallorum turmas imponeret, quibus ſeſe adverſus Hiſpanos è Tarento ſæpius erumpentes tuerentur. Sed fortè evenit, ut Caſtellanetani Gallorum injuriis exagitati conjurarent, quod nonnulli procacius quam Apulorum mos ferret, matronarum pudicitiam attentaſſent: alii hoſpitum penuariis copiis prodigè uterentur: at quidam hoſpites ſuos ægrè iniquis imperiis parentes temerè verberaſſent, itaque præſidium intempeſta nocte ſopitum in hoſpitiis ad datam teſſeram eſt comprehenſum, accitiſque à Tarento Hiſpanis urbs tradita: ea tamen conditione, ut Galli quanquam exuti armis, & equis, quoad in tutum pervenirent, inviolati præſtarentur. Namurtius feſtinanter Caſtellanetum noctu diuq; continuato itinere pervenit. Oppidani ſubito adventu irati, repentinique hoſtis magnopere turbati, quod pauci in præſidio Hiſpani aderant, quod adverſus vim tormentorum imparati eſſent, & mulierum, puerorumque planctus deliberantib. viris fortia conſilia excuteret, ad id conſilium decurrerunt, ut admiſſi ſceleris pœnas pecunia redimerent, poſtquam nihil in corpora deſæviſſent. Sed dux iracundus, cum triplo majorem pecuniam poſtularet, & niſi integram continuò perſolverent, cunctis extrema ſupplicia minaretur, id omninò importunè effecit, ut oppidani ad deſperationem verſi extructis introrſum tumultuariis munitionibus aliquot tormentorum ictus conſtanter ſuſtinerent, ſubireq; murum ſcalis auſos provolutis è corona trabibus, ſaxiſque ingentibus deterrerent. A tanto autem periculo liberat Caſtellanetanos Namurtius Geriona Ruboſque revocatus. Quo non multis poſt menſibus extincto Conſalvus, qui ab illo Baruli fuerat obſeſſus, quò metu perculſus Petrum Navarrum, & Ludovicum Erreram propinquum ſuum cum eâ manu, qua poſſent, Tarento coactus evocarat, Neapolim in ditionem recepit Hiſpanam, Cajetaq; potitus Ludovico Erreræ arcis urbiſque cuſtodiam ita tribuit, ut in eius locum Tarenti Petrus Nicoſſa ſuccederet. Virtute igitur Conſalvi magni ducis Rex Catholicus Ferdinandus expulſis omninò Gallis, & prius Aragoniis ipſe Aragonius regnum acquiſivit Neapolitanum anno prædicto 1503. decimoſeptimo Calend. Junii. Sequenti anno, & tertio poſt, multa, quæ adhuc extant, Tarentinis conceſſit privilegia, & ea præcipuè, quæ ad cochlearum nigrarum capturam in foſſa, cui Arx major imminet ex aperto mari urbs ex Intercluſo, cum magna civium commendatione, ſpectant. Appoſuimus verba laudationem continentia. *Ferdinandus, & Heliſabeth Dei gratia Rex, & Regina &c. Etſi omnibus ſatis eſt clarum, nobis verò clariſſimum eſt, qui eorum animos, nedum opera fideliſſima inſpeximus. Quippe qui cum omnis ferè provincia Apuliæ, & Calabriæ ad Gallos à dictis Catholicis Maieſtatibus defeciſſet, non ſolum eadem civitas permanſit in fide, ſed etiam hoſtibus aſſiduè pugnando multa prælia confecit: propter quæ omnia multas impenſas fecit, & damna multa perpaſſa eſt, atque eo pacto, ut aliquæ aliæ civitates idipſum facerent, exemplo, & documento fuit. Quare evenit, ut ſuperatis tandem & profugatis Gallis multò celerius eandem provinciam recuperaverimus, quam defecerunt: & propterea meritò inducimur, ut erga dictam univerſitatem,*

& homines ejusdem civitatis Tarenti, simus ad gratiam non solum prompti, verum etiam promptissimi.

Paterna Caroli prigo semper Christiana, & potens, maternæ, quæ fuit, & antiqua, & Catholica conjugio adiecta, illum reddidit adeò potentem, nobilem, & pium, ut qui tot multis simul, & sublimibus ornatus vixerit titulis, haud facilè alterum invenias parem. Philippus Austrius Archidux, Maximiliano genitus Cæsare pater fuit Caroli, Mater Joanna, quam Ferdinandus Hispaniarum Rex Catholicus ex Helisabetha Henrici sorore cum Joanne Maximiliani ejusdem genero, & Catherina, suscepit. Parentibus igitur adeò illustribus nascitur Carolus anno humanæ salutis 1500. quinto Calend. Martii, & illorum tanquam hæres legitimus multa illa possedit regna, quæ in instrumentis, indultis, edictis, decretis, honorificentissimè præscripta videntur. Cum vix undecimum explesset annum patrem amisit adolescentem, qui 28. agens annum Burgas Hispaniæ oppidum se contulerat, audita Helisabetha socrus morte, cuius in regno Castiliæ hæres erat Joanna ejus uxor, qua ratione Ferdinandus, ita decernentibus Hispanis proceribus, inde decedens in regnum Aragoniæ, mox Neapolim venire statuit cum nova uxore germana Francorum Regis ex sorore nepte. Sed audiens Joannam filiam obitu viri Philippi mente captam, rediit in Hispaniam, secum advehens Consalvum magnum, quem novarum rerum auctorem in regno Neapolitano non quidem invenerat, sed suspicabatur, & per quinquennium curam filiæ Joannæ, & Caroli nepotis gessit. Moritur Ferdinandus anno restitutæ salutis 1516. undecimo Calendas Februarii, cum esset sexagenarius. Quin aliis contendentibus, superarat annum, quem scalarem dicunt, sexagesimum tertium, & pervenerat ad sexagesimum quintum. Instituit hæredem ex asse Joannam filiam viduam, & matrem Caroli, qui tunc annum agebat decimum sextum. Is vigesimo post à morte Ferdinandi avi sui mense, contulit se in Hispaniam, anno 1517. decimotertio Calend. Octobris, ubi regia insignitus corona Rex ab omnibus salutatur, quamvis per aliquot annos commune haberet cum Joanna matre regimen: Sic enim in omnium scripturarum frontibus legebatur: Nos Joanna, & Carolus eius filius primogenitus: & sic contenderant Hispani quidam proceres, ne viva matre solus diceretur Rex. Eodem anno confirmarunt Tarentinis omnia privilegia, quæ Ferdinandus Catholicus, & nova concesserat, & vetera confirmarat. Maximiliano avo Imperatore vita defuncto, ob Joannam matrem, quæ fuerat Philippi uxor, non modo hæres successit Regnorum avitorum, sed etiam Imperialis Coronæ, designatus Christianorum Imperator Francfordiæ ab Imperii electorib. quamvis Franciscus Valesius Francorum Rex, non modo largitione ingenti illum oppugnaret, sed ea etiam potissimum ratione, quia cum Neapolitanus esset Rex, non poterat Imperium assumere: Ita enim multo antè per Romanos Pontifices, & Carolum Andegavensem fuerat sangitum. Qua in re per Cardinalem Cajetanum, Summus Pontifex Urbanus Carolo adversabatur. Vicit tandem Caroli virtus, nolentib. Teutonicis electoribus. ut Imperium in aliam à sua migraret gentem. Decimoquarto igitur Calendas quintileis anni 1520. fuit occidentalis Imperator electus annos natus undeviginti, cum esset in Hispaniis & sequente anno mense Februarii eodem, quo natus est, die, accepit Aquisgrani Imperiale diadema ab Antistite Colonienſi magna cum pompa, & festivitate (quo eodem die, & anno Solimanus Turca Imperator Constantinopolitanus Selimo patri mortuo succedens coronatus est) à Clemente septimo Bononiæ in Imperio confirmatur, cum trigesimum ageret annum. Non est animus omnes invictissimi huius Cæsaris res gestas percurrere. Hoc enim, & ab aliis ante me elegantiore factum est stylo, & fortasse Plutarchus si viveret, id aggredi vereretur. Addam verba cujusdam privilegii, quod Tarentini habent ab hoc Cæsare invicto, cum in regno Neapolitano Proregia auctoritate fungeretur Philippus Cialonius, 1528. *Philippus de Cialon Orainga Princeps, Cæsareæ Majestatis Capitaneus Generalis in Italia. & in præsenti regno Vicerex, & Locumtenens generalis, universis, & singulis præsentium seriem inspecturis tàm præsentibus, quàm futuris. Si cui universitati huius regni pro eius servitiis, constantia, & fidelitate, reddenda est remuneratio, est profecto universitati, & hominibus magnificæ, & fidelissimæ civitatis Tarenti, quæ pro servanda erga Cæsaream, & Catholicam Majestatem fide, præsertim in obsidione, passa fuit à militibus exercitus ligæ inimicæ Cæsareæ Majestatis invasoribus huius regni, vastationes omnium agrorum, & alia maxima damna, & incommoda firmissimo animo perpessa est, ob quam rem decet reddere nos erga ipsos liberales ad gratias, & circa præsertim eorum petitiones benesicos ostendere nomine præfatarum Cæs. Majest. &c.* Hæc adieci, ut ex Carolo Cæsare sicut, & ex aliis superioribus, Tarentinorum innotesceret fides erga Reges suos, sicut, & erga Philippum eius filium, cuius res, & ipse est testis, hodie servat, de quo restabat dicendum (sed aliis tantum onus servetur) simul, & ut annum huius in Carolum fœderis ostenderem fuisse superiorem à privilegio concesso nempe 1527.

LIBER VIII.

De Tarentina Ecclesia, & de adventu Principis Apostolorum, & Marci Evangelistæ Tarentum.

CAP. I.

TArentinam Ecclesiam Romanæ æquevam ostendimus in præfatione: id autem ita se habere, in hoc, & aliis post ipsum, capite animadverti certissimè potest.

Pe-

Digitized by Google

Petrus igitur, qui Simon antea vocabatur, natione Galilæus, vico Bethsaida, Andreæ germanus, Bar Jona, id est, Joannis vel Jonæ filius, à Christo Salvatore nostro post suam resurrectionem institutus Vicarius, Apostolici collegii princeps, summus Ecclesiæ pastor, & Pontifex usque ad quintum illius, ubi ad patrem conscendit, annum, multas fundavit Evangelii prædicatione Ecclesias, Ponti videlicet, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, & Bithyniæ. Antiochenam exinde ad summa evexit fastigia, ibique cum etexisset Cathedram, sedit annos septem. Quadragesimo autem quinto Domini nostri anno, & Claudii Tyberii Cæsaris secundo, cum Romam eo consilio proficisci decrevisset, ut Simonis cujusdam magi, cuius antea Hierosolymis nequissimas detexerat fallacias, errores quamplurimos refelleret, sicuti scriptores multi fidissimè testantur, Clemens imprimis, qui illi quarto in Ecclesiæ regimine successit loco, cum Marco eius discipulo, & interprete, quem ipse Canonica sua epistola filium appellat, navem conscendit, cumque dies multos ex Asia ad Europam navigasset, vi ventorum adversa ab incepto, quò intenderat, itinere, deflectens, sinum, quem Tarentinum vocari tot auctoribus præmonstravimus, intravit. Visitur hodie ad XII. mill. passuum, ab Acra Japygia versus Tarentum, vetustissimum templum divo ipsi Petro dicatum, quem locum primum in Italia attigisse creditur, ibique (ut ajunt) rem divinam fecit. Ut omittam multa in toto ipso regno, non modo in nostra hac regione sacella, atque oppida, quæ Sancti Petri nomine insignita singulari devotione frequentantur. Illudq; præcipuum, & populo olim Græco habitatum, ubi commorari Princeps Tarentinus consueverat, S. Petrus Galatina. Ad insulas igitur cum sociis, & nautis expositus, inde urbem prospiciens, quam à multis habitatam perceperat, existimavit Christi virtute huc se devectum. Flexit igitur Apostolus gratias Deo acturus de more ad orationem genua: lapis servi Dei pondere pressus, ita mollis redditus, ac si cereus esset, recepit sanctorum genuum vestigia: locus inde Apodonia, ut in Gargano monte ad Ecclesiam Michaelis Archangeli ob signa vestigiorum est appellatus: vulgus hodie piscatorum divum appellat Petrum Veteranum in illo majoris insulæ eminentiore loco, unde prospectare consueverunt inimici pyratæ, ne ibi commorantes præda fierent, Venetum præcipuè, quibus Adriatici maris usque ad prædictum sinum cura est. Audivi à multis majorum traditione, dicentibus lapidem illum ita Apostoli genibus concavatum à Venetis nautis ablatum, Venetiasque asportatum, ubi beatus Marcus ingenti omnium veneratione colitur. Crebrescentibus deinde Austris, cum discedere, quò inceptum absolveret iter, inde nequiret, à Spiritu Sancto admonitus portum ingreditur Urbis, ænea catena à turri Turrunda ad urbis ipsius muros distenta clausum, intimumque cum comite brevi cymba navigans, mare ad littus tandem devenit. Erat tunc diei hora ferè tertia, quo tempore cives, qui in aquis obversantur, hinc atque illinc prope littus erant frequentes. Cognita per eos via, ad puteum accedit, prope quem Solis ingens astabat simulacrum: effundere ad illud preces nescio quas cogebantur, qui haurire aquam, vel bibere optarent, & dum beatissimus claviger potum ab iis peteret, qui tunc ferè haurirent, responsum hujusmodi accepit: Adora, & bibe: ad quæ Apostolus, nos Hierosolymitani sumus, & hoc signum in nomine Dei nostri, qui solus verus est Deus, facimus, sive manducamus, sive bibimus, & facto crucis signo aquam potavit. Obstupescunt omnes, tali quod ignorarant, perspecto signo, & iterum Apostolo repetunt puteum illum esse Dei Solis, nullique ante hac licuisse bibere, nisi adoraffet. At ille rursus: Puteus Joannis Baptistæ, qui Jordanis fluenta exhausit, salvator omnium est homo CHRISTUS JESUS, quibus dictis, facto iterum crucis signo recessit, plenos relinquens omnes admirationis, ac stuporis, cum viderint novo illi manus dexteræ motui eam fuisse vim, ut idolum ad terram dejecerit, dejectumque confregerit. Erat statua illa tantæ Magnitudinis, ut inter Colossos recenseretur, quæ turribus essent pares: opus fuit Lysippi cubitorum quadraginta. Sed illud in ea mirum, quod cum manu esset mobilis, ea erat libramenti ratio, nullis convellebatur procellis: artifex id providit cum modico intervallo Columnam appensuisset, unde maximè flatum frangi opus erat. itaque propter magnitudinem difficultatemque moliendi non attigit eam Fabius Verrucosus, cum Herculem, quem in Capitolio statuit, inde transferret. Ingressus iterum scapham Petrus per eundem sinum interiùs navigavit, cumque in Reguli ipsius urbis pomoarium descendisset, rogavit horti cultorem, ut aliquantisper, dum æstivus deferveseceret ignis, ibi se una cum suis quiescere pateretur. Erat ibi tum pomarii custos Amasianus quidam pauperculus, usque adeò incuruus, ut nullo modo cœlum suspicere miserrimus valeret: petiit ab eo Petrus, quod nomen loco illi esset, respondit, Cervaricium ab omnibus appellari, dictum ante hac ad fontanas, remque hujusmodi exposuit. Regulus noster Eucadius cum fortè in venatione, quo exercitationis genere nimium oblectatur, cervam hic lancea transfixisset, inde non multo post ingentem inter fruteta visum Ericium occidit, & ex Cerva, & Ericio nomen loco imponi mandavit Cervaricium: intuens Apostolus: quantopere homo ille jam inde a pueritia sua infelicissimus, dum loqueretur, laboraret, ut de facie eum internosceret, & miseratione motus, utque initium prædicationi, illiusq; populi conversioni daret, Marco dixit, fili dilecte erige hominem: suam tunc Marcus extendens manum apprehendit illum, prophetæque verbis piè prolatis, Dominus solvit compeditos, Dominus illuminat cœcos, Dominus erigit elisos, Dominus diligit justos, illum elevavit. Et homo ille fortunatissimus auctoribus iisdem baptizatus, tam brevi temporis curriculo, & corporis & animæ salutem fuit consecutus. Ante solis occasum, qui prope aderat, ratem denuò ingressus

gressus ad eam Urbis partem venit, ubi porta major dicebatur. Cœpit ibi inter Urbem, & arcem antiquissimam de ingenti marmore, ante Apostoli ipsius sacram ædem ad usq; nostra tempora servato, verbum Dei prædicare astantibus præcipuè illis, in quorum conspectu Solis statua deciderat: & in hoc salutifero, nec dum satis commendato opere, plures consumpsit dies: multi, qui audierunt, crediderunt in Dominum JESUM, ejusdemque Apostoli manu sunt omnes baptismate sacratissimo initiati. Prospiciens demum fore, ut posthac universus populus, qui frequens erat, & pronus ad pietatis cultum, in JESUM CHRISTUM crederet, Rhegium vetustissimum Calabriæ oppidum commeaturus, reliquit ibi Marcum, is multos in prædicatione menses expendit, & nullus illucescebat dies, quo Tarentini illi veteres, cum accolis omnibus ad fidem non advolarent. Accidit ut Eucadii filia Principis à Dœmonio vexaretur, & Marcum prædicantem audiens clamabat, quid mihi, & tibi serve Dei Marce? cur me ante tempus, ut magister tuus, tam sævè conaris incendio afficere? increpuit eam Evangelista, vixque Dœmoni præcepit, ut abiret, & protinus ille aufugit, audiens præcipue illa Catechisma verba; exi ab ea immunde spiritus, exi & da locum Spiritui Sancto Paracleto: Puella igitur hoc modo liberata, pater ejus Eucadius Tarentinorum regulus, cum reliquo credens populo in nomine Domini nostri IESU CHRISTI baptizatur, cunctis idolorum Fanis, quæ tunc plurima erant, dirutis, & ad memoriam sanctorum denuò Apostolorum, ipsius inprimis Dei Genitricis semperque Virginis MARIÆ à posteris erectis. An autem illa fuerint, quorum unum in portu juxta litus Deiparæ Matri, alterum Principi Apostolorum intra Urbem, & arcem, tertium in acta parvi maris Beato Marco nuncupabantur, haud facilè conjici potest, cum ipsa urbis forma fuerit immutata. His omnibus ea, qua dictum est ratione, peractis, & omnibus jam in fide confirmatis, Beatus Marcus ad præceptorem suum Petrum, qui Rhegii commorabatur, transiturus, ne sine pastore oves tenerrimæ aberrarent, Amasianum, quem ante ad hoc ritè instruxerat, Episcopum destinavit: at ipse Apostolo adhærens cum eo Romam versus iter direxit. Hæc ita scripta sint, veluti patrum nostrorum traditione præcepta, & manuscripti etiam cujusdam codicis lectione, quem Tarentini Clerici pro officio Divi Cataldi in in choro asservabant: mutata sunt tamen nonnulla, & stylus ipse in meliorem a nobis redactus Laurentii Surii imitatione. Illud autem non prætereundum censui, Marcum Evangelistam, priusquam Regii Petrum conveniisset, Sybarim divertisse à Crotoniatis, olim Urbem dirutam, & quæ aliquando Argentina, atque Mendonica Civitas est appellata, non Sybarim tamen litoralem, sed cujus reliquiæ in montis vertice erant, ubi hodie urbs apparet, cui ab ipso Evangelista ob prædicationis beneficium, Sanctus Marcus nomen est: sicut a Gulielmo Sirleto S.R.Ecclesiæ Cardinali, & Bibliothecario, olim illius urbis Episcopo salutis nostræ anno millesimo quingentesimo sexto, & sexagesimo se audisse mihi retulit Consalvus Ioannes Hieronymus Gonzaga Calaber, U. I. Doctor, vir apprimè nobilis, & fide dignus. Alterum esset dicendum de adventu Beati Petri Neapolim Campaniæ urbem præclarissimam, & totius Regni nostri caput, de conversione populi Neapolitani per illum ad fidem, de sancta Candida, quæ prima illi eo venienti occurrit, de Sancto Asprene, qui ab ipso Apostolo infirmitate curatus, & deinde baptizatus, ejusdem civitatis Episcopus ordinatus fuit, deq; Basilica, cui nomen est Sanctus Petrus ad Aram, ubi sacrificium Deo obtulit idem Christi Vicarius, & ubi degunt religiosi illi viri, qui Canonici Regulares dicti sub Divo Augustino militant: Sed hæc omnia ab aliis pluribus, & elegantiore dicendi forma scripta sunt, & præcipuè a Paulo Regio Vici Equensis Episcopo.

De Beato Cataldo.

CAP. II.

BEatus Cataldus ex partibus Hiberniæ, quæ suis, & ipsa gloriatur in Domino, & lætatur sanctis, oppido Numeniæ Catando, patre Eucho, matre Athenia, honestis quidem inter cives natus, quantæ futuræ esset sanctitatis, quantisque, & quot miraculis Dei Omnipotentis virtute, corruscus, jam inde a Nativitate præmonstratum est. Vir quidam eximiæ virtutis Christianæ, & Maiestati Divinæ amicus, cui vaticinii munus ob suam gloriam fuerat dilargitus, Dichus nomine, stellæ cujusdam ductu, non ex illis quæ in firmamento fixæ nusquam moventur, sed ad vaticinium istud declarandum mirabiliter exortæ, domum nascituri infantis pervenit, & cum occlusas perspexisset fores, illas mendicantium more feriens aperire sibi ob eleemosynam petiit: intus Athena pulsanti respondit, sola sum, partu laboro, aperire tibi, vel cuiquam nequeo. Scias mulier, foris ille prædixit, nascetur tibi filius coram Domino magnus, illique gratissimus; quibus dictis abiit nusquam deinde visus. postero autem die natus puerulus decidens tenello capite saxum impegit durissimum, quod non modo illæsum erexit, sed tanquam si in mollissimam incidisset materiam concavum lapidem reliquit. Eadem hora mater dolore partus, quæ muliercularum miseria est, expiravit: infantulus non obstetricis, neque alicujus alterius ope adjutus, præter divinam, surrexit, ac parentem exanguem tenellis brachiolis complexus suo illam osculo, Dei gratia ad vitam revocavit: lapis, ubi nascens caput admoverat, sub dio aliquando positus, & in partem concavam aquam excipiens, pristinæ omnes restituebat sanitati, quicumque ægrotantium aquam indè ad potum devotissimè haurirent, nomen illi in fontis lavacro imponendum jusserunt parentes, Cataldus, cujus delinentiæ nomina, quamplurima in ea insula esse solent, ut Mogal-

Digitized by Google

galdus, Donaldus, Osaldus, & Helbaldus, Haraldus, Arcibaldus.

Crescebat puer non minus sapientia, & eruditione, quam pietate erga Deum, & proximum, percelebreque Cataldi nomen inter Francigenas, Anglicos, Theutonicos, Scotiosque magno cum honore divulgabatur. Parentibus inde orbatus, ad sacerdotalem promotus ordinem suos excitat cives, ut in honorem Beatæ semperque Virginis, ac Matris DEI ædem Sacram erigerent: ipse inprimis, & vehementior aliis tanto operi occupabatur: & dum fabricæ esset intentus, ecce quidam nobilis vir filii unici cadaver nuperrimè defuncti multis ad eum lachrymis adducit, rogans, ut ad vitam senectutis miseratus sue revocaret: restituit adolescentem gloriosus Christi athleta ad vitam, sed facta prius oratione, non immemor verbi illius, quod Apostolis assertor humani generis promiserat: Quodcunque petieritis à patre in nomine meo dabit vobit. Præcucurrerat Pater, quum nondum sanctum confessorem convenisset, ad foſſam, quam diximus nascentis infantis capite saxo impressam, & frustra miser præcucurrerat, quod eam, ut antea, cœlesti rore plenam non reperisset. Fama tanti miraculi totam subito replet & urbem, & paulò post provinciam. Credentes in fide confirmantur, qui fideles nondum erant, ad fidem invitantur.

Non longe post militis cujusdam filius moritur: ejus cadaver a patre ad amicum Dei Cataldum in feretro affertur: rogat gemebundus, ut & se consolari non dedignaretur in mortuo filio, nam & ipse æquè misererat, atque ille, cujus ante filium suscitaverat: recusat aliquantulum sanctus, seque id efficere cum Deus ipse non sit, nullo modo posse asseverat: volebat præterea & patris constantiam periclitari: nam & hoc in Evangelio legerat, Salvatorem aliquando factitasse. Instat pater, & lachrymis, & precibus filio vitam deprecari. Attendebat interim Ecclesiæ operi sanctus, qui dum terram effoderet, dumque casu terram super mortui adolescentuli corpus aspergeret, continuo ille sic tactus vivus è feretro desiliit, sanctumque veneratus patris ingemiscentis pependit amplexibus. Pergit inde, qui vivum filium miles receperat ad Regem, & quantum sui misertus fuerit Deus, quantumque Beati viri Cataldi intercessione beneficii sibi contulerit, ordine exponit. Incredulus ille magicis omnia censet artibus adscribenda, & ut è suo sanctum ejiceret, deturbaretque regno, quanta admodum celeritate navigavit. Ubi ad locum venit, comprehendi sine mora Cataldum jubet, comprehensumque apparitoribus tradit in vinculis custodiendum in crastinum ad exilium missurus. Nocte, quæ nefandi consilii diem subsequitur, ab Angelis per visum terrore magno perculsus ab iis audit, quod statim moreretur, nisi à proposito malo cessaret. Excussus somno Rex suspirat sæpius, ut qui melancholia percitus: quid sibi hæc velint suspiria, suscitatur Regina Regi, sibique timens? revelat ille visum: at illa consulit, quæ essent, ut ab imminente discrimine liberarentur, facienda. Eadem nocte dux quidam sceleris consiliarius moritur, id Rex audiens, Deique ultionem pertimescens, sanctum non modo è carcere educi liberarique mandat, sed & ab illo veniam gemebundus petit, tam sibi, quam suis omnibus: mox defuncti ducis provinciam Ecclesiæ, quæ etiam tunc erigebatur, cuique Cataldus construendæ præerat, in perpetuum concessit. Erat Dux ille Meltridis Dominus. Sanctus igitur acceptam Provinciam in duodecim Episcopatus distribuit, & suum Episcopium Archiepiscopatum faciens Rachau Archiepiscopus fuit dictus: cumque Rachaensi Ecclesiæ multos præfuisset annos, & verbo, & exemplo nunquam destitit alios ad fidem trahere, alios jam tractos confirmare.

Hæc ubi tam fœliciter ad honorem Omnipotentis DEI, & ejus Ecclesiæ expansionem sibi succesisse animadvertit, Divina motus inspiratione sepulchrum Domini salutiferum, ubi pro omnium salute triduum jam quieverat, visere disposuit, locaque omnia perlustrare, sique fieri posset, quantum in se esset stratus lingere, lachrimisque perfundere, ubi steterunt sanctissimi, & nunquam fatigati pedes ejus, Conducta navi suo peregrini habitu viam ingreditur, pervenit tandem Hierosolymam, continuò sepulchrum dominicum, cujus visendi desiderio flagrabat, magna divotione nudis pedibus introivit, illudque labiis, & cordis, & oris, quanta potuit humilitate tremens, & ingemiscens exosculatus immensas humani generis Redemptori gratias egit, quod dignatus esset sibi servo suo concedere, ut attingere valeret monumentum illud usque adeò suavissimum, unde morte surrexerat devicta: atque idipsum fecit de sanctissimis locis illis, quæ à Sacratissima Virgine, olim frequentabantur, dum viveret.

Quibus ita devotè pieq; absolutis, vitam, ea in regione statuit degere eremiticam, quod tamen propositum honestissimum voluntati divinæ commendarat: & quum interea nihil juxta cordis sui desiderium attingere cerneret, orationi assiduæ, quam & lachrymis condire assueverat intento, ut quid Deo de se placeret, cognosceret, apparuit illi Dominus noster JESUS CHRISTUS, & inter cætera, quæ ad ejus solatium locutus est, illud in primis præcepit, ut ab eremitica desistens deliberatione se ad eam Italiæ partem transferret ubi civitas est, quod Tarentum appellatur: ibi enim rudem olim idolisque deditum populum per Petrum Apostolum, & Marcum ejus discipulum ad fidem suam conversum inveniret, quem ad idolorum cultum prædicantium inopia reversum ipse denuò ad fidem revocaret. Hoc Domini præceptum alacriter audiens cum multis navem inscendit Italiam versus navigaturus: inter navigandum autem divino repletus spiritu tempestatem prædicit, cujus quidem instantis periculi, quia signum nautæ non videbant ullum, fidem illi non adhibuerunt. Sed vix post sancti viri prædictionem dimidiæ horæ ferè spatium transierat, exoritur tempestas, cui ante hac similem nautæ haud prospexerant: rudens crassior, quo velum in sublimem arborem elevatur, vi tempestatis effringitur

gitur. Unus ex nautis adoleſcentior, & cæteris agilior malum conſcendit, ut rudentis partes diſiunctas connecteret, ventorum procelloſa rabies illum infelicem ea vi dejecit, ut ſtatim colliſus vitam cum omnium dolore perdiderit. Qui in navi erant, ut mox morituri Deo, quiſque ſuo lachrymis effuſis ſupplicare, vota proponere, nonnulli inter hujuſmodi afflictiones recordati, quod vir ille, quem Deo cœlesti, & immortali adeo carum prius non cognoverant, naufragium prædixerat, provoluti illius pedibus humiliter obſecrare, obteſtarique: Homo Dei, dicentes, qui talem cœlesti afflatus ſpiritu imminere nobis tempeſtatem proſpexiſti, qualem alias non ſumus experti, exorare quæſumus, ne graveris, Deum, ut tuis placatus precibus nos de vehementi periculo miſericorditer etipiat. Confeſſor ſanctus, ut qui pietate redundabat, ad orationis præſidium confugit, qua nondum finita, ceſſant venti, ſedatur mare, & magna inde ſequitur exoptataque ſerenitas. Neque tamen ſanctus ab oratione ceſſat, donec juvenem è malo delapſum confractumque non vitæ reſtituat, conſolideq; Dant iterum nautæ vela ventis, & nullo negotio Hydruntum perveniunt, ubi ſanctum exponunt, & gratias illi agentes ob tot in undis officia præſtita, ejus ad Deum deprecationibus ſe commendant.

Dum ſanctus Tarentum pergeret juxta Felinum (oppiduli nomen eſt) occurrit illi puella, quæ ſurda, & muta pecudes ad paſtum fortè agebat: eam cum fuiſſet bis, & ter perperam allocutus, & cognoſcens tandem miſellæ defectum, præcipio (inquit) tibi in Nomine Domini JESU CHRISTI, ut abſq; mora mihi reſpondeas: & ſtatim illa recipiens cum auditu loquelam, eum ad ſuos domum deduxit, omnibuſque divulgavit miraculum, quod vir ſanctus divina in ea fuerat virtute operatus, ibique ab incolis honorificè exceptus cum illis, quos omnes ſacro abluit fonte, aliquot dies commoratus eſt. Cum verò Tarentum introiret, vidit antè januam pauperculum quendam à nativitate cæcum: eum Beatus Cataldus ita alloquitur: Cujus Religionis, & Fidei ſunt homines iſtius Civitatis? Cœcus reſpondit, patres noſtri omnes fuerunt Chriſtiani, nunc autem omnes quotquot videbis, præter paucos, Ethnici. Tu verò fili (inquit) Chriſtianus es, an Ethnicus? reſpondit cœcus, Utinam aliquis me ad fidem JESU CHRISTI docendo adduxiſſet, jamdiu Epiſcopo, qui nos inſtrueret, deſtituti ſumus. Si ex toto corde, ſubdit ſanctus, credideris in ſanctam, atque individuam Trinitatem, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, & in ejus nomine fueris baptizatus promitto tibi ſalutem animæ, & lumen, quod exoptas, oculorum. Credo, inquit ille, domine omnia eſſe, ſicut dicis. Tunc Beatus Confeſſor ſuis hauriens manibus aquam illum baptizavit, & ſtatim ejus oculi aperti ſunt. Qui videns jam, quæ prius ignoraverat, clamare cœpit iis, qui non longè diſtabant. Venite, & videte hominem Dei ſanctum, qui me, in ejus nomine aquam ſuper caput effundens, illuminavit, ad ejus vocem factus eſt populorum multus concurſus Deum collaudantium, atque dicentium; nunquam ſe tale quid alias perſpexiſſe (audiviſſe tamen) ut cœcus a nativitate cerneret. Erat annus Domini centeſimus, & ſexageſimus ſextus, quando Divus Cataldus Tarentum ingreſſus eſt. Sedem Petri tenebat tunc Anicetus Syrus, qui ſedit annos novem a ſexageſimo tertio, uſque ad ſeptuageſimum tertium poſt centeſimum a Chriſto nato, martyr in quarta Eccleſiæ perſecutione, Imperatoribus M. Antonio Vero, & L. Aurelio Commodo. Sunt qui contendunt Divi Cataldi comites fuiſſe Euperpium, qui poſtmodum fuit appellatus Leutius Brunduſinorum Epiſcopus, & Barſonuphrium, qui colitur ab Uritanis, qua de re aliter legitur. Corpus ſcilicet Divi Barſonuphrii ex remotiſſimis Paleſtinæ partibus ad ſuperi maris vicina delatum litora, ad Theodoſium virum alioqui Sanctiſſimum Uritanorum Pontificem ab hominibus illis, ad quos id erat expoſitum, vel qui antea ſervandum acceperat, fuiſſe adductum: quæ poſteriora tempora deſignare videntur, Divum vero Leutium multi tradunt fuiſſe Alexandrinum. Eſt & alia opinio, quam dicunt referri a Jacobo Antonio Ferrario Lupienſi in hiſtoria, quam nondum edidit, Auſtria: ſanctum ſcilicet Cataldum ad Japygiam veniſſe, qui, & Comitem habuit germanum fratrem nomine Donatium primum Lupienſium Epiſcopum, & per quatuordecim annos vitam cum illo eremiticam elegiſſe prope oppidum, quod ab ipſo ſancto nomen accepit, hodieq; adhuc extat, Sanctus Cataldus ad decem millia paſſuum ab Hydrunte remotum. Hunc igitur tantum patronum majores noſtri, & viderunt, & amplexi veneratique ſunt, gratias indies Deo agentes, quod ſua ſola gratia, & largitate non eorum meritis dignatus ſit hanc Urbem, ſub Beati Cataldi patrocinio apud ſe eſſe, ut ſexcentas, quæ in toto orbe terrarum ſunt in Chriſtiana Repub. ampliſsimæ, quamlibet Divorum ſuorum, tutelariumque cuſtodum præſidio fulciri, Venetias Marci, Peruſium Herculani, Aſſiſium Franciſci, Matthæi Salernum, Andreæ Amalphiam, Bartholomæi Beneventum, Galleciam Jacobi, Maſſiliam Magdalenæ, Ambroſii Mediolanum, Nicolai Barium, Brundiſium Leutii, aliaſq; aliorum ne catalogum conficere tot recenſendis videar. Voluit enim Deus ipſe ſanctos ſuos inter ſe, & homines poſt Chriſtum ejus filium, qui princeps, & caput omnium eſt, eſſe mediatores, ut vota illorum, quæ criminum mole in altum advolare nequirent; veluti quibuſdam alis ſanctorum videlicet interceſſionibus levarentur in cœlum.

Scriptura nulla extat, qua dignoſcere poſſemus quot annos cum Tarentinis ſuis vitam duxerit Beatus Cataldus: legitur autem in ejus vita, unde hæc exſcripſimus, quæ ante Romanum Officium reſtitutum in Choro à Clericis legebatur, quod hic Sanctus, dum ſui diſſolutionem corporis imminere ſentiret, convocetis ad ſe urbis optimatibus, quos in fide, quam prædicaverat, conſtantiores cognorat, & erga Deum magis devotos, clericiſq; omnibus ad hæc ferè verba locutus ſit: Fratres, & filioli mei dilectiſſimi, ſcire debetis adverſus fidem Catholicam per magnam ab hæreticis,

Digitized by Google

ticis, & inimicis Crucis Christi non multò post insurrecturam persecutionem: navem Petri magnis fluctibus actum iri: Vos autem, qui spirituales estis, confirmate, ubi ego ad Dominum pertransiero, confirmate (inquam) populum, illumque docere, admonere, corrigere, ne cessetis, ut in fide Domini nostri IESU CHRISTI, quam ei tot laboribus, ac vigiliis prædicavi, firmi sint, & constantes, ab illa nunquam recedant, nunquam distrahantur, sive præmia promittantur, sive pœnæ acerbissimæ ante oculos proponantur, ad hanc enim Græcæ regionis urbem percelebrem non casu, sed dominico jussu profectus sum, jam inde à Palæstina, quò me religionis, ac pietatis ergo contuleram, à Britannis toto orbe divisis. Etenim cum Hierosolymis agerem, apparuit mihi Dominus noster IESUS CHRISTUS, jussitque ut haud mora istuc ad vos, & vestros omnes me conferrem, Sanctum ejus Evangelium, & fidem concionaturus, & cordibus omnium impressurus, ubi centum, & viginti quatuor annis ante B. Apostolorum Princeps Petrus: & ejus in Domino filius, & in rebus Christi gestis discipulus Marcus prædicaverant. Vos præterea rogatos etiam, atque etiam velim, ut corpus meum in meliore nostra æde reponendum curetis, & in cellula, quæ Sancti Ioannis in Galilæa dicitur, ipsumque sub terra quam diligentissimè recondatis. His ita dictis, & mox expletis in eo cunctis Sacris Ministeriis, quæ circa ab hoc sæculo commigrantes à fidelioribus fieri consuevere, sanctissima illa anima corpore soluta in æternæ claritatis gaudiis Angelorum manibus fuit collocata: ipsa etiam obitus hora campanæ, quotquot erant in urbis Ecclesiis pulsari angelicis non humanis ictibus cœperunt. At ubi Sancti viri corpus intra Ecclesiam domo deductum est, ut circa illud clerici de more funerali, exequiasque persolverent, confluxit eò innumerabilis utriusque sexus frequentia cum ingenti affectorum ægritudinibus multitudine, qui ubi primum venerabile illud corpus tangerent, pristinæ reddebantur sanitati. Celebratis tandem ritè honorificeque parentalibus, tam Clerici, quam Cives pii, habito super hoc concilio, sepulcrum, quod adhuc extat marmoreum, miræ (ut tempora illa erant) pulchritudinis extruxerunt: ibique corpus illud odore fragrans nimio ob sanctitatem magno devotionis affectu reponentes, ipsum sub terra, ut moriens mandaverat, posuerunt. Ex adventu igitur, & prædicatione hujus glorioſissimi Confessoris extiterunt Tarentini semper religiosissimi, vitam viventes Christianam, Deorum cultu gentilium, qui pro statu temporum illo miserabili, magno studio (ut dictum est) à veteribus statis ceremoniis observabatur, penitus deleto. Qui vero, Divo Cataldo in sinum Abrahæ, hoc est, in Paradisum recepto, secuti sunt Episcopi Tarentinæ Ecclesiæ Præsides, non satis liquet usque ad annum humanæ salutis XCI. supra D. S. Gregorio Pontifice Maximo, cujus dignitas extensa est, usque ad quartum, & sexcentesimum: hoc autem fuit, vel quia scripturæ ipsæ combustæ sunt, vel quia nullæ fuerunt ante hoc tempus: quoniam qui à Paganis reperiebantur Christiani, aut verberibus afficiebantur, aut gladiis, variisque tormentorum generibus occidebantur. Visum tamen est prius aliqua alia de hoc sancto referre, mox subjungam Episcoporum seriem, qui à præscripto tempore colligi ad nostrum usque potuerunt: illud verò non prætermittendum duxi, ab hoc Divo per totam Italiam, nedum Iapygiam, atque Apuliam multa oppida appellata, multasque parœcias: quid quod, & Venetiis, & in Umbria, & in Sicilia hoc nomen percelebre sit? *Ab Latifaucibus p. m. 3.* (inquit Thomas Fazelius lib. 7. prioris Decadis) *Sancti Cataldi Turris specula ab ædicula ejusdem nominis appellationem habens, occurrit: & juxta fluvii Divi eiusdem titulo inscripti ostium.* De nomine hujus Sancti, deque ejus apud Deum loco honorificentissimo scribit in secunda parte de origine Franciscanæ Religionis Frater Franciscus Gonzaga Generalis Minoritarum minister, nunc in Episcoporum cœtu aggregatus, his quidem verbis: *Cum tempore universalis contagioſæque cujusdam pestis, quæ adeò universam Italiam pervagata est, ut nihil intactum reliquerit, Coraltino cuidam, simplicique homini Quirico Tranbotto, revelatum divinitus esset, ut si Coraltum Apuliæ oppidum à grassante lue liberari cuperet, Ecclesiam Divo Cataldo sacrandam eo ipso loco, in quo sibi bos sequenti luce sub curru occumberet, communibus sumptibus, nulla interposita mora, ædificandam curaret. Quod cum ille Coraltinis prædixisset, alligatusque ad currum bos sequenti mane mortuus corruisset, ex tempore sacra ædes tum ex publicis, tum quoque ex privatis eorum facultatibus in honorem Sancti Cataldi eodem prorsus in loco constructa extitit. Quam tamen cum solemniore obsequio cultam affectarent, omnibus suis numeris absolutam Patribus Minoritis, qui Observantini dicuntur, quorum duodecim ibi commorantur, post XXIII. annum ab eius erectione anno scilicet Dominicæ Incarnationis 1506. ex Apostolica Julii Secundi Summi Pontificis auctoritate inhabitandam contulerunt.*

Quomodo fuerit inventum Corpus Beati Cataldi de eius translatione, & de linguæ inventione.

CAP. III.

POst multos annos Drogonus Pontifex in hac Provincia maximus, Tarentinæ (inquam) Ecclesiæ Archiepiscopus, vir apprimè Religiosus Dei cultui anhelans tota animi propensione divinitus inspiratus majorem Tarentinam Basilicam vetustate consumptam constituit funditus diruere, & novam augustiorem erigere, quæ ornatu, & magnitudine veterem superaret: placet omnibus tam laudabile consilium: inchoatur ergo opus, & inter multos, qui ibi opifices erant, vir quidam vitæ sanè optimæ, quem Deus ad tantum detegendum thesaurum paraverat, fundamentum effodiens, attigit sepulcrum quoddam marmoreum, unde mira odoris fragrantia emanabat. Vocatus Pontifex ad miram suavitatem percipiendam properans adest, & monumentum cœpit animo concipere, & à

Digitized by Google

reliquias, quæ ibi erant recondidit, odorem illum tam suavem prodire. Clerus cucurrit, populus properat, cum vocibus, tum odoris fragrantia, accersiti. Aperit Præsul tumbam, videt sanctas reliquias ebore (ut ajunt) antiquo rubicundiores. Crucem præterea adinvenit auream sancti ipsius nomen C. T. Latinis duabus literis significantem, indicitur pro gratiarum actione supplicatio, cerei, lampadesq; accenduntur, diversique generis concremantur aromata: quæ tamen de reliquiis prodiens suavitas non minus superare sentiebatur, ac minora lumina Solis splendor hebetat. Pontifex interim suis ipse manibus preciosum reliquiarium thesaurum colligit, quarum magna pars thecis hodie argenteis conditæ spectantur, Brachium præcipuè sancti ipsius dexterum, tibia, calvaria, ossa quamplurima, dentes, & quæ stuporem cernentibus affert integra lingua, cujus inventio, quia suam habet historiam, ab ea nunc supersedendum videtur. Monumentum Marmoreum funibus, rudentibusque extrahitur, & in sacello, quod à brachio ipsius sancti nomen habuit, magna cum reverentia reconditur.

Translationem deinde Reliquiarum ita fuisse tradunt. Giraldus Archiepiscopus anno à Dominica Incarnatione centesimo primo, & quinquagesimo post millesimum, quando Romæ sedis clavum tenebat Eugenius III. Pisanus, Imperatore Corrado Tertio, & Regnum Neapolitanum Regente Rogerio cum Guilielmo filio, devotione in Sanctum admirabili accensus, cœlesti plenus spiritu loco decrevit preciosiore Confessoris Reliquias recondere. Expertus invenitur Argentarius, qui arcam conflaret, totamque argenteam, ubi sculptæ forent imagines permultæ, Salvatoris nostri videlicet, gloriosæ semperque Virginis MARIÆ, Sanctorum duodecim Apostolorum, cum Angelis quamplurimis, operique hic fabrè facto adhibita est portiuncula ligni salutiferæ Crucis auro circunsecta, & lapidibus admodum preciosis. Diem Pontifex Giraldus translationis indicit suffraganeorum Episcoporum consilio, apertoque prius marmoreo monumento, quod Rainaldus item Pontifex longo ante tempore sub majori Ecclesiæ altari recondiderat, extractisque inde reliquiis intra argenteam, quam diximus, arcam honorificè collocavit, quas adinvenit.

Rogerius autem, qui præfuit Ecclesiæ Tarentinæ anno 1346. cum recognosceret reliquias, stipavit intra Chrystallum limpidissimam linguam Sancti Confessoris, quæ adhuc integra conspicitur, sicut Brundisii servatur lingua glorioſissimi, & facundissimi Hieronymi Doctoris illius Ecclesiæ celeberrimi. Arca illa argentea, jussu ipsius Rogerii, consentiente Clero, & Senatu Tarentino, immutata fuit in statuam illam Pontificiam, quæ ipsum Cataldum referre videtur Pontificiis vestibus indutum, ac si Sacrum Missæ officium esset celebraturus, cum mithra, omnibusque aliis, quæ Episcopum decent indumentis argenteis laminis ad incudem extensis. Et quoniam pervolutis Tarentini Senatus Consultis reperi anno 1465. statuam ære publico erectam, cum pestes multæ percurrissent, conjicio cum multis, quod arca vetusis argentum cum ad statuam erigendam non sufficeret, & dimidiata tantum relicta fuisset, reliquum corpus eo anno adjectum fuisse; sicut & ipsæ indicare videntur junctura. Neque prætermittendum est, sæpius quamplurima miracula Deum per Sanctum suum fuisse operatum: nam & cæcis visum, surdis auditum, mutis loquelam, paralyticis, lepro-sis, & alio morbo laborantibus multis salutem restituit, & hæc seorsum ab hoc opere à nobis recitantur. Illud cognoscendum est, octavo idus Martii festum Divi Cataldi omniter celebrari, atque sexto idus Maii inventionem, ac translationem sollemnissimè, quo diem magnus est vicinorum incolarum accursus ob plenariam à Summo Pontifice Gregorio Decimotertio concessam Indulg. deprecante hoc Lælio Brancatio Archiepiscopo, Quarto Kalend. Novemb. fit commemoratio Tarentinæ Basilicæ, & die quarto mensis Decemb. currente anno octuagesimo post millesimum, & quingentesimum cœptum est recitari Officium Beati Patris nostri Cataldi ad normam Romani Breviarii ejusdem Lælii Archiepiscopi diligentia repurgatum, habita ab eodem Gregorio venia, sicut in fine libri his verbis declarat Gulielmus Sirletus S. R. Eccl. Presbyter Cardinalis: *Nos Gulielmus Sirletus tit. Sancti Laurentii in Paneperna S. R. E. Presbyter Cardinalis, fidem facimus, & attestamur S. D. N. D. Gregorium XIII. vivæ vocis oraculo nobis facto, concessisse, & licentiam dedisse Archiepiscopo, & Clero Tarentino, dicendi in choro, & extra suprascriptum officium Sancti Cataldi Episcopi, & Confessoris eorum Patroni, ad formam Romani Breviarii redactum, & emendatum tàm in festo ejusdem, quàm in inventione, per totam Metropolim, juxta antiquam Ecclesiæ Tarentinæ consuetudinem. Datum Romæ in Palatio Apostolico, in loco nostræ solitæ residentiæ. V. Nonas Julii, M.D.LXXX. Gul. Sir. Card.*

His tam multis de Divo Cataldo scriptis, non fuit alienum ab instituto subjungere Catalogum non omnium quidem Archiepiscoporum, sed plurimorum, qui ex scriptis tum Archiepiscopalis mensæ, tum Capituli, & Cleri: sed & ex libris Conciliorum, ac Decretis, aliisque locis collecti sunt: quod in aliis Ecclesiis factum esse constat, in Mediolanensi præcipuè.

Andreas I.

AD Andream Gregorius Summus Pontifex hujus nominis primus Sanctissimus, & toti Ecclesiæ notissimus scribit Epistolam, quæ est 44. libri Epistolarum 2., & cap. 88. quæ etiam legitur distinctione 33. ff. habuisse: illum arguit de ejus concubina, & de muliere de matriculis verberata: qua de re etiam idem Gregorius scribit ad Joannem Episcopum Gallipolitanensem. Verba Epistolæ non apposui, satis est signasse locum.

Honorius II.

HOnorio etiam scribit idem Sanctus Pontifex, sicuti apparet lib. 2. Epist. 22. de baptisterio per ipsum in suæ Ecclesiæ erecto. Hæc fuerunt inter annum 591. usque ad 604. quandiu Gregorius præfuit Ecclesiæ universali.

Joan-

Digitized by Google

Joannes III.

INterfuit hic Archiepiscopus Concilio Lateranensi Romano sub Martino Primo anno Domini 643. vel (ut aliis placet) 647. ita colligitur ex Secundo Concilior. tomo.

Germanus III.

HIc subscripsit sextæ Synodo Constantinopolitanæ tempore Agathonis Papæ anno Domini 682. verba inscriptionis in eodem tomo hæc leguntur: Germanus humilis Episcopus Sanctæ Tarentinæ Ecclesiæ Provinciæ Calabriæ in hanc suggestionem, quam pro Apostolica nostra fide unanimiter construximus, similiter subscripsi.

Alexander Faccipecora V.

SEdavit tumultum Mutilensium in electione sui Episcopi, & auctoritate Metropolitana eligendum juffit Lybertum à Fumis germanum Ducis ipsius, urbis Mutilarum, anno salutis humanæ 1040.

Basilius VI.

DE eo legitur in fasciculo scripturarum quarundam ipsius Cleri, & donavit Capitulo nescio, quam annui census decumam, anno nostræ redemptionis 1085.

Jacobus VII.

HUjus Vicarius Frater Antonius confirmavit Capitulo omnia, quæ tunc habebat, privilegia, præter duo prandia, & uncias decem, neque non decumam decumæ ex annuis redditibus Megniani oppidi, quod hodie dirutum est. Nec legitur, an hic aliquando sua in Ecclesia resederit, sicut ferè omnes non resederunt, præter paucos suo in loco ponendos anno salutis nostræ 1099.

Stephanus Philomarinus VIII.

IN eisdem annalibus Mutilarum urbis in vertice montis positæ legitur de quodam Stephano Philomarino, qui fuit Archiepiscopatus Tarentini moderator anno 1102., quo tempore urbs ipsa Mutilensis fuit à Gallis penitus eversa, post quam ruinam pauca, quæ videntur, restant vestigia, qui hæc literis mandarunt, fuere Joannes Antonius de Leuca Tarentinus Presbyter, Eunofrius Sabellus de Palægiano, & Paschalis Taglieta, qui & ipse fuit de collegio Tarentinorum Sacerdotum.

Rainaldus IX.

EXtat de eo memoria in Archiepiscopali Archivio ab anno 1107. usque ad 1119.

Rolemannus X.

SOlus hic ita appellatus, de eo habetur simplex recordatio circa annum 1533.

Philippus XI.

SCripturæ Capituli, & Cleri de hoc loquuntur. A. 1138.

Giraldus XII.

TRes fuere Giraldi, quorum hic primus Divi Cataldi Reliquias honorificentius asservari cupiens capsam argenteam suo elaborari juffit ære, quod in vita ipsius Sancti dictum est, Eugenio III. Summo Pontifice, & Rogerio Siciliæ Rege, intercurrere 16. anni inter Philippum, & Giraldum, cujus mentio est in scripturis Archiep. anno post domi num natum 1154.

Drogonus XIII.

FUit hic ante Giraldum, & plures alios; verum quia nescitur annus sui Pontificatus, post Giraldum reposuimus, quia & is Cathedralem Ecclesiam vetustate collabentem novam erexit, reliquiasque primus adinvenit.

Basilius XIV.

ALter hujus nominis, qui erexit Ecclesiam Sanctorum Apostolorum Simonis, & Judæ, quæ hodie Athenisiorum est juris patronatus, & habuit cognomen de Palajano: annus Domini 1181. hunc in scripturis nominat.

Gervasius XV.

RESedit aliquando, & præcipuè anno 1187. nullum habet cognominem, ejus memoria adinventa est ab anno prædicto usque ad 1194.

Angelus XVI.

DE Angelo Archiepiscopo unus tantum est index in scriptura quadam Capituli, & Cleri, sed plura leguntur in secundo libro Decretalium Innocentii Tertii, qui præfuit Romanæ Ecclesiæ ab anno 1197. usque ad 1215.: ibi videre licet, quantæ hic præsul fuerit prudentiæ Summi ipsius Pontificis testimonio. At si desideras cognoscere, quo anno de eo agatur, apud Tarentinos 98. invenies post 1100. qui fuit secundus Innocentii.

Giraldus XVII.

DE secundo Giraldo habetur 1203. adhuc Innocentio Summo Pontifice.

Nicolaus XVIII.

GIraldum sequitur Nicolaus Primus: præfuit Ecclesiæ Tarentinæ duodecim, vel plures annos, certum id non est, ejus residentia non legitur: sed habetur illius memoria 1205.

Gualterius XIX.

SCribitur de Gualterio inter Nicolaos posito 1216. post Innocentium mortuum sub Honorio Romano, sed resedisse non legitur.

Nicolaus XX.

AB anno decimo sexto prædicto usque ad quadragesimum secundum nullius Archiepiscopi nomen legitur, præter Nicolaum II. in tablino Capit. & Cleri.

Giraldus XXI.

TErtius est hujus nominis, & illum reperies nominatum in anno 1260.

Jacobus XXII.

HIc alter Jacobus litem moviffe traditur anno 1275. super decimas omnium jurium Civitatis Tarentinæ, & ejus (ut dicunt) pertinentiarum, erat tunc Summus Pontifex Gregorius X. Placentinus.

Henricus XXIII.

DE Capitulo fuit Henricus optimè meritus: nam illi largitus est modios frumenti trecentos (vulgò appellantur tumuli) insuper confirmavit quartam (ut dicunt) mortuorum, ac multa alia: ter de eo legitur: 1280. 83. 84. Sed anno Domini 1297. impetravit à Roberto Duce Calabriæ, primoque genito Regis Roberti, & ejus Vicario, quod Casale Soletum, & alia congregarentur Casali Gryptaliarum ob belli discrimina: ita enim futurum erat, ut securius habitarent subditi Ecclesiæ.

Gualterius XXIV.

ET hic Gualterius II. liberaliffimus fuit; nam Clericis sex instituit annua prandia, cum trecentis frumenti modiis. Voluit

præterea, ut magister sacrista, & qui in majore altari ministraverint, sacrumque fecerint, de mensa sua comederent: hæc leges in anno 1300.

Gregorius XXV.

REsedit quandoque Gregorius, diuque præfuit Tarentinæ Ecclesiæ: nam de eo habetur ex anno tertio post trecentesimum, & millesimum, usque ad trigesimum primum, Appellabatur à Philippo Tarentinorum Principe Consiliarius, & Familiaris suus, fuit Capuanus, atque Ordinis Prædicatorum: traditur cum Clericorum Collegio convenisse, ut concesso eis Regii Telonis jure, sive (ut dicunt) Doganæ, onus subirent lampades accendendi ante altare majus Ecclesiæ.

Rogerius XXVI.

DE Roperio illud habetur glorioſum, quod scribi possit, repositio videlicet linguæ sancti Cataldi in chrystallo, resedit aliquando, instituit Canonicos, & à Roberto Principe appellabatur consiliarius, & familiaris suus, de eo legitur anno 1346. 1350.

Joannes XXVII.

DE Joanne nihil aliud reperitur præter eius memoriam. anno 1353.

Iacobus XXVIII.

JAcobus tertius, qui litigavit cum suo Capitulo, deinde donavit illi quam multa, nempe duodecim Italicæ pecuniæ uncias, bina prandia, decumam decumæ cujusdam Casalis Megniani, quod hodie non extat præter modiculam Divæ Mariæ, quæ dicitur della Camera. a. 1362. 64.

Franciscus Jacobus XXIX.

FRanciscum Jacobum Archiepiscopum binæ Capituli literæ nominant eodem anno 1368.

Jacobus XXX.

LEgitur, quòd hic Jacobus fuerit à quibusdam Gryptaliarum hominibus necatus: unde veniam petere coacti sunt à Gregorio XI. summo Pontifice Lemovicensi. anno 1378. 1381. Extat, & quoddam instrumentum Joannæ 1378.

Marinus Amalfitanus XXXI.

MArinum Amalfitanum de Judice, Tarentinum Archiepiscopum Urbanus VI. prima creatione Cardinalem S. Pudentianæ tit. pastoris creavit 1381., cum esset perpetuus Aversæ, Cusani, Cassani administrator. S.R.E. fuit Camerarius, ac legatus in Hungaria: renunciavit Episcopatum Cusani Roberto de Judice fratri 1385. Extat in Ecclesia Metropoli Amalfitana sub titulo Divi Andreæ Apostoli cœnotaphium cum inscriptione horum verborum: Marinus de Judice Archiepiscopus Tarentinus. S. Pudentianæ tit. pastoris Presbyter Cardinalis. S. R. Eccl. Camerarius. obiit sub Urbano summo Pontifice, A. D. 1385.

Jacobus XXXII.

REsedisse Jacobum quintum docent scrinia Archiepiscopi. 1388.

Matthæus XXXIII.

ET hic Matthæus resedit 1398., ut constat ex Clericorum tabulario.

Elisarius XXXIV.

SEquenti anno Elisarius Archiepiscopus per fratrem Angelum Suævum de Pesco suum Vicarium confirmavit Capitulo omnia jura &c.

Jacobus XXXV.

SExtus hic Jacobus de Ursinis ab aliis fuit observatus a. 1400. ipse locum non vidi.

Alemannus XXXVI.

NOn resedit Alemannus, sed per suos procuratores, ac Vicarium confirmavit Capitulo omnia jura a. 1402, at quinto post anno 1407. primus citra Capituli (ut dicunt) præjudicium exegit tres partes ex octonis de feudo Castinei in agro Marrubiensi, qua de re igitur lis Romæ. Sepultus est Alemannus Romæ in Basilica Sanctæ Mariæ Novæ Montis Oliveti: in eius sepulchro inciſæ sunt hujusmodi literæ: Hic Florentiæ ex Adimariorum familia antiqua nobiliq; ortus U. J. D., & omni literarum genere eruditus, primum Protonotarius, deinde Tarentinus, post Pisanus Præsul ad Cardinalatus apicem provectus est, dum pro Romana Ecclesia legatione fungeretur in Gallii: doctorum virorum amator, & cultor, vir ipse doctissimus, zelator justiciæ, & communis Reip. boni, qui pro Ecclesiæ unione apud Pisanum, Constantienseq; Concilia usque ad optatam conclusionem neminem veritus laboravit intrepide. Obiit ex peste anno ætatis suæ 60. mense Septemb. 17. die 1422.

Ludovicus XXXVII.

FUit Ludovicus Alemanni successor, nam de eo legitur 1408. ex nobilissima, & vetustissima Brancatiorum familia, ab Innocentio ad Ladislaum Regem Neapolitanum legatus missus, & absens à Gregorio XII. Cardinalis creatus. tit. S. Mariæ Transtyberim. Moritur Arimini cum multis aliis sub ejusdem Gregorii obedientia.

Rainaldus XXXIIX.

DIaconus Cardinalis tit. Sanctorum Viti, & Modesti Martyrum in macello, ex eadem clarissima familia Brancatiorum: interfuit Concilio Constantiensi 1414. moritur Romæ mense Septembri, anno 1427. Cadaver Neapolim translatum sepultum est in Ecclesia S. Angeli ad Nidum à se fundata

Joannes XXXIX.

JOannes III. non resedit: fuit tantum designatus Archiepiscopus. De eo legitur 1416.

Franciscus de Caris. XL.

ET quia Franciscus de Caris fuit unus ex sacro Cardinalium Collegio non resedit: fuit noster Archipræsul. 1419.

Joannes Bernardus XLI.

IOannes Bernardus Taliacotius. 1421.

Joannes XLII.

IOannes Quartus declaratur ex utriusque scripturis per decennium ab anno 1422. usque ad 1432.

Joannes XLIII.

IOannes ex Comitibus Tallacotii, Presbyter Cardinalis. tit. Sanctorum Nerei, & Achillei, post S. R. Eccl. major pœnitentiarius ab Eugenio 4. fuit deinde Episcopus Cardinalis Prenestinus, & Decanus. Obiit Romæ XII. Kal. Feb. a. 1449., sepultus ad S. Au-

Digitized by Google

S. Augustinum, cuius ordinis protector erat. Habuit duas orationes in concilio Basilienſi, eius notarius erat quidam Clericus Tarentinus, qui dicebatur Jacobus Adſerricius.

Marinus XLIV.

MArinus de Urſinis viſitavit Eccleſiam, totamq; diœceſim: eius nomen legitur in anno 1450. & 1469. de eo conqueſtus eſt ſenatus ad Regem, quòd non curaret Eccleſiam in ruina, quam minabatur, ſaltem reſarcire.

Latinus XLV.

LAtinus de Urſinis I. U. D. Presbyter Cardinalis erat Archiepiſcopus Tranenſis 1448., poſt Epiſcopus Cardinalis Sabinus. Tandem Epiſcopus Tuſculanus, obiit Romæ III. Idus Auguſti anno 1477. Pontificatus Xiſti Quarti anni 7. ſepultus in Eccleſia Sancti Salvatoris de Lauro à ſe fundata Romæ.

Joannes XLVI.

IOannes de Aragonia Neapolitanus, Ferdinandi Regis filius, Pronotarius Apoſtolicus, Diaconus Cardinalis S. Hadriani.; deinde Presb. Cardinalis tit. S. Sabinæ. obiit Romæ anno 1485. ſepultus in abſide tituli ſui annum agens XXII. patre ſuperſiſte.

Joannes Baptiſta XLVII.

IOannes Baptiſta de Petruciis (habetur de eo 1486. non reſedit) filius Antonii de Petruciis à ſecretis Regum Aragonum.

Baptiſta XLVIII.

BAptiſta Urſinus, Romanus, Clericus Cameræ, & Protonotarius Apoſtolicus, Diaconus Cardinalis, S. Mariæ Novæ, poſt Presbyter Cardi. tit. Sanctorum Joannis, & Pauli. tit. Pammachii. Ceſſit adminiſtrationem Eccleſiæ Tarentinæ manibus Alexandri Sexti ſummi Pontificis anno redemptionis omnium 1498. ſed quatuor præcedentibus annis fuit in Archiepiſcopali ſede, quo tempore fabricandum curavit ligneum chorum in majore, & Cathedrali Eccleſia. obiit Romæ in mole Hadriani, veneno ſublatus anno 1504. undecimo Alexandri Sexti Pontificatus anno, ſepultus ad S. Petrum.

Henricus XLIX.

FUlit hic alter Henricus ordinis Prædicatorum, legitur de eo ab anno 1498. uſq; ad 1505. fuit cognomento Brunus. Viſitavit Eccleſiam.

Franciſcus L.

FRanciſcus Barchionenſis de Parets, Tarenti moritur, & ſepelitur, parum in Eccleſia præfuit: & de eo non legitur niſi in anno 1506.

Joannes Maria LI.

IOannes Maria Pudericus Neapolitanus viſitavit Eccleſiam, de eo fit mentiõ in anno 1513., extatq; eius memoria uſque ad annum 1523. Neapoli mortuus ad D. Laurentium ſepelitur. Ibi legitur hoc Epitaphium. I. Mariæ Puderico, Tarentinorum Pontifici, ac intimo Regum Conſiliario, de patria, ſuaq; familia optimè merito, Paulus Pudericus patruo benemerenti putillum gratitudinis munus poſuit, anno Domini 1525. erexit ſuo ære magnam partem baſilicæ S. Agnelli, cuius altare majus poſuit ſub titulo S. Cataldi.

Henricus LII.

HEnricus III. generalis quæſtor, & Theſaurarius Clementis VII. Pontificis maximi, uſque ad annum 1534.

Hieronymus LIII.

HIeronymus primus de Hippolyto Monopolitanus ordinis Prædicatorum, electus Archiepiſcopus, legit Patavii, atque Neapoli non abſque magna ſcholarium attentione, moritur Viterbii, antequam Eccleſiam ſuam viſeret, anno 1527.

Antonius LIV.

ANtonius Sanſeverinus, fuit impeditus à poſſeſſione uſque ad coronationem Caroli V. Cæſaris, Presbyter Cardinalis creatus à Clemente VII. tit. S. Suſannæ poſt tit. S. Apollinaris, demum S. Mariæ Tranſtyberim, poſtea Epiſcopus Cardinalis Albanus, mox Sabinus, ultimo Portuenſis, & S. Rufinæ fuit liberalis, & benignus clericis ſuis, ut videre eſt anno 1531. moritur Romæ in Baſilica S. Trinitatis in monte Pincio ſepultus anno 1543. Sunt qui inter Hieronymum, & Antonium recenſent Cardinalem Armellinum Florentinum, cui non data fuit Eccleſiæ Tarentinæ poſſeſſio, contendente Romana ſede ſibi, & non Regi competere jus eligendi Pontificis.

Franciſcus LV.

FRanciſcus Columna, qui antea fuerat Archiepiſcopus Ruſſanenſis, anno 1545 viſitavit Eccleſiam Gryptaliarum. Habuit Vicarium fratrem Angelum Paſchalem ordinis Prædicatorum, qui & ab initio interfuit Tridentino Concilio ſacratiſſimo cum eſſet Epiſcopus Mutilenſis, & Jacobum Carrozzam Mandurinum, & Epiſcopum Cupreſſanenſem, moritur, & ſepelitur Neapoli, ubi vitam vixit peracto in Campania bello, ad montem Oliveti in ſacello, quod Columnenſi familiæ illuſtriſsimæ dicatum eſt, erectumq; Pompeio Columnæ Cardinali, qui Neapoli præfuit, ita jubente Carolo Quinto: & biennium in adminiſtratione rerum publicarum verſatus, eum in reddendo jure, recreandaq; provincia, & pecuniis exigendis, juſtitiæ, humanitatis, & temperantiæ modum tenuit, ut cum ſeveritate facilitatem miſceret, publicæq; egeſtatis, & ærarii cauſam tueretur, ſingularis ei apud omnes ordines laus pararetur. Huius vitam ſcribit Jovius.

Marcus Antonius LVI.

MArcus Antonius Cardinalis Columna, prædicti Franciſci ob patrem nepos reſedit aliquando, ſed parum, & nomine dotis, ut qui liberaliſsimus eſt (adhuc enim vivit) donavit Capellæ S. Agnetis modios viginti ſalis, & jus quod habebat in feudo Caſtirnei. Bis viſitavit Eccleſiam, interfuit ſacro Concilio Tridentino, quo tempore nondum fuerat inter Cardinales cooptatus. Theologum habuit ſecum Joannem Matthæum Valdinam ordinis Prædicatorum, qui poſtea fuit Epiſcopus Acerranus. Synodum Provincialem, & diœceſanam vocant, ubi interfuere Epiſcopi Monopolitanus, Caſtellenatenſis, Motulenſis, & Acerranus. Erexit Seminarium clericorum pauperum. Diſcedens poſtea juſſu Philippi Regis Salernitanis

Digitized by Google

tanis datus est Archiepiscopus, dimisso Tarentino Pontificatu, sed & Ecclesiam Salernitanam, ob majora à summis Pontificibus Gregorio, & Sixto sibi injuncta munera adhuc dimisit. Multos Episcopos habuit Vicarios, Mutilensem, Acerranum, Sancti Leonis, & Hostunensem, præter alios, qui omnes fuerunt juris peritissimi. Erat enim antiqua Tarenti consuetudo, quando Archiepiscopi aliis distracti negotiis non residebant, ut illorum Vicarii ob Sacramenta administranda essent Episcopi, quæ postea sublata est, quia, & ipsi Episcopi post Tridentinum Concilium in Ecclesiis residere coguntur. Hæc autem omnia, quæ de tanto Antistite dicta sunt intercurrere ab anno 1561. usque ad 1568.

Hieronymus LVII.

Hieronymus alter Austriacus Cardinalis de Corrigio nuncupatus. eius Vicarius Bonellus I. V. D. qui postea fuit Ragusiensis Antistes, magna quidem industria, studio, ac vigilantia visitavit Ecclesiam, Cornelii Musi Butontinensis Episcopi secutus vestigia in dicendi, scribendi, concionandiq; facultate. Convocandam jussit Synodum Provincialem, & Diœcesanam, cui præfuit Aloysius Campagna Russanensis Episcopus Mutilensium Anno 1571.

Lælius Brancatius LVIII.

LAELIUS Brancatius Neapolitanus, qui olim fuerat per Pium V. ad Surrentinæ Ecclesiæ Archiepiscopalem præfecturam assumptus, Hieronymum sequitur Gregorio XIII. Pontifice Maximo, & Philippo Rege nostro ita jubentibus. Anno igitur Domini septuagesimo quarto post quingentesimum, & millesimum, & decimo sexto Calend. Novembris Tarentum die Dominico sollemni quidem apparatu, & pompa est ingressus. Nondum autem annum in sua exegerat residentia, & magna inter hunc Pontificem, & Cives clericosque Tarentinos oborta est controversia, illis sedulò, atque instanter consuetudinum suarum, quas ut maximè antiquas, laudabiles esse juriumque vim habere contendebant, confirmationem, ut ab aliis prædecessoribus obtinuerant, effligitantibus, eo verò promittente, sese, quicquid vellent facturum, si visitationis tempus, quod proximum erat, expectarent, ut interea perpenderet, an quas jurisdictiones appellabant, legibus adversarentur. Tota autem re ad Sedem Apostolicam deducta, quæ petebant, ad quatuor tantum redacta Capita idem Gregorius summus Pontifex causa ad se avocata, & Antistitis dignitatis ratione habita, suo, quod in calce libri subscripsimus, diplomate ad futuram rei memoriam composuit. Cumque deinde per totum biennium magna diligentia, ac labore Metropolim, totamque cum ea Diœcesim, & Seminarium, quod paterna diligentia, & regere, & augere adhuc non cessat, visitasset, quæ in visitatione decreverat, novam rursus, & Clericis, & populo litigandi ansam exhibuere. Adeunt denuò Romanam Sedem, & Illustrissimi S.R.E. Cardinales Montis Regalis, & Lancelottus nuncupati, quibus, & à Gregorio nondum vita functo, & à Sixto V. eius successore, fuerat visendæ, corrigendæque visitationis cura demandata, cogitantes qualis quantusq; esset Archiepiscopi zelus, quam integra eius vita, auditisq; in singulis tam Capituli, & Cleri, quam populi procuratoribus, omnia ferè, perpaucis exceptis, decreta, & probarunt, & confirmarunt, sicut in extremo opere ex authentico eorum scripto constabit. Sed civibus cum Clericis nondum omnino quiescentibus, à Sanctissimo Domino nostro Sixto saluberrimum aliquod in tanta animarum ægritudine remedium expectatur, unde salus, & quies speratur tranquilla iis tandem diuturnis procellis omnino sedatis.

Archiepiscopus Tarentinus, qui à Rege præsentatur, duos tantum habet Episcopos suffraganeos, Mutilensem scilicet, & Castellanetensem: primum quoq; præsentare consuevit Rex, alterum eligit Summus Pontifex. Præsidet Archiepiscopus præcipuè Basilicæ Divi Cataldi, qui patronus est Urbis nostræ. Habuit initium suæ erectionis jam inde Apostolorum prædicatione, mox ab ipso Cataldo, cuius vitam leges in ultimo operis libro: verum ad hanc, quæ hodie conspicitur, formam Drogonus Archiepiscopus, quia vetustior ruinam minabatur, quæ plurima vigebat pietate, reduxit. Sexdecim utrinque sustentatur marmoreis columnis, & pavimentum multis emblematibus laboratum: habet navim à duabus hinc atque illinc minoribus distinctam cum suis ædiculis, quæ divorum imaginibus decorantur. Omitto Campanarum turrim, omitto majoris altaris positionem, atq; sacrarium, ubi repositæ sunt Reliquiæ sanctorum: atque imprimis Cranium, Brachium, Tibia, lingua, ossaq; aliquot Divi Cataldi thecis argenteis stipata: ubi Argentea etiam statua, quæ Pontificem, dum celebrat, imitatur cum pallio, infula, baculo, aliisq; sacris, & Pontificiis indumentis. Rem divinam ibi faciunt duodecim Canonici, multiq; Sacerdotes, & Clerici, qui omnes in chorum conveniunt pro Matutino, Missa, & Vesperis, reliquæ horæ ab iisdem diurna vicissitudine recitantur. Sed hæc nimis curiosa, & propterea superflua videri possunt. Sunt & in Tarentina Diœcesi quinque Abbatiæ consistoriales, & ut plurimum Illustrissimis Cardinalibus commendantur: Prima est SS. Viti, Modesti, atque Crescentiæ, quæ olim fuerat Græcorum Monachorum è societate magni Basilii, qui extra Urbem habebant Monasterium sub Sancti Viri nuncupatione. Habet hodie Abbas juxta Urbem Ecclesiam Sancti Salvatoris, ubi servantur reliquiæ prædictorum Divorum, Caput imprimis, & Brachium Sancti Viti argento obtecta, cum non parva sanguinis parte, qui in vitrea phiala asservatur: hunc toto anno duriorem perspicimus, at in festo quod decimo septimo Calend. Julii celebratur, liquescit, ut si recens de corpore manarit. Altera Abbatia dicitur Sanctæ Mariæ de Galeso, quæ olim fuit ordinis Cistercienſis: & habetur de ea in secundo libro Epistolarum, & Decretalium Innocentii Tertii Pontificis maximi ad Archiepiscopum Hydruntinum,

&

Digitized by Google

& Episcopum Licien sem scribentis. Tertia vocatur SS. Petri, & Andreæ, cuius Basilica fuerat ante hac in Insula parva ordinis Sancti Benedicti: sicut Quarta, quæ appellatur Sanctæ Mariæ de Crispiano huius seddituus magna, & melior pars est apud Martinenses, illius verò apud Mandurinos. Quinta, & ultima Græcorum etiam Monachorum Basilii magni Sanctæ Mariæ de Talsano, cuius Ecclesia sex ab urbe milliaribus distat, nomen habuit. Est, & Abbatia, ubi à Monachis in Conventu vivitur, & iis qui Montis Oliveti nuncupantur, Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Justitia, olim fuerat pauperum peregrinantium hospitium. Sunt, & intra, atque extra Urbem multæ, tam Regularium, quam secularium sacerdotum Basilicæ, & per totam Diœcesim, quas describere non modò summatim, sed & particulatim, placuisset, nisi aliis, quorum consilio adhæsi, opus visum fuisset superfluum.

Gregorius Papa XIII.

AD perpetuam rei memoriam. Quoniam in Ecclesia Dei eius vices, meritis licet indignis, gerimus in terris, sicuti ad disciplinam Ecclesiasticam conservandam, atque propagandam, divinumque cultum amplificandum nihil est ipsa concordia accommodatius, ita nihil æquè universum Ecclesiasticum ordinem conturbat, atque adeo pervertit, quam si quando à suo capite membra dissidere conspiciantur. Et sicut non sine animi nostri displicentia accepimus, inter Venerabilem fratrem Lalium Archiepiscopum Tarentinum ex una, & dilectos filios Capitulum, & Clerum, & forsan Communitatem Tarentinæ Civitatis, partibus, ex altera nonnullæ lites, dissensiones, ac controversiæ coram Venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus super Episcoporum causis deputatis, aliisque forsan Judicibus, ac Tribunalibus versæ fuerint, & in præsenti versantur, prætendentibus quidem Capitulo, & Clero, & Communitate prædictis eiusdem Archiepiscopi Vicarios pro tempore existentes Syndicatui esse obnoxios, ac Notarium seu Magistrum actorum (ut vocant) non nisi de gremio, seu corpore Capituli per Archiepiscopum eligi debere; Archiepiscopo verò quod Capitulum, & Clerus ipso inconsulto, ipsoque vel eius Vicario non interessente minimè insimul cogi, nec haberi posset, quodque aggregatio sive electio, vel saltem institutio, & confirmatio Clericorum primæ tonsuræ, qui Metropolitanæ Ecclesiæ Tarentinæ deserviant ad se omnino, vel ad eius officiales, minimè verò ad Capitulum, & Clerum prædictos pertineat: nos pro pastoralis officii debito, litibus, controversiis, ac dissensionibus hujusmodi finem imponere, ac eorundem Archiepiscopi, Capituli, Cleri, ac Communitatis quieti, & animarum saluti consulere, eosdemque omnes à gravibus dispendiis, & molestiis, quæ ex litibus huiusmodi, ac controversiis in dies suscipiuntur, eximere, ac penitus liberare cupientes, illosque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, cæterisque Ecclesiasticis censuris, & pœnis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum absolventes, motu proprio, non ad dictorum Archiepiscopi, Capituli, Cleri, & Communitatis, aut alicuius eorum instantiam, seu requisitionem, sed ex mera voluntate, & certa, ac deliberata scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, habita prius super præmissis cum prædictis Venerabilibus fratribus nostris Cardinalibus, qui lura partium pluries audierunt, ac diligenter examinarunt, matura deliberatione omnes, & quascunque lites, controversiasque, & differentias prædictas, eorumque singulas, à prædictis, & aliis quibuscunque Judicibus, & Tribunalibus, ubi illas pendere contingeret, ad nos harum serie avocantes Apostolica auctoritate perpetuò extinguimus, cassamusque, & annullamus, proqextinctis, cassis, penitus annulatis haberi volumus, & mandamus, ac omnibus, & singulis, quorum interest, sive in futurum quomodolibet interesse poterit super præmissis perpetuum silentium imponimus: Volumus autem, ac eadem auctoritate tenore præsentium perpetuis futuris temporibus expresse statuimus, & mandamus, quod de cætero Vicarii, & Officiales, sive Generales, sive particulares, etiam foranei nuncupati, per eundem Archiepiscopum, sive eius pro tempore successores in dicta Ecclesia Tarentina, sive eius Diœcesi deputati, vel deputandi, ad aliquem syndicatum nullo modo teneantur, aut eidem sub quovis respectu sint obnoxii: Notariorum quoque actuariorum, quos Magistros Actorum appellant, electio, ac deputatio etiam si laici sint, ac exteri ipsorum Archiepiscoporum pro tempore penitus libera, ac ad nutum amovibilis existat. Quodque Capitulum, & Clerus prædicti etiam absque ipsius Archiepiscopi notitia, & interventu se pro eorum negociis capitulariter congregare, dummodo non eo tempore, quo in choro residentia, vel alibi Ecclesiastica aliqua functio sit peragenda, possint, ac valeant: liberum tamen sit Archiepiscopo, & successoribus præfatis per se ipsum, nisi de suo, vel suorum interesse ageretur, intervenire. Vicarius verò Clero, & Canonicis invitis minimè admittatur. Volumus tamen, ut in singulis Capitulis, seu Congregationibus huiusmodi absque Archiepiscopi interventu, ut præfertur, faciendis, quod primus Canonicus in ordine, qui in dicto Capitulo, & Congregatione præsens erit, ipse juxta debitum ordinem, & modum, vota, & suffragia suscipiat, altercationes, ac clamationes, & jurgia cohibeat, contumaceque, & inobedientes eidem Archiepiscopo, seu Vicario statim denunciet, in eos iuxta qualitatem delicti animadversuro. Insuperque quod Clericorum eiusdem Metropolitanæ Ecclesiæ servitio addictorum, & addicendorum electio, sive aggregatio, ad Clerum, & Capitulum, seu Canonicos prædictos absque aliqua ipsius Archiepiscopi, sive eius Vicarii confirmatione, institutione, vel approbatione pertineat: Ita tamen ut electi, & aggregati huiusmodi ab ipso Archiepiscopo, sive eius Vicario mandatum de sese ad dictum gremium admittendis, prout hactenus consuetum extitit, petere teneantur, ac reservato eidem Archiepiscopo jure, & facultate omnes ordines conferendi, licentiamque eisdem Clericis de se promovendo concedendi, ac eosdem ad sacramentorum

ad-

administrationem admittendi: idoneos tamen, & prævio examine approbandos iuxta sacrorum canonum statuta, & ipsius Ecclesiæ laudabiles consuetudines. Quocirca omnibus, & quibuscunque, quos præmissa concernunt, & in posterum quomodolibet concernent, cuiuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis fuerint, distinctè præcipiendo mandamus, ut præmissa omnia, & singula inviolabiliter observent, & observari mandent, & faciant, districtius inhibentes omnibus, & singulis prædictis, ne sub indignationis nostræ, & excommunicationis latæ sententiæ eo ipso si contra fecerint incurrendis pœnis, ne quo minus prædicta omnia, & singula suum debitum sortiantur effectum, sese opponere, impedire, retardare, aut quoquomodo perturbare audeant, vel præsumant, & ita per quoscunque Judices, & Commissarios quavis auctoritate fungentes etiam Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere, ac irritum & inane decernimus quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, & regula nostra de iure quæsito non tollendo, Capitulique ac Cleri, & Civitatis prædictorum etiam iuramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis præscriptionibus, ac consuetudinibus, etiam immemorabilis temporis, ac etiam Synodalibus decretis, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis, etiam dictis Capitulo, & Clero, Communitati, & Civitati, etiam per nos, seu prædecessores nostros, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine, similibus, ac etiam consistorialiter sub quibuscunq; tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, & in clausulis irritantibusque, & aliis decretis quomodolibet etiam iteratis vicibus concessis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus etiam si de illis specialis, & individua mentio habenda foret, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum, insererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, ac vicem duntaxat specialiter, & expressè motu, scientia, & potestatis plenitudine prædictis, derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque, Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo piscatorio. Die secunda Maii. M. D. LXXVIIII. Pontificatus nostri anno septimo.

Cæs. Glorierius.

SCRIPTUM CARDINALIUM de approbata visitatione.

NOs Vincentius Laureus, tit. S. Mariæ in Via Montis regalis nuncupatus, & Scipio tit. S. Simeonis Lancelotus nuncupatus S. R. E. P. C. his scriptis testamur, quod annis præteritis habito recursu à Reverendo Capitulo & Clero, & Universitate Civitatis Tarenti ad felicis recordationis Gregorium Papam XIII. super prætensis quibusdam gravaminibus eis illatis in visitatione facta à Reverendissimo Domino Lælio Brancatio Archiepiscopo eiusdem Civitatis, & per eundem remisso negocio ad Sacram Congregationem super negotiis Episcoporum, & ibidem per plures annos ventilato, tandem nobis fuit ab eadem Congregatione injunctum, ut omnia & singula acta, & decreta dictæ visitationis examinaremus. Nos auditis voce, & scriptis pluries procuratoribus dicti Archiepiscopi, & Capituli, & Cleri, tandem habita super omnibus matura deliberatione, nonnullum ex dictis decretis emendavimus, & correximus, prout in Apostillis in margine huius libri dictæ visitationis propriis nostris manibus subscriptis apparet: reliqua vero omnia in eo contenta approbavimus, in quarum fidem præsentes nostris manibus subscriptas, & sigillis uostris munitas fieri fecimus. Datum in ædibus nostris die primo Septembris 1585. *V. Card. Montis Regalis. S. Card. Lancelottus.*

SUPPLEX LIBELLUS LEGATORUM Archiepiscopi pro visitatione liminum Apostolorum.

Illustrissime, ac Reverendissime Domine:

OPtabat Reverendissimus Dominus Lælius Brancatius Archiepiscopus Tarentinus præsens hoc Sacratissimorum liminum visitationis munus adimplere, ac de iis, quæ ad Ecclesiæ suæ statum, ac pastorale officium pertinent juxta Sanctissimi Domini Nostri Sixti Divina Providentia Papæ V. constitutionis præscriptum rationem reddere. Verum cum ita gravi detentus nuper fuerit infirmitate, ut non sine vitæ discrimine iter hoc suscipere pere posset: propterea nos Scipionem Tortamanum Cantorem, & Scipionem dello Vecchio de gremio suæ Ecclesiæ Procuratores suos ad hoc specialiter constitutos, ac deputatos cum authenticis mandatis, & legitimi impedimenti, quo detinetur documentis, Illustrissimæ, & Reverendissimæ Amplitudini vestræ exhibitis, transmisit, ut ejus nomine Beatissima Apostolorum limina visitaremus, ac Sanctæ Sedi Apostolicæ Romanoque Pontifici Sixto V. Domino nostro veram obedientiam, & subiectionem sponderemus: statum dictæ Ecclesiæ exponeremus: ac demum Apostolica præcepta, ac sacras iussiones exciperemus.

Præstitimus iam Illustrissime, ac Reverendissime Domine visitationis liminum munus, venerati sumus Sanctissima Apostolorum corpora: Romanum Pontificem Christi Domini nostri Vicarium, ac B. Petri Apostolorum Principis successorem Ecclesiæ caput agnoscimus, ac ejus monita, & præcepta pacatissimi suscepimus, & Deo dante exequi curabimus. Cæterum quod ad Ecclesiæ statum spectat. Est Ecclesia Tarentina insignis Metropolitana in Regno Neapolitano, suffraganeas habet Ecclesiam Motulensem, & Castellanetensem, à quibus ad prædictum appellatur. In Civitate, & tota Dioecesi præter Cathedralem Ecclesiam, nullæ adsunt Collegiatæ. Plura tamen sunt Regularium Ordinis Mendicantium Monasteria. Adsunt in dicta Ecclesia quatuor Dignitates, octo Canonicatus. Copiosus præterea Præsbyterorum, & aliorum Clericorum numerus ad centum quadraginta. Seminarium præterea Clericorum juxta Tridentini Concilii decreta institutum, ubi plures sunt pueri, qui Christianis

stianis disciplinis à Seminarii Magistris imbuuntur. Habet autem Seminarium praedictum in redditibus ad quingentos ducatos, ex quibus Trecentos persolvit Archiepiscopus. Mons etiam Pietatis à Communitate, & Civibus Apostolica auctoritate erectus, ex depositi alimentur, & alit[illegible] puellas nubiles, & pauperes honestas, seu secundas impendiuntur, & summaria [illegible] tu Cappellae Sanctissimi Sacramenti [illegible] tur, qui eorum ordinem [illegible] Hospitale item pro [illegible] ordinarii visitatione [illegible] rò Monasterium [illegible] tem Ordinis Sancti [illegible] & alia juxta formam [illegible] servantur. Curavit [illegible] scopus, ut in dicta Ecc[illegible] bum Dei, & Chr[illegible] tur, Ecclesiae Sacramenta [illegible] alia ad populi institutionem, animarum salutem, & Dei laudem pertinerent, ubique praetermisit, quantum [illegible] pastoralis officium, & so[illegible] videretur, visitando, pr[illegible] rigendo, ac Tridentini [illegible] nuando, prout ab Illustrissimis Cardinalibus [illegible] Episcoporum fuit alias [illegible] quoniam à tribus fere [illegible] Vicarius Apostolicus, [illegible] clesiae status plenius ex [illegible] poterit. Reliquum est, [illegible] Deo optimo maximo, & Sanctissimo Domino nostro, Illustrissima, & Reverendissima Amplitudini vestrae perpetuam felicitatem exoptamus, quam pro sua benignitate concedere dignetur clementissimus Dominus.

LITERAE CARDINALIS ANTONII Caraffae ad Archiepiscopum, de visitatione Eminum. Cardinalium.

Reverendissimo Domino [illegible] Domino Lelio Archiepiscopo Tarentino.

REverendissime Domine [illegible]: Reverendi Scipio Tortenulus [illegible] Cantor, & Scipio Votus [illegible] mio, Amplitudinisque tuae procuratores de causa, quae illum impellebant, & quo minus ad Urbem [illegible] proficiscerentur, praetextus legitimi docuerunt, iisque probatis, & admissis, ut constitutum Sanctissimi Domini nostri Sixti V. Pontificatus [illegible] primo primo edito, & praefixo ab illo praedicto ordine nomine satisfacerent, proximis superioribus diebus Sanctorum Apostolorum limina, ut habebant in mandatis, visitarent, Sanctissimique Domini Nostri jussu à Sacra Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, & executorum praedictorum de statu Ecclesiae statu, aliisque rebus illius ad [illegible] pertinentibus quaesiti, [illegible] hactenus [illegible] fuerunt. Quamvis vestra [illegible] sanctissimi auctoritate, [illegible] nihil praeterea mandavit, testimonium [illegible] Amplitudinem tuam his meis literis [illegible], quibus pro ea, qua nos Christus [illegible] nostri [illegible] charitate, [illegible] consortium Apostolorum [illegible] [illegible] omnem dimisso filio [illegible] [illegible] Sedis majestatem, [illegible] [illegible] [illegible]

Digitized by Google

ANTONII GALATEI,
LICIENSIS,
Philosophi & Medici Doctissimi ac Celeberrimi,

DE SITU
JAPYGIÆ
LIBER.
NEC NON
URBIS GALLIPOLIS
DESCRIPTIO;
UT ET DE
VILLA LAURENTII VALLÆ.

JOANNES BERNARDINUS BONIFACIUS,
ORIÆ MARCHIO,
CLARISSIMO VIRO
LOISIO GEORGIO,
PATRITIO VENETO,
S. P. D.

A est elegans fama, quæ de te ab omnibus prædicatur, ut licet numquam te præsens viderim, tamen cogar communi suffragio calculum addere, & eadem de te sentire & dicere, quæ omnes dicunt & sentiunt; nam etsi facie te judicare minimè possum, qualis nam sis, hoc non multum attendendum; quippe ex egregiis factis tuis sic vivum animum expressum video,

Qualis Apelleis est color in tabulis.

Nec quisquam istinc ad nos venit, qui in te laudando & extollendo finem facere posse videatur. Quo factum est, ut ita sim accensus desiderio te videndi, & aliqua in re animum erga te meum ostendendi, ut ubi sim, quidvè faciam, omnino nesciam. Quùmque mihi negotiorum, nec levium causa, istuc aliquando proficiscendum sit, urgeo interdum rem, ut quàm primum liceat optatissima ora intueri, verasque audire, & reddere voces. Hoc demum pacto voluntati meæ satisfaciam. Interea, moræ veluti impatienti, visum fuit hoc ad te mittere opusculum, in μνημόσυνον, & pignus erga te mei amoris, & benevolentiæ, quod tantisper vellem te legere, donec post præsens te interpellem. Liber est ab Antonio Galateo Licienſi philosopho, & medico celeberrimo compositus, inscribiturque de Situ Japygiæ. *In quo, ceu in tabula, ob oculos tibi omnia ferè hujus regionis nostræ loca proponuntur; præsertim verò mea hæc oppida, in quibus nunc dego. Spero, quæ tua est humanitas, & propensum in hujusmodi scripta studium, munusculum qualecunque est, tibi omnino non ingratum fore. Quòd verò ad Authorem attinet, multa mihi dicenda essent, maximè quum adhuc, nescio qua injuria factum sit, ut opus ipsius nullum, quod sciam, in lucem prodierit; etsi quotidie passim docti, indoctique pariter scribamus. Sed quamvis, ut dixi, ex suis lucubrationibus nondum manifestus apparuerit, non dubito quin citò ipsum omnes cogniturì sint, cùm ex hoc opusculo, quod ad te mittimus, tum ex*

aliis, quæ investigare assiduè non cessamus. Scripsit namque vir ille præclarissimus multa doctè, & scitu dignissima. Nec immeritò a magno Pontano nostro, tam honorificè celebratur in suis Hendecasyllabis, *& alibi. Et doctissimus ille vester Hermolaus Barbarus, peculiarem illi* Paraphrasim Themistii in Aristotelis Physicen *dicavit. Non tacebo insuper, benemeritum quoque fuisse de inclyta, & felicissima ista vestra Republica, ut ipse multis in locis testatur, præcipuè verò in quadam sua epistola, quam nobilissimo viro Loisio Lauredano, Patritio vestro, scripsit; in qua graphicè ipsam exprimere, & laudare, compendio tamen, conatur, ubi inter cætera, hæc verba sunt:* Mallem literas nescire, unicum infelicitatis meæ solatium, quàm Venetias non vidisse. *Et in lib.* de optimo genere philosophandi: Nuper Venetiæ, alteræ Athenæ, imago Romæ, philosophiam, Græcas, & Latinas literas amplexatæ sunt. Et ni mors tam citò illum rapuisset, familiaris meus Hermolaus Barbarus, barbarorum disciplinas ex Italia profligasset. Erat enim vir excellentis ingenii, & Græcarum Latinarumque literarum peritissimus. Sunt & alii Venetorum proceres, Hermolao non inferiores, qui a morte revocare philosophiam possent. *Hactenus noster Galateus. Sed quis dignè vestram urbem laudare poterit? Vetera ingenia obstupescerent; cogita nunc quid facerent nova. Et jure quidem; Vos etenim ex illis estis, qui alterum Romanum imperium exuscitastis; eò pulchrius, & felicius, quò diuturnius. Vos pacis, bellique sequestres. Vos vestra summa prudentia, & valida ope facitis, ut regina Italia, & antiquum Latinum nomen, penitus non deleatur, & in barbariem abeat. Vos non Italiæ modò, sed orbis etiam splendor, lumen, honor, & gloria. Pro vobis, vestroque perpetuo imperio, omnes pii noctes dieſque orare Deum debent; nam tantum Christiannæ reipublicæ consultum erit; quantum incolumes vos feliceſque extabitis. Beati profectò existimandi, qui in tam præclara, & bene instituta urbe nati estis. Mihi verò si quod nunc optarim, Deus benignus concessisset; vestrum solum natale omnino contigisse. Verùm, quàm superis aliter visum sit, subinde cum Poeta suspiro:*

O utinam ex vobis unus, vestrique fuissem.
Aut custos gregis, aut maturæ vinitor uvæ.

Quod superest, vos omnes semper colam, semper amabo, venerabor, & pro numine habebo. Ac in primis te, mi GEORGI, virum omnibus virtutibus, præsertim humanitate ornatissimum. Qui in Urbe inclyta natus, in familia illustri, tot Imperatorum, & Ducum splendida fortuna bonis, copia, ære elegantissimo, supremis honoribus, tibi a tua Republica frequentissimè collatis: tamen hæc omnia candido, & pulcherrimo animo tuo, longè vincis, & superas. Tametsi ex se unumquodque conspicuum, & mirandum quemlibet redderet: nihilominus juncta, & animi dotibus comparata: famulas illa, hæc reginam ostenderent. Vive diu mi humanissime GEORGI, quando tu verè mihi dignus vita videris, cùm singulis innumera humanitatis officia quotidie præbeas; tum tuo exemplo alios invitans ad virtutis, & sapientiæ studium. Unde felicissimæ, & inclytæ Venetiæ, non tantùm gloriabuntur de opibus, de latissimo imperio, de instructis copiis, de admirabili illo Navali, octavo orbis miraculo, de numerosa classe, etiam Asiæ formidabili, denique de omnibus quibus felicissimum, & amplissimum regnum gloriari soleat: quantum (& quidem justius) de sapientissimis, & prudentissimis alumnis, ac in primis de te viro, omnium quos sol aspicit, clarissimo. Itaque in causa estis, ut quæ Urbs ex se magna, & admirabilis sit; vestra tamen virtute, longè major, & admirabilior appareat. Faxit DEUS OPTIMUS MAXIMUS, ut quod mihi hucusque non licuit, liceat saltem in posterum; ut in ista florentissima Republica, quod superest ævi transigam, atque oculos tandem claudam. Quæque incunabula non præbuit, benigna concedat, vel tumulum. Vale, Oriæ, in Salentinis, vel Japygiæ, Calend. Octobris, M. D. LVI.

AN-

Digitized by Google

ANTONII GALATEI
PHILOSOPHI, ET MEDICI
PRÆSTANTISSIMI,
DE SITU JAPYGIÆ.

Ad Clarissimum virum Ioannem Baptistam Spinellum, Comitem Choriati.



ULÆ nunc Italia dicitur, ab Alpibus ortum habens, supero, & infero mari abluitur, in quo ortum hybernum, & meridiem porrecta, perpetuis Apennini jugis, duabus peninsulis, seu (ut Græci dicunt) chersonesis, finitur: Quæ quasi vertices sunt, seu coni bifidæ arboris. Hæ peninsulæ, & interiacens ora, antiquis temporibus non solùm cæteris terris: sed ipsi quoque Græciæ prælatæ, ob ingentem, & urbium, & virorum nobilitatem, & cœli clementiam, & soli ubertatem (Græcis omnibus consentientibus) nomen sibi magnæ Græciæ vendicavere. Nunc afflictis, ac perditis, priscorum Græcorum rebus, & dehinc deleto in Oriente Romano imperio, hæc quoque ora simul concidit, & ut quondam Græcis totum ferè internum mare, Massiliam, & Aphricæ oram, Aegyptum, Syriam, Asiam, Græciam, & majorem Italiæ partem, Siciliam, Cretamq; tenentibus, hæc ora in umbilico erat Græciæ, sic nunc diviso, imò potius discisso terrarum orbe, & Græcis, latinisq; dissentientibus, & Saracenis Turcisq; rerum potitis, in extremo penitus angulo est. Omnes huius oræ urbes percurrere, & illarum res gestas narrare, non est perpositi nostri, nec tantùm mihi à laborioßissima arte meæ ocii concessum est. In hac Hydruntum, Callipolis, Neritum, & unde mihi antiqua origo est, Calatana, Brundusium, Tarentum, Metapontus, Heraclea, Thurii, Sybaris, Croton, Locri, Rhegium, Messana, Syracusæ, & ut mihi constituam, tales erant, quondam hæ urbes, quales, quæ nunc in Italia habentur nobilissimæ. Hic à Pherecide Syro, fluxit Italica philosophia: hìc Pythagorica disciplina: hic mores, hic apud Græcos (teste Aristotele) prima benevivendi instituta, primi convictus. Primi leges scriptas dedere Thurii, apud quos Græcæ historiæ pater Herodotus suas scripsit Musas. Nunc tempore, & vetustate omnia collapsa sunt. Nunc inconstans, ac lubrica fortuna, quæ res hominum, atq; Imperia ipsa, nunc huc, nunc illuc agitans, omnia permiscet, ac perturbat, alió vertit sua munera. Hæc eadem regiones, urbes, gentes, linguas, familias, nunc has extollit, nunc easdem deprimit. Quin etiam, & ipsas regum, & populorum leges, & varias religiones, & ipsa philosophiæ (ut Aristoteles ait) scita, & dogmata, permutat. Nihil est in tam magno, ac volubili opere, quod firmum, aut stabile sit. Extrema totius oræ duæ sunt (ut dixi) peninsulæ. Quæ ad meridiem spectat, & ad Siculum vergit fretum, pauló maiori ambitu cingitur, clauditur isthmo, qui est à Scyllaceo, ad Hipponiatem sinum, seu (ut Aristoteles ait) à Scylletico, ad Lameticum, inter utrunq; eodem authore, iter est mediæ diei. Strabo spacium esse ait. CLX stadiorum. Nusquam angustiorem esse Italiam Plinius ait. Hæc est propriè dicta Italia, ab Italo rege, unde Virgilius Aristotelis sententiam ad verbum referens ait *lib. 1. v. 536.*

Oenotrii coluere viri, nunc fama minores,
Italiam dixisse Ducis de nomine gentem.

Hunc universæ Italiæ nomen dedisse certum est. Propagatum inde nomen, Canpaniam, & Latium comprehendit, & à supero mari, Salentinos, Apulos, Ferentanos, Marsos, Picenos, inde Hetruriam, & Liguriam, usq; ad Varum amnem, & Alpes Venetas & usque ad confinia Illyridis. De universa Italia dicere, nec propositum mihi est, nec ocium. De altera peninsula, quæ Orientem spectat, pauca de multis perstringere me oportet, quoniam id tibi placere video, cujus jussis jure mihi semper parendum est. Ut illa (quemadmodum diximus) à Scyllaceo, ad Hipponiatem sinum, sic, & hæc, à Brundusio Tarentum, & Isthmo, sed longiori clauditur. Sunt enim à Brundusio Tarentum, millia passuum circiter XL, à Tarento Callipolim, millia passuum L. Inde Japygium promontorium, (quod alii Salentinum, alii Salentum, Græci Acram Japygiam appellant) millia passuum xx. Inde Hydruntum, quod teste Leonardo Aretino, ultimum est Calabriæ, millia passuum xxx. Hinc Brundusium L. Totus ambitus est cxc millia passuum. Ut illa Leucopetra, cui navigantes, temporis nostri, à discrimine ventorum, nomen indiderunt, ita hæc Japygio promontorio terminatur, quibus apicibus, maximè in mare excurrit Italia. Utrùnque extremum finis est Apennini. Nam ut Italia, sic, & Apenninus bifurcatur: & ut Italia Alpibus, sic & Japygia montibus circumsepta est, non nimis altis, sed lapidosis, & nemorosis. Hi ultrà Brundusium, & Tarentum, ferè ad utrunque mare descendunt. Sunt qui Isthmum ponunt, ab Egnatia, & Monopoli, usque Tarentum; id

spa-

Digitized by Google

ſpatium xxx. millium paſſuum, eſſe dicunt. Ab extrema Japygia, ad ſyrtis magnæ intimos receſſus, maxima mediterranei maris latitudo eſt. Sunt enim millia paſſuum ferè octingenta. Ab hac eadem ad interiora ſinus Corynthiaci, quatuor millia, & quingenta ſtadia. Ad Acroceraunios montes, & Lacinium promontorium par eſſe ſpatium, auctor eſt Strabo, hoc eſt ſeptingentorum ſtadiorum, quæ noſtra computatione efficiunt LXXXVII. mill. & D paſſ. Idem à Caſſiepia Corcyræ Brunduſium, & ab altero Caſſiepiæ cornu, uſq; Tarentum, ſtadia ſunt M.D.CCXL, hoc eſt, Romana computatione, mill. paſſ. CCXXVII. Recentiores navigantes ab Hydrunto ad Thoronum inſulam, quæ oſtio Adriatici ſinus obiicitur, LX. millia paſſuum eſſe dicunt. à Thorono Corcyram XL. Oſtium Adriatici ſinus, ubi breviſſimum eſt ſpatium, L. millia paſſuum, hoc eſt, ab Hydrunto, ad Acroceraunios montes. Hæc regio, ſi Ptolemæo credimus, ad cœlum relata, Leoni, & Soli ſubiicitur, ut & tota Italia: ſed Apulia præcipuè. Hæc, quoad terrarum ſitum attinet, temperatiſſimam orbis partem ſortita eſt. Ut, & altera peniſula quartum ſcilicet clima: quantum ad cognomen, umbras Solis, ſi aliqua res terreſtris non obſtiterit, temperatiſſimum eſſe, & ratio, & experientia ipſa, & plurimorum conſenſus affirmat: quamvis Avicenna, & Averroes, ab antiquorum ſententia, & inter ſeipſos diſſentiunt. Alter, qui ſub æquinoctiali, plagam temperatiſſimam eſſe opinatus eſt, alter, quintum clima laudavit, in quo ſe eſſe credidit, cum fuerit, ſi Cordubæ vixit, in quarto. Utriuſque opinionem in libello noſtro de Eucratia confutavimus. Averrois opinionem, nemo, quem ego ſciam, ſecutus eſt. Avicenæ conſentit Aponus, & Albertus, qui libellum de natura locorum ſcripſit, ubi ſe multa ex Platonis, & Ariſtotelis epiſtolis, collegiſſe aſſeverat. Sed ſi tempratiſſima orbis loca cognoſcere cupis (his namq; menſurantur cætera. Nam rectum eſt index ſui, & obliqui) ne pigeat inter tot curas hæc quoque legere, quæ nonnihil ad civilem uſum conducunt. Earum, quas Alfraganus, & cæteri Arabes deſcripſere regionum urbiumq; nomina, nec mihi nota ſunt, nec illis, ut puto: non ſolùm locorum, ſed ſtellarum, & auctorum & (quod vitæ intereſt) herbarum quoque nomina Arabes corrupere: unde rerum ignoratio non parva orta eſt. Placuit noſtris potius è turbidis barbarorum rivulis, quàm è Græcorum puriſſimis fontibus hauſiſſe Philoſophiam, Medicinam, cæteraſq; diſciplinas: ſed ad propoſitum redeamus. Quartum clima ex Italia nonnihil, quæ citra Neapolim, & Garganum montem ſunt, loca complectitur. Incipit ab occiduo Oceano, continet Gades, Sacrum promontorium, & oram Oceani uſque ad Lunæ Promontorium, quod eſt in Luſitania. Medium freti Herculei, quod inter tertium, & quartum clima jacet, Abyla in tertio, in quarto Calpe exiſtente: comprehendit omnem Bæticam, & partem Luſitaniæ, & omnem oram Hiſpaniæ interni maris uſque Barcinonem, Ebiſum, & Baleares inſulas, Sardiniam, & partem Corſicæ, Siciliam, & adjacentes inſulas, & Italiæ partem à Leucopetra uſq: Neapolim, & ab extrema Japygia uſq, ad Garganum montem, & Luceriam Apulorum, Macedoniæ partem ferè uſque Dirrachium, Acrocerraunios montes, & omnem oram Aepiri, Corcyram, Cephaleniam, Jacinthum, ſinum Corinthiacum, omnem oram Aetoliæ, & Acarnaniæ, Iſthmon, & mediam Peloponneſum, Actidem, Achajam, Beotiam, ſinum Therniaicum, Theſſalonicam, uſque Athon montem, Stagiram, Lemnon, Eubœam, & maximam partem Aegæi pelagi, Tenedon, Lesbon, Chion, Con, Samon, omnem oram Aſiæ minoris à Tenedo, & Sigæo, & Helleſponto uſq; ad Gnidum: & à Gnido uſque ad Iſſichum ſinum, & partem Syriæ uſque ad terminum tertii climatis in cuius medio Hieroſolymorum Civitas eſt ſita, qui terminus eſt juxta Alexandriam. Pieriæ continet, & Rhodi oram, quæ Septentrionem ſpectat, & Cypri Cromiorum tantum extrema, Mœſiam, Aſiam minorem propriè Meoniam, Aeolidem, Cariam, Pamphiliam, Lyciam, Ciliciam, utriuſque Armeniæ partem, & partem Meſopotamiæ, partem Aſſyriæ, Mediam, & partem littoris Hircani maris, Hyrcaniam, Parthiam, partem Margianæ, Ariæ, Paropaniſi, & Battrianæ, & Sogdianæ, & Sacarum regiones, & terram incognitam. Latius quàm par erat digreſſus ſum, ſed opere pretium hæc noſſe civili viro; & maximè philoſopho, & medico, quos regionum, & orbis totius ſcientiſſimos eſſe oportet. Primum munus eſſe medici Hippocrates cenſet, contemplari tempora, & regiones. Idem re monſtravit, quod opinatus eſt: Nam libellum ſcripſit de aere, & aqua & regionibus, de Aſia præcipuè, & Europa: & in calce admirandi illius Prognoſticorum libelli, ſic ait. *Quæ diximus in Aethiopia, & Heſperia, & Septentrione experti ſumus*: certè nominum mores, ingenia, & craſes, quas complexiones appellavere, & ipſis regionibus judicantur, Ariſtotele in Problematis, & Galeno in libello de virtutibus animæ teſtibus.

Ego ſecundum Ptolemæi deſcriptionem, principium quarti climatis ad latitudinem XXXVI. graduum, finem verò unius, & quadraginta poſui: nec me latet quoſdam trigeſimum, & trigeſimum quartum ferè fines poſuiſſe, atque alios aliter. Galenus temperatiſſimam orbis partem, ſeu zonam Con inſulam Hippocratis patriam judicavit, & Gnidum, & regiones, quæ parum ad Arcton, aut ad Auſtrum ſecedunt. Averroes quoque hoc idem confeſſus eſt, auctoritate Galeni, Græcorum terram temperatiſſimam, præcipuè patriam Hippocratis. Demonſtratum ſatis; ut puto, eam regionem, cujus ſitum, atque urbes cognoſcere diu optaſti, ex ſegmentis terrarum temperatiſſimum obtinere. Hæc inſularum omnium peninſularumq; ocellus quondam fuerat. Hæc eſt de qua Horatius cecinit. *lib. 2. od. 6.*

Unde

Unde si Parcæ prohibent iniquæ
Dulce pellitis ovibus Galesi
Flumen, & regnata petam Laconi
Rura Phalanto.
Ille terrarum mihi præter omnes
Angulus ridet, ubi non hymetto
Mella decedunt, viridisq; certat
Baccа Venafro.
Ver ubi longum, tepidasq; præbet
Jupiter brumas, & amicus Aulon
Fertili Baccho minimam Falernis
Invidet uvis.
Ille te mecum locus, & beatæ
Postulant arces, ibi tu calentem
Debitas sparges lacrima Favillam
Vatis amici.

Hanc chersonesum variis nominibus à diversis auctoribus appellatam fuisse constat. Alii (ut Aristoteles, Herodotusque) Japygiam dixere: alii Salentinam: Veteres alii: alii a Duce Messapo Messapiam: alii magnam Græciam: alii Apuliam, sive ab Apulo, sive quod hic celeres, quales alibi arbores nullæ sunt, solæ: alii Calabriam: nam quæ nunc Calabria, Brucia quondam dicebatur, regionis est hominum, vocumque varietas, atque mutatio. Quæ de hac regione scribit Strabo ad verbum referam. Terra delapsa tapetis non sine admiratione commodo oppido est. Nam cum in superno tergo asperi videantur, ubi aratris pandantur, altioris fertilitatis glebas invenies: cumque aquarum inopia sit, nihilominus lætis appetitur pabula, & arboribus referta spectatur. Hæc etiam omnis regio aliquando copiosa admodum mortalium multitudine floruit, & tredecim illos habuit: nunc autem excepto Tarento, atque Brundusio, cætera exigua sunt oppidula, adeo absumptæ sunt vires. Salentinos Cretensium fuisse Coloniam memoriæ proditum est: hæc ille.

Hæc regio quamvis nunc squæa, & annosa sit, tamen Hispanorum, Gallorum, Italorum, & præcipue Campanorum, qui amœnissimam Italiæ partem incolunt, Græcorum quoque, & Turcarum, judicio pulcherrima atque apprime optima judicatur. Fruges, oleum, fructus præstantissimi sunt: triticum, & ordeum valentissimum est: avena hujus regionis cum hordeo, & hordeum cum tritico certare potest. Pabula medullis plena vehementissime amant: brassicæ, cæpæ, intubi, raphani, cucumeres, fabæ in immensum crescunt, magnitudinem: melones suaves, atque optimi saporis: citria ubique proveniunt: herbæ, quæ in usus medicos veniunt, aliarum supra omnium generis omnium efficacissimæ: cæsium salubre, solum non aridum, non pulveris expers habet plerisq; in locis salientes, & perennes fontanas: bovum, & asinorum, ingentis magnitudinis corpora gignit, & mulorum genus laudatissimum.

Sunt qui Italiam a vitulorum magnitudine dici existimant: homines habet placidos, mitissimosque morum, boni sensus, non fallaces, non fallaces, regionis naturæ non satis bellicosos: sed ob fœdera servanda, & ob hospitem fortissimos, ut audies. Fit enim, ut qui temperatas terras habitant, plus ingenii habeant, & humanitatis, & meliorem corporis temperaturam: sic minus audaciæ, ac immanitatis: exemplum ponit Cicero de Græcis, & Cymbris; & Hippocrates de Europæ, & Asiæ populis. Qui mansuetior est, plus ad humanum, qui animosior, plus ad bellicum accedit. Dispereant, qui primi carum animalium audacissimis rapacissimisque dolere. Nonne erat decentius, & naturæ magis consentaneum bovem, aut ovem, aut equum, aut gallum, aut pavonem, animalia humano generi non inhoxia modò, sed utilissima, & necessaria, quibus diademata tam decora natura ipsa sua sponte constituit, reges aliorum facere: quam aut leonem, aut aquilam, animalia totis vultus, truces, horridi, aduncorum unguium, rapacissimi, animi, insatiabilisque gulæ, nata in aliorum perniciem? Dices, quoniam hæc arma habent, illa inermia & natura mansueta inermem esse debere Regem: cæteras armatas & spicatas, & venenis refertas. Hoc docuisse tales admonuit, Mores armatis imperare debere, & frugem vitis colere: idque Aristoteles, qui naturæ semper consentire, *corpora robusta apta esse ad servitutem*. Nos ad cædendas ferarum nostra venabula. Nos ad cædendos feros nostra reges aravimus. Præsertim Petro Dominus noster, ut arma tenderet, quamvis illa nunc officio quomodo, aut quibus artibus retundi, potius, arma ferrumque, ac bella excuteret, non promptus, atque ea, quæ Deus, cum iis, quæ natalis erat consecutus, nos fumus, optimum Reipublicæ statum. Provincia hæc mitissimos hominum gignit, & sanguinis mitioris, quos dixi, quæ hanc Cassiam, quæ dixi, unguenta, nardum, hic narum arachneum animal, quod ferunt, cujus venenum fistulis, & antiquorum pelli non crederem, illi per plurima experimenta didicissem, legissemque apud Gellium Gellium auctoritate Theophrasti, esse quosdam serpentes, quorum veneno canis, & fistulis pellitur. *De his loquitur Virgilius Georg. lib. 3. ver. 425.*

Est etiam ille malus Calabris in montibus anguis:

Sunt, & serpentes pernitiosissimi: Chersidri enim sunt nati in arida tellure. Gignit etiam regio bruchos: si paulum peninsulæ fines transgrediuntur. Peculiare huic regioni malum, animalia sunt, quæ omnia solo tactu fœdant, omnia devorant, omnia more hostium vastant: nihil qua transeunt virens, nihil intactum relinquunt. Videre sæpe rustici suas messes, suos annuos labores pene maturos, ac falcibus vicinos, una qua ibi bruchi nocte castramentati sunt, atra ingluvie, & acutis dentibus corrosisse, & quandoque ab arboribus non abstinent. Vacavit Provincia hac pesse multis annis, ope marinarum avium, quas Gainas appellant, quarum ova aut pullos ne quis violaret, lege cautum est. Hæ bruchorum fœtus tanquam à Deo missæ, rostris è terra excavant: deinde post Equinoctium vernum, quum è terra prodire incipiunt, devorant implumes, ut sic dicam, seu nondum alatos: deinde volantes depascuntur. Hoc contigisse Plinius ait incolis Cassii montis, quibus prælidio erant

Digitized by Google

erant Sequanides aves, locustæ eorum fruges vastantibus. Nunc aut arvum, quas diximus, desertum (earum enim fœtus post bruchorum interitum vastare cœperunt) aut deorum ira, aut aliqua fatalitate nobis infesta, bruchi redière, & locum felices Salentinos campos populari cœperunt. Quin etiam varius annus est, quo non magna vis grandinum aliquam partem regionis populetur, uvas & etiam [illegible], & olivarum teneros surculos, & [illegible], & fructus omnes non prosternat. Serenum omnium causam cœli temperiem esse putarim: nam hic, ut in Campania, hyeme, & æstate sunt fulmina.

Etimus vobis, Spigelli, naturæ ingrati, ut reculemur? Illius munera, quoniam illis aliqua admixta sunt mala, quæ illa minuit? Sæpe optimis quibus [illegible] pessima: ut bona de manu Domini, sic & mala accipere debemus. Sunt aliqui, qui quamvis sancti haberi velint, naturam accusant: Iudæi, & Deum, quem ipsi ignorant, (natura enim a Deo [illegible]) quod tam [illegible] mentes, & vera mercede [illegible] pensaverit, quippe is non fuisse genitos Æthiopas, ut [illegible] nostri essent, aut albos pilis, aut [illegible], aut atramento unguibus, aut [illegible], aut duris rostris. Audendæ vero & Deo respondæ. Si dii, quibus daretur optandum Metamorphoseos, vellent me in truncum, aut bruta animalia, transire, quoniam tuti sunt a frigoribus, aut calcibus? Et quoniam naturæ causam agere cœpimus, volant ne in aves, ut volare petierit sine præcursore, aut in pisces vecti, gestare secum? Ea verba sane digna hominibus è trunco, & duro robore natis. Vis ne esse subor, ne cesso petere magnis? vis quærari in testudinibus? aut lochmium, aut obvium, ut cortice, aut testa dura operiaris? Dii dant tibi vero tuo consilium: ego quato tenui cute, quam duro cornio tegi, Aristoteles acumen sensus ex [illegible] argumentatur. Tu invides animalibus vellera, pilos, [illegible], spinas, cortices, testas, quæ omnia in nostros usus veniunt. Hominem nudum natura genuit, bene: sed tu quot homines sine vestibus vitam egisse vidisti? & illas tibi ingrate natura genuit. Nec tibi satis sunt tot lina, tot lanæ, tot vellera, tot coria, tot nobiles, atque alio orbe petitæ pelles, vermium quoque domicilia, & aurum in fila lentescens: nuditati tuæ subveniunt omnia, nobis genita sunt. Sumus enim nos, ut Aristoteles ait, finis omnium. Ait idem Aristoteles: ὁ θεὸς καὶ ἡ φύσις οὐδὲν μάτην ποιοῦσι, hoc est: Deus, & natura nihil frustra faciunt, nec deficiunt necessariis: & ex bonis, & possibilibus, quod optimum est, faciunt. Corpus temperatum facilius ægrotat: tu mavis esse intemperatum corpus, rudelignum, aut robur, aut lapis, ut nunquam ægrotes. Te arachnei metus sollicitat, tuos labores bruchi depascunt, tibi æstivæ muscæ molestæ sunt? aut tu incole Scythicas paludes, & perpetuas pruinas, aut Hyperboreas spelunceas, ubi robora totis admovere focis, ubi gens effræna virum Riphæo tunditur Euro, aut Aethiopum exustas solibus terras, ubi nulla campis arbor æstiva recreatur aura. Gaude tuis bonis, & fruere dum licet, & mala si qua bonis admixta sunt, quando nihil est ab omni parte beatum, & [illegible] (ut ait Plato) voluptati admixtus [illegible] feras æquo animo. Nec plus [illegible] nos, quam aut Lybiæ serpentes [illegible] magnitudinis, & leones, aut [illegible] thiæ metus, timeas ve, bruchorum [illegible] edacissimum. Nemo adhuc invenerit [illegible] ob bruchos fame periisse. Nobis [illegible] & nemo siti laborat: nec in his locis [illegible] incrementum cum stabulis armenta [illegible]

Strabonis, Pompeii, & [illegible] ribus, hujus regionis, urbes, aut [illegible] æquatæ, aut positus deletæ, [illegible] runæ, aut in oppidula, & [illegible] Si libri Hipparchi, Artemidori [illegible] mo Ephesii, forte multarum [illegible] haberemus. Ego conjectura quæ [illegible] nobis oppida omittere [illegible] biam, & loca [illegible] tatis obscuræ vestigiis [illegible] adhuc urbes, & ubi homin[illegible] sic & famam illorum, [illegible] etiam nostra, & locorum [illegible] sa, temporis caligo [illegible] mum eam, deinde [illegible] sequemur. Hinc Spigelli, [illegible] Græci Tarentum, ut alii [illegible] talentum dicunt. Strabo [illegible] ἀπὸ τετρακοσίων, quod est [illegible] communis, potuit [illegible] ras dicimus: dixit a [illegible] pondera quatuor millium [illegible] in urbe dixit Galesius [illegible] parvum dicunt, fuisse [illegible] Neptuni filia condita [illegible] ab Hercule. Unde Virgilius [illegible]

Hinc sinus Herculei, [illegible]
Cernitur, [illegible]

Hæc urbs, pulsis [illegible] duce Phalanto occupata est, [illegible] rum facta colonia. Hæc amplitudine [illegible] vitiis, & civium motibus [illegible] usque ad secundum bellum [illegible] ut quondam, duce Archita, Tarentinorum [illegible] gorico philosopho, armatorum [illegible] campo habuerint peditum [illegible] Hujus urbis Plato, Aristoteles, [illegible] stus, Strabo, necnon recentiores [illegible] meminerunt. Ex nulla Græcarum [illegible] tantum auri, argenti, signorum [illegible] rumque rerum, quantum ex [illegible] Tarento reportasse Romanos, Livius [illegible]

Urbs natura, & mœnibus mu[illegible] admirabilis prospectus est, & impe[illegible] nunc urbs, olim (ut puto) ar[illegible] dentur enim vestigia veterum (ut [illegible] cuntur) murorum. Sedet superba inter [illegible] maria, quorum alterum majus, alterum [illegible] nus dicunt. Quod, ut & Byzantium [illegible] Constantinopolitanum mare piscosissimum [illegible] dixit Aristoteles, hoc in se multos [illegible] fontes, & ipsum quem diximus [illegible] fluviorum brevissimum. A parte maris [illegible] pes sunt altæ, & inaccessæ, à mari [illegible] sum littus. Urbs circumflua, seu (ut [illegible] dicunt) amphitalattos, oblonga insulæ [illegible] longe navis habet speciem. A puppi mœnia facta est fossa longis navibus permeabilis, quæ

quæ utrumque mare communit. Hanc Marcus Antonius Philomarinus, Ferdinandi, & Alphonsi jussu, mira arte, & ingenio parodi curavit. A prora, ubi æstus maris concitatissimus est, fluentibus, & refluentibus undis in modum rapidissimi fluminis, pontibus continenti jungitur. Hic magnus, & toto orbe memorabilis est piscaturæ provenitus, cujus (ut diximus) Aristoteles meminit.

Urbs est omnium judicio inexpugnabilis. Turcæ a Byzantio ejecti Neapolim, Galli a Parisiis ad Hydruntum, urbem Tarento munitiorem se vidisse negabant: quæ terrarum omnia bella, & ferre, & inferre posset. Circa urbem pinguissimi sunt campi, vineis, olivetis, frugibus, & pascuis aptissimi. unde Virgilius: *Georg. lib. 2. v. 197.*

Saltus, & saturi petito longinqua Tarenti.

Et idem *Georg. lib. 4. v. 125.*

Namque sub Oebaliæ memini me turribus altis,
Qua niger humectat flaventia culta Galesus,
Corycium vidisse senem.

Accedit ad hæc, quòd urbs in intimo Tarentini sinus recessu in umbilico est terrarum: hinc Japygium, hinc Lacinium, habet promontoria, quibus Tarentinus sinus terminatur. A Japygio septuaginta, a Licinio CXXXVI. millibus passuum distat. Itaque urbs circumquaque mari cincta, mediterranea dici potest.

E Tarento quàmplurimos illustres viros habuimus, Architam philosophum, & Imperatorem, Nicomachum mathematicum, qui de Arithmetica, & Musica scripsit: & Platone teste, Iccum senem Ictum, athletam, Aristoxenum musicum, & philosophum, Aristotelis familiarem, Heraclidem musicum, cujus Plinius sæpe meminit, & cujus experimenta sæpe Galenus refert in Decabibio, hoc est, in libro decem tractatuum.

Tria sunt (ut Græci dicunt) politiarum genera: unius, paucorum, multitudinis principatus, hoc est monarchia, aristocratia, & democratia: Democratia, hoc est popularis Principatus in summo honore habebatur: ut erat (teste Platone) apud Athenienses, & in nonnullis hodie Italiæ civitatibus. Democratia Tarentini jussè, & temperatè utebantur, quæ potius politia dici merebatur: sed nominibus sæpe abutimur. Regnum tyrannidi, aristocratia oligarchiæ, politia democratiæ opponitur: sed affluentia opum, & Romanorum eo tempore inopia, & Fabritii mendicitas Tarentinis mollitiem exprobravit. Et Romani quum ad summum divitiarum pervenere, a majorum vitæ severitate degeneraverunt. Facilè ii temperatè vivunt, quibus desunt luxuriæ alimenta: at ii, quibus amplæ sunt facultates, non possunt non molliter, & delicatè vivere. Exemplo nobis sunt Principes sacerdotum, quibus dum pauperes erant, satis fuerant oluscula, & pisciculi minuti: nunc nec terræ, nec maria eorum gulæ, ac libidini sufficiunt. Hic est mos ferè omnium gentium, quæ cùm inopes sunt, atque omnium rerum indigæ, parcè, modestè: frugaliter, ac temperanter vivunt. Quæ deinde per bella, & cædes, & rapinas, & miserorum viscera faginatæ, contemptæ, quam prius laudaverant necessaria frugalitate, in omni luxuriæ genere volutantur. Hostes sunt Medi, Persæ, Macedones, & ipsum Dominii Romani. Nec non, & nos Christiani; ut dixi, dum pauperes, & mendici fuimus, piè, justè, & sanctè viximus: at postquam res Christiana ad tantas devenit opes, in apicem vitiorum ascendimus, nec hactenus quò ultimus progredimur. Certant inter se duo illa maxima vitia, avaritia, atque luxuria, & cum utraque in summo sit, dum ea facti judicare utra illarum sit major. Res admiratione digna est, quomodo, homines, & Dii ferre possunt scelera nostra.

Spinelle, Vir excellentis, & animi, & ingenii, non mihi cura est omnia exquisitè narrare, quæ Auctores scripsere, sed fugitivum aliqua, ut tibi morem geram, & ut Philosophum, non ut Historicum decet. Aristoteles in suis Problematis, *eam historiam placere ait, quæ non minus antiqua est, aut minus vera*. Nam quæ primis antiqua sunt, minimè credimus: etenim in fabulas abiere: ut quæ de Perseo, Hercule, aut Liberi patris, aut quæ Vitruvius de Bernice, & Petosyri, & Necepso commentat. Quæ verò nova sunt, contemnimus: omnes enim noverunt. Medii temporis historias consequimur, & ut sunt nostro tempore, Alexandri, & Romanorum, & quæ post captam Trojam gesta sunt. Ob quam rem ego si qua ex Guidone quodam Ravennate, qui medii temporis fuit, quique de urbibus Italiæ scripsit, ut erant illius tempore, referam, non me peccasse existimes. Hic de Tarento hæc scripsit: *Tarentum inclyta, & regalis urbs, & omni copiarum genere opulentissima, in qua Q. Ennius Poëta antiquissimus exortus Romæ floruit*, Guidoni non nisi quæ ipse vidit, credendum est: etsi in multis erravit, tamen non habemus meliorem illius temporis Auctorem. Ipse videtur non satis Græcis literis instructus, nec bonos Auctores legisse. Q. Ennius testimonio scriptorum, Rhudias, ut dicemus, non Tarentinus est. De hac urbe pauca dixi: satis enim habet, & laudis, & gloriæ apud omnes, & Græcos, & Latinos Historicos.

A Tarento in Eurum navigantibus ad VIII. millia passuum occurrit in ora locus, quem Incolæ Satùrum penultima producta nominant, amœnissimus tractus est, & apricis in Meridie spectans: ab Aquilone tutus, fontibus passim frequens, nobilissimos gignit fructus, citriorum omne genus, ficos, mala punica, & hortensia omnia: adeò ut Tarentinorum urbi omnia affatim suppeditet. Hinc solventibus ad XII. millia passuum, templum est Divo Petro dicatum, quem locum ajunt Divum Petrum ex Oriente proficiscentem, primum in Italia attigisse, ibique rem divinam fecisse: deinde Tarenti in Ecclesia, quæ est juxta majorem arcem, hostiam Christo obtulisse: ubi inventus est nuper plumbeus libellus, de quo tot, & tanta narrata sunt in toto orbe Christiano. Hinc solventibus, & oram Tarentini sinus navigantibus, nulla usque Callipolim occurrit urbs memoria digna. Inter Tarentum, & Callipolim, vicus est in littore Ne-

rienne, quia Diva Cæsarea nomen accepit, Callipolitanum (ut aiunt) dictum. Hic est vetustus, frequentissimus, tutissimus, & pulcherrimus totius conclusi, cinctu, propugnaculo, aptissimus. Inde Divi Iliaci Turris, desertissima conspicitur. Inde ejusdem divæ Mariæ ad Minervam, derelictus & ipse ab Piratarum metu ut puto, & Barbarorum incursibus, olim fortissimus erat, celeberrimus, munitissimus. Cernebatur adhuc ingens ruderum acervus, quæ sulphureæ aquæ, quæ ex aqua illa manabat, fluxus, quæ ex ea sunt, casus, & ruinæ testorum, mentis oblivionem afferunt. Aquæ illæ thermarum, quæ Neptuno dicatæ, qui Neptunodomi- [illegible] Callipolis [illegible] Hic [illegible] Hinc Regis Alphonsi, qui [illegible] Apuliæ primo, aut secundo regni, nefasto, fero æquam. Qui cladi superfuerunt cives, in villas abiere, ubi centum antea morati sunt. Inde rusticæ domunculas habi, super domorum latebras ædificavere, ut cuique visum est: & quæ quondam pulchra urbs a Græcis appellata est, nunc nullo virorum ordine, servato habitatur, non ut colatur, sed ut occupata. Hæc etiam per bella Alphonsi senioris, nunquam a fide defecit: cum aliis nonnullis ejusdem provinciæ urbibus, ut dicemus. Hæc, quinto, post captum a Turcis Hydruntum anno, a Venetorum classe capta, ac direpta est. Spectata fidei, & virtutis civitas: nullo adjuta externo præsidio, hostibus ad necem usque restitit. Pauci adeò erant oppidani, ut cuique illorum, sex aut septem pinnæ defendendæ forte contingerent. Magna pars civium super muros strenuè pugnando cecidit: qui superstites fuere, omnes ferè vulnerati. Tandem nonnullæ mulieres muros conscenderunt, atque hostibus aliquantulum obstitere; ex oppidanis magna parte (ut dixi) cæsa, pauci sine vulneribus abiere. Ex hostibus quingenti cum ipso duce desiderati sunt. Sic se Callipolitani gessere, ut nemo illos iure victos dicere possit, sed a multitudine hostium superatos.

Præclarissime Spinelle, quando eorum, qui in extremo Italiæ angulo Luceriæ, virtus, & fides oblivioni, ac silentio datur, nos ipsi Callipolis, & Hydrunti fortia facta non teceamus. Dicam, quoniam verum est, si omnes huius regni urbes Lupiensium, Tarentinorum, Callipolitanorum, & Hydruntinorum animos habuissent, multa quæ nos opprimunt, mala non pateremur. Hæc eadem urbs, in illo scelerato, & [illegible] toti Italiæ Caroli Francorum Regis adventu, semper in fide Aragonensium perstare permansit, Marco Antonio Philomarino patricio Neapolitano [illegible] Hic, Renatis totius [illegible] trix, [illegible] ad reditum [illegible] ris, [illegible] natus est, [illegible] cis, [illegible] bus, Francorum [illegible] ab urbe [illegible] cursum, [illegible] cantorum, & [illegible] publico Praefecto, Regi [illegible] sal, ut quod [illegible] vulgo [illegible] & [illegible] & damna [illegible] nio pertulit. Tandem [illegible] Gonsale paciscente, [illegible] coacta devenit. Deinde Galli, [illegible] no hæc tutæ Bareti [illegible] nia nemine prohibente [illegible] re. Erat in maxima [illegible] potea advenit Joannes Castriotes [illegible] donis: qui nunc Ferrandinæ [illegible] prudentis, tum etiam strenui, [illegible] te est. Hic adscitis quibusdam [illegible] arcem transfugit & cum [illegible] Aragonenses secuti sunt, [illegible] pere, variis cladibus [illegible] quæ urbem servavit. [illegible] pulsus insula est [illegible] natem avium, quæ [illegible] pervicatus, & tot [illegible] ris.

Post Callipolim ad [illegible] lapidem promontorium non absimile [illegible] est, quod Acroterium [illegible] vocant, Latinè promontorium, [illegible] promontoria capita [illegible] tinorum portus. Deinde [illegible] montorium, in quo [illegible] riæ, inclytum, & antiqua [illegible] ac venerandum. In hoc [illegible] cula, nunc diruta, quæ [illegible] de qua Lucanus: *Petrisque [illegible] litora Leucæ*, [illegible] ab albedine, & nuditate [illegible] de castrum est oppidum [illegible] ad secundum lapidem templum [illegible] terum divæ Cæsareæ. Juxta est [illegible] rum aquarum, quas ad comple[illegible] utiles esse experientia docet, [illegible] tro est, qui non alium habet [illegible] è rupibus mari imminentibus [illegible] & tabulis, jactis pontibus, aditur, [illegible] semel singulis annis Majo mense [illegible] latuisse divam Cæsaream incolæ [illegible] dum furorem patris fugeret. Hinc [illegible] qui testantur se ibi vidisse Deam [illegible] ferentem. Adiri antrum non [illegible] mari potest. Orta repente tempestate [illegible] territa mater, filium ibi reliquisse [illegible] tur, quem Deam ipsam per antrum [illegible] fama est. In hanc noster Hymnus [illegible] phico, & Adonico carmine, cujus [illegible] Principium:

Diva in extrema latitans latebra, [illegible]

Poetæ fabulantur Gigantes a Dite Phlegræis campis ejectos huc confugisse. Hinc ad Hydruntum sex millia passuum numeran-

Digitized by Google

rantur. Quarto ab Hydrunto lapide convallis parva, attamen amœnissima, & oleis consita est, quam incolæ Pomarium nuncupant: per hanc rivulis aqua decurrit. Hæc pusillum portum efficit, quem ideo Vadiscum incolæ dicunt: parvarum navicularum statio est. Post hunc Cœnobium est divo Nicolao dicatum, mille & quingentis passibus ab Hydrunto distans. Hic monachorum Magni Basilii turba convivebat: hi omni veneratione digni, omnes literis Græcis, & plerique latinis instructi, optimum sui præbebant spectaculum. Quicunque Græcis literis operam dare cupiebant, iis maxima pars victus, præceptor, domicilium, sine aliqua mercede donabatur, sic res Græca, quæ quotidie retrò labitur, subsistentabatur. Fuit temporibus proavorum nostrorum stante Aula Constantinopolitana, vir Philosophus Nicolaus Hydruntinus, cujus ante Turcarum transitum, plures libri de Logica, & Philosophia in hoc monasterio habebantur. Hìc Abbas hujus monasterii factus, & Nicetas nominatus, sæpe a summo Pontifice ad Imperatorem, & ab illo ad Summum Pontificem permeabat ad componendas res, quando inter Pontificem, & Imperatorem aliqua contentio, aut de orthodoxa fide, aut de alia re oriebatur. Erat enim hic vir gravissimæ auctoritatis, & sanctissimorum morum, ut qui de Philosophia ad religionem commigraverat. Hic sumptui minimè parcens, quos per universam Græciam invenire potuit, librorum omnis generis bibliothecam, in hoc cœnobio congessit: quorum magna pars negligentia Latinorum, & contemptu literarum Græcarum periit. Non parva pars Romam ad Bessarionem Cardinalem deportata est, & inde Venetias; partem, quæ super fuerat Turcarum, qui monasterium populati sunt, bella absumpserunt.

Hinc Hydruntum, ut diximus, mille & quingenti sunt passus. Hæc urbs clade sua satis nobilis, sed magis vetustate, & civium fide, atque animi magnitudine. Hæc totius peninsulæ, & aliquanto amplius nomen Metropolis suo, (ut puto) merito, adepta est. Nam per Gothorum bella inter universæ Italiæ urbes in fide Imperatoris permansit. Huic urbi Joannes Vitalianus præfectus, vir strenuus, & rei bellicæ minimè ignarus, Gothos, qui per Japygiam, Apuliam, Dauniam, & Lucaniam vagabantur, variis cladibus vexabat: accurrentibusque innumeris Gothorum copiis, illico se in urbem recipiebat, donec à Belisario, deinde Narsete Justiniani ducibus, Gothi ex Italia pulsi sunt, & ad extremas totius Europæ, imò, & totius Orbis partes, Occidentem, & Septentrionem ejecti. Hæc urbs variis a diversis auctoribus nominibus nuncupatur. Ptolomæus Hydram ab Hydro, ut puto, flumine nominat: unde, & Hydræ insigne urbem accepisse existimo, non ut vulgò dicitur. Alii Hydruntum, alii Hydrentum, ut est Neapoli in antiqua inscriptione quam dicemus, alii Hydrontem: alii Hydruntem ab eo quod Hydrus Hydruntis, quemadmodum amathus amathuntis; alii Τδροῦσα, πό-

λις. Sunt circa urbem multæ aquarum scaturigines, & fontes inter laureta, & citreta fluentes saluberrimarum aquarum. Sunt & putei innumeri tam modicæ altitudinis, ut aquam manu capere possis, quod in hac Regione rarum est. Videtur enim hæc portio a Peloponenso, aut Tempe abscissa, & Italiæ adjecta. Quæ nunc urbs est (ut de Tarento diximus) arx olim erat: quamvis quæ antiqua urbs fuit, non nimis amplo circuitu claudebatur: Etenim ut reor, non excedebat spatium undecim stadiorum, ex eo quòd ante bellum Turcarum conjici poterat: nunc enim æquata solo sunt omnia. Urbs antiqua munitissima fuerat: murus, centum (ut fama est) turribus jungebatur: aliquarum vestigia me puero monstrabantur; Ultima usque ad nostra tempora Centenariæ nomen servavit: aliarum lapides ad muniendam, & instaurandam urbem Alphonsus Ferdinandi filius transferri jussit, quæ nunc validissimis muris, & ingenti fossa vallatur. Portum habet satis commodum, sed aquilone minimè tutum: à mari altæ sunt rupes, ex molli, & fragili lapide, ex cujus crebris ruinis, non parvam urbis partem mare occupavit: A tempore Patrum nostrorum, usque ad hanc nostram ætatem, lxxx. passuum spatium mare absorpsit. Urbis cœlum salubberrimum est, solum lætum, & fontibus scatens, lauris, mirtis, olivis, & citriis consitum, semper virens. Turcarum bella omnia vastavere, nunc revirescere cuncta cœperunt.

Ex hoc loco Ceraunii Epiri montes ita clarè cernuntur, ut nonnulli existimaverint, teste Plinio, Italiam Græciæ pontibus jungi posse. Audax fuit cogitatio, ne dicam temeraria: attamen locorum vicinitatem significans ab hoc loco in Græciam, hoc est a Calabria in Epirum: fretum est quinquaginta millia passuum, usque ad intima sinus Adriatici DCL., usq; Tarentum pedestri itinere LXX., usque Sepiuntem, & Manfredoniam, quæ est ad radicem montis Gargani CLXXX., ad quem montem nomen Japygiæ, ut diximus, extendebatur, sicut & Apuliæ usque Hydruntum: quamvis Barium ante Japix appellatum fuerit a Dædali filio, quem nomen Japygiæ dedisse auctor est Plinius. Hæc ora, ut Ptolemæo placet, Jonio mari abluitur. Ubi variant Auctores, veritatem indagare difficile est, conjectura est opus: adeò incerta sunt omnia, ut nulla sit disciplina in qua non sit opinionum, & sententiarum inexplicabilis varietas, & quandòque confulio nominum perturbat rerum scientiam. Jonium mare usque ad intima sinus Corynthiaci, quidam nominant, Lucano teste. Jonium, & Aegæum Isthmus disterminat. Ptolemæus ab Hydrunte ad Garganum montem Jonium mare appellat, interius Adriaticum. Idem Zephyrium promontorium, quod est inter Lacinium, & Leucopetram ad Adriaticum pelagus ponit. Theophrastus Apolloniam, quæ est inter Aulonem, & Dyrrachium, ad Jonium mare sitam esse scribit: sic & Aristoteles. Ptolomæus Acrocerraunios montes, qui sunt in Epiro juxta Ionium esse asserit. Strabo

Digitized by Google

Adriaticum sinum Ionium nominat, cujus longitudinem ponit sex millium stadiorum, hoc est DCCL. mill. pass. Plinius auctor est, Hydruntum positum esse ad discrimen Jonii, & Adriatici maris. Ionium in prima parte, interius Adriaticum, quod & superum vocant, sed hæc perquirere longum est, illos (ut jussit parens medicinæ Galenus) de nominibus non curemus, custodita rerum notitia.

At hæc ignorare nefas est hominem Christianum. Anno à Christo nato, M. CCCCLXXX. Achamatus præfectus classis Machometis Turcarum Regis, ex Aulone Macedoniæ oppido solvens, cum ducentis navibus, & XVIII. mil. fortissimorum bellatorum, Hydruntum obsedit, non sine omni armorum, & machinamentorum genere. Qui tentatis oppidanorum animis, oblatisq; non inquis conditionibus, ut quando non haberent aliquam spem auxilii (exercitus enim noster eó tempore in Hetruria res gerebat) neque invalidam urbem defendi contra tantam vim posse, & callidè, & verè ajebat Barbarus, sed ut ultrò se dederent, suadebat, aut cum uxoribus, & liberis, & iis quæcumque ferre possent urbem desererent, atq; in vicinas urbes commigrarent, vitamq; & libertatem suam servarent. Stultum esse ajebat bene sperare ubi nulla esset spes salutis, aut auxilii: at si ipsi fidem homini & ignoto, & hosti non haberent, se exercitumque suum omnem naves ascensurum, atque in mare octo, aut decem millibus passuum ab urbe abiturum pollicebatur, illi interea suæ saluti, & libertati consulerent.

Hæc oratio primò ab Hydruntinis contempta est; responderunt se paratos esse pro Christo, proque suo Rege extrema omnia pati, & demum mortem obire; ac nuncio, ne iterum rediret, jusserunt, ac mortem comminati sunt, si quis civium de deditione verbum faceret: secundum nuncium eadem referentem sagittis confixerunt. Concitatus, ira Barbarus omnia machinamentorum genera, & quæ bombardas dicunt, & quas habebant incredibilis magnitudinis, expediri jussit, ac invalidos, & veteres muros triduo evertit, adeò ut per plures dies inter nostros Turcasq; res telis ensibusque ageretur. Nostri urbem acerrimè pugnantes tutabantur, tandem sexta, quam genus Turcarum in veneratione habet feria, xv. obsidionis die, tertio idus sextilis: (idus semper Italiæ infaustas; etenim vi idus Sextiles apud Cannas cum Hannibale, infœliciter pugnatum est) omnibus ferè nostris sauciis, ac laboribus, & vigiliis defessis, Turcæ urbem per plana ingressi primo impetu nemini pepercerunt. Sacerdotes in Ecclesia omnes ad unum trucidaverunt, & nonnullos super altaria hostiam tenentes tanquam victimas mactaverunt.

Postquam nocte tota, quam turbulentus ille dies secutus est, Stephanus Archiep. consanguineus meus, omnem populum Divino Eucharistiæ sacramento firmaverat ad matutinam quam præscierat pugnam, à subterranea templi parte, ad locum, quem chorum dicunt ascendit, ubi martyr Christi Pontificalibus insignitus ornamentis in sua sede ab irruentibus Turcis jugulatus est. Qui cladi superfuerunt octingenti viri, aut cæci, aut fanci, aut ægroti extra urbem ducti, omnes ante crudelissimi Ducis Barbari oculos cæsi sunt. Dicam rem rarę, & antiquæ laudis, & utinam forte saculis minimè credendam. Nemo in tanto populo mortis metu a fide CHRISTI desciv it, imo alter alterum, filius patrem, pater filium, frater fratrem ad mortem hortabatur. Macti virtute viri: fœlices Animæ: Martyres JESU-CHRISTI ausi facinus magnum, ac memorabile: nunquam ego possim vos satis laudare: laus vestra, & gloria, & fœlicitas apud Deum manet æterna, superq; manebit. Horum ossa multa, Alphonsus Ferdinandi filius, Alphonsi senioris nepos, vir pietate insignis, Neapolim deportari curavit; quæ in templo Divæ Magdalenæ sacro locavit, & quoad vixit in maxima habuit veneratione; quædam cives post reparatum locum, tanquam reliquias, sive fragmenta in unum collegerunt, reposuerunt que intus cappellam, seu sacellum, quod dedita opera constituerunt in Ecclesia majori, ubi usque ad hodiernum diem quiescunt, & quoad Christiana erit religio visenda commorantur, in maximaque veneratione habentur, solemnibus Officiis divinis celebrantur.

Urbem penè dirutam, Turcæ Italiæ affectantes Imperium, ingentibus munitionibus reparaverunt. Achamatus ipse Aulonem revertens, cum magna suorum, & captivorum ex tota provincia, & mulierum, & puerorum manu, relicto in urbe quatuor millium fortissimorum virorum præsidio, apud Sasonem Ionii maris insulam, à classe nostra victus, & fugatus est, magna navium parte, aut capta, aut demersa. In qua victoria Villamarini, qui nunc comes Capaciæ est, & hujus regni Apuliæ Admiratus, eo tempore adolescentis virtus præcipuè emicuit. Tandem Alphonsus magna vi, ac non sine suo periculo, & ingenti Turcarum, & nostrorum strage, post quatuor mensium obsidionem Hydruntum recuperavit, atque in formam urbis composuit. Minimè crediderim illam Massiliæ ab historicis maximè celebratam expugnationem fuisse, aut magis periculosam, aut magis laboriosam, & cruentam. Antequam urbs à nostris obsidione stringeretur, Deus optimus maximus oportuna reipublicæ christianæ morte Machometem substulit, alias actum erat de nobis. Et quamvis hæc urbs in illa Caroli illuvione, quæ omnem Italiam perturbavit, regno capto, perculsis omnium animis, ut & cæteræ urbes, paucis exceptis, Gallos admiserit; tamen statim ad Aragones partes reversa, prima Ferdinandi Junioris nomen, antequam ille è Sicilia excederet, invocavit. Quæ de hac Urbe Guido scripsit, hæc sunt: *Hydruntum Minervium, in quo templum Minervæ, ubi Anchises pater Aeneæ primo omen, equos pascentes, Italiam advectus prospexit (ut inquit Virgilius) & idem aptum mercimoniis Hydruntum scilicet, Hydruntum ne an Brundusium intellexerit Virgilius, nescio.* In ora Jonii, quarto ab urbe lapide lacus est piscosus, cymbis tantum piscatoriis nabilis, quem incolæ adhuc Græcè Μύα nominant: seu ut Galenus ait, Limnothalassan (ita enim ille appellat lacus, qui

in

in mare fluunt, ac refluunt) Ambitus illius est XII. millia passuum, multos in se recipit fontes, quorum aliqui molis apti, nunc aquarum magna pars defecit. Hunc lacum ubi se in fretum arctat, via dividebat Trajana, quam dicemus: hunc locum hodie Fenestras dicunt. Inde vrbecula occurrit, quam Roccam appellavit Gualterius Brehena, de quo postea dicam. Hic ab Oriente revertens, ab Hydrunto Lupias iter faciens vrbem dirutam conspexit, paulò minoris ambitus, quàm antiqua fuerat Hydruntus. Locus arcis (ut mos erat) Græcarum urbium eminentior cernebatur: ex arce tantum urbeculam condidit, unde & Roccam nominavit. Franci enim arcem Roccam dicunt. Hanc esse voluit, ut antiquis (ut puto) fuerat temporibus, Lupiensium emporium, ideo & has quoque Lupias appellasse Ptolemæum crediderim: nam Lupias mediterraneam vrbem esse certum est. Inter eas spatium est XIII. millia passuum. Hanc vrbem Gualterius Quæstori Lupiensium tradidit habitandam. Ille deductis ex vrbe, & ex vicinis colonis, in formam oppidi redegit, ac perpulchro viarum ordine disposuit. Hanc Turcæ capto Hydrunto, à civibus primò, deinde à præsidio nostrorum militum derelictam, penè solo æquaverunt. Ante Turcarum adventum pulcherrimum fuerat oppidulum, satis munitum, & majori ex parte mari cinctum, & honestis civibus habitatum. Hoc, pulsò à Joanna Alphonso Rege, semper in illius fide cum Lupiis, Tarento, Gallipoli, & Castro permansit, & Loysio Andegavensi, quem Regem appellabant, oppugnanti strenuè restitit. Hinc aliqui breviorem esse in Græciam transitum, quàm ab Hydrunto existimant. Hanc Joannes Antonius fidelem vocabat, & pro delitiis, & animi laxamento habebat, & familiarissimè cum oppidanis versabatur, quorum nonnullos honoratis magistratibus, & arcibus tuendis præficiebat.

Compertum non habeo quo verè nomine appellata fuerit: scriptorum, quos habemus temporibus jam deleta erat. Inter Hydruntum, & Brundusium, nulla alia, quæ ego sciam, videntur in ora antiquæ vrbis vestigia. Ptolomæus, ut dixi, inter Hydruntum Brundusiumq; Lupias in ora locat, fortasse à Lupiis nomen translatum est. Ingens palus oppido proxima aerem inficit, unde non satis salubris locus. Hæc antiquis temporibus fossas habebat in mare procurrentes, per quas palus expurgabatur. Extra oppidum in medio veteris vrbis locus cavus est, profundus decem passibus, ad quem mare recipitur per subterraneos meatus (ut mihi visum est) non manu factos, sed natura aut fluctibus excavatos, per quos à mari ad foveam cymbis itur: locus vitulis marinis frequens: eam foveam incolæ Græco nomine κοιλοτερα vocant, nos proditionem possumus dicere. Fama est per hunc quasi cuniculum vrbem captam, ac deletam fuisse. Inde exeuntibus ad decem millia passuum occurrit Castellum, quod à divo Cataldo antiquissimo Tarentinorum Archiepiscopo nomen accepit, eo quòd ille ex Oriente proficiscens, hæc primùm loca attigit, ubi, & pusillum templum illi dicatum extat. Hoc quoque castellum Gualterius condidit pro emporio Lupiensium urbi propinquiori: ubi Maria ejusdem hæres, ingentem molem longis junctam lapidibus miro opere construxit: nunc incuria Principum, & Lupiensium rebus post mortem Joannis Antonii Principis, & ob continua bella defectis, atque afflictis, penè disgregata: hic aer crassus atque insalubris est. Tota ubiq; Japygia saluberrimum sudum, atque sincerum habet cœlum, præterquam in ora, quæ à lacu Hydruntino, quem diximus, usque Brundusium, ubi plerisq; in locis juxta mare sunt paludes, & circa Cæsaream Neritoni agri.

A Castello Divi Cataldi sex millibus passuum abest Castellum in Lupiensi agro, cui nomen Caulon, distat à Monasterio Ceratensi, quod videmus, duobus millibus passuum: videtur ingens structura fuisse, nunc nihil est, nisi acervus lapidum, qui exusti videntur, deinde tempore exæsi: vix duobus à mari distat stadiis: vestigia quæ ad mare procedunt adhuc cernuntur. Nescio si fuerit Caulon, quem remota litera C, Horatius Aulonem dixit: incolæ Speculam Caulonis appellant. In huius peninsulæ editioribus locis frequentes sunt cumuli lapidum, quos incolæ Speluncas nominant: has nunquam me vidisse memini, præterquam in hoc tractu. Has congeries non nisi magna numerosæ multitudinis manu coacervatas fuisse credibile est. Paucis in locis ubi lapides non sunt (omnes enim colles asperi, & lapidosi) ex terra facti sunt cumuli tantæ magnitudinis, ut aspicientibus, & hominum manus, & pecus omnem non parvam partem decacuminavit. Monumenta hæc fuisse illustrium virorum existimo: mos enim erat vetustissimorum Græcorum, & ante illos fortè Japygum super cadavera clarorum virorum ingentem lapidum, aut arenarum molem accumulare: unde fortasse cumuli, aut tumuli sepulchra dicuntur. Plutarchus in vita Alexandri, Demaratum Corynthium Alexandri funere extulit magnificentissimo, congregatus est illi ab exercitu tumulus ambitu quidem amplissimo, altitudine verò octuaginta cubitorum. In ultima parte peninsulæ, Brundusium inclyta urbs sita est, quam aliqui Brundam insulam sic appellari existimant, Greci Brendesium dicunt: Steph. Βρεντέσιον. Vulgatum est, quod nomen hoc, caput cervi significat, non in Græca aut Latina lingua, sed Mesapia, seu Peucecia de qua lingua aliquid dicam cum de Vasta oppido tractabo. Portus capitis cervi similitudinem habet, cornua magna ex parte urbem cingunt. Portus toto terrarum orbe notissimus, unde natum est proverbium, tres esse in orbe portus, Junii, Julii, & Brundusii. Interior portus turribus, & catena clauditur: exteriorem hinc atque hinc scopuli, & insularum objectus protegit. Videtur ludentis, ac providæ naturæ sagaci industria factus. Ora à Gargano monte ad Hydruntum rectilinea ferè est, brevibus falcata finibus. Ad Brundusium discreta terra mare

mare in ſinus formam excipit, in intima ſinus parte fretum eſt, quod turribus, & catena elauſum diximus. Hoc oſtium quondam altiſſimum erat, & quibuſcumque quamvis magnis navibus permeabile. Joannes Antonius in bello, quod inter Alphonſum, & Venetos geſtum eſt, timens ne urbs in Venetorum, ſeu Alphonſi poteſtatem deveniret, onerariam navem ingentibus onuſtam lapidibus, in ipſo ore demerſit, atque ita oſtium obſtruxit, ut nunc non niſi parvis navibus, & biremibus, & triremibus pateat. Ferdinandus, & Alphonſus ſæpe conati ſunt oſtium effodere, ſed ab incœpto deſtiterunt: Puto quod fluxus, & refluxus maris, qui, non ut Tarenti, vehementiſſimus eſt, multas arenas ſuper lapides & navigium congeſſit: durato per tot annos alveo, non niſi magno, & ſumptu & labore perfodi poſſet. Ab hoc freto duæ excavatæ foſſæ vallos urbis ambientes, mare longè in continentem effuſum admittunt. Mira eſt præcipuè in dextro cornu maris altitudo, ajunt alicubi menſuram viginti paſſuum excedere.

Urbs quaſi peninſula eſt, inter duo cornua ab Occidente: ſupra dextrum cornu arcem habet miro opere, & quadrato lapide, primo à Friderico Juniore Henrici filio, Enobarbi nepote, conſtructam, deinde à Ferdinando, & Alphonſo ejus filio munitam. Urbem quoque, quos à mari non habebat, muris iiſdem cinxere. Arcem inexpugnabilem in inſula, in qua erat templum Divi Andreæ, Alphonſus ædificavit, quæ portus exterioris oſtio imminet. Hæc urbs quondam populoſiſſima, nunc crebris ſeditionibus, & cœli intemperie penè deſerta eſt, & majori ex parte vacua. Hoc ferè commune eſt omnibus magnis urbibus, ubi frequentia hominum deeſt, aeris accuſatur inclementia. Hoc Babylon, omnium urbium populoſiſſima, experta eſt, quam ſi ſcriptoribus creditur, provinciam, non urbem, appellavit Ariſtoteles, non ſecus ac ſi quis circumponat murum toti Peloponneſo. Hoc videbis, & in Italia, ut Metapontus, Heraclea, Crotopeſtum, Capua, & Roma terrarum caput; In proverbio enim eſt; *magna urbs, magna ſolitudo*. Ideo mos fuit Græcorum non immenſæ magnitudinis urbes condere. Exemplo nobis ſunt, Athenæ, Thebæ, Lacedæmon, Megara, Argi. Plato urbem ſuam quinque millibus domorum numerum excedere vetuit, ac ſi creſcat multitudo, colonias eſſe mittendas juſſit. Ariſtoteles tantam eſſe urbem ſtatuit, ut illius omnis populus vocem, & dicta præconis, aut concionantis facilè audire poſſit. Quinetiam, & urbes ſub ſalubri cœlo poſitæ, deletæ ſunt. Sicut & homines, ſic & urbes fata habent ſua. Sed civium negligentia urbem hanc infamavit: quæ ſi aquæ ſuos exitus apertos habuiſſent, nunquam tale nomen aſſecuta fuiſſet.

Nonne vides, Spinelle, quot mortales hoc anno Neapoli periere, aut longos paſſi ſunt morbos, præcipuè in ea parte, in qua Caſtellum Capuanum, & forum, ob reſtagnantes aquas in paludibus, & in foſſis prædiorum, & obſtructos meatus, ſeu canales, qua aquæ in mare profluebant, quondam Regibus id curantibus. Diſtat Brundiſium ab urbe Roma CCCLX. millia paſſuum, à Dyrrachio urbe Illyrica, ſeù, ut Ptolomæo placet, Macedonica, ad quam frequens erat trajectus Romanorum, millia paſſuum CXX. Hæc urbs in primo bello Gallico ſemper in fide Aragonenſium partium perſeveravit. Dominantibus toti regno Gallis, Iſabella, quæ poſtea Regina fuit, Frederici, & Cæſar Ferdinandi filius nothus, huc ſe receperunt. Et quamvis invalidum haberent præſidium, Gallos tamen, duce eorum capto, ad Meſaniam octavo ab urbe lapide Brunduſini vicerunt: in qua pugna Franciſcus Ventura, amicus noſter, ſtrenuè ſe geſſit, qui ducem Gallorum a ſe ſervatum Brunduſium captivum duxit. Qualis erat hæc urbs Romanis imperantibus, omnes noverunt.

Ait Lucanus *lib. II. Pharſal.* v. 608.

Profuguſque per Appula rura
Brunduſii tutas coſcendit Magnus in undas

Et *lib. V.* v. 373.

Brunduſinm decimis jubet hanc attingere ventis

Et Silius Italicus *de II. Bello Punico lib. 8. v. 596.*

Necnon Brunduſium, quo deſinit Italia tellus.

Sed qualis fuerit Guidonis temporibus illius hæc verba demonſtrant. *Et poſt has antiquitas cunctarumq; nobilius Bruunduſium, in qua eccleſia ſancti Pontificis & Confeſſoris Chriſtophorii, egregio opere conſtructa, ubi & requievit, cernitur. Hanc urbem Romualdus Beneventanorum Princeps, cum Tarento ſimul cœpit, & diruit: ſimul quoque, & cæteras Civitates Salentinæ regionis: eo quod exercitus Romanorum ab urbe Conſtantinopolitana miſſos ſuſciperent, & devotæ Orientali Aulæ: aut antiquitus, dum Longobardorum gens Divina miſſione Italiam infeſtaret, parerent.* Hæc verba, Spinelle, maximum perhibent teſtimonium integritatis, & fidei illius regionis, quæ non niſi veris Imperatoribus parère ſolita eſt: Nunc de mediterraneis dicendum eſt.

Inter Brunduſium, & Tarentum duæ antiquæ urbes fuere: altera in humili colle, altera in plano ſita: utraq; campos frugum feracissimos, & paſcuis aptos habet. Quæ in colle ſita, à pleriſq; Uria, ab aliis Oreas, ab aliis Uscetum, nunc Oria dicitur. Omnia hæc nomina montanam urbem ſonant. Colles perennes habent fontes: in ſummo colle arx poſita eſt, & loco, & mœnibus tutiſſima: urbs duplici muro cingitur. Hæc inter perpetuas planities in colle poſita, perpulchrum undique ſui reddit proſpectum. Hæc Alphonſo primo Apuliæ Rege extra regnum agente, cum Leopiis, Tarento, & Gallipoli conſentiens, à Joanne Reginæ duce Jacobo Caldora, dum Aragonenſes partes ſequeretur, vi capta, ac direpta eſt, & majori ex parte igne ferroq; vaſtata. In hoc bello, quod inter Hiſpanos Gallosque geſtum eſt, quoniam arci non parvum Gallorum præerat præſidium, neceſſariò Gallorum partes ſequuta eſt, muris, quamvis ii non ſatis erant validi, dirutis, & Hiſpanis penè mœnibus potitis, Hiſpanorum ſæpe impetus pertulit, & pertinaciſſimè reſtitit. Urbs nullum, aut paucum habens intus præſidium, & bellis inſueta, ſine ulla

ſpe

spe auxilii, tandem desperatis de auxilio Gallia, & urbi consentientibus, urbs in deditionem venit, his conditionibus, ut urbs servaretur, & Galli cum suis furciferis incolumes abire permitterentur. Unde recte quis conjicere poterit, non magnitudine murorum, non fossarum altitudine, sed virorum animis, & virtute regna atque urbes servari, atque defendi. Forte non similis malè Lacedæmonii opinabantur, quamvis Aristoteles aliter sentiat. Hi urbem suam tanquam pecudum gregem muris claudi pati non sunt: hoc modo enervari vires animorum putabant, dum muris, turribus, & fossis confiderent. Sero enim, non ludibus, & repagulis salutem esse considerandam. Non secus ejerabant antiquorum quidam, qui nihil legis mandatorum esse censebant: nam immemores, & oblivioſos fieri, qui chartis suam servare scientiam. Ideo Hippocrates (ut ait Galenus) usus est breviloquio antiquo, & leges quæ nunc sunt verbosissimæ, decem pene, denique annorum parvis tabellis continebantur, & Lacedæmonii jure, non scripto utebantur, & Dominus noster breviloquium docuit petitionem, cum dixit *Mat. VI. Oratis autem non multiloqui sicut.* Nunc tanta est librorum copia, & magnitudo, ut non solum dicta, sed ne ipsa quidem Auctorum memoriter tenere valeamus.

Videbis fortasse Spitelle, Galaceni, qui brevitatem suadet, cum ipse prolixus sit, sed hoc ritè fit. Rerum ordo non potest commendari, aut damnari multiloquium nisi longa, & prolixa oratione. Galenus causam prolixitatis suarum conscriptionum refert ad eos, qui falsa dogmata invexerant, in quibus confutandis longis sermonibus opus est. Ego non libros, vel inanem inutilitatem recentiorum librorum, qui non ita arrogantiæ, & depravatorum ingeniorum, & alendarum impostorum causa scribuntur. Non ego muros, & munitiones damnaverim, sed hoc mihi semper displicuit velim, quod nostris malis didicimus, nihil nobis tot sumptus, tot munitiones profuisse, solamque eam artem tutissimam esse, quam valentes volentesque tutantur: unde tibi e regione excidat, Oriæ fumus: unde VIII. millibus passuum abest Manduria, alii Mesuntum: Stephanus *Manduvion*, unde Manduvini, incolæ Manduvinum dicunt. Hoc Quinto Fabio vi captum fuisse Livius Auctor est. In plano situm erat oppidum mediocris, ac jam ambitus.

Hujus in extrema Occidentali parte ex veteribus ruinis constructum est oppidum, quod Casale novum dicunt, plusquam CCCC. focis habitatum, murorum ingentes reliquiæ aliquibus in locis videntur, quas adhuc ne ipsum quidem, quod omnia perdit tempus, nec colonì avidum genus ad omnia devastanda, perducere potuere. Fossæ parvæ pro murorum magnitudine, in aliqua parte gemini nescio qua causa videntur muri vix XXX., aut XL. pass. inter se distantes, fortasse Pomerium duplici muro claudebatur. Sed in hac regione non monstrantur (ut erant) grandia, atque immensa urbium vestigia: causa est: quoniam lapides, & toti ferè ubique molles, ac fragiles, quos ventus, & imbres facile exedunt, & commutauunt: Hydruntini, & Neritini optimi lapidis cretæ compactæ, non igni cocto, sed soli duratæ similes sunt, ita ut dicam, quam sub ædificarit, e silice reperiunda sit: cum per tot sæcula duret, manserit, invictus est, qui ventum, & imbrem non patiatur, contra ignem vim habeat indomitam. Hinc pyramachos vocant, quibus ad focaria, & furnos, & caminos utuntur. Ego non aliam causam affignaverim, nisi eam qua cocti lateres, ventos, & imbres, non cocti vero ignes melius patiuntur.

A Brundusio Lupias pedestri itinere occurrit Balsus diruta, ac penè deleta: quæ vix memoratæ urbis vestigium ambitu murorum, ut oculis metiri licet, VII. aut VIII. erat stadiorum, ubi muri jacent, turres tantum, & lapidum cumuli eminentia manifestis quibus. Coloni arcem ostendunt, quæ est altior tuguriorum acervus, quæ pene omnia sunt, dirutæ aratris vertitur, nummismata, & lapilli, quos Corneolos dicunt, variis insignita figuris sæpe reperiuntur. Hinc urbem medium dividit via, quæ a Roma Brundusium, & inde Lupias, & Claudias, & hinc Hydruntum ducit. Hæc ipsa inter Brundusium, & Lupias, & inter Lupias, & Hydruntum passim hinc, atque illinc cernitur: quam jam incolæ Trajanam appellant. Trajanus enim (ut ait Galenus lib. 1. Therapeutices) antiquas vias in Italia correxit. Urbem medius partes secat torrens, ut ex imis conjicere licet. Rivulus fuit perennis aquæ cujus originem, seu fontem in media urbe fuisse demonstratur.

Hoc intimum est. Multi fontes esse desierunt, atque ubi fontes non fuerant, oriri videntur. Nonnullos fluminum alveos siccos vidimus. Quid dicam de fontibus, & rivulis? ait Aristoteles. *Neque Nilus, neque Tyrtais semper fluxerunt.* Non diu est, quod in Campania tanta aquarum erupit multitudo, ut maximam partem ejus, quæ infra Nolam est regionis, & Nucerinæ campos inundaverit, & (quod mirabile est) maximam secum attulit piscium copiam: quæ res Campaniæ pestilentissima fuit. Nolam urbem penè depopulata est, nunc, ut erat, locus est campus. Hac in re motus terræ multum possunt: quinetiam, & terræ cultura. Ait Plinius: oppido quodam deserto cultoribus fontes defuisse, eisdem redeuntibus, & terram colentibus fontes quoque redisse. Ludovicus de Monte alto Syracusanus, vir acutissimi ingenii, non solum legum sed multarum quoque aliarum rerum peritissimus, narravit mihi rem prodigiosam, nec dandam oblivioni: Arethusam Anno Christi M. D. V. sexto die Decembris penitus defecisse, ita, ut alveus exaruerit. Inde XXV. Januarii emittere cœpisse turbidas, & turbulentas aquas: post aliquot dies claras, ut solebat, ac limpidas.

Urbs hæc à maritimis millibus passuum abest: in hoc spatio multa reperta sunt sepulchra ex albo marmore. Cum essem in villula mea, quæ ab hoc loco distat sex millibus passuum, rusticus quidam, dum puteum foderet, invenit quasdam tabellas candidissimi marmoris. Statim accersivit me; ego

non

nata, sine dubio rudi eorum manu huc me contuli: invenio innumera aedificia, & tabulas marmoreas, & varia vasculorum genera: visa sunt mihi opera non ignavi artificis, nec pauperis Domitiæ thermæ eam erant sumptuosissimi operis: hoc dirutum est, ita omnia ferro corruerant, ut nihil super terram videri posset, quamvis fortasse alteris, & ruinis obtegerentur. Hæc extra urbis diruta mœnia circiter quingentis passibus aberat.

Intra ruinas urbis temporibus Patrum nostrorum Marsilius quidam pauper rusticus, civis Lupiensis magnam vim argenti reperit, hæc non fabula est: cognitu re Maria Comes Lupiarum, quæ postea fuit uxor Ladislai regis, in thesaurum manus injecit, quem post obitum Ladislai in maximos belli sumptus, quod pro Alphonso gesserat, erogavit; Ab hoc loco distat v. millibus passuum nobile quondam Cœnobium ordinis magni Basilii, quod de Ceratis dicitur, conditum à Tancredo Normanno Lupiarum Comite, & ditatum magnis possessionibus, ubi Græcorum manachorum cœtus morabatur, nunc penè desertum est Monasterium, ut cætera omnia, quæ in potestatem Principum sacerdotum deveniunt. Hinc ad VII. millia passuum, urbes sunt (Strabone teste) mediterraneæ, ut dixi, Lupiæ, & Rhudiæ. Duas urbes idem populus habitabat, ut de Neapoli dicunt, & Paleopoli: quinetiam inter ipsas fama est subterraneas fuisse specus, per quas mutua auxilia sibi invicem cum opus erat, præstabant. Inter has urbes minus quam duorum millium passuum spatium interjacet. Rhudiæ, seu Rhodeæ, & à Stephano Ῥόδαι, seu Rui, per i literam vocalem, sive per j literam consonantem crasso quodam, ut mos est, Regionis sono Rutæ dicuntur: unde Lupiarum porta, & quarta pars urbis, quam Pittacion Græco nomine appellant, Rhudiarum dicuntur. Hæ penitus interiere, ut vix cognoscas quo loco fuerint, tantum nomen restat inane. Ovidius quinto decimo Metamorphoseos, sub finem fabulæ quintæ ad hanc rem ita cecinit.

Vile solum Spartæ est, altæ cecidere mycenæ,
Et campus est, ubi Troja fuit.

Quid de miseris mortalibus putandum, quando urbes sic pereunt?

Dixi nobilitem huius regionis fuisse antequam hi, quos habemus, Scriptores nascerentur. Si Eratosthenem, Artemidorum, Hipparchum, & vetustiores haberemus, multarum urbium, quarum hìc busta, & ut sic dicam, cadavera solùm cernimus, & nomina, & gesta nota essent. Non placet in hoc Strabonis sententia: ait enim, se tantum ea loca scribere, quæ suo tempore clara erant, & nota: Icire verò quæ occubuerant, nullam esse ait utilitatem. Ego eorum, qui aliqua memoratu digna gesserunt, & si vita functi sint, malo habere cognitionem, quam eorum, qui nunc illustres habentur. Soleo cum amicis sæpe affirmare, me malle videre busta urbium Græciæ, & beatas, & desertas illas insulas, quæ toto orbe clarissimæ fuere, quàm Galliarum, Hyspaniarumque, & Germaniæ, opulentissimas, & populosissimas urbes. Sunt qui vetustatis generis sui, nobilitatemque rerum [illegible] indigam, rebus omnibus præferant, & novis hominibus, quamvis gratiolis, atque à regibus, & populis honoratis, & [illegible] titibus ornatis. Sic ego soleo Veteres [illegible] centioribus anteferre, & (ut sic [illegible] dicam) plus Auctoritatis mendacio [illegible] fuere, quàm Recentiorum ver[illegible] ne: & illorum sequi potius ne[illegible], quam horum obicuam diligentiam [illegible] Meis: *Cras Tunio velitis Kalendis*, [illegible] nomina ipsa variant Auctores, [illegible] & nomina transmutant. Ini hac de [illegible] mane Regione, exempli nobil[illegible] deserpsi, quæ multa alibi, [illegible] locat: sive id vitio sint aliorum [illegible] Auctoris tamen, sive quod [illegible] recte scribere hemo potest, [illegible] regione diu versatus, aut natus [illegible] ve trascriptorum, aut translator[illegible] & librorum mendositate, ne[illegible] tum habeto à me, quod [illegible] plium inscriptionibus compe[illegible] has esse Rhodias, quæ Lupiæ [illegible] sunt, & in quibus natus [illegible] Poeta. Harum ædificia [illegible] rusticus antiquitatem [illegible] gere: Alicubi [illegible] pulcra innumera [illegible] frios plena. Hoin[illegible] apud complures [illegible] dit: Nunc tota, [illegible] consita est, ac [illegible] fructuum, qui hi[illegible] nis genero meo [illegible] nii nomine urbs [illegible] tam diu vivet, [illegible] literæ. Hic Scipiones [illegible] ut illius statua inter Scipionum [illegible] illorum sepulchris [illegible] proximæ sunt. Vocem hanc [illegible] alii Lypias, alii [illegible], alii Lypiam, alii [illegible], alii Licium, alii Licium, [illegible] meneo, alii Licenn: omnia [illegible] idem sunt. Auctoris non [illegible] cognitionem, præcipuè eorum [illegible] ab illorum patria remota sunt; [illegible] hæc habitamus loca, credendum [illegible] cumadiacentes urbi veteres. [illegible] maximum testimonium est) [illegible] lant, antiqui latini, Græcam [illegible] nostrum, ut soliti sunt, verterunt [illegible] Neapoli apud divam Mariam [illegible] his literis inscriptus.

M. BAS-

Digitized by Google

M. BASSAEO M. F. PAL.
AXIO
PATR. COL. CUR. R. P. II. VIR.
MUNIF. PROC. AUG. VIAE. OST. ET.
CAMP.
TRIB. MIL. LEG. XIII. GEM. PROC.
REG. CALABRIC. OMNIBUS. HONO-
RIB. CAPUAE. FUNC. PATR. COL.
LVPIENSIVM: PATR. MVNICIPI. HV-
DRENTINOR. VNIVERSVS. ORDO. MV-
NICIP. OB. REM. PVBLI. BENE. AC.
FIDELITER. GESTAM HIC PRIMVS.
ET. SOLVS. VICTORES CAMPANIAE.
PRETIS. AESTIM. PARIA. GLADIAT.
EDIDIT.
L. D. D. D.

Lupiæ longè à mari Jonio VIII. millibus passuum positæ sunt. Hæ pari spatio distant à Gallipoli, quæ est in sinu Tarentino, ab Hydrunte, & Brundusio, quæ in Jonio sunt, eminus XXIV. aut XXV. mill. pass., à Tarento autem L. Hanc urbem antiquissimam, atque amplissimam fuisse, quæ sub terra sunt, demonstrant arcus, cuniculi, fornices, & vasta fundamenta ædificiorum, sed non præpolita. Nondum enim Græcia, aut Philosophiam, aut Architecturam, aut alias artes egregias, quas postea invenit, noverat: scilicet arma magis Lictius Idomeneus, quàm literas, aut Architecturam noverat. Hæc omnia illo dominante, aut ante illum sub Japygibus antiquis, aut sub Mallenio urbis conditore facta fuisse coniicio.

Eversa Troja, ut Diomedes, Diomedeas insulas, Garganum montem, Argyripam, Canusium, & circumadiacentes campos, sic

Salentinos obsedit milite campos
Lictius Idomeneus: ut canit Virgil. 3. Æneid. vers. 400.

Hic ejectis, aut subactis Japygibus, ferè omnem peninsulam Cretensium coloniam fecit: Linguam, & literas Græcas invexit: Lingua, & literis Messapiis abolitis; assumptis Græcis fortè cultioribus, aut quia illis victores utebantur. Solent enim victi populi in victorem, & Linguam, & mores, & vestes transire, neque indocilis est infœlix Italia ad peregrinos & mores & habitus capessendos. Cretenses quondam mari imperasse, & omnes Græcas insulas, aut subegisse, aut habitasse, Auctor est Aristoteles: ait etiam. „ Videtur enim insula optimè posita ad imperandum toti mari. Quin- „ etiam, & Cretenses Athenarum potiti sunt, „ & Cyrenaicam provinciam habitaverunt, „ Illorum, & nos sumus colonia.

Varia urbis de qua loquimur fuit fortuna. Antiqua urbs tota concidit, ac per plurimos annos deserta jacuit, ac vicatim habitavit. Inde Guidonis tempore talis erat, qualem dicemus. Deinde solo æquatam, iterum fuisse, & fama, & conjecturâ est. Quo tempore, aut quibus hostibus ignoratur. Deinde coalescere cœpit, non parvo incremento usque ad mortem Ioannis Antonii Principis Tarentini. Quo vita functo, cœpit in pejus ruere, ac retrò sub lapsa referri. Nescio qua nam id evenerit causa, nisi quæ rerum humanarum publica est, qua innumerabiles quoq; urbes interiere; Ea tempus est aut pestes, aut illuviones, aut pusilla animalia, quibus plæræque urbes deletæ sunt: Sed potissima causa bella sunt: quæ (ut ait Aristoteles) parvo temporis curriculo rerum faciem permutant. Eversa, ut dixi, urbs, prout videre licet, in vicos abiit. Hic locus statio militum erat, Plinio teste: quorum militum, aut quo duce, aut qua ratione incertum est. Quæ nunc Lupiæ sunt, Strabonis tempore, aut parvæ erant, aut nullæ: ait enim: *Non vetera, sed recentiora procurrens loca*. Nunc præter Brundusium, & Tarentum, cætera parva sunt oppidula. Ptolemæus, qui Lupias maritimam urbem inter Hydruntum, & Brundusium locat, relatui stetisse videtur aliorum; aut Rocham intellexit, quam in agro, seu ora Lupiensi sitam diximus, & quæ nomen fortasse ab antiquis Lupiis accepit.

Quo tempore urbs condita fuerit non constat, nec mihi tantum curæ, aut otii est ea percontari, seu potius divinare, quæ ante Noah, & Diluvium fuere, quod Viterbiensis fecerat. Sed non dubium testimonium eam urbem ante adventum Idomenei, hoc est ante captam Trojam, conditam fuisse, quæ in vita Marci Antonii scribuntur, præstare possunt: *Marcum Antonium maternum genus duxisse à Rege Salentinorum Mallenio, qui Lupias condidit*. Hic an Iapix fuerit, an Græcus, non constat, eius memoria abolita est. Si quis Matheſi credit, sciat hanc urbem sub Capricorno, & Saturno positam esse. Quo in statu Res Lupiensis erat tempore Guidonis Ravennatis illius verba ostendunt. „ Dehinc, „ hoc est, post Brundusium, urbs Licea Ido- „ menei regis, de quo Virgilius: lib. 3. ver. 400.

Et Salentinos obsedit milite campos
Lictius Idomeneus,

„ theatrum tantummodo, cæteris mœnibus „ solo æquatis, olim solemni studio conditum „ habet, in cuius jam incolæ paruum penè „ lapsum municipium sibimet, quod nomen „ antiqui reservat, fecere culmine, quod fi „ guram magis urbis, quàm eandem urbem „ exprimit. In huius suburbanis monumen- „ ta Antiquorum innumera sub divo exposi- „ ta, solido sculpta cernuntur lapide, cui „ conjuncta civitas Rugæ dignoscitur. Ab hac usque Hydruntum, quæ in littore, & portum eiusdem Liceæ sita est, XXX ferè milliaria supputantur. Rhudiæ, non Rugæ scribuntur: sed Guido vulgari incolarum sermone deceptus est: qui Rhudias, ut diximus, crasso quodam sono patrio more pronuntiant. Lupiæ in colle tam humili sitæ sunt, ut nescias an in colle, an in plano jaceant, nisi cum longè processeris. Cœlum salubberrimum est, æstate tamen percalidum, hyeme tepidum, seu non nimis frigidum, imò quarundam aliarum terrarum aeri verno persimile. Ager saxosus est, sed oleis crebris consitus, adeò ut urbs inter olivarum alta nemora posita vi-

Digitized by Google

detaur. Solum pingue, & frugum omnium ferax : unde fortasse Lupiæ, ab eo quod est λιπαρὸν, id est pingue, dictæ sunt. Hic & Citriorum varia genera læta, & fortia surgunt. Circa urbem nobiles sunt horti: olerum, & fructuum sapor præstantissimus: vineta habet non nisi ad quartum, & quintum lapidem, puto secundum græcum distichon : Quoniam Pallas, cui oliva curæ est, non bene cum Baccho convenit. Vina pignit ochra, (ut Galeni verbis utar,) aut xantha: nos pallida, aut flava, aut aurea possumus dicere; ea nobilia sunt, & quæ cum Cretensi vino certare possent. Non fontes, non paludes habet Lupiensis ager, sed altos puteos, & continuo usque ad aquam lapide. Totus ager undique usque ad tria, & alicubi quatuor millia passuum, olivis, ut dixi, consitus, & continuis septus parietibus, quas maceries dicunt. Inter hæc viæ angustæ, ferratis curruum rotis excavatæ, difficilem hostibus aditum faciunt.

Urbs altis, & perpulcris muris, & turribus, ex dolato, & quadrato lapide, & levigato munita. Nam illi lapides, & secari, & levigari patiuntur. Antemurali, & fossis satis altis cingitur. Antiquorum murorum nulla videntur super terram vestigia. Hæc munimenta quondam tutissima fuere, nunc reperto bombardarum usu, nihil potest tanto turbini resistere: præsertim quòd eo tempore, quo muri constructi sunt, non erat bombardarum usus, sed scalis, & pusillis quibusdam machinamentis urbes oppugnabantur. Tota urbs super ruinas veteris urbis posita est, & magna pars pensilis est. Forum, & quæ juxta sunt domus, super ingentes arcus, & fornices, & testudines fundatæ sunt.

Puteos ubique, & cisternas habet ampliſſimas, quibus cœlestes imbres optimè servantur. Mira lapidis natura, sine calce, ubi lapis non cavernosus, sed continuus est, aquas, & (quod majus est) oleum quoque continet: cùm adeò mollis sit, ut & terram, & levigam patiatur: ex quo lapide ingentia vasa excavantur, quæ pilas appellant: quarum aliquæ quingentas olei amphoras capiunt. Laterum pilæ crassitudo vix palmam, aut quinque digitos excedit. Hæc urbs ante adventum Normannorum caput erigere iterum cœperat. Ignota sunt omnia, nec literarum monimenta extant. Nescio quis Accardus Lupiarum Dominus multa, & præclara opera feciſſe perhibetur.

Hinc Normannis rerum potitis, Orientali Romano incliante Imperio, Tancredus comes Lupiarum, Rogerii Ducis Apuliæ filius nothus, nepos, ut puto, Roberti Viscardi, vir magni animi, pullis Henrico Enobarbi filio, Frederici junioris patre, & Constantia eius uxore, Regni gubernationem suscepit, adscitis ad se Regni Proceribus, quos Barones dicunt: nec nisi Tancredo vita functo, Henricus, & Constantia Regni Apuliæ ditionem habuerunt. Fredericus deinde junior Constantiæ filius, ob vetustatem Tancrediadum : cum toti Apuliæ semper favisset, ejusque Provinciæ homines extulisset, Lupiarum tamen urbem infesto animo prosequutus est, & Brundusio favere nunquam desiit : ubi arcem ingenti opere construxit, & variis ornamentis urbem amplificavit. Huius filio notho Manfredo à Carolo victo, atque occiso, Gualterius Brehennæ, deinde Lupiarum Comes à Carolo Primo Apuliæ Rege declaratus est.

Quatuor enim tantùm Comites in hoc Regno ille constituit. Hic primò Comes Lupiarum, deinde opibus, & viris à Lupiensibus adiutus, Cercyram insulam, Achajam, & partem Peloponnesi, & Athenarum urbem suæ ditioni adiecit. Dux Athenarum factus, in Salentinis parum moratus, Florentiæ dominatus est : inde à Florentino Populo ejectus ob suspitionem nobilis mulieris pudicitiæ violatæ, se iterum Lupias recepit. Porta, qua impetum populi fugiens egressus est, à Florentinis causa est, & Ducis Athenarum appellata. A Lupiis iterum atque iterum in Græciam revertens, in insidias Græcorum, seu Turcarum à Græcis conductorum, ut quidam dicunt, incautus incidit: ubi cum maxima parte Lupiensium cæsus est. Maria, quam uxorem fuisse Ladislai Regis diximus, caput Gualterii magno precio redemit, atque in parvo sepulchro in Cathedrali Lupiensium Ecclesia locavit. Huius testamentum, quod antequàm è Lupiis discederet, constituerat, nos ipsi legimus.

Maria de Eugenio, mortuo Pyrrho eius fratre adolescentulo, Gualterii ex filia, ut puto neptis, Lupiarum Comitatum adepta, Raymundo Ursino Soleti Comiti nupsit. Hic Lupiarum Comes factus, Tarentino Principatu empto, Brundusio vi capto, toti ferè Japygiæ, & parti Dauniæ dominatus est. Huius filius Joannes Antonius, Aragonenses partes sequutus est, contra Joannam Reginam, & Loysium, deinde Renatum Andegavensem, eoquòd Alphonso fidem, & jusjurandum præstiterat. Hic Alphonsum armis, & pecunia, & omni qua potuit industria semper juvit, ut nemini dubium sit, huius, aut solius, aut præcipua opera, Alphonsum Regno potitum fuisse. Dum Alphonsus Joannæ insidias fugiens, in Siciliam secederet, Joanna ingentem exercitum duce Jacobo Caldora contra Joannem Antonium & Mariam eius matrem misit. Salentinos campos omnes igne ferroq; vastavit. Quinque urbes, quæ vim hostium ferre potuerunt, in fide Alphonsi permanſere: Tarentum, Gallipolis, Castrum, Rocca, Lupiæ. Hæc urbs incensis villis, cæsis felicibus arboribus, difficilem passa est obsidionem : eoquòd hìc, quasi in altera Regni aula, antiquæ tantorum Principum gazæ seù thesauri servabantur. Hæc enim urbs per quadringentos annos Japygiæ, & Apuliæ, & opibus, & viris præstitit.

Hæc eadem, mortuo Joanne Antonio, qui contra Ferdinandum Alphonsi filium, cui Isabella ipsius Joannis Antonii ex sorore neptis nupserat, nescio quibus causis, per septennium bellum gesserat : quamvis Joannes Andegavensis Renati Ducis filius, urbi perpetuam immunitatem, & castella quàm plurima promitteret, & quascunq; vellet conditiones, se tamen

Digitized by Google

men Ferdinando ultrò dedidit, & quæ in potestate Lupiensis erant Populi, sexcenta millia aureorum, vasa aurea atque argentea, & opulentem supellectilem Ferdinando porrexit, spretis Joannis pollicitationibus. Quibus opibus si is potitus fuisset, Ferdinandus vix duos menses in Regno peregisset: erat enim eo tempore pecunia penitus exhaustus.

Hæc eadem, capto à Turcis Hydrunto, Provincia tota perterrita, atque in fugam versa, prima Turcarum furori obstitit, quousque auxilia à Ferdinando missa, Provinciam firmarent: venientem, postea ab Hetruria exercitum nostrum pene fractum, ac inopem, & longo itinere fatigatum reparavit, atque suis bonis refecit. Demum post captam Gallipolim, Venetis totius ferè Provinciæ, nemine prohibente, potitis, nisi hæc urbs fuisset, tota fortè Apulia in potestatem Venetorum devenisset.

Hinc ad XII. millia passuum Soletum: alii Salentum dicunt; Græcum est, & antiquum oppidum in aspero, & petroso, & aquarum indigo jugo positum, sed olivetis passim vestito. Amplam fuisse hanc urbem, vestigia murorum aliquibus in locis ostendunt: nunc in parvum reducta est oppidulum, quod quondam (ut ajunt) erat Episcopale, & nunc etiam caput Comitatus.

Hinc ad mille, & quingentos passus urbs, quæ nomen Sancti Petri sortita est, nova, sed honestis civibus, & adhuc Græcis culta, sita est in plana valla amœnissima, oleis, & omni felicium arborum genere consita, non ut Soletum in aquosa; sed puteos habet satis abundè. Hæc ab utroque mari æquè, hoc est circiter XIII. millibus passuum distans, in umbilico totius peninsulæ est, & quasi commune emporium emendis, & vendendis rebus. Percommodum Templum habet pulcherrimum Divæ Catherinæ, à Raymundo Principe Tarentino dicatum cum xenodochio, & Castellis nonnullis constructum, ut ajunt, ad exemplum Templi Divæ Catherinæ, quod est in Sina monte: ubi vir ille religiosissimus, & insignis pietate, votum fecit de ædificando Templo, in quo monumenta sunt Ursinorum familiæ, quæ ibi multis annis dominata est.

Hinc ad VIII. millia passuum locus est, in quo non nisi antiquæ urbis murorum vestigia cernuntur justi ambitus: unde loco Murus nomen est. Videtur ut & urbs, sic & nomen occidisse: tantum vicus ejusdem nominis restat: Urbs tota aut aratur, aut olivis & ilicibus obumbratur. Hinc VIII. millibus passuum abest Vastæ oppidum, totidem ad Hydrunto distans, alii Vastas dicunt, alii Vasten, alii Vastan: & hæc nunc viculus est vix quindecim focis habitatus. Urbs mediocris, ac justi fuerat ambitus: ejus pars in humili clivo, pars in plano polita erat. Extra Urbem innumera reperiuntur sepulcra, fictilibus vasculis elegantissimarum formarum, & ossibus, & cineribus hominum plena, & in quibusdam arma ænea vetustate consumpta, & annuli aurei rudes, nec satis perpoliti. Repertus est annis præteritis lapis insculptus his litteris, quas à me in hoc loco præteriri non patiar: solæ enim hæ reliquiæ sunt tam longæ vetustatis.

Litteræ Dalmaticæ à Divo Hieronymo primùm institutæ.

ΚΑΟΗΙΧΙΓΟΟΟΧΟΧΟΡΙΑ·ΜΑΡ-
ΤΑΓΙΔΟΓΑΕ·ΧΕΙΒΑϚΧΑ·/
ΓΕΙΝΑΥΥΑΡΑΝΙΝ ΔΑΡΑΗΟΟ/
ΑΓΑϚΧΙϚ·ΧΑΒΟΟϚ·/ΧΟΝΕ
ΔΟΝΑϚ·ΔΑΚΤΑϚ ΣΙΓΑΑΝΕΧΟϚΝ.
ΘΙ ΧΡΙΙ·ΟΝΟΧΟ·/ΑϚΧΑΒΟΟϚ
ΧΟΝΕΧΟΙ ΝΙΔΑΝΜΑΙΝΙΒΕΛΙ-
ΙΝΙ·/ΙΝΘΙ ΡΕΧ ΧΟΡΙΧ ΟΑΚΑ-
ΧΑΡΕΙ ΗΙΧΟΗΙΕ ΧΟΙΗΟΧΟΕΙΝΙ
ΘΙ·/ΔΑΤΟΗΟΗ ΗΙΗΙΙΗ ΘΙΓ-
ΑΣΧΙΜΑ·/ΔΑΓΧΑΣ ΡΡΑΘΕΙ
ΗΙΙΗ ΟΙΑΡΔΑΝΝΟΑΓΟΧ ΧΟΝ-
ΝΙΝΙΑ ΙΜΑΡΝΑΙΗΙ·~

Has litteras incolæ Saracenicas falsò, sed qui Paganas, aut Ethnicas putant, rectè meo judicio sentiunt. Sunt enim (ut conjicio) litteræ Mesapiæ, quibus ante Idomenei adventum Japyges, ut dixi, utebantur. Lingua Mesapia, seu Peucesia, in qua Brundusium cervi caput significat, tota interiit, ut Ægyptia, & Punica, Osca, Volsca, & Hetrusca, & aliæ pleræque in tam longa vetustate abolitæ sunt. Ex ea lingua nihil est reliquum, nisi hæ paucæ litteræ: quas ideò exarare volui, ut existimet quicumque has viderit, quanti sit humana ad quam anhelamus gloria: & quod non solum lapides, & monumenta fatiscunt, sydera quoque & quæ litteris mandantur esse peritura. Si Carthaginenses vicissent, *Latina Lingua*, ut nunc Punica, nulla esset; Si Latina non esset, Græca quoque periisset: nam si quæ sunt litteræ, à Latinis substentantur. Harum litterarum exemplum, Pontano, Hermolao, Accio tuo, imò & meo, Chariteo, & Summontio misi, & nonnullis aliis: omnes mecum sensere has esse Mesapias litteras.

A Vastis nulla occurrunt antiquitatis vestigia usque ad Montem arduum oppidum, ab Acra Japygia VII. millibus passuum remotum, ubi & urbs antiqua fuit, ejus pars in colle, pars in plano sita, mediocris magnitudinis; Hujus & nomen abolitum est. In eminentiore hujus urbis parte in edito colle pulchrum est oppidulum. Memini me à veteribus audisse Græcis hanc Urbem dici πραχεῖα ὄρος, quod Latinè asperum, seu arduum montem exprimit: erat enim urbs in lapidoso, & aspero monte sita. Hic pars est Apennini, qui ad Acram Japygiam terminatur. Quin etiam à peritis navigantibus me audisse nemini

usque ad XL. aut L. millia passuum in mare protendi juga Apennini, cùm hinc atque illinc altius metiantur mare.

Postea versus Occidentem ad quatuor millia passuum Vereti, seu Ureti, seu ut incolæ dicunt, Veriti, reliquiæ spectantur. Hæc urbs tota corruit, in ea ne ulla quidem est domus, aut tugurium, aliquæ templorum ruinæ restant, nec hæ satis antiquæ. Hinc non longè abest Uxentum, aut secundum aliquos Oxentos, aut Hyencos: nunc Ogentum dicitur, urbs Episcopalis est, & pars quondam magnæ urbis, nunc urbecula est, & ipsa in colle edito sita. Suburbium in plano jacet; ut & antiqua, sed illa multo amplioris ambitus fuerat. In hujus urbis suburbano juxta Felinem vicum locus est, quem Nymphæum adhuc incolæ nominant: fontibus ubique manantibus celebris, tanto in his terris gratior, quanto rarior. Locus non excedit duo stadia, nunc neglectus, & calamis obsitus, paucæ restant citriorum arbores. Credo quòd Græcis omnia tenentibus, eleganti opera cultus fuerit, quod & nomen indicat. Nonnulla etiam sunt in ulteriori Græcia loca, quæ hoc nomine honestantur. Hinc ad XIII. millia passuum, Galatana, unde mihi origo est: alii Galatenam, alii Galatinam, alii Galatam proferunt, ut & Urbes, & Populos, sic & cunctarum rerum memoriam destruit tempus. Quis poterit res tam obscuras rectè conjectare? Certum est omnes hujus Peninsulæ urbes ab Oriente duxisse originem, & nonnullæ eadem servant nomina. Urbs, quam nomen Sancti Petri accepisse diximus, à Galatina vico, in quo postea constructa est, nominatur: abest à Galatena, seu Galatana quinque millibus passuum. Qui fuerint Galatini populi, aut Galatæ ex Galatia Asiæ: an (ut Plinius ait) Senones, quis novit? A Galatana Gallipolim IX. millia passuum sunt. Memini me à Veteribus sacerdotibus Græcis (hi enim solebant omnia litteris mandare) audisse Galatenenses à Thessalis originem habuisse, atque huc propter bella, & domesticas seditiones commigrasse, nec quo modo, aut quando hoc accidisset, sciebant. Cùm essem juvenis, legens apud Livium, inveni Theumam, & Galatanam Thessaliæ urbes, à T. Q. Flaminio captas. Nunc iterum in Thessalorum ditionem fatis volentibus rediit. Joannes enim Castriota, dux Ferrandinæ, quem suprà nominavimus, qui & huic urbi, & aliis circa oppidis dominatur, Macedo est; Sed non procul à Calatana, & Phylace, Thessaliæ urbibus oriundus.

Hæc urbs antiquis temporibus, & clivum, & planiciem amplectebatur. Arx φυλακὴ, ideſt custodia, & ab urbe Thessaliæ ejusdem nominis, ut à veteribus audivi, appellata est. Latini mutata, ut solebant, Y in V. Phulatianum, seu Phulcilianum dixerunt, hæc in clivio sita erat, in plano Calatana. Ex una urbe duo facta sunt oppida, vix quingentis passibus inter se distantia. Calatana plusquam duplo major erat ambitus. Phulatianum linguam Græcam semper servavit: Calatana ad Latinos migravit.

Ortis inter duo oppida ejusdem populi dissensionibus, ut inter vicinos sæpe accidere solet, ad arma ventum est. Calatana Phulatianum superavit, ac sola quavit. Cives omnes ferè Calatanam commigrarunt; pauci propter injuriam ad vicina oppida confugere, & mores, & vestes, & Græcam linguam deposuerunt, sed non genus. Nec pudet nos generis nostri Græci sumus, & hoc nobis gloriæ accedit. Divinus ille Plato in omnibus jurabat Diis agebat, sed præcipuè in his tribus: quòd homo, non belva: mas, non femina: Græcus, non Barbarus natus esset. Galateus tuus Spinelle, non à Marsis, aut Lingonibus; non ab Allobrogibus, aut Sycambris, sed à Græcis ducit genus. Pater meus Græcas & Latinas litteras novit: avus, & progenitores mei Græci sacerdotes fuere, litterarum Græcarum, sacræ Scripturæ, & Theologiæ minimè ignari: non armis, hoc est, vi & cædibus, & rapinis, sed bonis moribus & sanctitate vitæ celebres. Pudet me, Spinelle (tecum sine arbitris loquor) in Italia natum fuisse: quamvis Japygiam terram extra Italiam scriptores quidam posuere. Græcia sua vetustate suaque fortuna, Italia suis consiliis, suisque discordiis perist; utraque alienigenis servit. Hæc sponte, illa invita. Græcia Italiam sæpe à Barbarorum servitute liberavit, Italia Græciam Barbaris servire permisit. Sed nos scelerum nostrorum pœnas luimus, luemusque, nam nostra mala, ut videmus, nondum ad summum pervenere. Non sit verbo omen; dico non quod velo, sed quod sentio.

Apenninus qui Japygiam dividit, à montibus, quos peninsulam claudere diximus, ortum habet, ut qui totam secidit Italiam ab Alpibus. Itaque peninsula hæc totius Italiæ specimen refert, ut ejus felicis foliorum sectiones toto folio similes sunt. Hæc clarè cognosces, si constituas Tarentum, ubi Genua, Brundusium, ubi Venetiæ sunt. Quæ intra Scylleticum & Hipponiatem sinum est, peninsulam Japygio promontorio; quæ verò intra Brundusium, & Tarentum, peninsulam, de qua nunc tractamus, ultimo Hydruntini agri promontorio, quod maximè in Orientem spergit, conferas. Sinus, qui inter Leucam, & Hydruntum est, pro Tarentino tibi sit sinu. Tarentinus sinus pro infero, Jonium pro supero mari. Apenninus citra montes usque Oriam deprimitur, ad Orian parum insurgit continuis in ordinem positis colliculis, Rursus in planum inclinat in agro Galatanensi, ubi erat quondam nobile Cœnobium monachorum magni Basilii, divo Nicolao dicatum, cui avunculus meus plusquam triginta annis præfuit. Incipit iterum molliter insurgere in Galatana, ad radicem collis ejus arx, quam Phylacen diximus, in colle sita.

Hìc cœlum salubre ac tepidum, auræ salutares, & suaves, ager apricus semper

Digitized by Google

per vernans floribus, & benè olentibus herbis, thymo, thymbra, pulegio, serpillo, hyssopo, melilotho, camomilla, calamento, ubique abundans: unde, & caseum nobilem, & mel gignit, non deterius Hymettio, ac crocum laudatissimum. Itaque ut apud Marsos, & Pelignos Sulmonensis, sic, & apud Salentinos Galatanensis crocus, cæteris præstat. Temporibus Patrum nostrorum in Salentinis, hic, non alibi crocus habebatur. Unde huc venerit, incompertum est: attamen videtur hoc solum sponte sua crocum gignere. Omnis ager, ubi sues non sunt, silvestri croco abundat: qui flore bulbo; capillamentis hortensi, sive sativo similis est: tempore etiam conveniunt, uterque enim floret post ortum Arcturi. An qui sativus est, olim sylvestris fuit, & ut animalia, sic quoque plantæ mitescere hominum manibus didicerunt? Theophrastus quærit, utrum quæ nunc domestica sunt, sylvestria fuerint omnia, non est præsentis negotii, hæc pertractare. Hæc materia, ut est cognitu digna, sic & difficilis. Hoc ignorare minimè oportet, multa esse quæ mutantur cultu, aut exeunt sylvestris animum, aut mitescunt, sicut & negligentia multa fiunt, aut silvestria, aut deteriora. Puto quod si quis bulbos silvestris croci ex hac in illam terram transtulerit, ac diligenti cultu tractaverit, talis fieret tempore silvestris crocus, qualis nunc est sativus. Pleraque sunt pervicacis naturæ, quibus parum prodest dilingentia, aut obest negligentia: ut sunt ex arboribus, nux, juglans, pinus, palma, cupressus, platanus, lotos, & omnes glandiferæ arbores: & ex fruticibus myrtus, arbutus, absinthium, ros marinus, lentiscus: & ex herbis sampsycus, olus atrum, calamentum. Multa sunt etiam, quæ à cultu abhorrent: negligentia, & (ut Plinius ait) injuria, & maledictis, & contumeliis coalescunt, nequissimorum hominum naturam imitantia, quibus beneficia pro maleficiis, maleficia pro beneficiis sunt.

Hæc urbs septem res habere præcipua se jactat crocei coloris, crocum ipsum, mel, caseum, vinum, oleum, cariças, & uvas passas. Totus tractus aquarum indigens est, puteos habet raros, sed altissimos, in oppido XXXIII. in antiqua, ac diruta arce, XXXVII. passibus. Innumeræ cisternæ in toto tractu visuntur, unde populosam fuisse urbem argumento non dubio esse potest.

Super jugum Apennini planities est ampla, quam incolæ appellant campos Latinos: Credo quòd Salentini essent rectius dicendi. Unde cum pluviosus fuerit annus, erumpit maxima aquarum vis: quæ parvo temporis spatio, omnes cisternas, quæ in toto agro sunt, & quæ intra oppidum replet; quandoque tanta est imbrium copia, ut oppidum aquarum illuvie laboret. Tempore avi mei tanta per oppidum crevit aquarum multitudo, ut in aliquibus locis duum passuum mensuram excederet. Nonnulli periere, vinum, oleum, triticum, hordeum, & quamplurima supellectilia absumpta sunt: libros Græcos, quorum avus meus magnam habebat copiam in Ecclesia, quæ nostri juris est, ubi ipse versabatur, aqua delevit, atque consumpsit. Hæc urbs Jacobo Caldora, cujus mentionem fecimus, Japygiam vastante, partes Joannæ Reginæ secuta est. Post Caldoræ discessum, Joannes Antonius, cum omni, qua potuit vi, Galatanam obsedit, Felices arbores omnes ferro, atque igne vastavit: murorum non parvam partem machinis solo æquavit. Oppidani continua pugna acerrimè restiterunt: in qua pugna pater meus interfuit. Tandem Joannes Antonius re infecta, & longa obsidione soluta, alio arma vertit. Post hæc Regina, & Caldora vita functis, tota Japygia in potestatem Joannis Antonii pervenit. Pater meus tanquam hostis ab Joanne Antonio inauditus Gallipoli exulare jussus est. Compositis tandem rebus, Joanni Antonio causam audire cupienti, in hanc sententiam scripsit pater meus: *Nulla, o bone Princeps, à te accepta injuria, ausibus tuis quoad potui obstiti. Credebam enim fidem servare, si Reginæ jussis parerem, cujus partes Neapolis, & maxima pars Regni sequebatur. Tu non secùs ac ego Regibus servimus. An illa rite Alphonsum adoptaverit, an postea jure abdicaverit, ipsa viderit. Non interest nostra Regum causas decernere, alii matris, alii filii partes secuti sunt. Necesse est nunc nos fateri eam causam justiorem fuisse, quam Dii ipsi tutati sunt. Vicistis, ne vexetis eorum, qui victi sunt, fortunam. Diis enim superbos victores & intemperantes semper oderunt: Victoria non in armis, neque in fortitudine, aut multitudine militum, sed in Deorum potestate est. Nullam ego à te veniam precor, nihil enim peccavi: Hoc solùm precor; atque obtestor, ne existimes, quod à me jure factum puto, id aut tui odio, à quo nulla unquam lacessitus sum injuria, aut alicujus amore, aut pecuniæ, aut ambitionis causa me fecisse.* Hæc verba adeò grata bono Principi fuere, ut totum si quod erat odium in amorem verteret, tantumque patri meo quoad vixit, fidei præstitit, quantum cui vis eorum, quos charissimos habebat, ejusque heroicam mortem, quam pro veritate, & fide servanda passus est, molestissimè tulit atque asperè ultus est. Hæc urbs postquam in Aragonensium fidem pervenit, eam integerrimè servavit. Eo septennio, quo Ioannes Antonius contra Ferdinandum bellum gessit, semper Aragonias partes secuta; nunquam à fide descivit. Quæ quoniam Joannes Antonius aliis negotiis occupatus in Japygia, hoc est, contra viscera sua novum excitare bellum verebatur, & clade evasit: interdictus tamen illi fuit vicinarum urbium aditus, & tanquam infidelibus ferrum, materies, triticum: sic per septennium tanquam inter hostes vixit.

Turcarum bello provincia tota in fugam versa, prima Turcarum furores ab ea parte, in qua sita est, & incursiones tulit, ejus qui profugere, ac urbem deserere tentavit, domus igne absumpta est, bonis cæ-

Digitized by Google

cæteris publicatis: eos qui ab aliis locis aufugerant, admisit, atque humanissimè tractavit. Hæc complures sacerdotes Græcos doctissimos habuit, sed præcipuè unum quem magistrum appellaverunt, unde Magistrorum familia, cujus nepotem Virgilium, ego puer novi, & proavi mei, quorum unus viginti annis Byzantii versatus est: ubi & didicit, & docuit Philosophiam & Theologiam, Græci Georgium Latinum nominarunt, eò quòd in Italia natus esset, cùm Latini quidam ex his circumforaneis Mendicantibus Græcos persequerentur, ac cogerent eos ex azimo, non ex fermento pane conficere sacramentum. Hi sacerdotes post longas disputationes Romæ in pleno Collegio Principum sacerdotum vicere, ac ne à patrio ritu discederent, impetraverunt: quem morem huc usque servant: & Romanæ Ecclesiæ jussis, nostrates omnes Catholici Græci parent.

A Galatana Neritum tria millia passuum sunt: hoc alii Neretum, alii Neretum penultima producta, alii Νήριτος Νήρετος: Recentiores (sed non rectè) Neritonum dicunt, ut Nerito Neritonis. Ego in tebella ex antiquo marmore Lupiis invento me legisse memini, *Lupienses*, *Hudrentinos*, & *Neritinos*. Hæc urbs in apricis campis aquarum minimè indigentibus jacet. Cœlum habet salubberrimum, & solum circa urbem non madidum, sed lætum, & pingue, & olerum, & frugum supra fidem feracissimum: cunctarum rerum; quæ terra gignit, satis proveniens.

Urbs inter omnes, quas unquam vidi, meo judicio, in amœnissima planitie sita, distat ab ora sinus Tarentini tribus, aut quatuor millibus passuum: à Lupiis quindecim: à Tarento XLV. Oram habet XXIIII. millia passuum longitudinis à confinio Tarentinæ oræ usque ad rupem altam mari impendentem, quàm à rectitudine Ortholithon dicunt. Hic lapis Neritonorum, & Gallipolitanorum agrum disterminat. Ea ora tota piscaturæ aptissima, & alicubi juxta littus fontibus manans. Omnia quæ in agro Neritino nascuntur optima sunt: hic enim magnæ partis Calabriæ imbres cœlestes simul & terrarum pinguedinem recipit. In pluvia copiosa licet videre omnes agros, quos paludes dicunt, aquis opertos, simile quid patientes inundationibus Nili: sed hujus inundationis partem terra combibit, ac concoquit, partem, quæ voragines ab incolis dicuntur, admittunt. Sagacitatem providæ naturæ ubique spectare promptum est.

Terra Japygia ferè ubique plana, & colles parvos habet. Non sunt flumina, non valles, non lacus, necubique torrentes, qui ingentes pluvias receptare possint. Instituit natura certis in locis voragines, hæ cavæ sunt fossæ, nulli videntur hiatus, ideò nulli animalium perniciosæ sunt. Hæ aquas aliquandiu continent, donec à cæcis quibusdam spiramentis ex intimis terræ recessibus spiritus eructet, atque erumpat. Hic magno impetu, atque ingenti fragore aperit aquis aditus: illas per subterraneos meatus in mare profluere credibile est, ut & multa flumina quæ terra absorbet, deinde iterum emittit aut occultè in mare projicit, ut dicunt de Nilo, & de Alpheo Elidis, & Arethusa. Explosa est ab Aristotele veterum philosophorum sententia, qui Tartarum intra terram ponebant: locus enim aquarum, ad quem omnes decurrunt, mare est. Hæ voragines crebræ, ubi plani, & latissimi sunt campi: ut sunt Mandurini. Si hæ non essent, magnam Regionis partem, aut paludes obtinerent, aut incultam esse Regionem, foret necesse: nam per sementis tempora notiflare solent, & pluvias ingentes ciere.

Universus ager Salentinus tempestivè seri gaudet, aut ante occasum Vergiliarum: si (ut Virgilio *Georg. lib.* 1. placet) brumæ intractabilis tempus expectaveris, te seges vanis eludet avenis; sed ut in medicina, sic & in agricultura contemplari ante omnia oportet, & tempus, & regiones, & ingenia locorum.

Neritini agri paludes noxiæ non sunt: nullas enim, aut paucas, & innoxias tollunt auras. Æstate omnia sicca sunt, nihil limosi, & gravis, aut palustris humoris relinquitur; sed tantum, quantum campos reddat pinguiores. In his paludibus, ut & in campis Manduriis & Galesi, & Cupertini, phasmata quædam videntur, quas mutationes, aut mutata dicunt vulgus, nescio, quas striges, aut lamias, aut, ut Neapoli, Janarias, & (ut Græci dicunt) Nereides, fabulantur. Mirum est, totum Orbem invasit, & in miseras erravit fabula gentes, nullo certo Auctore, nulla ratione, nullo experimento unusquisque credit, quæ neque vidit, neque vera sunt, stamus alienis, & indoctissimorum hominum testimoniis, puerilibus larvis, anilibus credimus commentis, & plus fidei auribus, quam oculis adhibemus; nemo oculatus testis est, omnes ab aliis se audisse fatentur. Quantis tenebris involvitur humanum genus ad mendacia natum, cui semper invisa est veritas! Quanta caligo detinet humanos animos, alioqui rationales, & divinos, ut non ab re quis credere possit, omnia humana similima esse his, quæ dicentus phantasmatis! Sunt qui credunt mulieres quasdam maleficas seu potiùs veneficas medicamentis delibutas, nocu in varias animalium formas verti, & vagari; seu potius volare per longinquas Regiones, ac nuntiare, quæ ibi aguntur, choreas per paludes ducere, & demonibus congredi, ingredi, & egredi per clausa ostia, & foramina, pueros necare, & nescio, quæ alia deliramenta: & quod maximè mireris, sunt in hac re gravissimæ Pontificum censuræ.

Similis est Brocolarum fabula, quæ totum Orientem cæpit: Ajunt eorum, qui scelestè vitam egerunt, animas, tanquam flammarum globos noctuè sepulcris evolare solitas, notis, & amicis apparere, animalibus vesci, pueros fugare, ac necare, deinde in sepulcra reverti. Superstitiosa gens sepulcra effodit, ac scisso cadavere, detra-

Digitized by Google

ctum cor exurit, atque in quatuor ventos, hoc est in quatuor Mundi plagas cinerem projicit: sic cessare pestem credit: & si fabula ea sit, exemplum tamen præbet nobis, quàm inviſi sint, & execrabiles omnibus iis, qui male vixerunt, & viventes, & mortui. Similis est, & de anima Hermotimi Clazomenii apud Plinium *lib. VII. cap.* 52. fabula, & apud Senecam de sepulcro incantato. Nec defuerunt antiquis temporibus hæ vanitates: & illusiones sensuum humanorum, cùm semel mens decepta fuerit, & mendaciis persuasa, sensus quoque falli necesse est: quibus deceptis, mens quoque delirat. Magna est inter sensus mentemque affinitas; quandòque ipsa sola mens, seu (ut dicunt) solæ virtutes interiores operibus exteriorum sensuum funguntur. Exemplum est somniantium, qui opera exercent vigilantium. Et Galeno teste, delirus quidam tibicinas videbat in angulo domus: & baculus in aqua videtur fractus, & cancellatis digitis, & elevato altero oculo una res, duæ apparent, & duæ lineæ parallellæ videntur sensui concurrere, cum nunquam concurrant. Ipse etiam Lactantius, qui plus eloquutioni, quàm eruditioni studuit, negavit terram ubique posse habitari, Hunc vulgaris, & Lactantium error, apparentia decepit:

Sicut negare sensum propter rationem, rationis est indigere: sic & ratione non persuaderi propter aliquam apparentiam stultum est. Tunc enim res bene cedit, cùm (ut Aristoteles ait in *lib. de Cœlo*) ὁ λόγος τοῖς φενομένοις μαρτυρεῖ καὶ τὰ φενόμενα λόγῳ: hoc est: *Ratio apparentibus attestatur, & apparentia rationi*: cùm hæc duo sibi invicem non consentiunt, omnia falsa, omnia erronea sunt. Sed nos ad eadem Phantasmata revertamur. Videbis quandòque urbes, & castella, & turres, quandòque pecudes, & boves versicolores, & aliarum rerum species, seù idola, ubi nulla est urbs, nullum pecus nedumi quidem. Mihi voluptati interdum fuit videre hæc ludicra, hos lusus naturæ. Hæ non diu permanent, sed ut vapores, in quibus apparent, de uno in alium locum, & de una forma in aliam permutantur, unde fortasse mutata nominantur: aut quoniam his apparentibus, cœlum de serenitate in pluviam mutari solet. Hoc accidit mane, cœlo silente, incipiente, ac leviter spirante (ut solet) Austro. Nam ut in fine est vehementissimus Auster, sic in principio levissimus; & cùm calidus sit, elevat tenues nebulas, quæ, ut speculum, referunt imagines urbium, pecorum, & aliarum rerum: & ut vapores, sic & species illæ moventur: ut est videre in speculis motis, atque agitatis, in quibus, res ipsæ moveri videntur. Et quoniam res rectè occurrunt vaporibus, rectè videntur, ut umbra, quæ opponitur corpori luminoso. Quæ verò transversè, ac reflexè rerum species suscipiunt, in his res quoque ipsas reflexas videmus. Sic & in aqua videmus culmina montium, & tectorum in inferiori parte: fit enim ut quæ aquæ superficiei, propinquiora sunt, ut fundamenta à nostris visibus sint longinqua: culminum verò tectorum, quæ ab aquâ sunt remotiora, imagines ad nos magis accedunt: ideo, & inferiora videntur. Sic etiam & nobis in clausa domo existentibus, parvo per rimulas ingrediente lumine, omnia transversè videntur, ut hominum capita deorsum, pedes sursum: lineæ enim umbrarum non rectè procedunt, sed transponuntur, atque in medio intersecantur. Hoc idem in speculis concavis accidit, ut superior pars speculi infimam partem rei visæ, inferior superiorem reddat.

Hæc, quæ dixi, phasmata deludunt sæpe obtutum viatorum, qui dum se prope urbem esse existimant, longissimè absunt. Visæ sunt etiam in hoc tractu in aere species hominum equis insidentium, & pedibus ambulantium. Sic & Scriptores litteris mandavere, visas fuisse in cœlo armatas acies, & hæ, ut puto, species erant earum rerum, quæ longè aberant, atque ab eo loco, in quo species visæ sunt, videri minimè poterant. Sic & denarium in fundo vasis non videmus, at si idem vas aqua impleatur, videmus non denarium, sed illius imaginem in summo aquæ, quod aeri contiguum est: superficies enim aquæ, superficiei aquæ proportionatur. Sed an illæ imagines subjectæ sint in speculo, an in aeris extrema parte, alia quæstio est. Ait Aristoteles, *Color est extremitas perspicui in corpore terminato*. Quandoque figuræ nubium sunt quæ navium, & velorum simulacra reddunt: ubi nulla est classis.

Hæc phasmata non solum inexpertos fefellerunt. Non diu est quod tota ora, quæ est ab Hydrunto ad Garganum montem, una & eadem hora ante ortum solis vidit classem ab Orientis parte velificantem, creditum est Turcarum illam fuisse, & antequam phasma, seu illa delusio albicante aurora detegeretur, variæ huc atque illuc litteræ scriptæ sunt, ac missi nuntii de adventu ingentis classis. Hoc fortasse modo, aut altero, quem diximus, ut credo, à Lilybæo vidit, nescio quis, classem è portu Carthaginis exeuntem.

In hac urbe, de qua nunc loquimur, & Gymnasium quondam fuit Græcarum disciplinarum tale, ut cum Mesapii Græci laudare Græcas litteras volunt, Neritinas esse dicunt. Sunt enim hæ litteræ perpulchræ, & castigatæ, & iis, quibus nunc utuntur impressores, Orientalibus ad legendum aptiores, Inclinante Græcorum fortuna, postquam à Græcis provincia ad Latinos transmigravit, celeberrima Neriti hoc toto Regno fuere litterarum studia. Hanc urbem Sanseverinorum familia armis, & literis illustravit. Temporibus patris mei ab omnibus hujus Regni Provinciis ad accipiendum ingenii cultum, Neritum confluebant. Omnis si qua est in toto terrarum angulo disciplina, à Nerito ortum habuit. Hic litteras didicere illa duo nostri seculi lumina, Robertus Lupiensis, & Franciscus Neritinus; alter Ecclesiasticorum declamatorum omnium, qui fuerunt, quique futuri sunt, præstantissimus, alter Patavinæ Academiæ pater. Hic & ego prima litterarum fundamen-

ta

ta hausi : Galatana me genuit , hæc urbs educavit & fovit , & litteris instituit . Hic Aquævivus tuus , imo & meus Bellisarius, magni Aquævivi frater , dominatur . Neq; ero ingratus , si ut initium descriptionis Tarento , sic & finem Nerito tribuero. Hoc exigit locorum ratio , & conviviorum magistri semper aliquid , quod maximè delectet, in finem reservant ; sic ,

Neritum longæ finis chartæq; viaq;

ANTONIUS GALATEUS

MEDICUS,

LOYSIO PALATINO

S. D.

DOleo , mi Palatine , nostra egionis celebritatem ita concidisse , ut & si vestigia , & (ut sic dicam) busta magnarum urbium plerisque in locis cernantur , memoria tamen nulla extet , aut rerum gestarum, aut ipsarum urbium , aut peculiarium litterarum , quibus Japyges nostri , antequam Græci eòdem post captam Trojam adventarent , utebantur . Sic res mortalium eunt , omnia tempus consumit , ac perimit , ut puto , Japyges Trojanis , aut paulò ante temporibus clari extitere . Post Licii , & Idomenei , & Spartanorum , & Phalanti adventum revixere , Græcis literarum monumentis omnia mandantibus . Rursus Gothis , deinde Longobardis Italiam tenentibus , Græcis , seu potius Romanis reposcentibus : retinentibus Barbaris , omnis , quæ media erat regio inter utrunque imperium vastata est , ac pene deserta . Est enim terra Mesapia , seu Japygia, in discrimine posita & Orientis , & Occidentis . Exemplo tibi sit Turcarum bellum : quod si paulo diutius gestum fuisset , illam terram exhaustam , ac penitus desertam videremus . Ut , quæ & hominum multitudine quondam floruerat , Peloponnesus illa tot potentissimorum Populorum capax , nunc ob assidua Venetorum , & Turcarum bella vacua est , & sui miserabile præbet spectaculum . Antiquos scriptores non habemus , ut Eratosthenem , & Hipparchum . Strabonis , Dionysii , Pomponii , Plinii , & Ptolemæi temporibus , in hac terra rerum vicissitudine parva supererant oppidula . Nos etsi nonnullos Geographorum , & Historicorum libellos revoluerimus , pauca tamen invenimus notatu digna . Tarentum , Plato , Architas , Aristoteles , Theophrastus , & Hannibalis bella : Brundusium verò portus in toto terrarum orbe notissimus , & Romanorum frequens in Græciam trajectus celebravere : ideo Scriptores aliqua de illis memoriæ tradiderunt , cætera omnia interierunt . Inde Hydruntum Joannis Vitaliani , Justiniani Principis in Gotthico bello Ducis virtus illustravit , unde toti regioni nomen dedisse illam urbem , haud dubio argumento crediderim , Leucam , Uxentum , Gallipolim , Neritum , Vastas , & unde mihi origo est , Galatanam , Soletum , quod veteres Græci Salentum vocant , Rhudias , Mandurium , Cœlias , Greas : Galesum senectus ferè confecit . Nostras Lupias M. Antonini Principis historia decorat , quæ illum à Mallenio Dasumni filio Salentinorum Rege , maternum genus duxisse perhibet . Alii Lupiarum , & Rhudiarum tantum nominis meminerunt . Guido Ravennas , quem recentiores scriptores in plerisque testem adhibent , & quem ego nuper legi , nec recens est , nec vetus Author . Illius temporibus quo in statu res nostræ essent , ex ipsius verbis , quæ tibi mitto , intelliges . Leges multa , quæ intelligere opere precium est . In quibus deliquit , ea tempori imputanda sunt : in his venia , in illis laude dignus est . Nam si illa qualiacunque sint , non scripsisset , ne hæc quidem quæ ad te scribo, noscerемus . Tu verò ita illum legas , ut & tibi ipsi fidus sis testis . Illius judicio ita utere , ut à tuo minimè discedas , meamque sententiam tam diu probes , quamdiu veriorem non inveneris. Non enim facilè est ea , quæ ab hominum memoria abolita sunt , recensere : nos tamen quoad possumus , patrium solum illustrare debemus . Quod ille Lupias in Salentinis posuit, verum dixit : quod Lupiæ nunc Gallipolis dicatur , fallitur , nam Lupiæ sunt , quam ipse Liciam nuncupat . Quod Ennius in Calabris natus fuerit , verè narrat ; quod Tarenti ortus , minimè . Nam Pompon. ait , Cive Ennio nobiles Rhudias ; quæ ab ipso Rugæ appellantur , nec longè à Lupiis sitæ sunt . Fortè inter ipsas urbes nihilo plusquam spatium tredecim stadiorum interjacet , utroque nomine ob corruptam ab incolis appellationem , deceptus est . Vale .

AN-

Digitized by Google

ANTONII GALATEI MEDICI CALLIPOLIS

DESCRIPTIO AD SUMMONTIUM SUUM.



IS salvus optime Summonti, quoniam non vis à Sacra Simoentis unda Simoentium vocari. Quæris, quid hic agam, procul ab amicorum cætu, procul ab urbe tot potentissimorum quondam Populorum, tot antiquarum urbium Principe, & omnium quæ sunt, aut fuerunt unquam, aut erunt, amœnissima felicissimaque. Primùm de urbe, in qua moror, aliquid dicam, postea quo in statu Galateus siet, intelliges.

Hæc à pulchritudine non immeritò nomen sortita est. Græca urbs fuit: nescio unde acceperit Plinius Gallos Senones hic habitasse. Nam non Gallipolis hæc urbs dicitur, sed, ut antiqui habent codices, Callipolis. Sita est in promontorio longè in mare procurrente: opus ludentis Naturæ, & admirandum, jacet inter duos sinus. Exit à collibus ex utroque sinu jugum quoddam, quod per quatuor millia passuum, continuè magis, ac magis se in arctum colligit, quousque tam angustum Isthmum, seu potius fretum faciat, ut vix currus permeare possit. Ante arcem, quæ urbi prominet, pons est, qui duo maria committit, quæ urbem non peninsulam, sed verè insulam faciunt. Indè iterum terra latius se in formam sartaginis diffundit in orbem, qui urbem totam efficit mediocris ambitus (ut videtur) decem stadiorum. Urbs eo tempore, quo capta est, nec muris, nec machinis, nec præsidio, erat satis tuta. Nunc munitissima est, & è terra, & è mari, superbum & minax, & pulcherrimum sui præbet spectaculum, unde illi nomen indidisse priscos Græcos existimo. Cœlum habet sudum, tenue, temperatum & ventosum, non fumosum, ut ista nostra, & humidum: venti enim hic undique sine aliquo obice perflant. Est enim urbs intus plana, sed in scopulis è mari elatis polita.

Duo sunt hic, in quibus maximè admirari licet antiquitatem, & Architecti industriam, & solertiam. Contemplatus est, quisquis fuerit vir ille, expositum esse hunc locum assiduis ventis, ideo nullum, imo fortasse optimum, & sanitati incolarum accommodatum, servant viæ ordinem. Nullam viarum præcipuè, quæ procedat ab Austro ad Boream, qui sæpissimè, & vehementissimè flare solent, rectam fecit, sed alteri altera sæpe occurrit: altera alteram subindè intercipit, inflectitur, curvatur in gyrum, discurrit, redit in seipsam, nunc in rectum, nunc in obliquum solvitur angulum: nunc rectè, nunc obliquè procedit, adeò ut antiquis habitatoribus difficiles sint viarum perplexi, & inexplicabiles, & amphractuosi meatus. Hoc modo putavit ille vim ventorum posse frangi, ac mulceri. Occurrit mihi exemplum illius Architecti apud Vitruvium, qui mutato viarum ordine, nescio cujus civitatis, ex pestilente incolumem aerem fecit. Alterum est, in quo Artificis sagacitatem admiror. Fons est, qui circiter sexcentis passibus abest ab urbe, non nativus, sed mira arte fabrefactus. Elegit ille locum, ubi sex, aut septem puteos fodit aquæ saluberrimæ, quos omnes per cuniculum junxit. Deinde extendit cuniculum usque ad declives rupes mari impendentes, ubi ostium fecit fontis, & quæ hominum, animantiumque cæterorum usui supereat aqua, in mare proximum defluit: olim usque ad portum, quod est ante urbis portam, perveniebat. Videntur enim quædam aquæductus vestigia. Ita ille aptavit, libravit, æquavit, & perpendit humori alueum, ut ipse fons æstate, & hyeme, & Austro flante, aut Borea, semper fluat.

Quoniam (ut ait Theophrastus) singula loca sua habent vitia, alia ex solo, alia ex aere, alia ex utroq; & fortasse ex alia causa, (ut ait Avicenna) ignota nobis; plerumque enim apertos noscimus ictus, unde tamen veniant tot mala, cæca via est. Galenus ait, Romæ hæmitritæos abundare, & alias regiones aliis, atque aliis morbis infestari. Noxium tamen esse hoc cœlum phtysicis, æmoptoicis, tabefactis, & macilentis, experimento didici. Cæteris mortalibus salubre, præcipuè Galateo, qui pinguiusculus est. Accio nostro hic aer non esset innoxius: mihi autem hic magis convenit, quam aer Calatanæ, ubi natus, aut Neriti, ubi educatus: aut Lupiarum, ubi tamdiu moratus sum.

De istius verò urbis nostræ, in qua à sexto decimo anno usque ad hanc ætatem, non parum temporis subinde peregi, & cœlo, & solo, melius est silere, quam pauca dicere. Non solum ista Galateo accommodata sunt, sed universa se humano generi, & ubique locorum natis hominibus. Istic hyemes æstatesque mites sunt: istic est perpetuum ver, atque alienis mensibus æstas. Istic est felix, & beata illa à Græcis, & Latinis Auctoribus celebrata amœnitas, & cœli clementia, & omnium rerum ubertas. Opus certè (ut Plinius ait)

gaudentis Naturæ. Quibus humanarum rerum sevitia caret infelix Galatea. De hoc hactenus: nam ubi locus, tempusque poscebat, satis multa diximus, dicemusque.

Joannes Italianus Genuensis, Accii nostri familiaris, vir locorum scientissimus, impiger terrarum urbiumque explorator, dicere solebat, se optare senectam agere apud [illegible]. Elegerat sibi Japygiam terram pro sepulchro, præcipuè Callipolim: sed Deo aliter visum est. Ait ille, qui Sapientis nomen vendicavit: *Multæ sunt cogitationes in corde viri: voluntas autem Domini in æternum permanebit*. Scimus, ut ajunt, ubi nati sumus, sed quo in loco moriturus sit, nemo mortalium novit. Obiit Epidauri, vir, Accii nostri judicio, longiori vita dignissimus. Hujus cœli temperiem significant optimæ habitantium temperaturæ, si non me vis meo more dicere, complexiones, & rectiùs (ut puto) & significantiùs, ut in libello meo de Eucrasia demonstravi. Facies jucundæ, colores vividi, optimi habitus, corporis agilitas, rari morbi, nisi quando cœli communis inclementia est. Solent enim in iis, quæ terra gignit, & in ipsis hominibus, & in cæteris animantibus, quæ temperatiora nobilioraque sunt, celeriùs calamitatem pati. Ideò mitior Orbis plaga segmentorum mundi, & ipsi homines tot morbis obnoxii sunt, non injuria Naturæ (ut quidam existimant) sed sic dixerim, beneficio. Dedit enim homini Natura molles, & teneras carnes, non hispidas, non hirsutas, unde optima temperatura, & mentis acies, & præstantia judicatur. Ideo molliores carnes, aptiores menti dicimus. Et quoniam ut ex temperantia regionum, mores: sic ex moribus incolarum, Hippocrate, Aristotele, & Galeno auctoribus, agnoscuntur, & temperies, & intemperies regionum. Etenim talem esse, inquit Hippocrates, naturam nostram, qualis est regio. Plato quoque non dissentit ab illo, quem nonnullis in locis summoperè approbat: in quinto *Legum* inquit: *Magnam esse locorum differentiam, ad producendos meliores pejores ve homines propter varietatem cœli, & solis, ventorum, aquarum, ciborum, & (ut ait) divinæ inspirationis*. Habent enim, ut dicunt, singula loca suum genium, quemadmodum, & homines. Idem in Critia: *Dii*, inquit, *sigillatim regiones sortiti sunt*. Fit in sacra historia mentio Genii: seu Principis Regni Persarum: Idem Plato in Epinomide, *Atticam terram putat esse omnium optimam ad virtutem, inter hyemalem, & æstivalem naturam mediam*. Cicero in lib. de Fato: *Athenis* inquit, *tenue cælum, ex quo etiam acutiores putantur Attici, crassum Thebis, itaque pingues Thebani, & valentes*.

Hic homines purissimi sunt, bene morati, non mendaces, non rapaces, non seditiosi, non intemperantes, non cupidi, non ambitiosi, & (quod Plato maritimas urbes incolentibus tribuit) non injusti, non fraudulenti, sed veraces, & fideles, parci, frugales, suis rebus contenti, & inter se concordes, & in ipso mari, & in appulsu exterorum, & in tot stipendiariorum militum consuetudine, & in utraque fortuna integritatem, & constantiam servant suam. Sæpe enim (ut vidimus) ob fidem servandam dira passi sunt, neque unquam tot mala fregerunt illorum animos.

In pace mites sunt, & tractabiles, & humanissimi. In bello (prout regio fert) si Puderico placet, plusquam satis animosi, & strenui. Testatur quidem foris agrorum vastitas, villarum, & omnis generis arborum incendia: domi vero angustiæ rerum omnium vitæ necessariarum, & hujus urbis miseranda clades, & pertinax virtus, & Venetorum, deinde Hispanorum Gallorumque arma, quantum hi fide, & animo valeant. Tota circa regione adversa penè obsessi, Gallorum tyrannum, Marco Antonio Phillomarino Duce, multis Gallorum cæsis, aut captis, usque ad quintum, & sextum lapidem sæpè persecuti sunt.

Puerorum, & adolescentium liberalis, & modesta est educatio: abest ab illis commune adolescentium nostræ ætatis vitium, arrogantia, & insolentia. Sunt inter se amantes, & benevoli. Ludis quod commune est, & pernicioſum nostri sæculi malum, non satis dediti, & quod est maximum omnium, quæ in vita, bonorum: hic Populus religionis, & divini cultus haud negligens est. Habent urbis Patronam, & præsidem Divam Virginem Agatham, quàm piè venerantur boni bonam. Et quod nos multis persuasionibus ab ægrotis vix impetramus, ut rem divinam faciant, sive victuri, sive morituri, hi sponte faciunt, nemine suadente in pusillo ulcere, aut dolore, in pusilla febricula, in omni denique morbo, vel minimè periculoso, rem divinam exposcunt.

Tantam virorum fidem, & probitatem æquat matronarum temperantia: ferè omnes abstemiæ sunt. Mundicies, industria, domestici labores, cura, & diligentia rei familiaris, pudicitia, & erga viros obsequium: festis diebus non per urbem, nisi rarò, non per agros, quos longè ab urbe habent, vagantur, sed domi latitant: cæteris verò diebus lanam linumque faciunt.

Puellarum decor quidam, natura, non arte, & nimio cultu comparatus: aspectus gratissimus, facies formosæ, hilares, fusculæ, & venustæ, corpora pusilla, & valida: sermo dulcis, rarus, & lepidus, comæ, & ocelli nigricantes, acres, & nitidi, & flammantes. Habent nescio quid Betycum, aut Tripolitanum, hoc est, Leptitanum & illud Theocriti, quod sepè est in ore Accii nostri Βομβύκιον χαίτισσα, & illud: *Martialis Epigr.* lib. VII. Epigr. XXV.

Nam tibi quæ novit pungere, Chia sapit:

Tales fuisse puto Spartanas virgines, nisi quod illæ per montes, & nemora vagari, & venari, & cum viris congredi solebant. Hæ urbem monophylam, & monoba-

Digitized by Google

hobasiam nunquam egrediuntur. Viros priusquam nupserint, non modo alloqui, ne adspicere quidem audent. Nec palestræ indulgent, sed ut matres, lanam, linumq; faciunt. Nemo illas in fenestra conspexit: nemo illas in vano, & inhonesto, aut gestu, aut nutu, aut intuitu deprehendit, sed adhuc puellulæ rem familiarem tractare incipiunt. Dantur nuptui, quamvis non secundum Platonis, & Aristotelis instituta, virgunculæ, & tenellæ. Nullam ferè innuptam invenies ad duodecimum annum, aut tertium decimum.

Etsi pace Puderici nostri dicere possem, quam rarum, aut fortasse ignotum in Italia, sed verè Laconicum, unde profectos Callipolitanos, & quosdam finitimos puto: Mulieres virorum suorum strenuitatem imitantur. In expugnatione urbis pleræq; mulieres, defessis, aut vulneratis, aut interfectis ferè omnibus viris, muros fortitèr conscenderunt, & aliquamdiù hostium impetum substinuerunt, donec confluentibus undiq; triremibus onerariis, & rostratis navibus cum ingenti bellatorum multitudine, & innumeris machinis, & variis tormentorum generibus, multæ vulneratæ captæ sunt, nonnullæ strenuè pugnantes ceciderunt. Unde non absre, cum de ea re incidit sermo, dicere sæpe soleo, Callipolitanos, & Hydruntinos non victos fuisse, sed à multitudine hostium superatos.

Hominum quicunque illi sint, sive Græci, sive Barbari, sive hostes, sive amici benefacta celebrare, non tacere, aut dissimulare, viri boni, & veritatis amatores debent. Veneti quamvis non Christianissimi appellentur, sed ut verè Itali, & verè Christiani, capta urbe mulieribus omnibus pudicitiam diligentissimè custodierunt, & sanctè servaverunt in Templo Divæ Virginis Agathæ, ut verè dicere possimus:

Sacra bonæ maribus non adeunda Deæ

Quin etiam à cædibus, igne, & sanguine temperaverunt, & captivos redimi vetuerunt. Hic ut & Monopoli mitiùs quam fieri solet, jure belli usi sunt. Certè non minus laudanda est in victoria temperantia, quam in adversis, & afflictis rebus tolerantia, & magnitudo animi. Qua temperantia qualiter usi sint exteri, novit infelix Italia, quorum furta, rapinas, sacrilegia, stupra, incendia, tormenta, cædes, impietatem, immanitatem, quis animo volvens, poterit continere lachrymas? Sed hæc missa faciamus: longiori enim egent oratione, seu potiùs lamentatione, & deploratione.

Vis dicam, Summonti, videor mihi aut in urbe illa, quam Plato finxit, aut Lacedæmone commorari. Sentio enim hìc aliquid Græcanicum. Agnosco, imò olfacio Græcanicos quosdam ritus, quamvis hæc urbs, consenescente, & in occasum vergente Græcia, ut cæteræ Italiæ urbes, Græcam linguam, qua me puero utebatur, omiserit: Mores tamen non penitus omisit. Hic, optime Summonti, fœliciter viverem si sine labore possem, si Accium, si te hic habe-

A habeɾem, si cæteros Academicos, siqui superstites sint, quos elapso hoc anno me visurum spero. Demùm fœliciter agerem, si nihil agerem. Fælicitatem inquit Aristoteles in quiete esse: laboramus enim, ut otiemur, & bellum gerimus, ut in pace vivamus, Certè illa meo judicio nihil agentium est, non negotiosorum, quod vel invitus fatetur Cicero. Vera est illa Poetæ sententia.

B Εν τῷ μηδὲν πράττειν ἥδιστος βίος

Sic res se habet. Senem animi, non corporis labor decet. Prima, & media vitæ tempora patriæ, parentibus, natis, amicis, consanguineisque, extrema nobis ipsis impartiri debemus; Sed Galateum ad perpetuos labores natum esse fortuna voluit.

Nulla urbs quam ego noverim aptior est beato ocio, si quis eo frui sciret, aut posset. Nulla tranquillitati vitæ, nulla aptior viris emeritæ militiæ, quorum hic non parvus C est numerus: nulla litterarum studiosis, nulla aptior iis, qui negotiorum curas, & molestias fugiunt. Videtur enim hæc urbs verè ad otia nata, ut olim ista nostra. Nunc verò tota negotiis dedita ex ociosissima rerum vicissitudine facta est negotiosissima. Hìc nulla sunt negotia præter domestica, & ea non satis magna: nulli tumultus, præter maris, & ventorum: &,

D *Juvat immites ventos audire cubantem*

sed non urbem perambulantem.

Nullæ hìc rhedæ, nulli currus, qui angustias viarum impediant, nullæ seditiones, nullæ rixæ, aut raræ: nullæ salutationes, nulla superba potentiorum limina, non nimiæ delitiæ, non divitiæ, bonorum morum corruptrices, & vitiorum alumnæ. Hìc ex æquo vivitur. Hìc penè est illa, tantoperè, & tamdiù depicta, expetita, & optata, nec dum inventa ἰσονομία hoc est, geometrica illa E æqualitas, Diis, atque hominibus præter paucos grata, ut ait Plato: excelsus enim contrà, & Diis, & hominibus invisus est. Hìc est imago, & umbra quædam illius civitatis sanctæ, quæ in cœlo est, eritque, quæ de cœlo in terras nondum descendit: illius reipublicæ, quam sapientes, ut & sapientem, & bonum virum, sic animo, & verbis, non digito monstraverunt. Quæstio enim est non de eo quod est, aut fuit, sed de eo, quod esse debet, si unquam, aut uspiam fuit, F aut est. Hic inter maximum, & minimum inter nobiles, & plebem distantia quidem est, sed quam Philosophi, & ipse Plato laudat: non nimia, & excessiva, superba, & contumeliosa, quam sancti viri, & duo antistites sapientiæ Plato, & Aristoteles abominati sunt, ut alius quidem esuriat, alius ebrius sit: hoc est, ut alius cœlum tangat vertice, alius demergatur ad inferos. Ait Plato VIII. Reipublicæ: *Neque alii opulentiores sint, quàm decet neque alii mendici*; non Regium, non Imperatorium, non humanum, sed Divinum præceptum est, non duodecim, sed duarum tabularum: *Indigens, & mendicus, non erit inter vos*: Tandem non ut

Digitized by Google

olim erat apud Persas, nunc autem apud Gallos, ut alius serviat, alius dominetur: sed stata quædam hic est, & moderata æquabilitas: utraque enim immoderata mala est, & libertas, & servitus. Distantiam dixi quoad genus, divitias, dignitatem, magistratum virtutem: nam quoad illa, summa æqualitas summa inæqualitas est. Quantum verò ad jus pertinet, & libertatem, summa (ut par est) paritas est. Non est, ut Lex divina sancit, distantia personarum. Nam in qua nimius est excessus, aut acceptio personarum, aut divitiarum, potentiæ, & gratiæ respectus, non Rempublicam appellaverim, sed privatam, & propriam, quam Olygarchiam significantiùs, ut cetera Græci dicunt, quæ mera tyrannis est. Hæc Græciam, hæc Italiam perdidit perdetque. Paucæ hic sunt lites, pauci insani fori clamores, pauca delicta, pauca odia, nullæ simultates, nulli carceres. Multas gentes viderat Italianus: nam

Mores hominum multorum vidit, & urbes:

sed, ut dixi, non sine causa, hanc elegerat.

Hìc vivimus sine invidia, sine ambitione, sine superbia, sine convitiis, sine injuria, sine rerum omnium luxuria. Nam neque effusè affluunt opes, neque urget dira egestas.

Hìc sine timore, & concorditèr tanquam in tutissima arce vivitur. Urbs nunc munitissima est, & natura, & Regum impensa, & oppidanorum, finitimorumque Populorum labore. Libera est, & immunis ab omnibus vectigalibus. Hìc salubri fruimus cœlo, & lęto colliculorum prospectu, mare habemus, undique cœlum, penitus à cæteris divisi, & commerciis, & morib.

Hìc ego, & cibo, & somno parciùs utor, valeo athleticè. Tertia aut quarta noctis hora eo dormitum, nona, aut decima surgo: ego aliquid, aut scribo, quid faciam: dormire amplius nequeo in lectulo pudico, & celibe, & pleno curarum. Reviso Annotationes meas, hoc est antiquos labores meos, qui mihi sunt maximæ voluptati nedum solatio. Non enim ex hac re mihi famam, aut commoda quæro, sed cogito quæ mihi proximo die agenda sunt. Ante orientem Solem, si dies festus est, aut profestus, rei divinæ vaco in templo divæ Virginis Agathæ: sin nefastus, domi maneo, Deos oro. Ad primam lucem urbem circumeo, ægrotos visito, deinde prandeo sobriè (ut meus est mos) non lautè, & opiparè. Gaudeo simplici cœna, odi compositos apparatus, non solùm meis, sed alienis quoque. Post prandium lego aliquid facilè, non quod mentem agitet, sed quod levet, atque delectet: ut solent medici dare laboriosis, & defessis cibos facilis concoctionis, quos Græci ἐυπέπτους dicunt. Eo tempore veniunt ad me aliqui, quæ de salute sua consulant: hos ego audio. Vicesima hora ægrotos reviso, ascendo, descendo, laboro, discurro, sudo, quamvis bruma sit propè. Tandem defessus, ac defatigatus ad primas faces domum redeo, ubi aliqui non ignavi ingenii viri me expectant, qui me audiant de Philosophia, de Moribus, de Mathematica exotericè, non acroamaticè differentem.

Talis est Galatei tui vita. Tu credebas fortasse me odio habere Litteras, in quas ego tibi acerrimè, & non sine rabie quadam invectus visus sum; absitq; quod ego fecerim ullam offensiunculam cupidissimo Litterarum, candidissimo, & in erratis amicorum indulgentissimo animo tuo, aut alterius, qui Litteras colat, unicum in secundis ornamentum, unicum in adversis rebus refugium. Non ego per Deum eo animo feci, ut quempiem offenderem, sed ut bilem evomerem. Non ignoras, quàm facilè irascantur, imò, & rixentur famelici.

Sed dicamus bona venia, quid ibi falsum est? Sin vera sunt, quæ dixi, bona quidem sunt. Vocant Dialectici quædam transcendentia: inter illa annumerant bonum, & verum. Nam quicquid verum est, id bonum esse necesse est. Sed non ignoro plurimorum hominum aures magis pervias esse falsis, quam veris, & nonnullis falsa, Aristotele teste, perbabiliora esse veris, imò plerunque & gratiora. Nemjnem vidi adulatorem necatum fuisse ob assentationes: sed ditatum, & locupletatum, & saginatum. At benè, & rectè admonentes, & optima consulentes audivi multos periisse.

Sed tu, teste Quintiliano, ais, non abiiciendam esse Rethoricam: quoniam quàmplurimi Rethores, per quos Caulidicos, & Jurisperitos intelligere licet, mali sunt, contra quos ille divino spiritu afflatus hæc decinit: *Si verè utique justitiam loquimini, recta judicate filii hominum*. Didicerunt enim Rethores justa dicere non autem facere.

Nec Medici ab urbe Roma eiici debuere, ut Cato apud Plinium censet. Quoniam plæriq; Medicorum imperiti, imò fortasse, & scelerati, & homicidæ fuere. Neq; ego adeò sum ignarus, ut id, quod Artificis vitium est, arti adscribam: sed hoc volui dicere, quod multis Litteræ veneno fuere, iis dico, quæ natura improbi, aut malè instituti sunt.

Neque vinum (ut vult Plinius, & Machometes Saracenorum legis conditor) abominandum est, quod homines cogat delirare, & quod sit fomentum vitiorum. Paulus Tharsensis noster, *in vino*, ait, *est luxuria*, & Hieronymus: *quid ardenti*, inquit, *carpusculo fomenta ignium ministramus?* Non ullum crimen vini est, sed culpa bibentis. Non ferri scelus est, sed sicarii, & grassatoris. Neque Græcas Litteras rectè damnavit Cato, quas ille idem in senectute discere, imò, & sapere cæpit.

Neque puellarum pulchritudo in culpa est, sed intemperantia nostra. Non erant Alexandro dolori oculorum (ut ipse ajebat) Persicæ puellæ, sed mens prava, & perturbata. Nec naturam meritò convenit, & accusat Plinius, quòd nos non armavit cornibus, ungulis: non vestivit pilis, setis, corio, crusta, testa, cortice. Hoc est quòd non fecit nos ultracedermos, aut lubricos, indo-

indociles, & duro robore natos, aut lapideos ad exemplum Niobes, aut natorum Deucalionis, & Pyrrhæ.

Novimus quales fuerunt Græcorum oratores Demosthenes, Æschines, & hic de quo dictum κακοῦ κόρακος κακὸν ὠὸν, ii quos arguit, Socrates, qualesq; urbis Romæ summi oratores, & cives nobilissimi Crassus, & Hortensius, vel ipso Cicerone teste. Non enim turpe erat eo tempore apud Romanos primores urbis orare causas. Certè ab uno, & tam grandi falsi testamenti crimine possunt deprehendi illorum mores, qualesq; sint hodiè recentiores Rhetores, hoc est Causidici, ut dixi.

Nollem, Summonti, errare, aut, quod deteriùs mihi videtur, pugnantia dicere, hoc est, præstat per dialogum, quàm per epistolam, aut acroamaticè scribere, quod possis pugnantia dicere sine nota. Nescio equidem, an credendum sit Plinio Juniori, qui asseverat, nos nonnunquam ex arte, & re quam tractamus, aliquod vitium contrahere. Ait enim, nos qui in foro, & veris litibus terimur, multum malitiæ, quamvis nolimus, addiscimus.

An quod experientia compertum habemus, falsum esse putemus? Videmus enim ex militari Disciplina viros fieri glorioſos, jactabundos, rapaces, audaces, superbos, contumelioſos, crudeles: ex Mercatura vaniloquos, periuros, mendaces, fallaces, insidioſos: ex Medicina leves, vanos, intemperantes, mulieroſos, & sibi invicem detrahentes, & (ut dicunt) parabolanos: ex honoribus, & magistratibus, & Principum, & Populorum gratia, & favore supercilioſos, ambitioſos, inferiorum, æqualium, imò, & superiorum contemptores. Unde rectè Propheta ait. *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis*: ex Rethorica contentioſos iniustos modò harum, modò illarum partium patronos, mendaciorum conciatores, & fautores, satoresq; litium, & dorophagos, & lucri cupidos, exemplo, & Crassi, & Hortentii: ex opulento sacerdotio ubi effundere decet opes Ecclesiæ, avaros, & tenaces: at ubi, & quando, & quibus non oportet, profuſos, venales, lascivos, libidini, & gulæ deditos, ignaviæ: officinæ ferè omnes, & qui servîles, & voluptarias artes exercent, &, ut Terentius ait, lanii, coqui, & ii quos banausos Aristoteles vocat, nihil possunt habere ingenii.

Philosophia si ea vera sit, non ficta, & fucata, & quæ re, non verbis, & vestib. constet, sola est, quæ verè homines & verè justos facit, *sub quo uno nomine* (ut Aristoteles, & divus Hieronymus ait) *virtutes omnes continentur*. Detur, ut diximus, non arti, sed artifici culpa, dummodò non negemus artes, exercitationes, negocia, consuetudines, nonnihil posse ad benè, aut malè vivendum. Ideò ille qui omnia novit, non solùm prohibet ad benè instituendos pueros malorum conversationes, sed aures, & consuetudine audiendi, & oculos à consuetudine videndi turpia. Quapropter abhominanda est illa ab impurissimo homine Romano Principe Heliogabalo turpis, & impudenda, & obscœna licentia vindemiarum, & inhonesta omnis pictura, quæ omnia plus exemplo quàm peccato nocent.

Cur, quòd antiquis, aut jocari, aut lacessere, aut vera dicere licuit, nobis non licebit? An quòd illi callidè, & per dialogos quasi in scena, aut antiqua Comedia loquentes si quid erat, aut paradoxum, aut asperum, aut rationi minimè consentaneum, aut difficilè persuasu, quod vulgi, aut potentum aures pungeret, aut à communi hominum consensu dissentiret. Id ut invidiam fugerent, vafrè, & astutè personis quibusdam dicendum committebant, ut alienis periculis ictus evitarent?

Quot, & quanta contra justitiam scripsere Plato, Aristoteles, Cicero, Carneades, Pyrrho, Menander, Euripides, Aristophanes, Plutarchus, contemptorq; Divum hominumq Lucianus, & potenti Flaccus amico circum præcordia lusit. Sed cautè, & scenicè, ut dixi, per alienas personas, non secus, ac si quis aliena bucca, alieno spiritu inflatis tibiis, ipse suis Obgotis modulationem concinnaret.

Salustius ut Romanus apertè in mores Romanos invehitur. Livius Patavinus timens, ut puto, potentiam Romanorum, cum Romanos interdum carpere vult, non sua ipsius, sed aut Hannibalis, aut Sannitum, aut Philippi, aut sub Aetolorum, aut aliorum persona id facit.

Nemo aptiùs corripuit mores hominum, quàm viri Sancti Prophetæ, & Philosophi, quorum verba spicula acutissima sunt, & acerrimo veneno, hoc est, ipsa veritate illita. Gallisthenes Alexandri mores palam execrabatur, Anaxarchus Nicocreontis Cyprii, Socrates Athenienſium. Cato ille severus vitiorum insectator, & Romanæ probitatis exemplum, non solum corripiebat vitia, sed apud Senatum, & Judices deferebat, & accusabat, & ut ad nostros redeamus, Joannes ille, non Apollinis, sed Christi judicio optimus judicatus, Herodem sceleris arguit.

Novi, Summonti, eos qui benè, ac justè vivunt, qui castigant turpia, patere semper malorum morsibus. Quæ crimina Socrati non tributa sunt? Dominum nostrum, Petrum, Paulum, Boetium, Aristotelem, falsi testes accusaverunt. Joannes ille idem heros, & monstrorum, hoc est vitiorum domitor, insaniæ insimulatus est. Ait Hieronymus: *Castigans crimina factus sum criminosior*. Ideò nè vera tacebimus, quia timemus nè falsa nobis obiiciantur? Usque adeò nè consenuere secula, & hominum ingenia, ut aliquibus ex nostra Minerva dicere, aut facere nequeamus? An nobis non licebit, nisi per alienos calles, & per aliena vestigia incedere, aut nostris oculis videre, nostris auribus audire, sed alienis? Magnos, & excellentes viros fuisse Veteres, ut qui amator sum, & admirator Antiquitatis non negaverim, sed tamen homines.

Tantum ego tribuo humanitati, & facilitati tuæ, Summonti, ut sperem à te dari veniam audienti aliquid mihi arrogare. Quin-

tilia-

tillianus inquit, illa gloria Romanæ togæ. Si nostra vidisset, elegantiùs, politiùs, ornatiùs, copiosiùs, & magis Latinè, magis Romanè dixisset, & dicendi subtilissima, & copiosissima arte confutasset: concedo hæc, & plura, si velit Valla: sed per Deos, ut mihi persuadeo, non veriùs, aut eruditiùs, aut meliùs, aut scripsit, aut vixit.

Nondùm enim orthodoxam Christianam philosophiam, nondùm Aristotelem, hoc est, Parentem sapientiæ, Latinitas noverat. An medicorum præcepta negligemus, quoniam ægrotantium plurimi rebelles, & contumaces sunt? An ideò Philosophia morborum animi Medicina abiicienda est, aut vitia non detestanda, quoniam offensum iri aliquos putamus? Amicus Socrates, amicus Plato, sed sanctiùs est veritatem præferre, & amicitiæ, & potentiæ: quoniam veritas Deus est. Et in sacris codicib. *Pro anima tua ne confundaris dicere verum*. Ibidem: *Usque ad mortem certa pro justitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos*. Optarem, si qui mea lecturi sunt, quòd viderint primò divinam Scripturam, quæ fons est salutis, & benè beatèque vivendi norma: Denique Platonica, & Aristotelica dogmata. Deinde explicent omnes vires suas in expugnando Galateo, & si non mea virtute, fortasse adversariorum ingeniis famam adipiscar.

Nonnullos hostium virtus claros fecit etiam victos. Laudatur Annibalis virtus, non minus apud Carthaginem victi, quàm apud Cannas victoris. Hic prudens, at non sine hostis culpa vicit: Ibi non ut ignavus ab invicto hoste victus est. Non esse bonum Medicum, aut bonum Oratorem, inquit Aristoteles, eum qui voto suo potitur, sed eum qui ex contingentibus arti suæ nihil omiserit.

Omnibus in rebus non eventum, de quo fortuna judicat, sed animum, & industriam spectant sapientes. Ignotus esset Antœus, ignotus, & Patroclus, nisi cum fortioribus pugnassent. Turpe quidem videtur vinci iis, qui pervicacis sunt ingenii, fateor: sed interdum cum potentiore, aut sapiente contendisse decorum est. Qui ratione vincitur, non victus vocari debet, sed victor.

Pœnam ignorantiæ esse censet Socrates, didicisse, quæ quis nescierat. Non secus, ac si quis ægrotus ratione victus, & persuasus à Medico sanitatem consequatur: quæ tantùm animi sanitati cædit, quantum corpori anima præstat. Est enim ignorantia morbus animi teterrimus, quæ omnium morborum parens est, & nutrix. Idem ille modestissimus pollicebatur, non obscurum esse eum, à quo ratione victus esset, se ab illo beneficium maximum accepturum.

Certè Galateus non is est, qui nec vinci, nec refelli patiatur: noverunt, qui mecum versati sunt, testor conscientiam meam, sæpè me ex sententia dimovere indoctiores, & vetulæ. Nefas putavit idem Socrates, nedùm contradicere, aut succensere, sed vera dicenti non assentiri, idem quod falsa dicenti assentari, quorum utrunq; perniciosissimum est in vita.

Sed ut in cæteris rebus, sic, & in persuadendo non nihil juris habet fortuna. Est ex hierographia sententia simplex quidem, attamen verissima: Dives locutus est superbè, & justificaverunt illum: humilis deceptus est, insuper, & arguitur. Loquutus est sensatè, & non est datus ei locus: dives loquutus est, omnes tacuerent, & verbum *illius* usq; ad nubes perducent. Pauper loquutus est, & dicunt: Quis est hic? & si offenderit; subvertunt illum. Nec minus peccatum esse sentio, veritati non assentiri, quàm veritatem non tutari, per qua defendenda tot Martyres Christi, tot Prophetæ, tot Philosophi mortui sunt.

Sed ego nolui, ut dicunt, potiùs culpam deprecari, quàm culpa carere. Profectò non possumus culpa carere, nisi aliquid non scribamus: & quantò veriora scribimus, tantò magis obnoxii sumus ad culpam deprecandam. Odiosa enim, ut dicunt, suaptè natura est veritas, imò potiùs nostra culpa.

Novi te æquum, & mitem, non severum, aut tetricum in causis amicorum. Quapropter tui sit arbitrii omnia nostra aut oculere, aut ostendere, aut castigare, aut servare, aut spongiæ donare, aut Vulcano fabrorum, & emendatorum sapientissimo, si pro re mea tibi videtur: nec putes me de me tam magna sentire, ut cum Propertio dicam,

. . . . *tam docta periere tabellæ*.

Ego jocatus sum tecum, scis enim quantum mihi placeat illa Socratica ironia.

Cognovi culpam meam, quam satis superque deprecatus sum in epistola, quam ad te scripseram. Eam si legeris, eo animo quo soles mea, vici, absolutus sum, tacitis, & futuris quæstionibus respondere, & diluere ibi conatus sum errorem meum, si error dici potest, vera pronunciare. Quem errorem, qui arguet, sciat se Galatei verba, non mentem, aut mores arguere. Non ego, sed tenuis vapulat umbra mea. Verbis atrocem fuisse Marcum Catonem, inquit Livius, moribus autem mitissimum, & hoc quoque Græcis imputat idem Livius, lingua quàm factis esse ferociores. Bene Vale. Callipoli, pridie Idus Decembres.

ANTONII GALATEI
AD ACCIUM SINCERUM
SANNAZARIUM;
DE
VILLA LAURENTII VALLÆ.

APud Nicetam sum, mi Acci: hoc ad ripas Jonii. Acroceraunios montes æmula cœlo juga perspicio. At tu felix hinc Vesuvium, hinc Hermum, illinc Capreas, illinc Athenæum, & illum Cratera ocellum terrarum. Ah Mergelline! ah Pausilypon! ubi est ille Piscator, qui mihi canat per amœnos scopulos

Digitized by Google

pulos docta illa, quæ nuper ipse fecerat, carmina? O ubi est ille villicus Mergellines? occurrit mihi sæpe imago illius agelli.

Is est villa nostri Vallæ, in aprica valle sita, ad montem affixa, seu potius appensa. Villa difficilis est aditu, à monte non potes sine periculo descendere, nisi aut volutari, aut turbinari velis. A mari præruptæ rupes sunt, inaccessibilis est locus, etiam ipsis Piratis. Occulti sunt tamen, & præcipites calles, quos tantum furax, & famelicum hominum genus piscatores noverunt.

Infra villam sinus est, quem duo scroteria faciunt. Tanta est, ut rectè dicere possimus, eam vix ampliorem esse epistola Laconica, & illud Poetæ,

Sed rus est mihi major in fenestra.

Ambitus totius sinus ab altero in alterum promontorium unius stadii est, sed non quod Hercules apud Pisas mensus est, sed quantum ego, qui obesi sum corporis, uno spiritu citato gradu pertransire possim.

Sinus emporium est piscatorum, capit biremes septem, biremes tamen avidas, non eas, quæ in singulis transtris binum habent remorum ordinem, sed quæ ex utraque parte singulos habeant remos: posses si velles lintres appellare.

Villæ maxima longitudo à promontorio in promontorium est: latitudo quanta ipsum Vallam dormientem capere possit, (est enim pinguiusculus) neque hoc sine periculo. Nam si incautus inter dormiendum se in alterum latus voluerit, nisi aggeres, aut repagula sint, Valla apud Neptunum Deus fieret.

Villa quando bonus est proventus tritici, semodium fert: itaut Vallæ una prohorreo possit esse cucurbita. Vini, quantum convivæ, qui non sint nimis combibones, neque superent numerum Musarum, uno sympolio absumere possint.

Rosas, violas, jacynthos, narcisos, amaranthos, & omnis generis flores odoratos gignit. Sed tanta copia est, ut neque uni puero ad corollam satis sint, neque medio apum examini ad pabulum. Fructus præstantissimi saporis, sed qui una cistella condi possint. Uvas passas non abnimiles Mafficis tuis: tantaque est feracitas beati ruris, ut nunquam impleat sex convolvula, seu involucra siculneorum foliorum, quibus è montibus Mafficis, hoc est, avita proavorum tuorum ditione deferunt illas suavissimas uvas passas, quas sæpè mihi in secundis mensis servuli tui appesuerunt.

Infra villam antiqua sunt excavatis montibus vivaria. Sed adeò exhausta ex illo tempore sunt maria, ut vix unum senem piscem invenias. Juniorum turba maxima. Pisciculi minuti quingenti vix libræ pondus faciunt. Nec dubitat noster Valla, inter villæ suæ cetera bona, quotidiè nobis polliceri tantum piscium, tantumque cymbarum.

Fœlix villa, mare habet proximum; sed quia non sine periculo descendere potes, remotissimum à monte arduum, & inaccessum, & invium: plenum habet quidem, sed qui duos viros ad deambulandum vix recipiat.

Villa in Austrum versa, solem Orientem accipit. Prima villarum prodromos Etesiarum flatus, aut Tropæo admittit, ubi Apogei semper silent. Prima sentit vernos Zephyros, limpidos, ac recentes, ut è mari prodeunt, nec nubis crasso aere, & nidoribus vitiatos. Tanta soli fœcunditas, cœlique temperies est, ut nemo ibi unquam moriatur, quoniam ibi habitare nemo potest.

Nuper quum villicum Valla conducere vellet, hæ conditiones ultro citroque datæ sunt. Villicus, villicaque rem rusticam probè, ac strenuè agunto. Dominum quamvis mitem mansuetique ingenii, timento, venerantoque. Fruges servanto. Arma rustica suis locis, suoque ordine disponunto. Dolia cum bonus est vindemiarum proventus optimè secundum legem picanto. Mensas, vasa, supellectilia que omnia fideliter, ac mundè, ut bonum virum, bonamque mulierem decet, custodiunto. Rem divinam diebus tantùm festis, ut cæteri boni coloni, faciunto. Aves, mures, ac fures arcento. Neminem injussu domini villam ingredi sinunto. Contraque Valla Medicum Chirurgicum conducito, ut si quod ex præcipitio membrum luxatum fuerit, aut fractum villico, aut villicæ, aut pueris, Valla impensas omnes administrato, curatoque ut bene sit villico, villicæ ac pueris. Præterea Valla funes emito, quibus villica pueros suos medios ligare, ut porcellos possit. Is enim mos est apud Thurios, ac Materanos, qui in præcipitiis, & cavernis montium, ut Troglodytæ vitam agunt. Multæque hujuscemodi adjectæ sunt conditiones.

Multaque præterea sunt feracis, ac salubris villæ bona: hoc tantum malî est, quòd villa (nescio quamobrem) nullum habet aditum, nimirum virtuti nunquam aditus, malis ubique patent fores. Solus tuus, meusque heros Fredericus virtutis cultor hunc aperuit aditum. Dedit Vallæ semitam per mediam Mergellinem, qua se in villulam suam, recipere posset.

O fœlix Valla, cui satis est parva villa, non tibi placent Licinii campi, non Apuliæ lata rura. Solus in tanta turba crassantium Philosophicos sapis mores, qui nec verba vendere, nec mentiri novisti. Fœlix, & quisquis contentus parvis, minora desiderat.

Prodigiosa (si verum fateri velimus) res est humana mens, quæ in tam parvo ergastulo clausa, non potest ipsis mundi finibus contineri. Magna possidet, majora desiderat. In infinitum abit ista cupiditas, quodque naturæ negatum est, ipsa sibi falsò promittit. *Telos.*

AN-

Digitized by Google

ANTONIUS GALATEUS MEDICUS,

In Alphonſum Regem, Epitaphium.

INferias tibi Dive Alphonſe facio; tumulum erigo de puro ceſpite, fingo inanem ſepulchrum, inſtauro funus, cineres, & manes condo (altera enim pars jam ſuperos tenet) arenam aggero quam altiſſimè poſſum, in hac ripa Jonii maris, in hoc viridi campo, in hoc angulo terrarum: quem tu à Barbaris tutatus es. Impono tumulo lapidem, in quo ſiquando ad hæc deſerta littora fortè acceſſerit, & nauta, & viator, legere poſſit hæc pauca verba. Alphonſus Secundus Apuliæ Rex, Ducum fortiſſimus, ex antiqua Gothorum Hiſpaniæ Regum progenie, hic ſitus eſt. Vixit annis XLVII. D. XIIII. D. M. S. Alii tibi, qui maximè meritus es, in illuſtri loco ſtruent Mauſoleum: at ego quid poſſum juxta perſolvo. Prætendo tibi pullam veſtem, promiſſam barbam, fundo pias lachrimas, fletus, nænias, lucubres voces, & veros, quos è cœlo audias gemitus: & verba incompoſita: ſed teſtantia gratitudinem animi mei, ob accepta à te beneficia. Erunt qui tuas laudes carminibus (ut par eſt) in cœlum tollant, mihi fas ſit monſtrare affectum, & mærorem meum, & inter has ſylvas, inter hæc dumeta: ubi rarâ ſunt hominum veſtigia: inter Satyros, & Faunos, inter Dryadas, & Napeas, quarum ſtudio tenebaris, quandoquidem, ut & fortunam, ſic & homines immemores beneficiorum, infeſtos habuiſti. Liceat incuſare Deorum ſævitiam, qui teterris invidere, qui te nobis abſtulerunt. Proh dolor noſter Alcides, noſter Achilles, decus Italiæ, Turcarum terror, noſtrum Aſylum, refugium calamitatum noſtrarum, Alphonſus obiit: quinimò ad ſuperos abiit, nos miſeros reliquit: ò quoties Alphonſum invocabimus! Ut nam ſim falſus vates. Italia, imò tota Chriſtianorum Reſpublica ſentiet quantus fuerit ille, inviſus inſanæ fortunæ Alphonſus, quæ ſæpe bonis invidet, malos extollit. Quot tyranni diu imperaverunt, quot boni, & utiles Reipublicæ principes citò extincti ſunt. Achillem Græcorum gloriam, æternis carminibus celebratum: Alexandrum illum Macedonem domitorem Orbis: Titum delicias humani generis: Alexandrum ſanctiſſimum Principem Romanum cita mors abſumpſit. Ego lugeo, ego deploro obitum tuum Alphonſe. Tu inter divos vitam agere beatam cœpiſti, jam rides ſtultitias, & vanitates humanarum mentium, & futuri præſcius temporis, perſpicis, quantum Chriſtianus Orbis tibi ſe debere ſuo malo fatebitur. Jam nunc habitas eam cœli partem, qua locus Erigonem inter chelaſque ſequentes panditur. Ipſe tibi jam brachia contrahit ardens Scorpius. Hic Oriens te mundo edidit hæroa fortiſſimum, cautiſſimum ducem, juſtiſsimum Principem, ſed non ſatis fortunatum. Hic te ſuo Marti dedit, vix tertium decimum ætatis annum agentem, apud Brutios primum galeam, loricam, thoraca induiſti, in illo heu fatali tibi bello Gallico; quo Ferdinandus pater tuus vexabatur. Qui ut diis viſum eſt, Gallos è regno ſuo pepulit: tibi cætera deinde bella commiſit. Cognovit Rex omnium ſententia ſapientiſsimus judicatus virtutem tuam. Juvenis adhuc, victis in agro Piceno hoſtibus, triumphaſti: in bello Hetruſco, in bello Ferrarienſi, quantum in re bellica valebas, oſtendiſti. Quid dicam de illa memorabili Hydruntina expugnatione? Quid de bello Turcarum, in quo & patri regnum, & Italiæ libertatem, & Chriſtianis omnibus, auſim dicere, ſalutem propria virtute tribuiſti? Cùm regni proceres in patrem tuum conjuraverunt, tu finibus extorris expertus extrema omnia, undique auxilia comparaſti. Tandem victor, rebelles omnes patri tui imperium ſubire coegiſti. Deinde mortuo patre tuo, exitiale Italiæ (ut fato datum eſt) bellum Gallicum contra te motum eſt: nulla injuria, nulla, aut tua, aut patris, aut majorum tuorum culpa, ſed Italiæ vitio. Liceat mihi petita ſacræ parentis venia ad leniendum dolorem meum paululum inſanire. Non eſt hæc illa Deorum Mater mundi, domina terrarum, caput Italia: ſed perfida, infida, diſcordiarum nutrix, officina ſimultatum, lupanar Barbarorum, ſacerdotum ſcortillum, orba viro, meretricula externis proſtituta gentibus. Hæc in ſui perniciem Gallos accivit. Illi Alpes, ſaluberrima, ſi nobis bonam Dii mentem dediſſent, Italicæ libertati juga transcenderunt, ſeu noſtro fato, ſeu noſtris moribus, ſeu quoniam Gallorum animi novarum rerum ſemper cupidi, & ingenium ſuapte natura avidum ad bella capeſſenda, percurrunt Italiam, portis ubique Patentibus. Pudet dicere, nullo uſquam occurrente hoſte, jam jam regnum tuum invaſuri erant. Tunc viſæ ſunt noſtrorum volubiles, & inſciæ ſui montes fluctuare, & nova juga optare, ut vetera deponerent juſſa aliena pati, & dominos expoſcere Gallos. Tu qui immaniſsimam, & efferatiſsimam Turcarum gentem, non horrueras, nec Gallos timuiſti. In illo bello, non niſi externos hoſtes habuiſti. In hoc plus tibi amici nocuere quam hoſtes. Ceſſiſti Gallis pro tempore imitatus bonos nautas, qui cum ingruentem tempeſtatem ſentiunt, nunc latere fluctus excipiunt, nunc puppi, nunc prora, nunc enituntur, nunc cædunt, & quò fluctus, ventuſque trahunt, ſequuntur, ut demum ſedato maris tumultu, fœlicem curſum arripiant. Ceſſiſti Gallis, majora animo voluens, expectans dum rapaciſsimus fortunæ impetus ceſſaret. Unus tu nobis cunctando, ut reſtituas rem. Jam eò redacta res erat, ni te immatura mors rapuiſſet. Sunt qui in armis mori pulchrum putant: mihi placet illa Demoſthenis ſententia; εἰρήνη μὲν

Digitized by Google

φεύγω καὶ πάλιν μαχήσομαι. Quidam ex progenitoribus Alphonsi nostri Hispaniæ regibus, cum victus incusaretur, quòd non deceret Regem fugere, sed potiùs honestè mori, respondit, se cum majori, & meliori exercitu mox rediturum: Peripatetici ne in maxima quadam calamitate moriendum esse censent. Temerarii hominis est velle mori, ne moriatur Moriendum fortè esset perditis penitus rebus, cum nihil spei penitus sit. Romani, capta, & incensa a Gallis urbe, se in tuta loca receperunt, nec obstiterunt fato urbis Romæ: tandem & ipsos Gallos, & totum orbem subegerunt. Paulus in Cannensi clade, cum fugere posset, ab hostibus oppressus est, & hostibus gloriam peperit, quod Romanum consulem occidissent. Terentius a Senatu laudatus, quod de Republica non desperaverat. Romanæ legiones ad furcas Caudinas necessitati parere coactæ, sub jugum missæ fortiùs deinde pugnaverunt. Actum esset de Re Romana si obiissent. Athenienses oraculo moniti, urbem suam Persis reliquerant, & aliam, quàm in terra, fortunam in mari experti sunt; Lacedæmonii verò ad Thermopilas strenuè pugnantes occubuerunt. Illi fugiendo universæ Græciæ salutem: hi moriendo inanem tantum (ut ita dixerim) gloriam, & in tragœdiis lamentationes sibi comparaverunt. Rex regum Darius fugit juvenem ferocem, & primis fortunæ statibus exultantem. Visum est potentissimo regi, & fortunæ cedendum, & serviendum esse tempori. Pompejus magnus post tot claras res gestas, victus à Cæsare fugit in Ægyptum, & pejorem hospitem, quam hostem invenit. Cato ille severus, & sibi crudelis, nec mori timuit, nec fugere victrices partes recusavit. Victus Annibal suam Carthaginem in hostium potestatem deservit, aufugit in Asiam, nec turpe putavit ignotis regibus servire, nova contra Romanos reparaturus bella. Ne longè exempla petantur, Divus Alphonsus Aragonum, & primus Apuliæ Rex, avus Alphonsi nostri primum regno pulsus: deinde navali prælio victus, & captus ad Philippum Mediolanensium ducem ductus est; & is in quorum potestatem devenit, non fractus animo admirationi habitus est: ad postremum victor evasit, & longo tempore tam felici pace, tam gaudente proventu rerum regnavit, ut verè dicere possimus, quod aurea illo sub Rege fuere secula.

Sic placida populos in pace regebat:

Ejus filius Divus Ferdinandus acie victus ad Sarni fluenta, exutus castris cum paucis Neapolim se recepit. Inde paulatim reparatis copiis, hostes apud Troiam Apuliæ Civitatem ingenti prælio fudit. Demum aut mortuis, aut profligatis hostibus diù feliciter regnavit. Manfredus Rex, quia se, suumque regnum fortunæ incautus commisit, una acie, & regnum, & vitam amisit. Hujus cadaver per castra hostium circumlatum, & hostibus ludibrio, & à sacerdote, nescio quo, diris execrationibus diis inferis devotum fuit, & pulsum ultra fines regni: relictum avibus, & feris laniandùm. Constantinus Græcorum, sive Romanorum Imperator, Turcis in urbem irruentibus, se in mediis hostibus morti devovit: quo facto, & se humanis curis, & calamitatibus, & hostes metu liberavit: sibi consuluit, suis, & Christianis omnibus spem recuperandi imperii ademit. Si se servasset, fortasse Deo, & Christianis Principibus auxiliantibus, in suum imperium rediisset. Forti viro omnia tentanda sunt, priusquam, ut Poeta ait, moriatur. Qui citò moritur, hostibus victoriam parat, & cum fortuna non audet luctari. Numantinorum, Saguntinorum, Cantabrorum, & aliorum quorundam Barbarorum decantata facinora, uxorum, & liberorum neces, pyræ, laquei, venena, gladii, non fortitudinis indicia, sed exempla sunt tragica, & barbaricam sapiunt amentiam, & immanitatem. Secus Carthago illa imperii Romani æmula, post tot de Romanis acceptos triumphos, fatorum necessitati paruit, in ditionem Romanorum venit, & servire potiùs maluit, quam penitùs deleri. Orthodoxa Christianorum dogmata eos, qui suæ necis causa sunt, quia projecerant animos, qui seipsos interimunt, honore sepulturæ arcent inhumatos, antequam profanos abiiciunt: quod apud omnes gentes est, & fuit semper abhominabile. Illud:

"Pulchrumque mori succurrit in armis;

Et illud:

Moriamur, & in media arma ruamus;

Verba poetica sunt, & vulgò admiranda. Qui ea cecinit, Brundusii in lectulo morbo interiit: & is sub cuius persona hæc dicta sunt, mulierculæ fabulam narrabat, & tamen jactabat se

Mediosq; fugam tenuisse per hostes:
Qui deserta patria, Italiam profugus venit
Genus unde Latinum,
Albanique patres, atq; altæ mœnia Romæ.

Si in armis, ut prædicabat, mori voluisset, si quæ promittebat effecisset, nec Roma, nec Alba stetissent. Quotiès vidi ego te Alphonse, his oculis apud Hydruntum inter primos pugnatores immixtum Turcis, vidi ego te pro muris armis splendentem, impavidum inter lapides, inter sagittas, inter tot tormentorum genera acriter pugnantem. Nunquam declinabat pericula; prudens, sollicitus, impiger, strenuus, ferox, caloris, rigoris, vigiliarum, laborisq; patientissimus, & ubi res tempusque poscebat, nullis non periculis semper te, quantum nemo ex stipendiariis militibus exposuisti: vidisti exercitum tuum continuis itineribus, & tempestatibus ante hostium adventum jam fractum, quosdam ex tuis non satis fidos: non tuæ igitur, sed tuorum saluti, ut bonus Rex, consuluisti. Sapientis viri est, & vires suas pensitare, & quò se fortuna inclinet

cognoscere. In proverbio est: Decertare, & vinci nemo non potest. Invidebat virtuti tuæ Italia, externos admisit: tu inexplicabilem invidiam haud alio modo vinci posse, quam cedendo existimabas. Ita res evenit, cessisti, cessavit invidia, omnis in auxilium Ferdinando tuo convenerunt. Ille acer, ille inclitus juvenis, & terrarum imperio dignus, jam regnum tedet cum patruo, imò cum patre suo Frederico, viro, & bello, & pace insigni, quæ imitatus est exemplum sanctissimi Regis divi Ferdinandi pro avi sui, qui nepoti suo regnum tam bona fide servavit, & auxit. Sed nescio an fas sit dicere: hic illum pietate superavit: ille pacato, hic everso penitùs Regno, nepoti suo subvenit, patria, uxore, liberisq; relictis. Ohe jam vertit fortuna suas vices, jam regnum tenent, & quod felix faustumq; sit, tenebunt: & nati natorum, & qui nascentur ab illis. Tu verò Alphonse dive, cum cæteris diis, & illis, & nobis semper dexter aderis. Sed quis est hic ululatus, quæ sunt illa suspiria, solus sum, & in solis locis, tamen respondent omnia sylvæ: Nymphas ululasse ad meos fletus puto, quas tu coluisti. Plorate mecum Nereides, & tu non immemor antiqui doloris mater Theti, quæ hæc Adriatica æquora colis: meministis, & vos nymphæ vidisse has undas Turcarum sanguine rubentes, quum Neptunus tridente suo barbaram classem agitans, Italiam servavit. Testantur hæc litora, testantur hi fluctus: en omnia candicant ossibus. Plangite Napeæ, & Naiades puellæ, & tu qui tam longè abes Sebethe pater deliciarum, qui apricos, & semper florentes lambis campos, cui notus, cui tam gratus eras. Quis te ditavit? Quis te excoluit? Quis te novis honoravit arboribus? Cui magis placebant fontes, & prata virentia, & nobiles horti? Non ille carminib. pectatum canentus Alcinous, non Hesperidum horti tecum, ò Alphonse certare potuissent. Qualis eras in extruendis arcib. qualis in instaurandis templis, qualis in ornandis domibus, qualis in omni regio apparatu, omnes noverunt. Omnes nobiles sculptores, pictores, architectos, omnes deniq; artifices ex tota Italia, imò ex toto orbe, in regnum tuum magnis, & munerib. & sumptib. contraxisti: Bibliotechas ex omni genere librorum comparasti: quales nec Ptolemæos habuisse crediderim. Illustrium virorum, quorum mores admirari, atque imitari solebas, etiam imagines venerabaris: duces, milites, profectos navium, non aulim dicere quanto amore amplexatus es: Poetas, Oratores Legis peritos, Philosophos, Religiosos, & probatæ vitæ viros, Theologos, Medicos, semper ut parentes coluisti: deniq; ubi cunq; terrarum fuerat vir, qui ingenio valeret, subitò in tua retia incidere compulisti. Quid dicam de cultu, & pietate erga Deum immortalem, de pietate, & reverentia erga Parentes: non fuit vir qui sanctiùs Deum coleret. Non fuit filius magis obsequens patri, quàm Alphonsus: nemo filios, nemo fratres, nemo amicos, nemo fœderatos constantiùs amavit. Dii immortales, quid illi profuit tam diligens religio? Quid pietas erga parentes? Quid musarum cultus? Quid recti observantia? Quid benignitas? Quid comitas? Humanitas, & facilitas, qua cæteros Principes superavit? Quid tot animi virtutes? Profectò, ut dicunt, quando bona opera nunq; carent sua mercede, hæ tibi Alphonse cœlum dederunt, te Deum fecerunt. Te igitur diuum appello, tibi rictatus procedo, tibi aram statuo, & tuum supplex numen adoro. Tibi sacra, tibi divinos, ut cæteris diis honores offero. Tu lætus accipe, tu exaudi præces meas, & votis jam nunc assuesce vocari. Ego quod possum Alphonse offero ad tumulum ardentes tædas, odoratas lauros, myrtos, & cupressos benevolentes, ex vicino tractu herbas. Tibi flores spargo, rosas, violas, hiacynthos, & immortali tibi immortales amaranthos; nec deerunt posthac qui incendant ad aras benemerenti tibi Indicos, & Arabicos odores. Vale æternum Alphonse, & deos nobis Deus ipse propitius facito.

FINIS.

Digitized by Google

D. PAULI ANTONII DE TARSIA,

Doctoris Theologi, Abbatis S. Antonii Cupersanensis, & Academici Ocioſi Neapolitani,

HISTORIARUM CUPERSANENSIUM

LIBRI III.

Editio poſtrema, nævis & mendis purgata.

Digitized by Google

Digitized by Google

EPISTOLA DEDICATORIA.

INVICTISSIMO AC POTENTISSIMO,

IN UTROQUE ORBE MONARCHÆ,

PHILIPPO

HISPANIARUM REGI,

Hujus nominis IV. cognomînis MAGNO, ejusque Supremo Italiæ SENATUI doctrina, & integritate, maximo, adhecasto.



Istoriam hanc meam (*Philippe* Rex, Potentia MAGNE, Religione MAJOR, utraque MAXIME) utpotè multis tibi debitam nominibus, sub auspiciis tandem depromo tuis. Vetusta siquidem *Cupersanensis* Urbis, Patriæ meæ, ornamenta, ex te, majoribus accepta tuis, haud alii præcipue consecranda, nisi uni tibi; ut optatum scilicet gratitudinis specimem referant, in id redeuntia, unde exordia sumpsere. Et licet perpetuitatis secum omnia ferant, Cupressi etymo (unde & Urbi nomen) hieroglyficè expressa; nihil tamen illis firmius accesserit, nisi quod ex *Austriacis* tuis mutuaverint fulgoribus. Sed quæ, quantaque illa sint, ex innumeris, quo enitet, privilegiis, prærogativisque apparet; vel inde etiam (Rex Invictissimè) conjicies, quod Regiis tantummodo Heroibus, fasces submiserit *Cupersanum* suos. Comitis siquidem titulum (prætermissis, quæ Gentilium tempore, Patriis, superstitiosis licet, insequendis ritibus, quà nobilitatis, quà Religionis præ se tulerit) inter primas citimæ *Hesperiæ* Urbes à *Normannis Tancredi* filiis accepit, haud alia, quam propria, id potestate indulgente; unde, & *Inclyti* cognomentum *Cupersani* olim Comitibus adscriptum. Primi, qui *Cupersanum* imperio tenuere, *Goffridus*, *Alexander*, *Robertus*, *Rogerius*, & *Bernardinus* ex alta ejusdem *Tancredi* progenie. Hosque subsecuta est *Albiria* Comes, *Tancredi Siciliæ* Regis filia, eiusque vir *Galterius* Comes *de Brenna*, *Joannis Hierosolymorum* Regis germanus. Post fatalem hujus diem Comitatum obtinuit *Galterius* alter ejus filius posthumus, *Elisabethæ Cyprii* Regis filiæ matrimonio conjunctus; mox *Ugo* ejus natus. Dux *Athenarum*, qui *Beatricem de Tarento* ex Regia *Philippi* Principis, & *Constantinopolitani* Imperatoris, *Caroli II.* nepotis stirpe, atque *Galterius III. Athenarum* itidem Dux. Successit his *Margareta Anghiana*, indeque Regia *Lutzemburgiorum* Domus, nam & *Joannes Lutzemburgius Margaretæ* Vir, *Petrus Lutzemburgius*, & *Petrus* alter *Sabaudiæ* Ducis filiæ maritus, *Cupersanam* tenuere Urbem. Exin Comites numerat suos, *Joannem Borbonium Mariæ* Reginæ parentem, *Ludovicum de Enghineo*, *Franciscum Ursinum*, Regio claros sanguine; *Albericum à Barbiano*, militaris artis Magistrum, toto Orbe conspicuum, & *Manfredum* ejus filium; nec non *Mariam de Enghineo* Reginam, *Jacobum Caldoram*, *Antoniumque* ejus filium, natalibus, bello, ac virtute egregios. Præfuit deinde *Cupersano* *Joannes Antonius Ursinus Tarenti* Princeps, & *Catharina* ejus filia *Julio Antonio*

tonio Aquavivæ Aragonio Hadriæ Duci nupta, unde ad *Aquaviviam* Inclytam progeniem ex Imperatorio *Othonis*, & *Auſtriacorum*, ac *Bavariæ* Ducum ſanguine ſatam, noſtra pervenit Civitas, cui ad hanc uſque tempeſtatem paret. Tot igitur præclara Heroibus Patria hæc mea, totque à majoribus tuis cumulata prærogativis, noſtriſque luminibus, etſi non adeo claris delineata, lubens ad te (Rex Potentiſſime) accedit, non enim ſub alio Sole, lucem aſpicere debuerat, quam ſub *Auſtriaco* tuo, quo radios diffundente, vitales illa ex hominum memoria halitus, eoſque perennes hauriet: & Zoylorum flatibus impetita, ſecundo procedet æſtu. Ad genua ergo tua provolutus (*Philippe* Rex Catholice) opellam hanc quamvis exiguam, ne vacuus coram tanto Numine appaream, tibi ſiſto, dicoque. Eam igitur, & Auctorem hilari admittas vultu; Regiaque complectaris dextera obteſtor, Vivas ævum felix, fauſtumque.

MAJESTATIS TUÆ

Addictiſſimus & humillimus
Cliens

D. PAULUS ANTONIUS DE TARSIA S.T.D.

Digitized by Google

D. PAULI ANTONII DE TARSIA,

DOCTORIS THEOLOGI,

DE HISTORIA SUA *PROLOQUIUM*

Ad Benignum Lectorem.

Historia (Lector benigne) testis temporum, lux veritatis, vitæ memoriæ, magistra vitæ, ac nuncia vetustatis, ab eloquentium Principe Tullio *doctè non minùs, quàm prudenter vocata est. Quod profectò quàm constans, quàmve germanum sit, nullus erit sanæ mentis homo, qui mecum non profiteatur. Ecquinam enim lapides, quæ marmora magna licet, ac solida, temporum vicissitudines posteris indicantia, testantiaque, ipsorum injuriis temporum non succumbuere? Una tamen pagella tot calcatis seculis, vivit adhuc, fragilis licet, ineolumis. Ecquinam nobis veritatis emicarent radii, quibus non lateret tenebris involuta seneſcens veritas, ni mutæ loquerentur pagellæ? Ubinam locorum, memoria viveret hominum, nisi eam unus imminente ab interitu calamus servaret immunem? Quibusnam exemplis nostros propositis ob oculos initam vitæ ratiqnem firmè teneremus, nisi bona, malaque, papyraceo in eupro, suis delineata coloribus non exhiberent nobis, humanæ vitæ Præceptrices Historiæ? Ruunt sub aspectum cadentia, fluuntque dies, noctesque: futura nondum novimus, præsentia non tenemus, præterita memoriæ nec succurrerent, nisi ex Historico penario eorum depromerentur imagines. Sed ne* Tullianæ *auctoritati respondentia desint exempla, placet ea in medium sistere; siquidem Historia vetustatis nuncia, ac proinde Lux veritatis, quam summoperè sequi debent Principes, ut se, suosque benè regant subditos. Unde* Carolus Magnus, *Imperatorum Typus Historias avidè legebat, ut veritatem ex illis assequeretur, jussitque in amplissima sua ditione conscribi; earumque lectione quà cœnam, qua prandium condire suum sæpè solebat. De eo hæc* Cranzius lib. II. Saxoniæ cap. 8. Carolus magnus omnium nationum, quæ illi subessent memorabilia gesta, quæ scripta non erant, scribi & mandari jussit; *mox vero;* Carolo Magno Imperatore in cœna, & prandio legebantur Historiæ antiquorum præclaræ. *Nec id certè ob aliud, nisi ut veritatis eum nunquam laterent radii. Hinc etiam fuit, ut* Clemens I. PP. *Regiones septem diviserit Notariis, à quibus res martyrum gestæ accuratè scriberentur, unde ortos Protonotarios testis est Polydorus Virgil.* lib. IV. cap. 11. *de rerum inventoribus, & Platina in* Jul. I. Fabianus *autem sub* Decio, *&* Cajus *deinde Regiones divisit septem Diaconis, qui martyrum gesta literis mandarent. Nec solum Historias, sed Historicos etiam à Principibus amandos, & impensè diligendos, audiendosque, ab uno docemur Imperatore victoriis claro, nempè* Petro Lauretano Veneto, *qui* Fl. Blondum Forolivienſem *Historiographum eximium ob egregiam eruditionem ad se accersit, atque* amplissimis muneribus (*ut inquit Egnatius* lib. IV. cap. 7. Brixiam pertraxit, sibique illum à secretis esse voluit, & præter alia ornamenta Civitate etiam Veneta donandum curavit. *Sed hac præcipuè nostra tempestate, qua omnes interiisse videntur Mecœnates, unus effulget cæteros inter Principes,* Joannes Hieronymus Aquaviva Aragonius

Cu-

Cupersanatium *Comes, qui omnigena imbutus eruditione, Historiam callentes, Virosque prosequitur doctos, & amore, & muneribus. Verum, ut à nemine spernantur Historiæ ob oculos semper habendum* Mahumeti Turcarum *Regis exlegis exemplum, de quo sic* Paulus Jovius Novocomensis *in ejus vita.* Mahumetus II. Turcarum Imp. excellentes in quavis arte viros summoperè dilexit. Impensissimè curavit, ut victoriæ, quibus ipse potitus fuerat, à doctis, atque judicio præditis hominibus conscriberentur, Antiquorum verò Historias continuò legere consueverat. Joannem Mariam Vicentium, Mustaphæ primogeniti sui servum, maximis excepit blanditiis, quod victoriam quam ipse de Usuncassano Persiæ Rege reportarat, Turcico Sermone, atque item Italico litteris mandasset. *Nec modica sanè Historiæ laus est, eam humanæ vitæ Magistrum appellari, idque quam jure, vel inde habes, quod* L. Paulus Æmilius, *Historiis speculorum vice abolitas, è memoria imagines reddentium, uteretur. Audi Victorium* lib. XXXIII. variar. lection. cap. 5. Narrat Plutarchus, L. Paulum Æmilium, qui devicit Persen Regem Macedonum, in ornanda vita sua, & omni virtute expolienda diligentissimè solitum tanquam in speculum inspicere in Historiam, atque ità studiosè semper conatum esse imitari virtutes, & præclara facta eorum, qui illic laudati forent. *Hæc ille. Sed enim verò maximam Historiarum vim in* Claudiani *carminibus liquidò contueberis: sic enim ille* Honorium *Imperatorem ad legendas Historias magnatibus dignas, impellit.*

Interea musis animus dum mollior instet
Et quæ mox imitere legas: nec desinat unquam
Tecum Graja loqui, tecum Romana vetustas.
Antiquos evolve Duces, assuesce futuræ
Militiæ, Latium retro te confer in ævum.
Libertas quæsita placet? Mirabere Brutum.
Perfidiam damnas? Metii satiabere pœnis.
Triste rigor nimius? Torquati despice mores.
Mors impensa bonum? Decios venerare ruentes.
Vel solùs quid fortis agat? Te ponte soluto
Oppositus Cocles, Mutii te flamma docebit.
Quid mora perfringat? Fabius. quid rebus in arctis
Dux gerat? Ostendet Gallorum strage Camillus.
Discitur hinc nullos meritis obsistere casus.
Prorogat æternam feritas tibi Punica famam
Regule: successus superant adversa Catonis,
Discitur hinc quantum paupertas sobria possit.
Pauper erat Curius, reges cum vinceret armis.
Pauper Fabritius, Pyrrhi cum sperneret aurum,
Sordida Serranus flexit dictator aratra.

Hactenus Claudianus, *& luculenter: quibus quidem carminibus quicquid de Historia multis dici posset voluminibus, comprehenditur. Quid autem miramur Historiam vitæ Præceptricem, si nonnunquam eadem, ipsiusmet vitæ vita videatur. Quandoquidem Historiarum lectione, vel valetudinem conferri auctor est* Jo: Bodinus *in proœmio, Eum sic fantem audiamus.* Historiarum voluptas est hujusmodi, ut omnibus interdum corporis, & animi morbis sola medeatur. Testes sunt, ut alios omittam, Alphonsus, ac Ferdinandus Hispaniæ, & Siciliæ Reges: quorum alter a T. Livio, alter à Q. Curtio valetudinem amissam, quam à Medicis non potuerant, lectionis suavitate recuperarunt. Testis est etiam Laurentius Medices (is qui literarum parens usurpatur) qui sine ullis medicamentis (quanquam Historia salutare est medicamentum) a morbo convaluisse dicitur, ex ejus Historiæ narratione, quæ fertur de Conrado III. Imp. qui cum Guelfum Bavariæ Ducem obsidione diuturna fregisset, nec ullis conditionibus a proposita susceptaque Ulbiseversione de-

deduceretur, ad extremum victus nobilium fœminarum precibus, permisit, ut inviolatæ abirent, ea lege, ut nihil ex Urbe, nisi quod humeris possent, exportarent. Tum illæ confidentia majore dicam, an pietate? Ducem ipsum, maritos, liberos, parentes ab humeris suspensos gestare cœperunt. Ex quo Imperator tantam voluptatem cœpit, ut effusis præ gaudio lachrymis, non modo feritatem, & iracundiam ex animo penitùs deposuerit, verùm etiam Urbi pepercerit, & amicitiam cum hoste omnium acèrrimo contraxerit. *Hucusque* Bodinus. *En quanta Historiarum vis: ut vel sanitatem conferre possit. Unde meritò dixit* Alphonsus *Rex: Apud Antonium Panormitam* de reb. gest. Alph. *& Æneam Sylvium* de ejus dictis, *à* Conrado Lycostene relatos: Valeat Avicenna, valeat Hippocrates, & alii Medici, & vivat Curtius restitutor sanitatis meæ: *quia cum is* Capuæ *ægrotaret*, Quinti Curtii *Historiarum lectione delectatus, vi morbi superata, sanitatem adeptus, ut suprà ex* Bodino. *At non sanitatem modo restituit Historia, sed etiam mortuos ferè ad vitam revocat, ut* Nicetas Coniates *lepidè, ac facetè ad rem scripsit*: Quamobrem, haud ab re liber viventium appellabitur Historia, rerumque gestarum descriptio tubæ clangor, quo jam olim mortui velut è sepulchris excitati in medium producuntur. *Sed cum hæc ex una prodire videamus Historia, liquido cognosces, quam injustè* Bonifacius *Vannozius tom.* I. *monit. polit. num.* 493. *eam carpat. Nihil enim boni est, nihil optimi, quod non in malam partem a quoquam verti possit, si minus licitè, ac prudentèr eo utatur. Jure igitur vetustatis nuncia, (liceat inverso verborum ordine* Ciceronis *eloqui sententiam) Magistra Vitæ, Vita memoriæ Lux veritatis, Testis temporum Historia est. Hanc amamus, amplectimur hanc, hanc scribimus,* Apulis *quamvis finibus, &* Cupersanensi *districtu introclusam, remotissimas tamen Orbis Regiones, & abditissima quæque, pernicissimo volatu perlustrantem. Hæc* Cupersani *antiquæ in* Peucetia *Urbis, vetustissimos, atque è memoria penè elapsos palam proponet natales, ritus, nobilitatem, prærogativas, & Christianæ Religionis antiquitatem. Hæc excidentes humana è recordatione res, nutu reparabit suo. Hæc antiquarum una rerum indagatrix, vel ipsis ex latebris, quæ Urbem nostram imprimis commendent, eruet. Certè dictu difficile est quanto opus fuerit labore, ut res siccas, pingues redderemus, atque è faucibus oblivionis Patriam vindicaremus, & Patriæ dignitatem. Cum de* Apulia *magnos confecerint libros Historiographi,* Cupersanum *sicco pede, & muto quasi ora pertransierunt: & tamen non contemnenda de eo scribi poterant. Tardè nos arripuimus calamum, Urbis scilicet natales respicientes, haud nostros, cum primam huic Historiæ dedicaverimus juventam, sed non tardè Patriæ succurrimus, ejusque nitorem accersimus, in quam pietatem exercere continuò debemus; quia (teste Cassiodoro* lib. III. epist. 10.) nobilissimi civis est, Patriæ suæ augmenta cogitare. *Quod tam exactè à nonnullis, & cogitatum & exhibitum ut æterna posteris suorum facinorum monimenta reliquerint, inter quos celebratur* Ancurus Midæ *filius à* Plutarcho, *quod se in ea præcipitem dederit voragine, è qua maxima aquarum vis erumpens Patriam vastabat; quo Numinum indignationem pacatam crediderunt. Laudatur &* Menœceus Thebanus, *qui pro salute Patriæ ab* Achivis *obsessæ è mœniis se præcipitavit; qua de re Statius* lib. XVI.

: : : : : insignemque animam mucrone coruſco
Dedignantem artus pridem, mœstamque teneri
Arripit, atque uno quæsitam vulnere rumpit.
Sanguine tunc spargit turres, & mœnia lustrat,
Seque super medias acies, nondum ense remisso
Jecit, & in sævos cadere est conatus Achivos.

Quicquod Codri Athenienſium *Regis, de quo Horatius* lib. III. Carminum;
Codrus pro Patria non timidus mori.

Quid quod Thesei Ægei Athenarum *Regis filii, de quo* Catullus.
Ipse suum Theseus pro charis corpus Athenis

Digitized by Google

Projicere optavit potiùs quàm talia Cretam
Funera Cecropiæ, ne funera portarentur.

Quidquod Themistoclis, *aliorumque sexcentorum, qui erga Patriam pietatem exercuere, sequi reddidere immortales, quia scilicet teste Cicerone* ad Att.6. Pro Patria, & in Patria mori præclarum. *At nos hanc antiquorum pietatem barbaram appellamus, ut pote à gentilibus barbaro distractis ritu adhibitam. Veriorem nos erga illam exercemus calamo quàm illi nece, Thema non ita ducitur, ut aliquem secum non trahat illectum: & fore spero, ut legenti placeamus. Si quis autem, quidquid in hac Historia continetur sibi minimè arridere confiteatur: sciat me illam scripsisse, ut Patriæ satisfacerem. non ut ei assentarer, sibiq; hoc quod narrat Plutarchus* in Rom. apoph. *in memoriam revocet, obsecro; nempè cum* Romæ *maxima annonæ penuria deseviret,* Pompejus *in* Africam, Sardiniam, & Siciliam *navigavit; magnaque tritici vi collecta, Patriam versus illicò naves solvere decernit. Oborta verò tempestate, naucleri mari se committere non audent. Tunc primus navim ingreditur, anchoras tolli jubet, & navigationem auspicari:* Ut navigemus (*inquiens*) urget necessitas, ut vivamus non urget. *Quod Plutarchus refert;* significans Patriæ periclitantis habendam rationem potiùs, quàm privatæ incolumitatis. *Sic & nos:* Ut scribamus urget necessitas, ut placeamus non urget. *In Patriæ enim utilitatem solummodo oculos converti meos. Patria si quidem tot annorum secula, tenebris, & oblivione jacens, erigenda tandem fuit lucique sistenda solari. Et hoc quidem jure debitum solvimus: quando quidem sororis loco Patriam nobis Deus constituit. In sacris enim literis, & in* Tertulliani *libris Urbes Sororis nomine insignitas legimus, Ezechiel.* cap. VI. num. 48. Non fecit Sodoma soror tua, *Et Cap.* XXIII. *n.* 33. Calice sororis tuæ Samariæ. *Et Cap.* VI. *n.* 46. Et Soror tua major Samaria. Soror autem tua minor te. *Sept. autem Tertullianus* lib. de pallio, *ait:* Sic & in proximo soror Civitas vestiebat. *Et mox.* Soror quidem Civitas suopte arbitrio mutare properavit. *Nec id ab re, quandoquidem summa cum civibus suis cognatione Patriam junctum esse, ait Cicero* 1. de orat. Non potest cognatio ulla propior esse, quam Patria. *Sororis ergo nostræ honori prospiciendum erat.* Soror *enim* nostra parva, & ubera non habet, quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est. *Cant. cap.* VIII. *Faciemusnè ei ubera ex lapide ad modum Turris, an ex tabulis Cedrinis? Neutrum: Sed ex tabulis* Cupressinis, *& caeratis, in quibus, ut perpetuicr maneat sororis nostræ fœcunditas, eam, ejusque laudes, & encomia depingemus. Hinc intelliges illud Euripidis* de Iphigenia in Tauris.

Tumulumque congere, & monumenta imponito
Comas sepulchro det Soror cum lacrymis.

Ubi Sororem pro civitate accipio. Historiam igitur tibi proponimus, Lector, haud nudam, sed varii indutam observationibus, multa refertam eruditione, novisq; exornatam cogitationibus. Ea enim, quæ ad Historicam attinent veritatem, quæve à nostris majoribus, aut literis, aut manu tradita accepimus, nuda tibi tradimus; vestita verò, excultaq: ea, quæ literis, memoriæq; consignata non legimus quorum intermicantes quasdam scintillas, hic tibi propinamus collectas. Digressiones itidem frequentiores placuit admittere, ne Apulos tantum videremur alloquuti, cum aliorum etiam cujusvis regionis utilitati, ac emolumento consulueerimus; Quandoquidem multa nostris hisce lucubrationibus identidem assuimus, quæ jucundiorem redderent Historiam, ac velut sales, legentium gratiam conciliarent.

Tribus libris distributa exit Opella hæc. Primo Apuliam, *&* Cupersanensem *Urbem delineavimus; antiquum, eumq; vanum deorum cultum, eorumq; adorandorum ritum, & rationem: Civitatis nomenclationem, civium,* Apulorumque *mores, & nobilitatem scripsimus. Altero Illustrium* Cupersanensium *Comitum dignitatem & numerum, nec non eorum præclara gesta legentibus, proposuimus. Tertio verò Christianam, eamque vetustam* Cupersani *Religionem, Ecclesias, Cœnobia, Venerabiles* S. Benedicti *Abbatissas* Cistercienſem *regulam servantes, & præclaros ejus Urbis Episcopos, ante omnium oculos posuimus. Hac te donamus opella, erudite lector, ea fruere, & lucubrationes alias expecta. Vale.*

In

In Cupersanensem Historiam D. PAULI ANTONII DE TARSIA, D. MARTINI Abbatis Lafarina de Madrigali PHILIPPO IV. Hispaniæ Regi à domesticis sacris, & Consiliis, ejusque maximi in Sicilia Sacellani.

CUPERSANE tuos dū TARSIA protulit ortus,
Ære sane, & Cupro firmiùs explet opus.

Aliud.

Rex Sophus, è Tarsis tulit aurea dona, sed auro
TARSIA nunc sapiens nobiliora promit.

Aliud.

Si nullam patitur cariem Cupressus, avita
Jam Cupersani nec monimenta necem.

FRANCISCUS DE PETRIS J.C. Neapolitanus Ad Elegantissimum expolitissimum luculentissimum Auctorem:

Doctrina, ingenio, virtutum culmine magnum
Cur Paulum vocitem, forte per antiphrasim?

Ad eundem Auctorem, Oratorem, Poetam, Historicum, FLAVII VENTRILIÆ J. C. Neapolitani Anagramma.

Dominus Paulus Antonius de Tarsia.

Anagramma Purum

Diva Orat, unus sanè sapit, Mundi Sol.

Aliud

En tutò sapis, Diva Orans, Mundi laus.

Aliud

O unus multa sanè prodis fat divina.

Distichon

Qui historiæ monumenta, polique Deique recessus
Et Cyrrhæ lustret culmina, Paulus erit.

AUCTORES, QUI IN HOC OPERE CITANTUR.

A.

Abrahamus Ortelius.
Accursius in glossa.
Acesedorus.
Acron.
Acta Melitensis Curiæ.
Ælianus.
Æneas Sylvius.
Aggenus Urbicus.
Albericus Aquaviva.
Albertus Miræus.
Alexander ab Alexandro.
Al. Fl. Alcuinus.
Aloysius Novarinus.
..... Riccius.
Alphonsus Tostatus.
..... Ciacconius.
D. Ambrosius.
Ammianus Marcellinus.
Anastasius Germonius.
Andræas Baccius.
..... Matthæus Aquaviva.
..... Victorellus.
Antonius Beatillus.
..... Galatheus.
..... Panormita.
..... Sanfelicius.
Ara Parentalis Auctoris.
Archivium S. Benedicti Cupers.
..... Exc. Comitis Cupers.
..... Exc. Ducis Atriæ.
..... Famil. Tarsianæ Cupers.
Archontolius.
Aristoteles.
Arnaldus Pontacus.
Athenæus.
D. Augustinus.
Aulus Gellius.
..... Persius.

B.

Artholomæus Anglicus.
..... Caracciolus M. S.
..... Chioccharellus.
Belisarius Aquaviva.
Benedictus Cocharella.
Bernardus de Angelis.
..... Saccu.
..... Casius.
Bonfilius.
Bonifacius Vannozzius.

C.

Cæsar Lambertinus.
Cæsar.
Cæsar Baronius.
..... Engenius.
Camillus Pellegrinus.
..... Quexnus Archipoet.
Cantacuzenus.
Callimachus.
Carolus Bovillus.
..... Clusius.
Cassiodorus.
Catullus.
Christoph. Portius.
M. T. Cicero.
Claudianus.
Claudius Aquaviva.
Conradus Lycosthenes.
Concilia Generalia Sev. Binii.
Concilium Tridentinum.
Cornelius à Lapide.
..... Tacitus.
Crantzius.
Ctesias.

D.

Didacus Sanchez Portocarrer.
Diodorus.
Dionysius Halicarnasseus.
Dorothea Aquaviva.

E.

Egnatius.
Epimenides.
S. Epiphanius.
Euripides.
Euseb. Nieremberg.
..... in Chronic.
Eustathius.

F.

Ferdinand. Ughellius.
Festus.
Florianus Docampus.
Franciscus Juretus D. Mi
..... de Petris.
..... Alunus.
..... Julianus Notarius Cupersan. M. S.
Fra. Philip.

G.

Goropius Becanus.
D. Gregorius PP.
Guillelmus Apulienſis.
Guntherus Ligurinus.

H.

Harmenopolus.
Henricus Baccius.
..... Marchellus.
..... Abbas Claravallensis.
D. Hieronymus.
Hieronymus ab Oleastro.
..... Cardanus.
..... Mercurialis.
Historia Insulan. Auctoris.
Homerus
Horatius.
Hugo Falcandus.

I.

Jacobus Damianus.
..... Dalecampius.

Digitized by Google

..... Boulduc.
..... Philipp. Bergomas.
..... Rosweida.
..... de Graffiis.
..... Piccolomineus.
..... Spiegelius.
Joannes Baptista Masculus S. I.
..... Caramanius.
..... de Virgilio.
..... Juvenis.
..... Albinus.
..... Mariana.
..... Villanus.
..... Bapt. Porta.
Joan. Pier. Valerianus.
..... Metellus.
..... Briz Martinez.
..... Boterus.
..... Rav. Textor.
..... Bodinus.
..... Rosinus.
..... Tarcagnota.
Jodocus Lorichius.
..... Bapt. Maginus.
Jovianus Pontanus.
Isacius.
Isidorus.
Isocrates.
Itinerarium Donati Antonii Martuccii M. S.
Julius Frontinus.
..... Cæs. Capacius.
..... Scaliger.
..... Bullengerus.
Juvenalis.

L.

Labeo.
Lambinus.
Laurentius Surius.
Lex XII. Tabularum.
L. Florus.
Lud. Cæs. Rhodiginus.
Lucanus.

M.

Macrobius.
Marcus T. Cicero.
Marinus Freccia.
Martinus del Rio.
..... la Farina de Madrigali.
Martialis.
Matthæus Westmonasterians.
Michael Martinez.
Miraball. Ephemer.

N.

Natalis Comes.
Nicetas Choniatas.
Nicolaus Leonicus.
..... de Lyra.
Nilus.

O.

Octavius de Tarsia
Onuphrius Panvinius.
Orpheus.
Ovidius Naso.

P.

Panthale n de Terra Sancta.
Paulus Orosius.
..... Jovius.
..... Merula.
..... Diaconus.
..... Minerva.
Petrus Ribadeneyra.
..... Gonsalez de Mendosa.
..... Capullius Epis. Cupers.
..... Crinitus.
..... Paulus de Rivera.
..... Bellonius.
..... Bercorius.
Phanusius Campanus.
Philippus Scaglia.
..... Allegambus.
Platina.
Plautus.
Plinius.
Plutarchus.
Polydorus Virgilius.
Pontus Heuterus.
Privilegium Reg. Ferdin.
..... Reg. Feder.
Prosper Rendella.
..... de Cantelmis.
Prudentius.
Ptolemæus.

R.

Robertus Aquaviva.
Rodericus.
Rodericus Mendez Sylva.
Rogerius Hoveden.
Russinus.

S.

Sallustius.
Salvator Varro.
Saxo Grammaticus.
Sempronius Ascia.
Servius.
Severinus Binus.
Scipio Mazzella.
Scholiastes. Jul. Pollucis.
Scotiæ descriptio.
Sidonius Apollinaris.
Silius.
Sixtus Senensis.
Solinus.
Statius.
Stephanus Byzantius.
Strabo.
Suetonius Tranquillus.
Suidas.
Summontius.
Sylvester.
Synesius.

T.

Tabulæ Eccl. S. Viti.
Tertullianus.
Thelitus Methymnus.
Theatrum Vitæ humanæ.
Thucydides.
Tibullus.
Titus Livius.
Tractatus de nundinis Auctoris.
Tract. de subterraneis Auctoris.

V.

Varro.
Victorinus.
Vincentius Bellovacensis.
Virgilius.
Vita Card. Bar. ab Auctore scripta
Ulpianus.

EX SACRIS LITERIS.

Amos Propheta.
Cantica Canticorum.
Ezechiel Propheta.
Genesis.
Jeremias Propheta.
Jesaias Propheta.
Job liber.
Judicum liber.
Maccabæor. libri.
Marci Evangelium.
Matthæi Evangelium.
S. Pauli Epistolæ.
S. Petri Epistolæ.
Psalmorum liber.
Regum libri.
Sapientiæ liber.

D. PAU-

Digitized by Google

D. PAULI ANTONII DE TARSIA

DOCTORIS THEOLOGI,

HISTORIARUM CUPERSANENSIUM

LIBER PRIMUS.



Apuliam à Latona Dianæ Gentilibus *Apulis* præcipuæ habitæ venerationi parente, olim *Latonicam* appellatam, eandemque Regibus subjectam suis, Auctor est Aristoteles *lib.* III. Pol. duas Principatus species designans; quarum altera Regem admittebat, ab eaque appellata *Latonica*, quippè quæ in Provincia *Latoniæ*, id est *Apulia*, servaretur. Et quamvis inibi *Aristoteles* de *Tarentinorum* Democratia meminisset (ut in *Tarent. Histor. lib.* III. *cap.* 4. & Freccia *de antiquo statu Regni*) tamen inde probari non potest *Aristotelem* de *Apulia* non fuisse loquutum, cum ex Lucio Anneo Floro *lib.* I. *rerum Roman. cap.* 16. luce meridiana clariùs appareat, *Tarentum* olim *Apuliæ*, *Calabriæ*, & *Lucaniæ* caput fuisse: *Tarentus* (ait Florus) *Lacedæmoniorum opus Calabriæ quondam, & Apuliæ, totiusque Lucaniæ caput, tùm magnitudine, & muris, portuque nobilis, tum mirabilis situ, &c.* Quamvis posteà *Barium* urbs *Apuliæ* primaria, & caput extiterit, cujus Duces Regio coronabantur diademate, unde Reges *Apuliæ* ortos circumfertur, ut ex his *Apulienſis* de rebus *Normannorum* carminibus apparet, quum de *Melo Barii* Duce loquitur:

More virum Græco vestitum nomine Melum
Exulis ignotam vestem, capitique ligato
Insolitos mitræ mirantur adesse rotatus

Et cum de ejusdem morte sic ait:

At Melus ingredi præventus morte nequivit.
Enricus sepelit Rex hunc, ut Regius est mos.

Quos sanè versus legentibus, ac perpendentibus nullus restat dubitandi locus, fuerint illa insignia Regis nec ne? Licet *Rendella* contrarium existimet in *tractatu de Reliquiis juris Longobardici cap.* VII. *num.* 10. Hodiè sanè *Barium* haud toti *Apuliæ*, sed *Peucetiæ* tantùm præest, cum ea in *Dauniam* dividamus, & *Peucetiam*; de hac verò, in qua nostrum stat *Cuperſanum*, aliquid præmittere, consentaneum erit. Cujus profectò dignitas ea est, quam nulla Provinciarum ferè omnium in hanc usque diem obtinuit. A *Peucetio* sanè Duce, *Oenotri* germano, & *Licaonis* filio, anno ante *Trojæ* devastationem CCCLXXV. nomen illi inditum *Peucetiæ*; quæ antea varias sortita nomenclationes, modò *Messapia* dicta, sivè *Messapygia*, & *Iapygia*, ut Isacius in *Lycophronem* scribit. Eadem, & *Salatia*, sive *Calatia*, unde *Calabria*. Nostris verò hisce temporibus *Terra Bariana*, à *Bario* Principe ejus urbe nuncupata; ejus incolas *Ptolemæus Pediculos* vocat. Regio quidem cœli clementia, soli fertilitate; frugum, olerum, amygdalarum, ac fructuum copia non solum non inferior ulli, sed cæteris excellentior; quando quidem *avena hujus Regionis* (Abrahamus Orthelius in suo Theatro ait:) *cum hordeo, & hordeum cum tritico aliarum certare potest*. At id quàm verum? Cum universa ferè *Apulorum* plebs hordeaceo vescatur pane. Quod & Paulus Merula scriptor valdè luculentus *Cosmographiæ partis secundæ lib.* IV. c. 31. *de Peucetia* hisce verbis testatur: *Regio hæc stupenda agrorum ubertate, admirandaque nobilissimorum fructuum copia cum reliqua ferè Italia committi potest*. Et quidem hoc jure. Cum enim utriusque *Apuliæ* laudes nempè *Daunia*, & *Peucetia* sint communes: eam *Italiæ horreum Joannes Boterus* appellat; sicut, & priscis temporibus *Ægyptum Orbis horreum* dictam asserit *Cornelius Tacitus*, & *Hieronymus ab Oleastro*, quippè quæ tantam ex *Nili* inundatione frumenti vim percipiebat, ut cunctas aleret Provincias. Inde dictum volunt Isai. *cap.* XXIII. v. 3. *In aquis multis semen Nili, messis fluminis fruges eius: & facta est negotiatio gentium*. Sicilia itidem Populi *Romani* horreum à *Cicerone* vocatur, quod sæpè maximos paverit exercitus. Nec tritico solum abundat, sed, & vino etiam, cæterisque rebus. Qua de re *Martialis Tarentinum* commendat virum *Epigr. lib.* XIII. 120.

Nobilis, & lanis, & felix vitibus Aulon
Det pretiosa tibi vellera, vina mibi

A gossipio etiam laudatur *Apulia*, sive Xylo, cui nulla sunt in candore, mollitievè præferenda: & lana apud Plinium *hist. lib.* VIII. *cap.* 48. *& lib.* XIX. *cap.* 1. *Laudatissima est*

Apu-

Digitized by Google

Apula, & quæ in Italia Græci pecoris appellatur, alibi Italica. Ob Regionis enim planitiem, & caliditatem, *alendo pecori* (ait Jacobus Spiegelius Seletadiensis *in Scholiis ad primum Ligurini librum*) *hybernis mensibus maximè utilis*. Unde *Martialis* meritò cæcinit.

Velleribus primis Appulia, Parma secundis
Nobilis Altinum, tertia laudat Oves.

Puerorum itidem alacritate, dexteritate virorum, ac summa in omnes benignitate, quibus ferrum antiquitùs ignotum, fœminarumque facilitate, ac prudentia, herbis medicis, fontibus quoque calidis, ægritudine pressis medelam præbentibus, ac rebus tandem innumeris conspicua. De quibus Geographi consulantur, & in primis *Bartholomæus Anglicus*, & *Joannes Boterus*. Tantaque tandem rerum omnium copia excellit, ut ex ea negotiatores frumentum, oleum, vinum, lanas, & hujusmodi innumera alìò transferant; iisque plurimas, & pingues reddant, & pascant regiones. Vel ebur quoque ex *Apulia* delatum *Tyrias* exornasse nundinas, sacræ Paginæ testantur, de quo nos in nostro de Nundinis tractatu. Cui multum quoque laudis accedere ex equorum generositate, apertè innuit Bernardus Saccus Ticinensis *Historiæ lib. 1. cap. 9. ubi*: *Apulia equorum* (inquit) *optimorum feracissima, qui reliquos Europæ Equos agilitate, & longævitate vincunt*. Testis *Italia* sit, testis, & Orbis, quot *Apulia* Equos genuerit nobilissimos; quotve in Hippodromis innatam ostentarint generositatem. Effulget hodierna tempestate *Joannis Hieronymi Aquavivæ Aragonii Cupersani* Comitis Stabulum, è quo in dies Equos prodire videmus adeò insignes, ut Lampones dixeris, Peloros, Panchates, Bucephalos, de quibus illud recitarem, quod de Lambone Silius *lib.* IX.

Evolat ante omnes, rapidoque per æra cursu
Calaicus lampon fugit, atque ingentia tranat
Exultans spatia, & ventos post terga relinquit.

Quid quod ejusdem Equorum Armenti magna ubique fama celeberrimi? Et profectò *Aquavivæ* nescio quid laudis, nescio quid honoris Equinæ Ungulæ, non secùs, ac Heliconii latices Pegaseæ acceptum referant. Mitto *Tarsiatæ* familiæ meæ tercentenis ante annis natum, & hodiè quidem non obscuri nominis armentum, è quo præcipuis *Europæ* Principum stabulis decor cum Equis accessit, & nomen: de eo consulantur libri, qui de antiquis, ac recentioribus *Europæ* Equarum armentis agunt. Sed cum tot, iisque cœlestibus scateat *Apulia* donis, *Apulos* quodam veluti sopore nonnunquam correptos Tarantula vile, ac parvum animal excitat, cujus venenum, & si modicum non nisi fistulis, ac tympanis tollitur, est quæ ferè chronicum quotannis rediens, & donec Tarantula vivit perdurans, æstivis nempe temporibus sub Cane Tarantatum contorquet, etiam si hic *Toleti*, & illa *Barii* maneat; de Tarantula *Athanasius Kircherus* eruditè scripsit. Sed urbibus certè magnis, ac munitissimis præ cæteris *Neapolitani* Regni partibus exornatur *Apulia*; quarum structuram *Germaniæ* architectonices amussi perbellè respondere agnovit *Boterus*; quam vetustam verò hæ jactent originem, & referre longum esset, & à præsenti alienum instituto. Omnium sanè Metropolim numeramus *Barium*, quod anteà *Japyx*, à *Dædali* filio, à quo, & *Japygia* urbs sanè *Bartana* nobilissima, cujus certè nomen liquore è *S. Nicolai Myrensis* Præsulis, & *Apuliæ* Thaumaturgi ossibus emanante toto evectum orbe. Claret deindè Monopolis *Prosperi Rendellæ* mihi consanguinitate conjuncti Patricia, vir quidem Patricii, & in doctrinis exercitatissimi, cujus calamum novit *Neapolis*, novit *Italia*, novit Orbis. Quem, nonagenis exactis annis, mors nimis propera (hoc liceat illam titulo quamvis alioqui feram appellare) nobis rapuit, cujus Tumulum hac sepulchrali Parens meus inscriptione donavit.

PROSPERI RENDELLÆ JURECONSULTI MONOPOLITANI TUMULUS. SATIS EST; DENT RELIQUA AMOENA INGENIA.
ABIIT NON OBIIT. ANN. M. DC. XXX.

Addo *Rubum* urbem antiquissimam, *Tranum* itidem, *Andriam*, *Bituntum*, *Bitectum*, ubi ossa *Beati Jacobi*, qui in Calonata Religione eximiam præsetulit Sanctitudinem, & Patriam meam moribus, ac miraculis illustravit, magna cum veneratione asservantur. Mitto alias urbes, *Apuliam* laudat Bartholomæus Anglicus *de proprietat. rerum*, & *Prov. lib.* XV. *cap.* 18. à populi frequentia, qua emicat, à metallis, quæ in ea gignuntur, à frugibus, quibus abundat, & ab urbibus, & castris in ea præclaris. *Terra siquidem est* (inquit) *multum populosa, auro, & argento referta, frumento, mero, & oleo opulenta; Civitatibus nobilissimis inclyta. Castris & Oppidis præmunita, frugibus, & dives si generis fructibus fertilis, & fecunda*. Guntherus vero Poeta clarissimus Ligurinus *de gestis Friderici primi lib.* I. *Peucetiæ Apuliæ* laudes paucis hisce exequitur carminibus.

Illa quidem tellus nullius muneris expers
Fœtibus arboreis uberrima, vitibus, agris.
Urbibus, & Castris, omnique decore nitebat.

Carpit deinde acritèr vulgus *Apulum*, quod in eo ingenuitatis desiderentur vestigia.

Sed vulgus stolidum; prævum, rude, futile, vanum,
Moribus incultum fragili male corpore firmum
Otia longa sequi solitum, fugiensque laboris
Mente, manuque pigrum, nec pace, nec utile bello.

Hoc omninò ferendum non est, quasi in alienis oris dexteritatem Vulgus præseferat? Certè plebs *Apula* nava, ferendis laboribus nunquam victa, adeò ut nulli cæterarum Regionum plebi dicenda sit inferior. Qua enim ratione *Apulos* fugientes laboris, mente, manuque pigros appellat *Guntherus*; si ab eo ipsamet *Apulia* dicitur uberrima? Anne summa ejus Regionis ubertas absque ullo hominum labore, ex ipsorum erumpet campis? Quis hoc asseverabit? Anne ignoras, *Gunthere*, omnibus dictum, cum *Adamo* omnium Parenti dictum: *In labore vultus tui vescéris pane tuo?* Suprema esset *Apulorum* felicitas, si absque

Digitized by Google

si absque labore, eorum Regio esset uberrima. Non consistis *Ligurine*; nescis *Apuliæ* divitias? Non credis *Juvenali* hoc testanti: *Vendit agros, sed majores Appulia vendit?* Addo, & oculatum testem *Horatium* pro me pugnantem, *lib.* III. *carminum Od.* 16. qui *Apulos* ab injuria vindicans, sic inquit:

Quam si quicquid arat impiger Apulus
Occultare meis dicerer horreis.

Impigros appellat *Apulos* oculatus testis Poeta *Venusinus*, quare nunquam audiendus *Ligurinus*, qui nostrates injustè fugillat. Hac una in re, te non erasse, *Ligurine*, fateor, quod *Apulam* plebem, rudem, vanam, moribusque incultam appellaris. Hoc siquidem verum; hoc & nos deploramus, & utinam non ità se haberet. Sed quod infirmam corpore, sed quod pigram, sed quod nec pacis, nec belli tempore dixeris utilem; in hoc mordacitatis tuæ erumpunt semina. Segnitiem jam delevit *Horatius*. Vires *Apulas* nemo agnovit, nisi qui expertus. In Oppido *Castellani* vir ortus est, qui dicebatur *Octavius*, obscuris quidem natalibus, sed tanta præditus fortitudine, & corporis viribus, ut à nullo suæ tempestatis homine superaretur, licet tunc viri non defuerint fortitudine monstrosi. Porrò *Apulia* quot produxerit Heroes à regendis Provinciis claros, ac magistratus fascibus conspicuos; quotvè militari cingulo, & chlamyde insignes, recenseat fama. Non modica est *Apuliæ* laus, quæ ex *Aquaviviis* Proceribus illi accedit. At nescio quid sibi velit Jacobus Philippus Bergomas, qui in *Chronic. supplem. lib.* XVI. *anno* 1498. *Apuliæ* gentes imbelles appellat: quando *Fredericus* secundus *Ferdinandi Apuliæ* Regis filius, *Ferdinando* eius nepote defuncto, *Gallis* resistere veritus est. Regionis sanè fœcunditas animos sæpè enervat, sed ex uno eventu iniquum est generalem ferre sententiam. Certè *Apuli* cum *Calabris* suppetias tulerunt *Neapolitanis* per *Saracenos* divexatis, quorum ope in fugam eos egerunt, ut Julius Cæsar Capacius in *Neapol. descript. die* 2. *fol.* 141. *Saracenos* quidem *Neapolim* infestantes *D. Agnellus* Abbas detegruit in ipsius urbis mæniis apparens, insignia ferens rubea, tempore *Theophili* Ducis *Neapolitanorum*.

Verum enim verò de *Apula* Regione alia aliis scribenda relinquamus, paucis enim hisce, satis enim delineavimus, nostrum nunc adeamus *Cupersanum*, in ea Regione situm, ejusque rimemur Natales, decorem perlustremus. Hæc profectò urbs est antiquitate excellens, à gentium multitudine frequentissima, ab Agri bonitate fertilissima, si quidem *agro dives, divitiis nota*, a Salvatore Varone appellatur in *sua Historia Vesuviana*, situ amæna, magna rerum omnium ubertate insignis, nobilitate celebris, pietate illustris: Religione, quam inter primarias *Italiæ* urbes est amplexata; Ecclesiarum etiam, ac Cœnobiorum antiquitate, & numero venerabilis, Episcopali itidem Sede ac infula millenis ante annis decorata. Ne mirere, lector, palpabis hæc. Non enim ulla mihi subiit cogitatio meam sic extollendi Patriam, ut justos prætergrediens limites: Nihil aliæ civitates (dixerim) ad *Crotonem*,

A Quamvis enim Livius, *dec.* I. *lib.* V. *Antiquis* (asserat) *in rebus veris similia pro veris accipiuntur*. Hic tamen, quæ vera sunt, fide promam veriore: Nam ut ait Macrobius *lib.* II. *cap.* I. *Cum à Veteribus dicta referamus ipsorum Auctorum, dignitate defendimur*.

Antiquitatem verò quàm maximè redolent ea, quorum primordia, minus licet obscura, humana tamen non suggerunt monimenta. Quod etsi omnibus perspicuum, B sententiam tamen placet addere ex *Didaco Sanchez Portocarrerio*, qui *Molinensium* describens Historiam, verbis id Hispanis fatetur, & clarè *No es la menos estimada prerrogativa de la nobleza la ignorancia de los principios; antes tiene mucho de divinidad, y mucho de excelencia. De aquinacio (a mi entender) la desvanecida presumpcion de los Arcadios, y de los Athenienses, blassonando aquellos de descender de un Planeta, y estos de un elemento, pareciendoles, que se mayor* C *nobleca, era no preciarse de origen mortal.* Clariùs dici non potuit ex originis ignoratione, rei nobilitatem agnosci, & antiquitatem argui. Urbium quidem primordia nos latent; quod hæc, vel memoriæ non fuerint tradita à scriptoribus, quos posteritas consulere negligentes edere piguit quicquid literis perpetuitatem acquireret, eandemque suis impertiretur parentibus; vel temporum injuria, aut quod urbium, hominumque calamitate penitùs interierint. Cum *Apulia* D sanè nostra supremas perpessa fuerit clades; de ea enim Cicero *lib.* I. *de divin. Apulia* (inquit) *maximis terræ motibus conquassata est*: tunc profectò cum hominibus, & domibus parem subiere fortunam Cartophylacia, archiviaque. Nostra etiam hac tempestate mirabiles *Apulia* concussiones passa est, de quibus in tractatu nostro de subterraneis. Sed utcunque res se habeat. Illos ego utpotè minùs pios accuso, qui Patriam cum potuerint atramento illustrare, neglexerunt. E *Danorum* utinam exempla sibi proposuissent, qui res à se magnificè gestas, majorumque acta suorum genuino sermone, patriisque literis, haud in papyro, quæ tempori succumbit, sed rupibus sculpserunt, & saxis, è quibus *Saxo Grammaticus* Historiam elicuit suam. Vel saltem à *Peruanis* signis scribere didicissent, qui sic Patriæ eorum memoriæ penitùs interirent, *chordis versicoloribus* (ut Joannes Metellus tradit) *multisque nodis insignitis, ac artificio singulari contextis,* F *quarum domus sunt perplenæ, multorum sæculorum seriem solerter involutam, sine ulla hæsitatione exprimunt*. Sisto ego querelas, quum unus pro me conqueritur vir doctissimus, & antiquarum rerum apprimè scitus *Joannes Pierius Valerianus, Bellunensis*, qui sermone primo antiquitatum *Bellunensium* postquam Patriæ suæ memoriam penè intermortuam lamentatur, flebiles hasce voces emittit: *Ac ne de una Patria nostra* (inquiens) *solum queri videar, quot nunc in universa Italia urbes summa celebritate censentur, quarum origo penitùs ignoratur? Commemorem aliquot in nostra Venetia, multas in Insubris, atque Liguria; plures in Etruria,*

& La-

Digitized by Google

& Latio, innumeras in Campania, in Apulia, in Brutiis, & universa Calabria, nisi vererer eos offendere, qui fabulis quoquomodo confictis aliqua sibi speciosiori origine applaudendum instituere. Hanc subiit cladem nostrum *Cuperſanum*, cujus natales ignoramus: cujus extructorem neſcimus, de quo utinam aliquas ego in libris de eius origine inſpexiſſem fabellas, quas omnium ante oculos dubio procul hic denudarem, ſpecioſam ab eis auferens perſonam. Siluit Geographorum cœtus, & ſi qui loquuti ſunt, aut pauca; aut non tutæ fidei de eo tradidere. Nam ejus licet antiquitatem commendent ipſa in primis urbis mœnia, pervetuſta labentia ædificia, lapides, inſcriptiones, hypogæa & loca ſubterranea, antra, cryptæ, quædam etiam rudera, & ruinæ, veterum, ac Gentilium ſepulchra, ipſa quoque annoſa papyrus, & blattis arroſa inſtrumenta, nec non hujuſmodi innumera, quibus pervetuſta *Cuperſanenſis* origo ſatis ſuperque innuitur. Unus tamen deblaterat juris conſultus, vir alioqui inſignis, & literarum peritiſſimus, ſed hiſtoriarum, antiquarumque rerum parum locuples. Nempè *Marinus Freccia Neapolitanus*, Patricius Clariſſimus, Regiuſque Conſiliarius, qui *lib.* 1. *de ſubfeudis Baronum*, & *inveſtituris feudorum*, Regni Provincias, ac præcipuas urbes, earundemque Præſules enumerans, hæc de *Cuperſano* loquutus: *Moderna eſt Civitas, fortis admodum. Titulo comitali ornatur ſub dominio Aquavivio, de cujus genere Illuſtri Blondus, & Albertus ex agro Piceno ſatis ſcribunt.* Sed quam injuſtè *Freccia Cuperſanum* feriat, liquidò apparet legentibus Generalia Concilia. Nam Concilio III. ſub *Symmacho* adfuit *Hilarius Cuperſani* Epiſcopus anno humanæ ſalutis quingenteſimo primo; imò extant adhuc monumenta *Simplicii* Epiſcopi *Cuperſanenſis*, qui multis præclarè geſtis, multiſque ad univerſalis Eccleſiæ utilitatem perpeſſis, mortalem vitam cum cœleſti commutavit ſalutiferæ Incarnationis, anno quadringenteſimo nonageſimo ſecundo, de quibus plura inferiùs. Sed nil mirum, ſi quandoque Scriptores eximii in manifeſtos incidant errores, non enim, ut lapſus præcaveant, antiquiores, tutioreſque legunt Auctores, & omnijuga delectantur lectione. Dicat obſecro, *Freccia* à quonam hauſerit libro, à quonam acceperit *Cuperſanum* modernam eſſe civitatem? Hoc certè apud nullos reperiit Hiſtoricarum rerum peritos, ſed ſpontè commentus eſt ſua, ſed in te invehi *Freccia*, tunc deſiſtam cum modernam eo ſenſu à te dictam civitatem noſtram confiteberis, quaſi modernarum, recentiorumque rerum amantem.

Sed ut inſtitutum ego meum proſequar, Patriæ meæ antiquitatem, ac priſcos natales meridiana luce clariores oſtendam. Et ſane magni ejuſdem erupere nobis antiquitatis radii ex Gentilium ſepulchris in ea paſſim inventis, & ex Idolis quæ inibi veteres adorabunt. Ipſum quoque Urbis nomen, civiumque mores, atque nobilitas nonnihil redolent vetuſtatis. Imò ex inclytis, qui in ea dominati Principibus, magna nobis innuitur antiquitas, magna & ex Religione, Eccleſiarum, Cœnobiorumque numero, atque ex Præſulibus; qui urbem illuſtrarunt. Initium ex ſepulchris deſumamus. Denis enim ante luſtris, cum inclyti Principis *Hadriani Aquavivæ Aragonii Cuperſanatium* Comitis juſſione, ut frequens populus latiora domicilia commodiùs incoleret, nova *Cuperſani* ſuburbia conderentur, innumeras penè Gentilium urnas, cum antiquioribus vaſis cretaceis, lacrymarum excipulis, ac Idolis inibi clauſis cineribus plenas terraque obrutas, ita ut nulla earum apparerent veſtigia, infodientes invenerunt. Erat quippè eo in loco pervetuſtum Gentilitatis ſepulchretum, in quo crematorum cadaverum condebant cineres.

Vaſa quidem inde effoſſa diverſi generis urnæ, lachrymarumque conceptacula viſuntur in Muſæo Abbatis *Octavii* germani mei plurimum colendi, qui in dies antiquiora perſcrutatur, ac ſervat. Fuiſſe quidem, & huc antiquis morem una in urna cineres, amicorumque lachrymas in altera condere, quotidie ex effoſſis ſepulchris videmus, unde cum *Ciceronis* ſepulchrum inventum fuit, binas invenere urnas, cinere alteram, alteram lachrymis plenam: hiſceque titulis diſtinctas: *Urna Cinerum: & Urna lachrymarum amicorum.* Ut ait Fr. Pantaleon de Terra Sancta à *D. Petro Gonſalez de Mendoza* Archiepiſcopo *Granatenſi* relatus *libr.* 11. *Hiſt. de monte Celia cap.* 3. Hinc nullus reſtat *Arnaldi Pontac.* d. m. hæſitationi locus. Hic enim *in notis ad Euſebii Chronicon* an extra urbem antiquitùs fuerit ſepeliendis mortuis locus deſtinatus, publicæque commoditati patens, in dubium revocat. Cum lucis radio ſcriptum appareat, præcipuis quibuſdam in urbibus id fieri ſolitum. Allatum ſufficeret noſtri *Cuperſani* exemplar, aliarumque quas recenſere poſſem urbium, quibus communis ſepulturæ priſcis illis temporibus, ſicut etiam noſtris hiſce, conceſſa facultas. Sed in unam *Romam* Orbis theatrum oculos convertamus, in eaque extra Portam Exquilinam publicum extitiſſe locum, inſpiciemus, cadaveribus deſtinatum, quem *Puticulos* vocitabant, teſte *Varrone*, *Feſto*, *Horatio*, *Acrone*, Rodigino *lib.* x. *cap.* 17. & Cæſare Baronio *in not. ad Martyrolog. Rom.* 10. *Februar.* Dicti verò *Puticuli*, vel *Puticulæ*, quod inibi projecta cadavera computreſcerent, vel certè quòd à Puteis non eſſent diſſimiles. Meminit enim *Feſtus* de vetuſtiſſimo quodam ſepulturæ genere, quod in Puteis fieri ſolebat. Ecquis hujuſce noſtræ tempeſtatis ſepulchra non diceret Puteos? Erant profectò, & alia loca *Romanis* in ſuburbiis pauperum funeribus deſtinata, quæ ab aliis *Culinarum* nomine diſtincta, Aggenus Urbicus in *Commentario ad Julium Frontinum* teſtatur.

Et ſi verò quiſque in ædibus ſuis, ſuos olim ſepeliret mortuos, ut ex *Cicerone* aſſerit Iſidorus Origin. *lib.* xv. *cap.* 8. & 11. (unde ortum ait *Servius*, ut domi lares tolerentur, indeque etiam hatum umbras lares vocari) Nihil tamen mirum, ſi extra mœnia Gentiles cœmeteria conſtituerunt ſua, ut nuper de noſtro *Cuperſano* diximus, ac de

urbium

Digitized by Google

urbium Principe *Roma*: Scias enim oportet (ut ait Cicero *lib.* II. *de legib.*, & Joannes Rosinus *antiquitatum Romanorum lib.* VIII. *cap.* 6. Lege Pontificia, & Lege XII. Tabularum, cautum fuisse, nè ea fierent intra urbium ambitum: hominem mortuum, *In urbe ne sepelito, neve urito*. Divumque *Adrianum* (teste Ulpiano apud *Cal. Rodiginum antiquit. lect. lib.* XVII. *cap.* 19.) *Panam statuisse aureorum quadraginta in eos, qui in Civitate sepulchrum fecissent, quam fisco inferri jussit*. Quinimò: *Et in magistratus eandem statuit pœnam, qui id passi forent. Quin, & publicari jussit locum, & inde cadaver transferri*. Eademmet verba recitat Jacobus Spiegelius Selestadienses t. m. *Schol. in Ricardum Bartholinum de Bello Norico ad Divum Maximilianum Austriados, lib.* XII. Fuisseque id rationi consentaneum probat sanctus *Vedastus*, qui ut refert *Albinus Flaccus, Alcuinus* penès *Surium* in ejus Sancti vita, sæpè sæpiùs repetebat intra muros Civitatis sepeliri neminem debere: *Quia omnis Civitas locus debet esse vivorum, non mortuorum*. Notandum, quod licet cadavera extra urbem sepelienda ferrentur, non longè tamen à mœniis. Quod cum ex nostro patet *Cupersano*, ubi vetus sepulchretum secus Portas erat Civitatis, tum ex Cicerone, qui *Tusculanarum quæstionum qu.* V. *Est* (inquit de Roma) *ad Portas Agragtanas magna frequentia sepulchrorum*. *Theodoricus* verò *Italiæ* Rex relatam duodecim tabularum legem contra *Numantes* intra Urbem cadavera latam, consuetudine fermè abolitam restituit. Hujusmodi autem lege Imperatores, Vestales, optimè de Republica meritos, claroscue viros nonnunquam exemptos asserit M. Cicero *lib.* II. *de legibus*. Nam, & *Publicolæ* jus sepulchri intra urbem concessum habes ex Dionysio Halicarnasseo *lib.* V. imò & Vestalibus, ex Servio *lib.* II. *Æneid.* De *Trajano* autem; qui urbanam adeptus fuit sepulturam, hæc Eusebius Cæsar *in Chronic. anno H. S. C. XVIII. Trajanus morbo in Selinunte perit, sive ut alibi scriptum reperimus, apud Selevojam Isauriæ profluvio ventris extinctus est, anno ætatis* 63. *mense* 9. *die* 4. *Ossa eius in urnam auream collata, & in foro Jub columna posita, soluscque omnium intra urbem sepultus est*. *Corinthiorum* itidem mortui intra urbis ambitum sepeliebantur. Narrat enim Strabo *lib.* VIII. post *Corinthum* eversam, ex demortuorum sepulchris vasa eruta *Corinthia*, tàm ænea, quàm fictilia, quæ dicebantur *Necrocorinthii*, hoc est *Corinthiorum* defuncti. Sed hanc profectò duodecim Tabularum legem, magnus ille Imperator Leo *Novel. constitut.* 53. abrogavit, mortuos, jubens, nonnisi intra Oppidorum mœnia sepeliri. Deinceps vero Cœmeteria circum Ecclesias à Christianis delata: cap. sicut antiquitus XVII. Quæst. 4. Quæ certè loca, ut Baronius inquit *in Martyrol.* 3. *Jan. &* 23. *Jun. Modo concilia Sanctorum: modo etiam à natura loci denominatione deducta, Arenariæ, Cryptæ, Catacumbæ, sive Catatumbæ, in veteribus Martyrologiis appellata inveniuntur*. Apud *Afros* autem eademmet loca Areæ dicebantur: congregabantur enim ibi precum fundendarum causa Christiani. Sed hujusmodi licet nominibus loca sepulchrorum extra urbem significarentur; hisce tamen nostris temporibus Cœmeteria appellamus loca, vel prope Ecclesias, vel in eisdem Ecclesiis cadaveribus excipiendis destinata, quamvis peste grassante, ne contagio Civitates inficiantur, cadavera ad locum sacris ab ædibus, & urbe remotum, comportari solent. Silvester in *summa dict. sepultura quæst.* 1. Vide etiam Baronium in *not. ad Martyrolog. Rom. Jan.* 3. & Jodochum Lorichium in *Thes.* Et sanè *Cupersani* pervetusta sunt *Beati Rochi* tecta, propè Templum *S. Crucis à Nicolao de Tarsia* gentili meo anno Christianæ Redemptionis M.CCCXX. excitatum: in quæ contagioso affectos morbo ferebant cum inibi desæviret divina ultio. *Neapoli* quoque non longè à mœniis sacræ sunt *Beati Januarii* Martyris ædes satis peramplæ, ac habitaculis undique circumseptæ, in quibus furente morborum colluvie, cadavera, & animam agentes, omnesque peste laborantes annis conferebant elapsis, cum Dei digito tangerentur *Neapolitani*: quorum magna in *Divum Januarium* devotio instar clypei à gladio utraque parte acuto *Neapolitanam* defendit urbem; Martyris quippè huius liquescens, præsente capite, sanguis pro palea, quam in se claudit, nempè nomine peccatore clamat. *Panormi* etiam, imò, & ubique locorum hujusmodi usibus destinata esse solent ædificia.

Sed quàm exactè legem duodecim Tabularum, tunc temporis vigentem norum servarit *Cupersanum*; quantaque in eo pietas effulserit, vel inde patet, quod non communis tantum inibi esset Area civium sepulturæ aperta, de qua supra mentionem egimus; sed, & altera pauperiorum commodo patens. Eratque eo in loco, ubi nunc vetera extant suburbia, quæ dum conderentur, urnæ erutæ sunt sepulchrales, lacrymarum conceptacula; vasaque innumera. Nobiliores autem, qui communi non egebant sepultura, suos habebant agros, suaque prædia, in quæ vita functos conferebant. Moris profectò in Agris sepeliendi meminit Cicero *pro Roscio*, Servius *in Vigil.* & Cælius Rodiginus *antiquit. lect. lib.* XVII. *cap.* 19. Et passim sacræ paginæ, unde *Abacuch* magnis honoribus in agro suo *Beznchar* anno ab Orbe condito ter millesimo quadringentesimo, ac sexto decimo, humatum esse, ait Sixtus Senensis *Bibliothecæ sanctæ lib.* I. Et ex triginta argenteis quibus *Judas Christum* vendidit, ab eoque in Templo projectis, Principes Sacerdotum *emerunt agrum figuli in sepulturam peregrinorum. Matth. cap.* XXVII. *vers.* 7.

Sed enim verò *Cupersanensem* antiquitatem sepulchrorum ex agris repetamus. Hac siquidem nostra tempestate non multis ab hinc annis, in agro Monialium *S. Benedicti Cisterc.* Ord. coloni lapicidinam infodientes, Gentilis cujusdam sepulchrum invenerunt; quod quidem lateribus erat compactum quatuor exporrigens angulos. Mox ad id visendum accersiti sunt Antiquarii, eorumque anteignanus *Franciscus Julianus* Senior Notarius

antiquitatis ſtudioſiſſimus, coram quibus apertum eſt monumentum, in eoque nil repererunt aliud, niſi cineres, & quaterna argillacea Idola hiſce nominibus invicem diſtincta *Ceres. Juno. Minerva. Veſta.* antiquam, eamque vanam nobilis illius ſuo ſepulti in agro pietatem in Deabus agnovere. At mox invaleſcente Sole, calentibus Idola radiis percuſſa, nec non priſtinam amittentia figuram, deſtituta quam ſub terra detinuerant forma, in auram, & cineres identidem abiere. Has certè Deas, nec non *Dianam*, & *Venerem*, præcipuo quodam cultu venerabantur *Cuperſanates*, ac univerſa *Peucetia*, vana licet ſuperſtitione, ſingularibus tamen rationibus, quæ hic ob oculos. ſiſtendæ.

Nec ab re principem ſibi locum vendicat *Ceres* frumentaria, quippe quæ frugibus præerat, quarum vi utraque ſic abundat *Apulia*, ut ea *Italiæ* totius horreum vocitari ab Auctoribus ſolet, quod ſupra latiùs explanavimus, ac teſte *Cicerone*, *Virgilio*, *Diodoro*, *Plinio*, *Ovidio*, & aliis agrorum colendorum rationem invenit; primaque omnium terram arando, ſerendoque exercere, nec non triticum metere, à paleis ſecernere, molere, ex eoque panem conficere auſpicata, *Græcoſque* primum docuiſſe fertur, ut teſtatur Ovidianum illud *lib.* v. *Metamorph.*

Prima Ceres unco glebam dimovit aratro,
Prima dedit fruges, alimentaque mitia terris,
Prima dedit leges, Cereris ſunt omnia munus.

Et Orpheus in hymno de Cerere.

Colla boum, quæ prima gravi ſubjecit aratro.
Felicemque dedit victum mortalibus ægris.

Unde coronas huic Deæ ſpiceas, quas *Apulus* primus intexuit, offerebant: eæque pro templorum foribus appendebantur; ut hoc in diſtichо Tibullus ait:

Flava Ceres tibi ſit noſtro de rure corona
Spicea, quæ Templi pendeat ante fores.

Plinius verò *Hiſtor. lib.* XVIII. *cap.* 2. *Romanos* ſpiceæ coronæ inventores facit. Et Gellius *c.* 7. *lib.* VI. ait. Fratrum Arvalium Collegii ab *Acca Laurentia* inſtituti inſigne fuiſſe ſpiceam coronam, & albas Inſulas. Non quod primi *Romani* hujuſmodi coronas neglexerint, ſed quod, cum tam vanè diverſas ſequerentur religiones, aliarum etiam nationum ſuperſtitiones ſibi vendicare voluerint.

Ob eamque rationem Theſmophoria *Cereris* in honorem inſtituta, eaque initium ſumpſiſſe non a *Triptolemo Eleuſino* in oppido, aut ab alio quovis, ſed ex *Ægypto* à *Danai* filiabus ad *Pelaſgas* mulieres fuiſſe delata; Herodotus *in Euterpe* teſtatur: *Atque de Cereris* (inquiens) *ſolemnitate, quam Græci Theſmophoria nominant mihi fauſtum, felixque ſit omen, ut quantum fas eſt, per Religionem proferam. Fuerunt autem Danai filiæ, quæ hanc ſolemnitatem ex Ægypto tranſtulerunt. mulieresque Pelaſgas docuerunt.* Nec ab aliis quidem Theſmophoria celebrari poterant, niſi à mulieribus pudicitiæ, & honeſtatis flore fulgentibus. Aliæ non defuere ſolemnitates, quibus agrorum cultores *Cererem* ſibi propitiam reddere ſtuduerint, ut fuere Ambarvalia, quorum ritum hiſce ſcribit carminibus Virgilius 1. Georgic. v. 343.

Cuncta tibi Cererem pubes agreſtis adoret:
Cui tu lacte favos, & miti dilue Baccho,
Terque novas circum felix eat hoſtia fruges:
Omnis quam Chorus, & ſocii comitentur ovantes
Et Cererem clamore vocent in tecta: neque ante
Falcem maturis quiſquam ſupponat ariſtis,
Quam Cereri torta redimitus tempora quercu,
Det motus incompoſitos, & carmina dicat.

Mitto alia ſacrificiorum genera, quibus antiquitas, & noſtra præcipuè *Apulia Cererem* devenerata. Ea enim quiſque ſuopte arguet ingenio; vel eo quod vana Gentilium ſuperſtitio multum huic Deæ tribueret, ut Ovidius loco citato.

. . . . *Cereris ſunt omnia munus.*

Vel quod apud *Cnidios Ceres* vocaretur *Core*, id eſt, vitæ Princeps, ut ſcribit Rodiginus *lib.* XVII. *antiquit. lect. cap.* 27. Et id jure, quod vita in pane ſita ſit; unde cultu eam perenni proſequebantur. Panis verò confectionem à *Cerere* etſi inſtitutam ſuperſtitioſæ Gentilium fabulæ ſubindicent, ſanioris tamen mentis Doctores, & cum his Jacobus Boulduch in *ſuo de Eccleſia ante legem tractatu*, primum noſtræ mortalitatis parentem aſſeverant à Deo panificam artem edoctum, juxta illud Geneſis *c.* III. *v.* 19. *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo.* Nihilominus dicèrem ego, & jure, conficiendi panis arte, utpotè mulieribus congruiore, *Evam* primò imbutam: & hanc veteres finxiſſe *Cererem*; ſicuti *Eliam* curru raptum igneo', *Phaetontem*, & *Noe Janum* fecere bifrontem, itaùt *Adam* ſereret triticum, meteret, moleretque. Et *Eva* ex farina panem conficeret. Huic quidem Deæ frugum cauſa, magnum exhibebant cultum *Apuli* ſicut, & *Siculi*, qui in Templo voracitatis, *Cereris* ſimulachrum poſuere, nec non *Thebani* apud quos Dea hæc tanta erat, ut ſi quid ejus imagini, vel extrinſecùs accidiſſet, eo ſigno imminentia ſibi mala ominabantur. Nam aliquandò Aranea juxta faciem *Cereris* cum ſuam exerceret artem, conſuetamque telam duceret, ſummam ſibi cladem pronunciarunt, quam *Alexander* cum exercitu ad eorum urbem accedens moliebatur, ut Ælianus refert. *var. hiſt. lib.* 1. & 12. Magna quippe *Ceres* Antiquis, magna, & *Cuperſanenſibus* olim fuit. Exhibebatur autem honos *Cereri* in ſpelunca apud *Phigalenſes*: audi Rallium Textorem *lib.* 1. *cap.* 18. *At qui Cereris ſacrorum ritus is fuit apud Phigalenſes, ut nullæ victimæ caderentur: ſed fructus conſitarum arborum, & favos, & ſuccidam lanam ad aram porrigerent, quæ ad quandam ſpeluncam extruebatur, quibus oleum poſtea ſuperinfuſum accendebatur, quæ ſacra fieri quotannis cùm*

publi-

Digitized by Google

publicè, tùm privatim consuevêrunt, ut scriptum est à Pausania, in rebus Arcadicis. At nostra in crypta, in qua nunc Virginem Insulanam adoramus, verò simile reor antiquitùs *Cereri* exhibitum honorem eo ritu, ac cæremonia, qua *Phigalenses*. At cum *Cererem* vitæ Præfectam fuisse supra explanaverimus, cur in sepulchrum *Cupersanates Cereris* secum ferebant simulachrum? Porrò antiquis malè olebant *Peucetiæ* populi, atque cum iis nostri *Cupersanates*, quod corporis cultui solito plùs indulgerent (ut videre est in Leoniceni *historia lib.* III. *cap.* 99. quam supra retulimus.) ac vitiis sese omnibus dederent. Quia verò apud Gentiles Dea hæc legum conditrix habebatur, ut Ovidius loco citato:

Prima dedit leges-

Hac quidem Religione innuere volebant se legum fuisse servatores: legumque parentem semper, vel ad supremum usque diem coluisse. Et ad nostros quoque, sed sanctiore intellectu, hujusmodi manavit ritus. Nonnulli enim cum Evangeliorum libro, ubi veræ salutis extant leges, sepeliri voluere, unde cum *D. Barnabæ* Apostoli corpus in Insula *Cypri* temporibus *Zenonis* Imperatoris reperiretur, ad eius pectus *D. Matthæi* Evangelium *Barnabæ* manu conscriptum aderat.

Altera, cui *Cupersanates* honorem præbebant, *Juno* erat *Jovis* soror, & conjux habita, vel quod oves, quarum ingens vis est in *Apulia*, ei dicatæ fuerit: vel quia divitiarum Dea ab Antiquis crederetur, unde nè divitiæ eis, licet vita functis deessent, aurum in sepulturam comportabant, & gemmas; vel certè quod elementum aeris, aerisque Præfecta putaretur, unde *Orpheus*, & optimè hymnus in Junonem.

Aeriam ostentans faciem Juno alma sinu quæ
Cyaneo residēs, præbens mortalibus auras
Magna Jovis conjux, faciles, ventosque salubres.

Unde, & Anser avis ei consecrata, quia hæc vel minimum aeris motum facillimè sentit. Idcircò autem *Cupersanates Junonem* ut aeream, aerisque dominam præcipuè adorabant cultu; quòd aer nostra olim in *Apulia*, dirè nonnunquam agitaretur. Furente nempè *Atabulo*, vento quidem omnium frigidissimo, ac ita vehementi, ut à damno, ac vi, quam *Apulis* inferebat, ventus *Apulus* diceretur. *Horatius* verò *Atabulum Japyga* nominavit, quòd *Japygiam* nostram infestaret. Jure igitur à gentilibus *Peucetiis*, & *Cupersanensibus*, Dea illa venerationi habenda erat, quæ tempestatum concitandarum facultatem habebat, ut de se inquit ipsa *Juno*, quam Virgilius *Æneid. lib.* IV. sic loquentem facit.

His ego nigrantem commista grandine nimbum.
Desuper infundam, & tonitru Cœlum omne ciebo.

Inde etiam enata ventorum veneratio apud *Apulos* celebris, ut asserit *Alexander ab Alexandro*. *Apulia* enim *Peucetia* Gentilibus aberrans ritibus, ut ventorum à se vim, cui subjecta erat, procul arceret, Religioni Aquotannis, ac sacrificiis debebat se, quibus *Eolum*, & *Junonem* propitiam sibi reddere studebat. Unde solemnis illa *Junonis* simulachri in sepulchrum cum cadaveribus transportatio. Nec multum sanè differebat hujusmodi *Peucetiæ* spiritus ab eo, quo *Beneventani* impetebantur. *Beneventum* sanè antiquitùs *Maleventum* vocitabatur, nam sæpè sæpiùs temerario quodam ità concutiebatur flatu, quo evenerirent prorsùs inaudita: cum arbores hujusmodi penitùs eradicaret, everteret ædificia, & homines aut allideret ad fabricas, aut alios in alios ageret, aut elevaret ad æthera. En quo ventorum genere *Beneventani*, hem quo *Apuli* vexarentur? In nostra profectò *Apulia*, sicut & *Beneventi Philetæ* illi (de quo meminit Ælianus *lib.* IX. *de var. histor.*) tam exili, ac gracili corpore prædito, soleæ nunquam profuissent plumbeæ, aut ferreæ, ut ventorum viribus occurrere posset. In his itidem *Sannyzio*, *Melitus*, ac *Cinesia*, poetæ tenues admodum, ac macri, ventorum vi aerem fuissent permensi. Quidquod *Archestrati* vatis, ab hostibus capti, qui *ad lancem appensus, inventus est habere pondus unius oboli?* Quicquod Hipponactis poetæ, exigua, ac deformi statura? Quidquod *Panareti*, summæ tenuitatis viri, qui *sine omni morborum contagio vixit?* Quidquod *Philippidis*, cujus exilitas in proverbium abiit? Omnes quippe evasissent dubio procul Aves, nunquam alites. Meritò igitur Gentili *Cupersano*, *Junoni* aeris Deæ, ac *Eolo* supplicationes ferre opus erat, nisi addere velimus, & hanc rationem, nempè ex Cupresso *Junoni* Reginæ simulachra fieri solita, quod hæc arbor ei placeret: audi *Joannem Pierium Valerianum* de Cupresso sic loquentem: *Ex ea autem arbore simulachra Junoni Reginæ fieri jussa, in plerisque prodigiorum expiationibus observatum: ut Gn. Cornelio Lentulo, P. Liceno Consulibus Cupressea simulachra Junonis Reginæ posita per virgines viginti septem, quæ urbem lustraverunt.*

E *Junone* ad *Minervam* transeamus. Quam *Cupersanum*, totaque adorabat *Peucetia*, non quod disciplinarum Dea, & ipsamet sapientia crederetur, nec quod è *Jovis* cerebro, nempe è scientiarum fonte, nata: (tam altum enim, tam utilem, tamque necessarium *Apulas* collimasse in scopum non crediderim) sed cum omnia nostrates proprium referrent in commodum, ab oleo, & lanificio, quibus nostra hæc abundat Regio, colendæ *Minervæ* ansam desumebant; quòd cum hæc olearum plantationem, & ex olivis succum exprimere invenerit, nec non lanarum texendarum Princeps, & parens haberetur, jure *Apulis*, & nostris præcipuè *Cupersanensibus* cæca ea tempestate colenda fuit omnibus. Sunt nostra quidem in *Peucetia*, & patria, loca olearum arboribus magno cum ordine consita, eaque celeberrima, è quibus non mediocris quotannis fructus percipitur. Abundat quoque *Peucetia* lanis, ut superiùs enarravimus, laudatissimis. Ob idque Dea illa colenda, quæ lanis præesset, & olivis. Nec ab re in sepulchra *Minervæ* ferebatur simulachrum; quod Portarum urbium, ad quas Cæmeteria

ria antiquitùs fiebant, præfecta esset; unde *Pyletis* dicta.

Postremò *Vestam* à *Cupersanensibus* cultam, & in sepulchra ejus statuam cum cineribus illatam reperimus; vel quòd pro terra sumeretur, unde par utrique etymologia respondere videtur, juxta Ovidianum illud *lib.* VI. *Fastor.*

Stat vi terra sua: vi stando Vesta vocatur.

Vel quòd pro igne ab antiquis putaretur, ut *Naso* hisce testatur verlibus. *Fastor.* VI.

Nec tu aliud Vestam, quam vivam intellige flammam,
Nataque de flamma corpora nulla vides.

Et quidem jure honos *Vestæ* à Gentilibus illis debebatur, honos, inquam, qui urnas spectaret, & sepulchra, quo nempè ritu, cadavera illi commendabant Deæ, quacum perpetuò standum censebant, & in quam redire necessum erat: & qui, ut ignem *Vestam* adorabant, jure illam optimo in cadaverum cineribus ponebant.

Neque ista tantummodò signa reperta fuere *Cupersani*, ejus antiquitatem testantia. In quibusdam enim propè *Sessanensem* lacum latomiis vetusto *Divi Benedicti* Monasterio addictis, aliud *Rustici* monumentum variis, antiquioribusque valis, ac Idolis refertum ostenderunt. Erantque inter illa *Dianæ*, ac *Veneris* simulachra: quæ *Cupersanum* quanam adoraret, ratione explano.

Dianæ siquidem à *Peucetiis* omnibus percèlebri in Templo, ut *Aristoteles* ait, summus exhibebatur honos: nam eadem *Latona* dicebatur, à qua, & *Apulia* tota *Latonia* dicta, ut supra. Proindè à *Cupersanensibus* in *Peucetia* populis, tantæ habebatur venerationi, ut ejus simulachra in sepulturam comportarent. Hæc sanè in cœlo *Luna*, in terris *Diana*, in inferis *Proserpina* vocatur. Toto sanè Orbe nominatissimum erat Templum illud, in quo æneus torques mira arte contextus, hisceque literis, vetustatis injuria penè obrutis inscriptus: DIOMEDES DIANÆ: innumeros fermè annos servatus est. Quam profectò Historiam hunc in modum enarrat Leonicenus *lib.* I. *variar. historiar. cap.* 92. *Ferunt autem Diomedem* (inquit) *post eversam Troiam ad ea loca delatum, torquem eum in capti collum Cervi indidisse, illumque Dianæ consecravisse, qui longis posteà annorum sæculis, quibus id genus animal procul dubio vivere dicitur, super data jam pelle, obducto latens corio ab Agathocle postmodum Syracusarum Tyranno, qui fortè fortuna feram illam venando interfecerat, tandèm inventus, & Dianæ consecratus fuisse dicitur.* Hactenus ille. Hoc profectò animalium genus, nempè cervorum, *Dianæ* charum, cui aureus currus à candidis tractus cervabus à veteribus tributus, ut hisce *Callimachus* testatur carminibus:

Aurea nam dominatrix Tityi sunt arma Diana
Cuncta tibi, & zona, & juga quæ cervicibus aurea
Cervarum imponis currum cum ducis ad aureum.

Venit quidem *Diomedes* in *Apuliam*, in qua cum sibi fides non servaretur à *Dauno* Rege: hostibus profligatis: Deos precatus, ut Regio illa semen non reciperet, aut captum non redderet; quod obtinuit. Vide Nicolaum Leonicenum *lib.* III. *de var. hist. cap.* 86. Culta in *Peucetia Diana*, eo quod venationibus, quarum nostra hæc abundat Regio, præfecta esset. Eadem parturientibus dicebatur, & uterum gerentibus opem ferre; unde de illa Horatius *lib.* III. *Carminum*:

Montium custos, nemorumque virgo
Quæ laborantes utero puellas
Ter vocata audis, adimisque letho
Diva triformis.

Diana humanis placabatur victimis, unde *Longobardi* qui *Apuliam* tenuerunt, pueros sacrificabant, & (hi si quando deessent) Camelum album Barbaris cum ceremoniis, ut infra. Errabant profectò veteres, pro sua quique necessitate, varios sectantes superstitione delibutos ritus.

Et *Venerem* cæteris præ Deabus *Japyges* nostri Gentilibus obsernantes ritibus, colebant, utpotè deliciarum Antistitam. Amores enim eo consectabatur nostrates affectu, ut nihil non molirentur, quod ipsorum libidinem confoveret. In tantam quippe hosce viros (si virorum modo appellatione tunc temporis digni) fama est deveniisse luxuriam, imo procaciam, ut more muliebri comerentur: *Ac patrii obliti decoris, & modestiæ* (quod Nicolaus Leonicus asseverat *lib.* III. *var. hist.*) *fucata facie, suppositiis, alieniisque ornati Comis, in medium prodire sint soliti, mollissimis chlamydibus, & talaribus, floridisque semper amicti stolis, quibus reliqua etiam vitæ ratio, omnibus respondisse, & quadrasse numeris perhibetur.* Proh *Apulorum* lasciviam! Quos à *Cretensibus* ortos asserit idem *Leonicus*, & jure nam, & *Cretensium* mores, & lasciviam ebiberunt. De iis *Epimenides Cretensis* ità cecinit: *Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri.* Quod & à *Callimacho* usurpatur, & à *Divo Paulo* refertur *Epistol. ad Titum* vide D. Hieronymum, & Augustinum *lib.* II. *con. adv. leg. & Proph.* Sistat igitur miratio si *Cypriæ Veneris* simulachra adeò impensè colerent *Cupersanates*, ut non secùs, ac ultimum vitæ, mortisque solatium, ea in monumentum secum vehere certarent, & ad hoc roborandum notandum est, numina à Gentilibus *Cupersanatibus* culta, non alia ex antiquis apparuisse memoris, nisi mulieres, ut *Cererem*, *Junonem*, *Dianam*, *Vestam*, *Minervam*, tantus sanè erat *Peucetiorum* in mulieres amor. Sed & alia subest ratio, quarè tam diligentèr antiqui *Aphotides* Idolis suas communirent sepulturas. Erat quippe illa natalium, mortisque præsens: *Siquidem in æde Lybitina* (ut Rodiginus inquit) *quæ ad sepulturam pertinent, vendere consueverant, Lybitinam non aliud quam Venerem esse existimantes. Hoc autem argumento humanæ fragilitatis unumquemque admonebant, quod*

una

Digitized by Google

una, eademque Dea, principium, ac finem vitæ in potestate habeat, ut quæ ingredientibus vitam, vel decentibus præsideat. Porrò *Libytinam* eandem esse, ac *Venerem* docet *M. Varro* apud *Rodiginum*. Hinc fuit, ut *Venus* in sepulchro, quod *Cupersani*, ut diximus, inventum fuit, cum cæteris Idolis extaret; Mos quippe erat antiquis, cadavera auro, ac gemmis ornata, cum intima eis familiaritate conjunctis concremare: cineresque in urna conditos cum Idolis sepelire. Addebant, & comas charorum, & lacrymatoria, ut in hisce Euripidis *de Iphigenia in Tauris*, carminibus videre est.

Tumultumque congere, & monumenta imponito;
Comas sepulchro det soror cum lachrymis.

Et in hisce Homeri.

Solus honor sequitur mortales ille miselos,
Et tondere comam, & lachrymas in funere
spargi.

At qui exustionis hujusmodi rationes commemorat Rodiginus *lib.* XVII. *cap.* 26. earumque prima, quòd igneo veluti vehiculo ad æthera elatum quidquid divini hominibus inesset, cælestibus nonnulli putarent inseri: *subsidente, quod terrenum est.* Altera quod expurgationem in igne quandam agnoscerent. Tertia, quòd alii cum *Heraclito* ignem rerum principium existimantes, in eundem corpora resolvenda pronunciarent. Viget porrò apud quasdam *Peruviæ* gentes, servos cum dominorum cadaveribus comburendi mos: quem servus quidam *Lusitanus* altero captus oculo, rogoque domini destinatus, faceto responso deviravit: in ignominiam quippe domini sui cessurum asserens, si luscum in vitam alteram, secum duxisset servum. Ac alium proinde in eius locum subrogarunt, ut habes *ex* Joannis Boteri *apophthegmatibus lib.* I.

Neque silentio obvolvendum est, innumera prisçorum sepulchra *Cupersani* inventa. Insigne illud, quod alio in fundo non longè à *Mariano* Templo, de Insula nuncupato, fecus *S. Appolloniæ* Sacellum, cum oleæ plantarentur, reperere: quod cum aperiretur, perennè lumen, ante cadaver in fictili ardens lucerna, evanuit illicò. Erat quippe demortuum corpus armis indutum, ac opobalsamo delinitum, ut putredini quam maximè obsisteret: nec non penès eum Idola extabant nonnulla, quæ omnia mox aeri exposita in cineres rediere. Quod ab Excellentissimo *Joanne Hieronymo Aquaviva Aragonio Cupersanatium* Comite, cæteros inter Principes omnigena eruditione conspicuo accepi. Perenne quidem lumen ab antiquis frequens parabatur; & in nostris *Apuliæ* regionibus, in *Diomedeo* sepulchro lumen coram *Diomedis* ossibus aurea in limina, sepultis, inventum refert Benedictus Cocarella Vercellensis *in sua Tremitanarum Insularum descriptione.* Et in agro *Patavino* propè oppidum *Ateſtinum* (ut refert Joannes Baptista Porta *lib.* II. *mag. natur. cap. ult.* citatus à Bernardo Cesio *de mineral. lib.* III. *cap.* 7. *sect.* 20. Urnam fictilem repererunt, & intra eam alteram urnulam, & in hac lucernam adhuc ardentem. Sed urna à rusticis rupta evanuit flamma. Scribit idem Porta *loco citato.* In *Neside* Insula prope *Neapolim* anno 1550. marmoreum cujusdam *Romani* sepulchrum inventum: intus verò phialam repertam, in qua lucerna adhuc ardebat; qua fracta, & aere in eam intrante, extinctum est lumen, quod multis ante seculis ibi clausum fuit.

Nostris verò hisce diebus, cum cænobium *Divi Franciſci Paulensis*, opera, ac studio Reverendi Patris Fratris *Dydaci Juliani Cupersanensis*, viri pietate, ac doctrinis ornatissimi, in minima Religione maximi, primariisque Ordinis sui muneribus perfuncti, antiquo majus, ac peramplius redderetur; nonnulla antiquitatis erupere vestigia, reperta enim sunt vasa, & urnæ fictiles, lacrymarum excipuli, & hujusmodi, quorum pleraque, ceù non obscuras *Cupersanenſis* antiquitatis notas in Musæo nostræ *Tarsiauæ* familiæ asservat Abbas *Octavius* germanus major. Mitto plurima, ne mei fastidiat lector. Ex his liquidò cognoscet, erudite, ac diligens antiquitatis indagator, *Cupersanum* annis ante Christianam redemptionem penè innumeris conditum. Quem nam verò habuerit originis suæ parentem, nescimus. Urbium enim aliæ antiquas earum cunas noverunt, aliæ verò primordia non ostendunt. Illæ (ut philosophico more loquar) antiquæ à priori, & per notam causam: hæ autem à posteriori non quasi nullam cunarum originem agnoscant, sed quod ea ex antiquitatum tenebris non emergat, cum pervetusta tantùm appareant, quæ avitam præcesserint memoriam, vestigia.

Etsi verò *Cupersani* natales, ejusque ignoremus extructorem, illud tamen unum constat, nomen illi inditum à Cupressibus, quas in illius ambitu multas fuisse, nonnullæ in præsentem usque diem superstites, annosæ admodum subindicant; itemque à *Jano* agriculturæ in *Apulia*, & in *Italia* ferè tota Parente; Ità ut ex Cupressibus, & *Jano*, ambobus hisce nominibus in unum coalescentibus, factum sit, quod *Cupersanum* diceretur, quasi *Cupressetum Jani.* Quod bellè respondet antiquæ, & obsoletæ illi nomenclationi, qua nostra olim civitas *Cupressanum* appellabatur; idque deindè usu invalescente, ut nescio quæ soni mollities evitaretur, unius tantum literæ transpositione mutatum. Hinc est quòd nobis etiam placuerit frequentiori *Cupersani* nomine uti, quod tum in libris, tum in antiquissimis pagellis, ac lapidibus invenimus; nisi *Cupersanum* illam esse *Cupram* judicemus, de qua *Strabo*: & infra. Et quidem *Cupersano* à Cupressu, sepulchrali hieroglyphico, nomenclatio quàm probè accesserit: habes ex sepulchrorum numero, quorum totus ferè ejus ambitus erat perplenus: & in dies prout infodiendi sese offert occasio, urnæ erumpunt, & sepulturæ. Et fortè; *Romanis* apud *Cannas Apuliæ* Vicum, ab *Annibale* profligatis, anno ab urbe condita DXLI. ubi Consul *Æmilius Paulus* periit, Consulares, Prætoriive viri viginti interfecti sunt, Senatores quà capti, quà occisi triginta, nobiles

Digitized by Google

biles viri trecenti, pedestrium militum quadraginta millia, equitum tria millia, quingenti: Quum, & *Annibal* (ut ait Paulus Orosius *lib.* IV. *c.* 16.) *in testimonium victoriæ suæ tres modios annulorum Carthaginem misit, quos ex manibus interfectorum equitum Romanorum, Senatorumque detraxerat.* At verò non videtur alienum Consulares, aut Prætorios viros illos, Senatores, cæterosque nobiles tunc cæsos, *Cupersanum* advectos, ibique eorum cadaveribus sepulturæ honorem statutum, ac implantatis in rei memoriam Cupressibus, *Cupressani* nomen urbi relictum. Sanè Cupressum funus, & sepulchra nobilium significare testis est *Lucanus* sic inquiens:

Et non plebejos luctus testata Cupressus.

De quo nos peculiaritèr egimus in Ara Parentali ad exequias Excellentissimi Dynastæ *Dydaci Lopei de Haro Carpiensium* Marchionis structa, symbolo I. Thucydides verò *hist. lib.* II. ait, ossa eorum, qui pro Patria mortem oppetiissent, Cupressinis in arcis asservata. Deorum autem simulachra à veteribus idcircò ex Cupressu formata quòd hæc cariem non sentiat, unde simulachrum *Jovis* Cupressinum ducentos annos duraſſe ait *Plinius* à *Valeriano* citatus. Nec desunt opinantes *Cupersanum* dici à *Cupa*, & *Jano* ità, ut esset antiquis quasi *Cupa*, sive vas vinarium *Jano* dicatum; cum enim veteres *Janum* pro *Noe* sumpsissent, qui vineam plantavit, primusque omnium vini saporem expertus, meritò illi *Cupam* dicarunt. *Cupæ* nomen in *Hispaniis* ingentia retinent dolia servando vino destinata, quæ *Cubas* dicunt. Porrò *Cupersanates* magnam quotannis vini copiam percipiunt: Sicut & aliarum *Apuliæ Peucetiæ* urbium cultores, de quibus Prosper Rendella in egregio *de vite, vindemia, & vino tractatu*. Sunt verò qui mallent hujusce nominis etymologiam à *Cypria Venere*, quàm ardentèr *Apuli* amabant, esse petendam: Y, in V. mutato, quod sæpè usurpatur; ut proinde *Cupressani* nomen sit ferè *Cypria*, sive *Cypera* anus, hoc est, amor vetus: vel per antiphrasim, amor recens; quod inibi adeò vehementer libidini vacarent, itaque se officiis, & calamistro pulchriores reddere studerent, ut *Venus* ibi seneſcendo viresceret, ut supra retulimus. Quam facetè de mulierum lascivo mundo Plautus in *Heautont. act.* II. *sc.* 2.

..... Nosti mores mulierum,
Dum moliuntur, dum comuntur, annus est.

Annus est, & meritò; quia una tantùm hora *Veneri* indulgendo, eam salutis, & mentis jacturam facimus, quam multorum annorum spatio vix subiremus. Unde luxuriosis bellè quadrat illud. *Una nocte seneſcentes.*

Cyprus etiam *Veneri* sacra fertur, quia lasciviæ dedita erat. Et fortasse nostra hæc civitas illa est, quam antiqui *Cupram* in littore *Apulo* appellabant à *Cypro* nempè Templo, quod ibi *Tusci*, ut *Strabo* ait, extruxere.

Sed has quidem nominis derivationes, alacri, promptoque ut animo complectaris, meminisse necessum est in multis multarum urbium, Regionumque nominibus non absimilem agnosci inditæ nuncupationis originem: quam ex eventu, vel ex alia quavis oboriente circumstantia ductam, omnes omnium notarunt annales. Et ut aliqua, quæ suppetunt exempla in medio sistam; nonne *Mediolanum Cisalpina* in *Gallia* tàm superbum, quàm fortè, à *Gallis Insubribus* conditum, à sua dimidia parte lanata (ut cum *Divo Ambrosio*, & *Sidonio Apollinari* nonnulli volunt) *Mediolani* nomen sortitum? Quod & *Claudianus* subinnuere videtur, sic inquiens.

Continuò sublime volans ad mœnia Gallis
Condita lanigeræ suis ostentantia pellem.

Nonnulla vero *Ægyptiorum* oppida ab animalibus nomen sumpsisse testem habemus D. Hieronymum *lib.* XIII. *in Esaiam*, *cap.* 46. qui *Pleraque* (inquit) *oppida eorum à bestiis, & Jumentis habent nomina* Κυνῶν, *à Cane*, Λέων, *à Leone*: Λύκων, *à Lupo*. Et *Canariam* Insulam *Fortunatarum* unam à *Canum* ingentis magnitudinis multitudine dictam ait Plinius *lib.* VI. *cap.* 32. Nonne *Sena* à senibus, quorum gratia à *Brenno Gallorum* Duce fuit excitata, nomen mutuavit suum, anno ante Christi adventum tercentesimo sexagesimo secundo? *Brundusium* vero à Brunda græcè, quod latinè idem est, ac cervi caput, eam enim urbem ad modum cervini capitis cornua habentis dispositam esse Isidorus ait *lib.* XVI. *cap. de nomin. Civitat.* & Barth. Anglic. *lib.* V. *cap.* 18. *Beneventana* civitas *Maleventum* antiquitùs appellata, quod & Plinius testatur *lib.* III. *nat. hist. cap.* II. sic inquiens. *Cætera intùs in secunda Regione, Hirpinorum Coloniæ: una Beneventum, auspicatiùs mutato nomine, quæ quondam appellata Maleventum*. Idque profectò quòd vehemens inibi exsufflans ventus, quicquid occurreret magni licet ponderis, facilitèr elevaret, ut superiùs dictum est. Hic autem placet, Scholiastem *Julii Polyhistoris* in medium proferre; cujus ista sunt verba. *Beneventum verò olim dictum fuit Maleventum, quod à Dalmatia violentior quidam, & acerbus ventus ingruere consuevisset*. Livius autem *lib.* V. aliam hujusce nominis reddit rationem, *Maleventum* nimirum appellatum, eo quod ibi ad triginta *Samnitum* millia (*Sulpitio*, & *Petilio* Consulibus *Romanis*) cæsa fuerint. Sic primaria quoque magnæ *Ægyptii* Urbs, *Pelusii* nomen obtinuit à *Peleo Achillis* Patre, ejus urbis conditore, licet *Cornelius Cornelii à Lapide Pelusium* quasi πηλόεσσαν, id est Lateritium dictum velit. Universa enim *Ægyptus Nili* inundatione lutosa, & oblimata, lateribus abundat. *Capym Capuæ* urbi *Campanæ* olim Regionis Principi nomen feciſſe testis est Silius *lib.* XI.

Tum Capys ut primus dederit sua nomina muris.

Nec non poetarum Princeps Virgilius:

Et Capy hinc nomen Campanæ dicitur urbis.

Quamvis hoc non probetur *Antonio Sanfelicio* Monacho, qui *Capuam* ait, dici, quod

Cam-

Campaniæ felicis fuerit caput : his verbis : *Non urbis conditor Capys (legimus enim, & Oscam, & Vulturnum priùs vocatam) sed amplificator fuit. M. Varro ad campestrem retulit sedem, Strabo ad rem ipsam, quod caput esset Campaniæ. Is quinto Geographiæ libro sic ait. Quum autem urbes duodecim in Campania forent, Capuam perindè, ac illarum caput nominarunt. Romæ* nomen à *Romulo*, tritum est, unde Virgil. *lib.* 1. *Æneid.*

Inde lupæ fulvo nutricis tegmine lætus.
Romulus excipiet gentem, & mavortia condet.
Mœnia, Romanosque suo de nomine dicet.

Sicilia dicta à sicilliendo, eadem *Triquetra* à figura triangulari, & *Trinacria* à tribus promontoriis. *Sabaudia* licet à *Sebusianis* populis, aut à *Sabatiis* vadis nomen accepisse videatur, de ea tamen hæc *Carolus Bovillus* in medium adfert. *Fuisse* (inquit) *hanc Regionem olim præ locorum angustia (utpote inter Alpes sita) & habitatorum paucitate, totam à latronibus obsessam, qui prætereuntes, aut jugulabant, aut spoliabant. Tum nobilis quidam eam Regionem ab Imperatore in titulum Ducatus obtinuit, qui cunctos ex ea prætereuntibus infestos vi armorum suâ movit; & viam peregrinis securissimam præbuit. Hinc salvam viam (quæ priùs Mala via, vulgò* Mal Voie, *vocabatur) eam in posterum vulgò* Saul voie, *vocari jussit. Inde Sabaudiam fecere.* Thuscia ἀπὸ τῆ θύειν, quod est sacrificare, quia *Tyrrheni*, Deorum cultui, ac sacrificiis plurimum vacabant : cæteraque nationes religione anteibant. *Thurium* urbs magnæ *Græciæ*, à *Thuria* vicino fonte nomen habet. *Turum Apuliæ Peucetiæ* Oppidum non longè à *Cupersano*, à *Tauro*, quem in insigniis gestat, nomen accepit, ferunt enim *Tarentinum Taurum* auro, ac gemmis onustum in ea regione inventum, ob cujus memoriam oppidum illud erectum, cui à *Tauro* nomen factum, ad hæc usque tempora retinet. *Herculis* Insulam propè *Hispaniam Scombrariam* appellant, à captis ibi Scombris, ex quibus optimum fit garum, ut ait Strabo *lib.* III. *Geogr. Patavium*, quod hodiè *Padua*, à *Padi* fluminis vicinitate, sic dictum est. *Wandalicia* à *Wandalis* eam occupantibus, modò nuncupatur; quam veteres *Boticam* à *Bœti fluvio* dicebant, qui hodiè *Arabico* quidem vocabulo *Guadalquivir* appellatur, id est, Flumen magnum. *Nisyrus* Insula una ex *Cycladibus*, *Porphyris* etiam dicta à purpuris, quæ in ea nascuntur, ut auctor est *Suidas*. *Lusitania* itidem à *Luso Liberi* patris filio : quæ & *Lysitania* quoque à *Lyso* ejusdem *Liberi* socio cum *Luso* bacchante. *Olyssippo Lusitaniæ* Princeps Civitas ab *Ulysse* dicta *Ulysipolis* quasi civitas *Ulyssis*, & olim *Pintia* nunc *Vallisoletum* dictum quasi vallis litium, ut asserit luculentus Historicus *Rodericus Mendez Silva*, amicus noster, in elaborato de *Hispaniæ* restauratione libro; apud quem varias civitatum, & oppidorum nomenclationis etymologias reperies, acutè quidem, & appositè. *Sardiniam* Insulam *Græci Ichnusam* à vestigii humani similitudine vocarunt, ut ait Nic. Leonicenus *lib.* 1. *hist.* Sed cur antiquiora tam enixè exempla commemorem, cum recentia non desint? E Regionibus, Insulæ *Philippinæ* à *Philippo Hispaniarum* Rege potentissimo nomen habent. Ubium verò una occurrit præ cæteris *Julia nova* quam è nomine sic vocavit suo *Julius Aquaviva Aragonius Atriæ* Dux, qui eam extruxit, ut refert Miraballus *in Ephemer.* Reges enim, ac Principes, rebus quidem aut memoria dignis, aut ab hominum memoria nunquam recessuris, ut cum iis eorum etiam nomen posteris viveret; nomina è proprio faciebant nomine. Qua in re, non desunt exempla, quorum superiùs multa enumeravimus, unde & *Tagus V. Hispaniarum* Rex *Tago* Flumini nomen fecit, & *Iberus* amnis ex *Tubale* genito ejusdem nominis Rege, & ex *Beto Tagi* filio *Betis* nomina accepere sua : ut referunt *Eustachius*, Florianus Docampus in *Chron. lib.* 1. *cap.* 8. & Fr. Petrus Gonsalez de Mendoza Archiepiscopus Granatensis in *Hist. de Monte Celia.* Ne autem mireris *Cupersanensem* nostram hanc urbem ex Cupressuum arboribus potiùs, quam alia ex re memorabili nomen sumpsisse, monendus es, lector amice, civitatum pleraque ex hujusmodi cautis cognomenta traxisse, ut *Cerasus* urbs in *Ponto*, à Ceralis; *Castellum nucis* à nucibus; *Abellinum* ab avellanis. Item in *Attica Myrthinus à myrtorum, quas myrrynas dicunt, frequentia.* Nec non *Rhamnus* à Rhamnis. Imò ex arboribus, vel ipsi homini nomen aliquando factum; nam Plinius *de Lauro* loquutus : *Unius arborum.* (inquit *lib.* XV. *cap.* 20.) *latina lingua nomen imponitur viris.* Hinc *Laurens* apud *Virgilium*, *Laurentius*, quod profectò nomen passim usurpatur; hinc etiam Libertus *Ciceronis*, *Laurea Tullius* vocatus est. Sed quid arbores commemorem, cum vel inclytarum denominatio progenierum, præcipua nobilitatis nota insignitarum, ex ipsis humilibus mutuata plantis. *Fabios* enim à fabis, *Lentulos* à lente, *Ciceriones* à cicere serendo dictos, testis est idem Plinius *nat. histor. lib.* XXVIII. *cap.* 3. his verbis : *Cognomina etiam prima inde Pilumni, qui pilum pistrinis invenerat : Pisonis à pisendo. Jam Fabiorum, Lentulorum, Ciceronum, ut quisquis aliquod optimè genus fereret.* Confirmat hoc magis, quod ab ipso *Cicerone* actum fuisse *Græci scribunt*. Is enim cum *Siciliæ* Quæsturam exerceret, ac munus argenteum Diis offerret, epigramma de more addens, prænomen *Marci*, *Tulliique* nomen integrum jussit apponi : *Ciceronis autem loco, quod sequebatur faceté ciceris granum ab artifice insculpi voluit.* Verùm hæc de nomenclatura satis : unde ex præfatis exemplis, allatas de *Cupersani* nomine rationes lubenti te, lector, animo, lætaque fronte susceptum reor. Sed antequam ulteriùs procedamus, mirari non desinam cur *Albertus Miræus* Soc. Jes. *Cupersanum* nostrum scribat latino idiomate dici *Conversam.* Quod profectò ex quibus nam fontibus, libris, aut lapidibus doctus hic hauserit Vir, nescimus; penès eum igitur maneat.

Nitor accedit *Cupersano* ex ipso urbis si tu.

tu. Civitas enim hæc in amœno fundata colle inter omnes *Apuliæ Peucetiæ* urbes eminet. fortissimis cincta mœnibus, turribus passim, ac propugnaculis septa; fossa, valloque circumdata; magna item, turritaque ab Arce defensa. Eminet in ea turris, & una cæteris altior, ac benè magna, cujus intimæ, penitæque partes acceptam vocem numerosiore multiplicant repercussu; id quod etiam de septem *Cyziei* Turribus narrat Plinius *lib.* XXXVI. *cap.* 15. *Eadem* (inquiens) *in urbe* (de Cyzico loquitur) *juxta Portam, quæ Toracia vocatur, Turres VII. acceptas voces numerosiore repercussu multiplicant, nomenque huic miraculo, Echo est à Græcis datum. Et hoc quidem naturæ locorum evenit, & plerumque convallium ibi casu accidit: Olympiæ autem arte, mirabili modo in Porticu, quam ob id heptaphonon appellant, quoniam septiès eadem vox redditur.* Reliquum verò urbis, splendorem omnibus, præsefert in rebus, nam ædificia ampla sunt; Ecclesiæ sumptuosæ; Clerus frequens, honestate præstans, literis quoque esset, ac scientiis, si nonnihil exueret ruditatis. Duodeviginti millia accolarum alit, virosque innata quadam facilitate in omnia pronos, suavitate, & in cuncta negotiationum generibus dexteritate solertes; Fœminas itidem pulcherrimas, & uberum munere fœcundissimas, quas antiquis illis temporibus *Apulis* militibus in acie summa victus egestate demersis, lac subministrasse è propriis mammis mulctum, ac propria manu expressum, nemo sit quem prætereat. Easque in primis modestia, nataque rubore claras, itaùt in tam numerosa, ac magna civitate, rara hodierna luce offendicula eaque cautè sese offerant; quamvis *Apuli* sint natura salaces, & in *Venerem* proclives. Quod non modica mulierum laus est quarum procaciam hisce urget carminibus Euripides in Andromacha.

At tu cave, bis dico, si sapis, cave,
Si uxor tibi est, aliæ frequenter mulieres
Ut ne tuarum tecta subeant ædium.
Malarum enim plexumque sunt, ac turpium
Rerum magistræ, aliæ avidæ lucri toros
Temerant pudicos. Sunt quibus vitiis scatet
Infamis animus, operam ea dant sedulò,
Alias ut in contagia scelerum trahant.
Multis fatuitas præbet ausam criminis
Atque hinc laborat, hinc virorum affligitur
Malis domus: procul hoc venenum ab ædibus
Arce tuis; ne irrumpat, abde pessulum;
Firmis fores muni seris, sani nihil,
Nihil integri adferet exteræ ingressus, cave,
Sparget venenum viperis nocentius.

Carmina hæc uxorius quisque suæ domus Januæ inscribat. Pueros quoque dat *Cupersanum* præclaro ingenio præditos, artium, ac scientiarum omnium studio aptos, cui si se addicerent, peritia gloriam compararent immortalem. Et literis florentes olim dediſſe viros inde conjicio, quod à *Græcis* habitaretur, à quibus, & artes, & disciplinæ in id invectæ, ut *Græca* nonnulla *Apulis* communia verba, & à *Cupersanensibus* passim usurpata testantur, & ipsæmet majorum nostrorum subscriptiones *Græcè* exaratæ, ut ex vetustissimis in *D. Benedicti* Archivio asservatis apparet instrumentis. Notam quoque reddunt hanc urbem Nundinæ, & panegyres, quæ quotannis in ea bis celebrantur: alteræ die ipso Pentecostes incipientes propè Ecclesiam majorem, & Castrum civitatis; alteræ verò, sed celebriores ad *Divæ Mariæ de* Insula templum, accurrentibus totius ex Regni partibus negotiatoribus; quæ sanè institutæ sunt in honorem ipsius Insulanæ Virginis, quæ ibidem in Crypta miraculosè reperta, præcedentibus cujusdam puellæ divinis admonitionibus, de quo Historiam intexuimus jam luce donatam. Concessit profectò Nundinas illas precibus *Julii Antonii de Aquavivæ Atriæ* Ducis, *Joannes Antonius de Ursinis Tarenti* Princeps, quod sanè privilegium antiquo stylo exaratum exhibuit mihi Abbas *Octavius* germanus meus ex suo Chartophylacio depromptum.

Commendant verò præ cæteris, nostræ urbis antiquitatem nonnulli *Cupersanatium* mores, quos vel cum *Apulis* omnibus habuere communes, vel aliundè usurparunt. Vigent enim *Cupersani* ritus quidam vetustatem quàm maximè olentes: nec non varii mores, quos imperita plebs, numquam intermissa observatione indies stabilire, ac posteritati tradere non desinit. Ex innumerabilibus aliqui mihi sunt recensendi, ut historiæ huic nostræ ex eorum relatu, & varietas accedat, & jucunditas. Ecclesias sanctis dicatas extra *Cupersani* mœnia constructas quotannis, die quo eorum solemnia celebrantur, ut quam obtendunt gratiam obtineant, frequentia virorum, ac præcipuè mulierum, sed ignobilium, examina circuire solent. Sacram verò *B. Stephano* Martyrum anteſignano ædem equitantes ter, aut pluriès circumeunt, ut equi, alvi dolore serventur immunes. Sunt etiam alia, quæ circumeunt sacella, ut *SS. Nicolai, Luciæ, Laurentii, Jacobi*, nec non *Divæ Mariæ* Insulanæ Templum. Manavit sanè hic ritus ad nostrates à Gentilibus ipsis, qui Religionem in circulo reponentes, aut aras, aut idola, aut Templa circuibant, eo quod orbicularis motus omnium sit perfectissimus, unde *Ægyptii* Theologicam sapientiam, utpotè divinam, Scientiam appellabant orbicularem, *Pierius* asserit. Sed Gentilium circuitum vana Religione fultum, ediscimus ex Scripturis, ubi habetur in circuitu impios ambulare, qui à diabolo eorum magistro id accepisse videntur: de quo Petrus *Epist.* 1. *vers.* 6. *Circuit quærens quem devoret.* Ipseque Dæmon de se ipso testatus est, quum Deo responderet: Job. 1. *cap.* 6. *Circuivi terram, & perambulavi eam*: Quanti verò fieret antiquis circuitio, vel inde habes, quod quotiescumque communis lætitiæ signa exhibenda essent, circuitum cum aliquibus cæremoniis adhibebant. Nam in Imperatoris coronatione Templa à Veteribus fuisse circuitu coronata, asserit Cantacuz. *lib.* 1. *Hist. cap.* 41. Nec ullum profectò fuit olim sacrificii genus, in quo deesset circuitio, hinc Apulejus *lib.* 11. *Per dispositas* (inquit) *aras circumiens Sacerdos*

rem

nem divinam procurat. Et Servius *lib.* 4. *Æneid.* quoddam fuisse sacrificium testatur in ararum circuitu : sic enim ait : *Quidam genus sacrificii appellant, quo veteres, cum aras circuirent, & rursus cum reverterentur, & deinde consisterent, dicebant minusculum sacrum*. Senex autem ille *Antiochenus*, cujus nomen infandis pollutum sceleribus sacræ Paginæ suppressere, *Judæos* à Patriis, Deique veri legibus recedere compellens, eosdem astare sacrificiis jubebat, & cum *Liberaria* celebrarentur, in *Liberi* honorem eos cogebat circuire : ut Machab. *Lib.* XVI. *cap.*6. *Ducebantur autem cum amara necessitate in die natalis Regis ad sacrificia : & cum Liberi sacra celebrarentur, cogebantur hœdera coronati Libero circuire*. *Brutus* quoque longam post navigationem cum nonnullis sociis in Insulam *Leogeciam* appellens, ad quandam venit Civitatem desertam *Dianæ* magnifico Templo insignitam, in quo ipsius Deæ imago petentibus responsa dabat. Suggerunt *Bruto* Commilitones *Dianæ* litare, & ab ea quænam illis futura sit Patria, fixæque mansionis sedes, inquirere. *At Brutus* (ut refert Matthæus Vvestmonasterienſis Monach. in *libr. florum Historiarum, ac de rebus Brittannicis ætat.* III. *cap.*21. *Consiliis eorum adspiciens, ante Aram Deæ, vas sacrificii plenum vino, & sanguine candidæ cervæ dextra teneus, vocem in hæc verba dissolvit.*

Diva potens nemorum, terror Sylvestribus apris
Cui licet anfractus ire per æthereos.
Infernasque domos, terrestria jura resolve :
Et dic quas terras, nos habitare velis.
Dic certam sedem, qua te venerabor in ævum
Qua tibi Virgineis Templa dicabo choris.

Noniès hæc repetivit, ac deinde Aram quatèr circumiens, sanguinem, vinumque quod manu tenebat in focum effudit, mox cervæ pelle ante aram extensa, super eam procumbens, hora noctis tertia obdormivit. Visaque est illi Dea sic fari.

Brute sub occasu Solis, trans Gallica Regna.
Insula in Oceano est, undique clausa mari,
Insula in Oceano est, habitata Gigantibus olim.
Nunc deserta quidem gentibus apta tuis.
Hanc pete, namque tibi sedes erit illa perennis
Hic fiet natis, altera Troja tuis.
Hic de prole tua Reges nascentur, & ipsis
Totius Terræ, subditus Orbis erit.

Nulla quippe Gentilium Religio sine circuitu. Veteres etiam in Deorum, Heroumque celebritatibus circuitione usi sunt. Carmina enim ad Lyram concinebat Chorus ; quumque se à dextera ad sinistram verteret strophe, cum à sinistra ad dexteram Antistrophe, dum verò gradum sisteret, ac interquiesceret, Epodus occinebatur, ut ex *Græco Pyndari* Scholiaste colligitur, & ex primariis *Græcorum* Auctoribus observasse se, nobis aperuit Clarissimus, ac Reverendissimus vir *Martinus* Abbas *Lafarina de Madrigali*, *Hispaniarum* Regi à Domesticis Sacris, & Consiliis, ejusque maximus in *Siciliæ* Regno Sacellanus, prima utriusque linguæ ornatus eruditione, ac literaria nobis necessitudine conjunctus : Respexisse antiquos illos remur, modò in dexteram, modò in sinistram choros agitantes, ac postremò quiescentes, Universi totius institutum, cujus ab Oriente in Occidentem motus vergit, erronumque è converso ab occasu in ortum ; terra verò immobilis semper consistat ; ac imitari eos voluisse mundanam hanc molem, quæ continuo ex motu, in æternam desinet quietem. Huic assuo quod D. Gregorius *l.*III. *Dialog. c.* 20. narrat de *Longobardis*, quorum nonnullas leges retinet adhuc *Apulia* nostra. Hi nempe iniquis majorum suorum vestigiis insistentes Caput Capræ Diabolo immolare soliti erant : eique per circuitum currentes, caput carmine dedicabant infando. Verè *Longobardi*, sive, ut alii *Longobarbi*, eo quod longa eorum barba, à qua nomen accepisse putavit *Curtius*, & meus *Prosper Rendella*, trahebat eos dæmon. Relatu etiam dignæ videntur quædam Barbarorum cæremoniæ, quibus mos est pueros immolandi. Si quando verò puerorum eis deest corpus, ut id sacrificent : *Camelum colore album* (ut inquit *Nilus* de interemptione Sanctorum Pontificum qui sunt in *Sina* apud Metaphrastem) *& minime vitiosum in genua inclinantes ter circumeunt jacentem, cum tota Populi multitudine in orbem obeuntes. Præit verò, & circuitionem, & canticum, quod ab eis in astrum factum est, aut ex Regibus quispiam, aut ex Sacerdotibus, qui sunt ex senectute venerabiles. Qui post tertiam circuitionem, cum nondum canticum finierit populus, & extremam hymni partem adhuc in lingua habeat, stricto ense valdè percutit eundem, & primus magno studio gustat sanguinem : & sic reliqui cum gladiis accurrentes, aliqui quidem aliquam parvam pellis partem exscindunt cum pilis alii autem quodlibet rapientes ex carnibus abscindunt : alii autem usque ad viscera procedunt, & intestina, nullam bestiæ partem relinquentes non confectam, quæ possit deindè videri à Sole apparente ; neque enim abstinent ab ossibus, & medullis, perseverantia vincentes fortitudinem, & tandem diuturnitate superantes repugnantiam. Atque hic est Barbarorum ritus vitæ, & religionis*. Hucusque *Nilus*. Has profectò Gentilitatis cæremonias, ritusque insanos, saniore consilio usurparunt veteres, quum sacrificiis veri Dei operam dantes, aras circuibant. Unde David *Psalm.* XXV. *v.* 6. *Lavabo* (inquit) *inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum Domine*. *Franci* verò Orientales, ut tradit Auctor *Archontol.* die quo Natalis Christi solemnia celebrantur, infantis recens editi simulacrum super altare positum circumdant, ejusdemque Regionis *pueri, ac puellæ in orbem saltant, plaudunt*que, *majoribus natu accinentibus*. Id quod ipsa Dei sapientia agere videtur, quum cordis humani charitate flagrantis aram circumdat. *Sapientiæ cap.* VI. *v.* 17. *Dignos se ipsa circuit quærens, & inviis ostendit se illis hilariter*, & ab ipsamet vera sapientia *Christo* aras, & Templa circuire edocti sumus, qui

Digitized by Google

circumeundo doctrinam cœlestem prædicabat: *Marc. cap.*VI. *num.*6. *Et circuibat Castella in circuitu docens*. Nec aram solum modò, verum etiam Templa circuibant Gentiles, quod à *Nerone* non absque omine actum, testatur *Svetonius* in ejus vita, nec alia deerunt exempla, quæ legentibus passim occurrent. Hinc magna, ac veriore cum religione Templorum ritum circumeundorum amplexati sunt Christianæ fidei cultores, eoque præcipuè utuntur, cùm sacra *Hierosolymæ* loca invisentes, ut *Donatus Antonius Martuccius* matris meæ germanus, vir sanctitate venerabilis, ait in suo quem conscripsit *Hierosolymitanæ peregrinationis libello*, tum in primis pœnitentiam præseferentes, ut habes apud Henricum Abbatem Claravallensem in *parte posteriore Annalium Rogerii Honedeni*. *Pœnitentia illi talis injungitur, ut infra quadraginta dies à patria sua exulaturus abscederet in servitio pauperum Jerosolymis triennio moraturus. Interim verò singulis diebus Dominicis Ecclesias Tolosanæ urbis nudus, & discalceatus cum disciplinalibus virgis jussus est circuire*. Jure igitur nostri *Cupersanates* circumeundi more, quem à Barbaris *Longobardis Apuliæ* quondam Dominis ab eorumque dominatu dictæ *Longobardia* didicere, sacris operam navantes rebus utuntur, ut ex ipsis etiam prophanis ritibus religionem hauriendam ediscamus.

Quædam etiam magiæ genera apud imperitam *Cupersanensium* plebem nonnunquam vigere animadverti, eaque præsertim apud mulieres rusticas, cum cæteroqui homines vanis hujusmodi rebus non adeo videantur addicti. Cum enim (ut aliqua tangam) de futuris nuptiis vaticinari student. Botanomantia utuntur, modò carduum Terræ implantantes, modò verò; idque nonnisi tertiò Calendas Julii, acceptis cujusdam herbæ sentibus, & in aquam immersis, prolatisque nonnullis verbis, ut explorent, num spinæ simul coeant, & jungantur, sicque de futura vaticinantur maris, & fœminæ conjunctione. Et quàm jure è spinis hoc hauriunt, non enim est quod hominem magis urgeat, & pungat ut cum muliere se conjungere. Pro eodem etiam indagando, farina, polline, cera, tomice, & similibus ineptè utuntur. Aliis profectò in rebus alios tenent ritus, ita ut in omnibus eorum ineptiis non desit vana Religio; exempli gratia, quum plumbum in aquam immergunt octavo Calendas Julii, & quum ovi albumen in matellam lotio plenam injiciunt, & hujusmodi. Deliramenta quidem sunt hæc, & insomnia, quibus inhærentes, nescio quid aucupantur, quod nullo facto iisdem permittendum. Inane etiam sapit ritus, ubique receptus, quem præcipuè tenent aniculæ delirantes, ac omni superstitionum genere delibutæ, quæ ad amissa invenienda, furemque investigandum, Coscinomantiæ student. Cribrum forcipe accipiunt, ac elevant, quo suspenso, eorum nomina, quorum ineit suspicio proferentes, ex eventu, & motu cribri, ineptè vaticinium hauriunt. De quo plura habes apud Martinum Delrio *disquisit. magic. lib.* IV. *cap.*2. *quæst.*6. *sect.*4. Haud absimilem *Ægyptios* effectum in aetite *Aquilino* lapide agnovisse, furem ut deprehenderent, discimus ex *Bellonii* observationibus à *Carolo Clusio* latinitate donatis, qui apud *Græcos* hujusmodi viguisse morem, massaque aetitis pollinе consperſa ad furtum explorandum usos, hisce testatur verbis observ. *lib.* II. *c.* 25. *Furem igitur deprehendere volentes Græci, omnes furti suspectos simul evocare solent: se enim adfuturos pollicentur. Multis autem id ceremoniis peragitur, admurmurant enim Cojeri multa verba dum massam pinsunt sine fermento, è qua parvos panes conficiunt ovi magnitudine: Horum singulis, qui convenerunt, terni devorandi totidem bolis, nullo potu addito, deglutiendi præbentur. Id experimentum nos fieri vidimus: atque qui furtum commiserat, nunquam tertium panem devorare potuit, quinimò dum deglutire nititur, parum abfuit quin suffucaretur: propterea rejicere coactus est. Monachi Græci id observant tanquam peculiare secretum, nec cuiquam communicare volunt. Intellexi-mus tamen illos lapidis aetitis polline suæ massæ, dum panes bos conficiunt, inspergere.* Nec dissimilis est *Gallorum*, *Scotorum*que ablata quærentium religio. Hi enim Canem habent, quem *Trassantem* dicunt, à *Gallico Tracer*, hoc est investigo, quem odoratu res Domini sui indagantem, à nemine impediri posse, lege cautum est: impedientes acritèr plectente, ut *Aloysius* ait Novarinus *lib. schediasmat. Sacroprophan.* hisce verbis ex *Scotiæ* descriptionis libro excerptis. *Si quis pacis tempore, dum sibi ablatum quidpiam cane indagatore persequitur, vel etiam in Secretiora cubicula canis ingressum deneget, is plane pro fure habetur. Talis canis in legibus Scotorum Trassans appellatur à Gallico Tracer, quod est vestigia persequi. Nullus perturbet, aut impediat canem trassantem (inquit lex) aut homines trassantes cum Ipso, ad sequendum latrones, aut ad capiendum malefactores*. Sed hoc quamvis non infallibile semper, magis tamen est rationi consentaneum: quoddam enim reperitur canis genus, *quod* (teste Vincentio *Belvac. spec. tom.* II. *lib.*XV. *cap.*78.) *Odoratu fures intelligit, & à cæteris hominibus implacabili odio discernit*. Nescio quid præseferant pueri, cum vel in puerilibus puerilem agnoscant divinationem; & cum annum iam evanescentem, vergentemque in occasum, postremo ejus die, popularibus quibusdam clamoribus, adhibito etiam incondito strepitu, ac murmure, quod in vasis aere plenis, benèque opertis excitant, è propriis exturbare videntur laribus, novumque jam nascentem accersere. Hinc fortasse fabulosam *Horatius* appellavit *Apuliam*, quod scilicet fabellis, næniisque locum libenter tribueret, ac fidem. Sileo mores alios, atque alios, quibus nonnihil superstitionis inest. Binos tamen hic referam, utpotè quos subobscura noverim eruditione refertos. Solent enim *Cupersanates*, *Apuli*que omnes, coloni videlicet, ac rustici, qui pauperie vexantur, & præcipuè pastores, antiquorum more

Digitized by Google

re (de quibus Cælius Rodiginus *lib.* XXVII. *antiq. lect. cap.* 27. & Hieronymus Mercurialis *de art. gymnastica lib.* I. *c.* II. & Athenæus, *lib.* II. *pag.* 235. & refert etiam Joann. Rosinus *antiq. Rom. lib.* III. *c.* 38. Boum cornibus non secùs, ac cyathis, guttulisque in eorum frugalibus mensis potare: unde Martialis perbellè:

Gestavit modo fronte me Juvencus
Verum Rhinocerota me potabis.

Eaque cornua humano usui ità accommodant, ut iisdem, vel oleum deferant, vel aliud quidpiam eis necessarium. Neque is ab antiquo ritu dissimilis videtur quo Sanctum oleum ungendis Regibus destinatum, in cornibus asservabatur, quod cum ex pastoritio sit usu desumptum, Reges indicat non secus, ac pastores se se in subditos gerere debere. Cum enim *David*, Rex inaugura retur, *Tulit Samuel cornu olei, & unxit eum in medio fratrum ejus, & directus est spiritus Domini à die illâ in David, & deinceps.* I. *Reg. cap.* XVI. *num.* 13. & *Salomon* in Regem ungendus, vectus est mula Parentis sui *Davidis* in *Gibon*: ubi: *Sumpsit Sadoc Sacerdos cornu olei de Tabernaculo, & unxit Salomonem, & cæcinerunt buccina, & dixit omnis Populus: Vivat Rex Salomon.* III. *Reg. cap.* I. *num.* 39. Censent nonnulli hujusmodi cornua fuisse aurea, aut argentea, ut *Nicolaus de Lyra*, & *Abulensis*. Hic sanè inter lenticulam, è qua unctus est *Saul* (quam & ex auro, aut argento putat) & cornu, nullum agnoscit discrimen, cum extrinsecam amborum figuram minimè distinguat; nesciebat fortasse lenticulam à lente sic dictam, rotundam potiùs, quàm incurvam retinuisse figuram. Sed hæc mihi non probatur sententia. Nec alio nitor fundamento, nisi sacrarum Literarum auctoritati; quippè cum Deus *Davidem* vellet Regno imponere, *Samuelem* accersivit, cui: *Imple cornu tuum* (inquit) *oleo, & veni, ut mittam te ad Isai Bethlehemitem, providi enim in filiis ejus mihi Regem.* I. *Reg. cap.* 16. *num.* 1. At *Samuelem* aureum cornu, suis secum usibus tulisse, aut argenteum nemo dixerit. Suum enim illi Deus inquit cornu implendum: *Imple cornu tuum oleo*: Ex quo usitatum fuisse antiquis cornua humano usui accommodare, eaque domi habere, aut secum ferre ab humeris, aut cingulo pendentia clarè infertur: quem sanè ritum *Cupersanenses*, *Apuli*, Pastoresque fermè omnes in hodiernum usque diem servant. Quamvis quod erat in Tabernaculo cornu, aureum fuisse, argenteumve censeo.

Nec sanè tacendum est, quod tradit *Ctesias* historicus de Sylvestribus asinis, quorum cornua conviviis destinantur, craterum vice, ac Scyphorum, in iisque aquam, aut vinum bibere, adversus venena, nonnullosque morbos remedium esse præstantissimum. Eum audiamus sic loquentem: *Asinos Sylvestres habet India equis pares, quosdam & majores: quibus caput purpureum, oculi cærulei, reliquum corpus est album. Cornu illis in fronte cubitalis magnitudinis, cujus inferior versus frontem pars duorum palmorum spatio sit candidissima; at superior qua in acutum tendit, punicea sit, summum ruborem adjunctum habens: pars autem media sit nigra. Ex his pocula conficiuntur è quibus qui bibunt, nec spasmo, nec sacro morbo corripiuntur: sed nec venena ullam in eos vim habent, si modò, vel antequam illa hauriant, vel postquam hauserint, aquam, aut vinum, aut aliud quidpiam ex illis poculis bibant.* Urorum etiam cornibus, argenteis laminis ornatis non secus, ac poculis in Symposiis quosdam uti, asserit Cæsar *lib.* VI. *belli Gall. cap.* 27. de feris loquens, quæ in Hercynia Sylva nascuntur. Plinius vero ait *lib.* XI. *cap.* 37. *Urorum cornibus Barbari septentrionales potant: urnasque binas capitis unius cornua implent.* Cornua adhibuere nostrates in Symposiis, cornua, & in luctu. Mortuos enim suos Capillis, quos *cornua* dici testis est *Rodiginus*, operiunt. Hic sanè mos capillis operiundi cadavera antiquus est valdè, auctore *Alexandro ab Alexandro*. Sed non alia ejus rei ratio occurrit, nisi id in charorum morte à veteribus actum, ut superstitibus incolumitatem augurarentur. Capillos enim Deæ sanitatis a mulieribus olim dicatos scribit Cælius Rodigin. *lib.* XXII. *cap.* 2. quasi capillorum resectione sanitas augeretur; putabant enim veteres hujusmodi cæremonia Deæ (à sanitate) placere, proindeque vitam propagari, nisi exsectis Capillis, & supra mortuum jactis vitam eis restitui desiderarent. Sed certè Capillos abscindere, doloris esse argumentum, innumeris constat exemplis: unde *Job* infausta post nuntia: *Scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram adoravit*. Job. *cap.* I. Et in parentalibus capillos sibi evellunt *Cupersanenses* mulieres, quos cadaveribus super injiciunt. Apud easdem viret adhuc antiquus ille, ac muliebris ritus de fuso torquendo, ac defendo, de quo Plinius *lib.* XXVIII. *cap.* 2. hæc tradit: *Pagana lege in plerisque Italiæ prædiis cavetur, ne mulieres per itinera ambulantes, torqueant fusos, aut omninò detectos ferant: quoniam adversetur id omnium spei, præcipueque frugum*. Simul, & alium tenent nostrates in auferenda è mensa mappa, ac repositorio tollendo ritum, de quo idem *Plinius* paulo superiùs: *Recedente aliquo ab epulis, simul verri solum, aut bibente conviva, mensam vel repositorium tolli, inauspicatissimum judicatur*. Inviolabilitèr observant *Cupersanates* antiquum illum infantes recens natos humi deponendi morem: de quo loquitur Plinius *lib.* VII. *in præm. Hominem* (inquiens) *tantum nudum, & in nuda humo, natali die abjicit, ad vagitus statim, & ploratum, nullumque tot animalium aliud ad lachrymas, & has protinùs vitæ principio*. Quæ sanè verba alludunt ad *Romanorum* morem, quo infantem statim natum, humi deponebant, ac continuò levabant, unde *Levana Dea* vocata est. Consule D. Augustinum *de Civitate Dei*. De stellionibus, cicadis, venatione, cæterisque rebus

Cupersano cum *Apulia* tota communibus, longum esset hic agere; sit Cosmographorum munus ea recensere. Sed Cicadæ inibi adeò sunt stridulæ, ut alterum desideremus *Virgilium*, qui eas, nostris è finibus exturbet; ut olim *Neapolitana* ex Urbe, cicadam effingendo auream, teste *Joanne Villano*, nè meridianis æstivi temporis horis earum stridore infestemur. Clamosa hæc animalcula caput obtundunt, ita ut mirer, cur ea *Ambrosius* dulce canere dixerit, & in pectore habere plectrum: *Dulcis in exiguo cicadarum gutture cantilena*. Vel mutæ saltem essent, ut in oppido *Ætoliæ Acantho*: ex *Stephani Byzantii* traditione; ne scilicet omninò eas ablegem, quibus aeris, roriſque sufficit penarium, quasvè auro, aut alio quovis metallo olim expressas, nostræ Urbis, & *Apuliæ*, mulieres ad crinale etiam ornamentum transtulere, calamistratis eas capillis addendo. Vel ranæ inibi infestæ: nec non muscæ. Narrat Berchorius *in reduct. moral. lib.* XIV. *cap.* 66. *num.* 1. Sanctum *Gaufredum* Episcopum *Venestensem* jussisse, ut in lacu *Cyrenis* clamosæ ranæ obmutescerent, quæ statim factæ sunt mutæ, & ad hæc usque tempora perseverant. *Albertus* etiam ille, magni cognomento insignis, auream effingendo muscam *Bononiæ* è Triclinio Patrum Ordine Prædicatorum muscas inibi frequentissimas omninò abegisse dicitur. Utinam, & *Apuliæ* nostra alterum nanciscerctur *Gaufredum*, alterumque *Albertum*. Sed muscis se vexari non quæratur *Cupersanum*, quod illi hoc cum *Apulia* tota commune sit: Audi Bernardum Saccum *Ticinensis hist. lib.* 1. *cap.* 5. qui de *Apulo* loquutus calore, ait: *Siccitati aliud malum additur, innumerabilium muscarum infestatio. Hinc proverbium Italorum:*

Chi vuol provar l'inferno
E' estat' in Puglia, ed in Apruzzo il verno.

Ægyptias pyramides innumerabilium penè muscarum murmure infestari, ait Belloniüs *cap.* 47. *lib.* II. *observat. Muscarum* (inquiens) *apud Pyramides tam magna est frequentia, ut aer illarum murmure (dum nobis transeuntibus avolarent) resonaret*. Id fortasse ex cadaverum in Pyramidibus sepultorum copia oritur: nili calore in eas ibi sæviente, lapidis temperiem aucupentur, quod muscis peculiare arbitrantur nonnulli Philosophi naturales, & præcipuè amicus noster Abbas *Lafarina*. Et vetus quidem tormentum, quo Deus *Cupersanates*, & universam flagellat *Apuliam*, sitis est, quam sic appellari ait *Paulus Merula* quasi à pluvia, idest sine pluvia. *Cosmogr. part.* II. *lib.* III. *cap.* 30. Sunt enim ibi loca arentia nullo irrigata flumine, ita ut ii vix bibantur latices, quibus hyberno pluit tempore, potant siquidem aquam non fluentem; sed cisterninam, & cadente imbre collectam. Ait quæso Paulum Merulam *Cosmographiæ partis* II. *lib.* IV. *cap.* 31. sic ajentem: *Sunt tamen ibi, ne quid sit omni ex parte beatum, loca quædam quæ pluviis, aquisque laborant, ut meritò Horatius siticulosam vocet Apuliam*, & Persius *jure cecinerit Satyr.* 1.

Nec lingua tantum sitiat canis Apulæ.

Nonnunquam verò in summam demerguntur aquæ egestatem, ut quamvis aqua una earum sit rerum, quæ prætio non emantur, unde Plautus in *Asinar. act.* 1. *scen.* 3.

Diem, aquam, Solem, Lunam, noctem, hæc argento non emo.

De *Apulis* tamen nostris verificari videatur, quod de *Hebræis* Jeremias: *Aquam* (inquit) *nostram pecunia bibimus*. Et quod Amos *cap.* IV. *Et venerunt duæ, & tres civitates ad unam civitatem, ut biberent aquam, & non sunt satiatæ*. Lugendum sanè est, si quando in aquarum egestatem *Apulia*, & *Cupersanum* nostrum demergatur, quia nullo fluvio irrigatur, & periculosior est in *Apulia*, quàm in *Palæstina* sitis, quod *D. Hieronymus* in Amos *cap.* IV. hisce commemorat verbis: *In his locis in quibus nunc degimus præter parvos fontes, omnes cisternarum aquæ sunt, & si imbres divina ira suspenderit, majus sitis, quam famis periculum sit*. Et tamen Palæstina magnis irrigatur fluminibus. Parem sanè *Ægyptus*, *Apulia*que nostra siti oppressa fortunam subire videntur, cum iis, quos temporibus *Michaelis Paphlagonii* Imperatoris pro cœlo, & aere vectigal pensitasse tradit *Harmenopulus*, qui tunc temporis floruit; & cum iis etiam quos pro Platani umbra tributum solvisse; auctor est Plinius *lib.* XII. *cap.* 1. ut nos in Ara Parentali retulimus, quum de hac arbore mentionem intulerimus. Verum aliquid de *Cupersani*, & *Apuliæ* luto leviter attingere necesse est. Id enim usq; adeo laudant Auctores, ut cum *Armenico* bolo certare asserant. Ex ipso enim *Armenicum* artificiosum naturali præstantius effici posse asseverat Hieronymus Cardanus *lib.* V. *de subtilitate*. *Est* (inquiens) *& Apuliæ lutum rubrum, & Armenio viribus non dissimile, eo tamen longè imbecillius. Quid tamen prohibet, ne melius reddatur etiam Armenio? Elue igitur Apulicum lutum, repurga ab arena inde diligenter siccatum aceto acerrimo, & olei parte sexta excipe, ut in formam pultis redigatur. Sepelies autem udo loco in multos annos. Ergo adversus venena medicamenta, tum hermes hac ratione conficies, terræ argillaceæ purissimæ, oleo, aceto, scordio, juniperi semine, gentiana, diptamo, contundendo diù, indè sepeliendo in multos annos*. Ita *Cardanus* cujus opinionem sequuntur varii Auctores, meminitque præsertim Michael Martinez de Leyna *lib. de peste cap.* XIII. qui *Apuliæ* lutum ait, terræ *Lemniæ*, sive sigillatæ virtutibus æquari, & præcipuè quod è civitate *Materæ* trahitur. *Cupersani* certè lutum rubrum cæteris reliquarum totius *Apuliæ* partium antecellit; undè locus inibi, non longè à mœnibus à luti rubri præstantia vulgo *Terraraffa* dicitur. Verum de hujusce luti viribus Bernardus Cæsius Mutinensis *de mineralibus lib.* II. *cap.* 2. *sect.* 14. aculeatæ *Scaligeri* sententiæ, qua *Cardanum* de more irri-

Digitized by Google

irridet, se subscribit. Sed *Scaligeri* verbis in *Cardanum* ut plurimum injustè prolatis, nunquam standum: quandoquidem institutum illi est, *Cardanum* pungere. Maneat igitur *Apuli* luti præstantia. Hinc mirare quam sit *Cupersanense* rubrum lutum egregium. *Cardanos* desiderarem, quos accerserem, ut quod alieno intellectui difficile, periclitarentur. E luti nobilitate argue fructuum, rerumque argue omnium. Siste Calame ne justos prætergredi limites videaris.

His alia profectò innumera de meo congesta *Cupersano* adderem, nisi legentes prolixo afficere tœdio metuerem. Ex succo in objecto, ingenii fœcunditas enitet: sed alia non deerit, ubi mens exspatietur, area: nec alia, ubi digladietur, arena. Omnia missa facio; novumque aggredior de *Apula*, *Cupersanense*que nobilitate argumentum. Nam etsi vetustam nonnullarum *Apuliæ* nostræ, nec non *Cupersanatium* familiarum claritatem silentio præterire decreveram, ne de mea quoque cum aliis; mentionem inferrem, attamen ne hac de re silentium agens, Patriæ meæ nonnihil splendoris detraham, neve impietatis nota inurar, calamum arripio hujusce aliquid explanaturus. Me parem verò fucatis cum calamis, meus quoque subeat fortunam, vera suis ut delineet coloribus, compositæ, justæque mentis, & manus erunt partes. Ne denique inanis, gloriaque tumidus vobis videar, faciet loquendi necessitas, & occasio: iuxta *Isocratis* illud. *Duas fac occasiones loquendi, vel de quibus scis clarè, vel de quibus necesse est dicere.* Utrumque in hoc clauditur themate, nempe certitudo, & necessitas.

Apulos inurbanitatis accusare, nec non eorundem detrahere nobilitati videtur *Jacobus Dalecampius*, *Plauti* auctoritate fretus. Is enim in annotationibus ad *Historiam Plinii lib.* III. *cap.* II. varia se delectatum lectione ostendere volens in hæc verba prorupit: *Apulos* (inquiens) *rusticos, inciviles, inurbanos, agrestos fuisse monstrat hic Plauti versus in milite.*

Post Ephesi sum natus, non sum in Apulis, non sum in Umbria.

In *Apulia* existimans, & in *Umbria* nonnisi rusticos nasci. Sed *Apulos* siccine carpis *Dalecampi?* Nihil tamen vexas; non enim ex eo *Plauti* versu, *Apulorum* extorquetur inurbanitas, ut tu injuria contendis; sed potiùs loquendi arguitur promptitudo. Sunt autem *Apuli* haud inurbani, Comici mentem ex relato versu aucupando, sed benè in omnes nasuti, & derisores, quorum tu quidem scommata fuisses expertus, si quis illorum, nænias deleturus tuas, calamum in te sumpsisset. *Plauti* sententiam, quam contra *Apulos* nunquam protulit, sic explano. *Umbrorum* suorum rusticitatem; *Apulorum*que accusat oblocutionem, & dicacitatem *Umbre* hic Comicus. Quod certè novisses, & ut *Dalecampi*, si non in unum illud carmen defixisses obtutum, anteriora, & annexa cum eo legas, ut rectè intelligas. Audi *Plautum* sic fantem.

Neque ego oblocutor unquam sum alteri in convivio.

Et mox subnectit.

Minimè sputator, screator sum, itidem minimè succidus.
Post Ephesi sum natus, non sum in Apulis, non sum in Umbria.

Oblocutio, & murmuratio in convivio, ad *Apulos* nostros refertur. Quod quid malum, non *Apulorum* tantum est commune, sed omnium: nam ut *Horatius*:

Fœcundi calices, quem non fecere disertum?

Dionysius Lambinus in eadem videtur esse sententia, quum ait: *Jam Apuli mendaces, infidi, & fallaces habiti sunt.* Quem certè allusisse censeo ad illud *Epimenidis* carmen de *Cretensibus* supra relatum; *Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri.* Quos *Japigarum* nostrorum parentes fuisse nonnulli existimant, à quibus derivata in *Apulos* morum pravitas; nisi spectare fortasse hæc verba convivii tempus, quo fallaciæ expatiantur, & neniæ, velimus. Secùs verò, tanta hic in *Apulos* convitia unde congesserit, nescimus: nisi mente id sua effinxerit, eructat nonnunquam intellectus ex latietate. Sed an fallaciæ ingenii sint indices; hoc non quæro, quætat qui vult: nam encomia non sunt petenda ex malo. Hoc unum sanè mihi certum est, his abhorrere titulis *Apulos*, & abesse, num iis fuerint antiquitùs insigniti, ignoro: scit *Lambinus*, qui cervo & serpente longævior fortè vixit. Atqui ut pacem tecum ineam *Lambine*, ad convivalem à te dicta refero lætitiam; cum neque infidi sint *Apuli*; neque fallaces. Sed ad *Plautum* redeamus. Itaque obloqui *Apulis*; spuere autem, screare, & in omnibus squalorem spurcitiamque præferre *Umbris* attribuit luis, quos crapulæ deditos fuisse testis est *Catullus*, qui *carmine ad Egnatium* ait:

Aut poreus Umber, aut obesus Etruscus.

Veteres enim pingues homines, & obesos appellabant Porcos; quod & hodiè usurpamus. Et indè profecto est, ut *Umbri* comessationibus cum fuerint addicti, frequenter expuerent, nimioque se vino ingurgitantes ructus emitterent, luridosque se in omnibus exhiberent. Quos certè fœdos mores *Plauto* in *Umbria* nato, melius observare nemo potuit; non igitur *Plautus*, sed tu de *Apulis* malè loquutus es *Dalecampi?* Thesaurus sanè tuus totus in lingua est, & cum stultis communis. Audi *Plautum* in penulo:

Istic est Thesaurus stultis in lingua situs,
Ut quæstui habeant malè loqui melioribus.

Erravit ergo *Dalecampius*, qui rusticitatem *Apulis* impingere conatus fuit. *Apula* namque si perlustrasset Tabularia, Chartophylaciaque (de *Umbris* enim hic mihi sermonem habere, locus non est) indè certè innu-

innumeros erumpere vidisset eximiæ nobilitatis radios, nec non egregias inibi familias, & illustres progenies, vel supremis inclytas fascibus, muneribusque primo offendisset intuitu. Sed quanta hisce nostris diebus eluceat in *Apulia* nobilitas, testes sunt, vel ipsæ hodie superstites antiquæ familiæ; claræque domus. Si *Daunian* enim adiveris *Apuliam*, summa erumpet nobilitas ex inclytis in ea urbibus, ex *Siponto* nempè, hodiè *Manfredonia*, ex *Luceria*, *Troja*, *Equotutico* nunc *Fogia*, Monte *Sancti Angeli*, necnon *sancto Severo*. Si nostræ denique *Peucetiæ* spectaveris urbes, nempè *Barium*, *Monopolim*, *Tranum*, *Barulum*, *Bituntum*, *Cuperfanum*, *Andriam*, nec non alias, atque alias antiquas urbes, & innumeræ nobilitatis fascibus tumentes familiæ, superbæque, fumosas ob imagines domus, ac nobilium itidem examina, ultrò nobis occurrent. Mitto hæc: quòd meum non sit institutum illa prosequi. Tanta enim est *Apulorum* nobilitas, ut vel universum *Neapolitanum* Regnum, *Apuliæ* nomine à reliquis olim interstingueretur, ut *Paulus Merula* testatur, & amicus noster *Camillus Pellegrinus Capuanus*. Præcipua siquidem Regni pars, ditior, nobiliorque *Apulia* à veteribus habita, quippè quæ tres insignes complecteretur Provincias, *Peucetiam* videlicèt, *Daunian*, & *Salentinam*. Sed in nostros jam *Cuperfanates* oculos, paulisper convertamus. Facem nobis præbent lapides, necnon perantiqua, quæ extant adhuc instrumenta, memoriæque in *D. Benedicti* Archivio (veteri Cathedralis Ecclesiæ belli tempore ab hostibus cremato) superstites. Circumfertur libellus nonagenis ante annis typis datus, in quo nonnisi quatuor *Cuperfani* nobiles enumerantur familiæ, fortasse tunc temporis extantes, nempè *Fortia*, *Maueria*, *Rubiuna*, *Tarsia*: etsi claræ non defuerint antea domus, de quibus memoriæ in hæc usquè tempora perseverant in Tabulariis. Easdem numero recenset *Paulus Merula* d. m. sed ejus libri eruditione ornati. Qui *Cosmographiæ partis* II. *lib.* IV. *Italiam* describens specialem, hæc de *Cuperfano* ait: *Iojæ ad dexteram X. circitèr lapide: XXX. Ostuno: XV. Bario, Conversanum est Oppidum, Episcopali Sede, Comitatusque titulo clarum: nec non nobilibus aliquot familiis, in queis: Della Forza, de Manerio, Rubiolo, de Tarsia.*

Fortia familia admodùm antiqua est, claretque Fœudorum dominio, quod in oppida *Roccæ*, & *Sancti Martini* exercuit. Baronum sanè dignitas nostra in *Apulia*, temporibus etiam *Longobardorum* extitit, à quibus institutæ sunt Baroniæ, ut contra *Marinum Frecciam* defendit meus Prosper Rendella *lib.* VII. *in reliqu. jur. Longob. num.* 27. Hujusce Familiæ claritatem exactè de more explorarunt Equites *Rhodii* ad eorumque insignia eam admiserunt præferenda, cum & inter cœteras nobilitatis notas affinitatem inter eam, ac *Tarsianam* nostram familiam anno 1533. contractam protulerit, ut Acta *Melitensis* curiæ habent. De ea præ cæteris hæ supersunt notitiæ. Anno salutis MXCVIIII. floruit *Aldericus de Fortia* causarum Patronus. Anno verò milesimo tercentesimo vigesimo quinto, *Theobaldus* Sacellum Sanctissimæ Trinitati in Cathedrali *Cuperfanensi* Ecclesia erexit, ut ex binis lapidibus ibidem extantibus, quos hic subiicio.

MCCCXXV.

THEOBALDUS FORTIA J.C. EX HAC URBE PATRITIVS STRENVI ROGERII PATRIS REVERENDISSIMI VOTO SACELLUM INDIVIDUÆ TRINITATI SACRAVIT. BONIFACIO V. PONTIFICE. LADISLAO V. REGE.

Enituit, & in ea *Rogerius* alter, qui anno M. C. D. LXXXV. ædes construxit magnificas, hac inscriptione donatas.

ROGERIVS FORTIA EX HAC URBE PATRITIVS, HAS ANGVSTIA LOCI, QVALES POTVIT ÆDES, SVIS, AC POSTERITATI MAGIS, QVAM SIBI PONI FECIT: MCCCCLXXXV.

Maueria, & *Rubiuna* familiæ jam extinctæ, antiqua nobilitate, ac divitiis claruere; quarum in Archivio *S. Benedicti Cuperfanensi* mentio frequens, de iisdem quid referam, præmanibus nihil mihi est, nisi quia clarissimis semper natalibus florentes, ac nobilium sæpè familiarum consanguinitate conspicuæ.

Tarsia familia (ut cum cæteris de mea quoque loquar; ab amicis enim coactus ejus hic meminisse effugere nequeo) quadringentis abhinc annis florens ab uno stipite cum ea, quæ *Consentia* adhuc extat, provenire tradunt nonnulli; nec *Cuperfanensi* tantummodò, sed *Monopolitano* etiam nobilitatis foro gaudet. Generis quidem antiquitate clara, *Aquaviviis* verò favoribus clarior. Ducentos enim annos, & amplius, creditu difficile est, quæ, quantave ab *Aquaviviis* Proceribus, *Atriæ* Ducibus, ac *Cuperfani* Comitibus, nostra acceperit Domus beneficia; magnis enim honoribus ab eis cumulata, & primariis decorata in eorum ditione muneribus. Plurimum quidem eis debemus; imò totum. Sed ut aliquas nostræ familiæ notitias tangamus. Originem sanè traxit suam à *Boemundo de Tarsia Monopolitanorum* Comite, anno salutis MCXI. à quo & *Tarsia Consentinorum*. Floruit mox *Carbonellus de Tarsia*, & Boemundus alter ex *Hugone Falcando*, & *Faucllo*. Anno MCCXL. claruit *Jacobus de Tarsia*, Eques *Rhodius* qui *Messanæ* priùs mox *Barulorum* Prioratum tenuit, & à *Carolo* Rege ad Regem *Tunetanum* Orator missus. Anno verò M.CCXC. enituit *Jacobus* alter *Cuperfanensis*, strenuus miles. Et *Odoardus Roberto Neapolitanorum* Regi in primis charus; nec non *Joannes Jacobi* filius, itemque *Joanne* natus *Petrus*. Mox *Nicolaus Petri* germanus frater: *Ruccia Abadonæ* nobili mulieri matrimonio copulatus, ex qua suscepit *Jacobum Christophorum*, & *Abbatem Balthasarem*. Hic sanè *Nicolaus* cùm nobili Judicis titulo, ac illustribus gestis, tùm Templorum etiam erectione, famæ, ac pietatis suæ monu-

Digitized by Google

numenta constabilivit. Is enim sub annum A
à Christi ortu tercentesimum septuagesimum
supra millesimum, Sanctæ Crucis Templum
secus *Cuperſani* mœnia excitavit, quod deinceps vetustate collapsum, Abbatis *Joannis Franciſci de Tarſia* studio fuit perstauratum. Duo lapides ejusdem Ecclesiæ id testantes.

TEMPLUM CRVCI DICATVM ANNO MCCCLXX. QUOD PIETAS NICOLAI DE TARSIA FVNDAVIT: FAMILIA PENE DIRVTVM, PERSTAVRAVIT. B
ABBAS JOANNES FRANCISCVS TARSIA J. C. VT PATRONATVS INNOTESCAT, POSVIT ANNO MDCI.

Instituto mox ab eodem *Nicolao* gentilitio Sacerdotio, vernaculo sermone, *Patronatu*, Eidemque Sanctæ Crucis Templo addicto, quod nondum è nostrorum manibus excidit *Franciſcus Angelus Cuperſanenſis* Episcopus anno Christi MCCCVC. *Balthaſarem de Tarſia* jubet Abbatem, & Ecclesiæ illius C
Rectorem, ut ex diplomate in nostro Archivio asservato quod sic exorditur, palam est.

Frater Angelus Dei, & Apoſtolicæ ſedis gratia Cuperſanenſis Epiſcopus. In Chriſto filio Joanni Balthaſari nato viri nobilis, & providi Judicis Nicolai de Tarſia de Cuperſano ſalutem in Domino, &c.

Floruit mox *Nicolaus Nicolai* nepos, *Jacobi* filius, à quo nobilis *Jordana* ducta est uxor, ex qua suscepit *Scalambrinum*, qui D
anteà *Deadaniam* Domini *Nardi*, deindè, hac vita functa, *Caſtoram Arpoſam*, ambas nobili ex genere, uxores sibi junxit. *Scalambrino* editur *Nicolaus* J. C. & *Franciſcus Antonius*, cui *Apollonia de la Forza*, nobilis *Cuperſanenſis*, nupsit. Præclarum porrò *Nicolai* nomen ad hanc usque memoriam perseverat, utpotè viri in doctrinis exercitatissimi, ac *Cæſaris Lambertini Tranenſis*, Episcopi Insulensis, scriptoris eximii collegæ; nec non *Hadrianorum* Ducibus, & *Cuperſanenſium* Comitibus quæ cæteris chari, E
qui meritò dicere poterat quod de se ipso *Prudentius* in Cathemerinon.

Bis legum moderamine
Frenos nobilium reximus urbium.
Jus civile bonis reddimus, terruimus reos.

In Sacello, quod in Cathedrali *Antonius* Domini *Nardi*, Episcopus, *Nicolai* consanguineus excitavit, & hodierna tempestate ad Gentilitium nostræ familiæ spectat Sacerdotium, sub marmoreo ejusdem simulachro, hæc vitiur inscriptio. F

D. O. M.

NICOLAVS TARSIA JVRECONSVLTVS EMINENTISSIMVS.
GENERIS NOBILITATE, AC MAGNIS MERITIS PRÆCLARVS.
INCLYTI ILLIVS ANDREÆ MATTH. JO: ANT. JO: HIERON.
DVCVM HADRIÆ, ET ADRIANI COMITIS CONVERSANI
MVNERE AVDITORATVS MAX: CVM LAVDE ANN. LX. PERFVNCTVS:
FERDINANDO GONZAGA CAROLI. V. CÆSARIS VICARIO IN PRIMIS CARUS,
ET DIFFICILLIMIS REGNI TEMPORIBVS
GRAVIORIBVS OCCVPATVS,
EXPLETO ÆTATIS ANNO XCII.
OBIIT. ANNO DOMINI
MDLXXXV.

Ex *Sidonia Blancha* multos suscepit *Nicolaus* liberos, è quibus *Joannes Antonius Martiæ Palmeriæ Monopolitanæ*, antiqua, nobilique stirpe claræ maritus, *Joannes Hieronymus* avus meus, & *Franciſcus Jacobus*, quorum hic *Lucretiam*, ille *Beatricem Sandalariam* duxit, nobiles sanè mulieres, ac prudentia conspicuas. Suorum insistens vestigiis majorum *Donatus Maria de Tarſia*, *Joannis Hieronymi* filius, Parensque meus, summam hac nostra tempestate, ob jurisprudentiæ, literarum, ac virtutum omnium, quibus præditus erat, ornamenta, assequutus est gloriam. *Aquavivenſibus* in primis Proceribus, ac supremis Regni Principibus, valdè charus. In uno hoc majorum suorum merita *Philippus* Hiſpaniarum Rex III. testata esse voluit, eumque honore afficiendum, datis literis *Lemenſium* Comiti, Regis vices *Neapolitano* in Regno gerenti, mandavit anno MDCX. *Hydruntinam* exindè Provinciam, Regio Auditoratus primum, mox Prorræsidis fascibus administravit: difficilioribus, ac dubiis in rebus Deum adibat, & conscientiæ suæ clavum venerabili, ac sanctitate eximio viro *P. Bernardino Realino* Societatis Jesu dirigendum seriò tradidit, cujus admirabiles sæpiùs evehebat virtutes, & miracula prædicabat, quem, & prophetiæ dono clarum, & intima etiam cordis humani, nosse dictitabat. De ejus maximis in jure dicendo laudibus, nec non totius Familiæ meritis *Philippus IV.* Rex Potentissimus in literis ad *Caſtellæ* Admiratum *Fori Egurorum*, sivè *Gigurrorum* Ducem *Neapolis* Proregem pro Abbate *Octavio*, & *Scipione* germanis meis ut. J. Doctoribus, egregium tulit testimonium. Ad postremum verò *Joannis Hieronymi Cuperſani* Comitis inclyti Ditionem Auditoris munere, quo multis perfunctus est annis, summo omnium plausu administrans, vitæ suæ studium complevit anno MDCXXXII. Cujus sepulchro, hoc æternitati marmor statuendum curavimus, erga suavissimum parentem debitum pietatis exemplar edentes:

D. O. M.

Digitized by Google

D. O. M.

DONATO MARIÆ DE TARSIA, VIRO CONSULARI, I. V. LAVREATO: ANTIQUA, NOBILIQUE PROGENIE CLARO, LITERIS, AC VIRTVTIBVS CLARIORI: IN ADOLESCENTIA, SENILI MATVRITATE PRÆFVLGENTI: IN JUVENTVTE, MAGISTRATIBVS, INCORRVPTO; IN VIRILI ÆTATE, FAMA NOTISSIMO: IN SENECTVTE, MERITIS VENERABILI: HYDRVNTINA PROVINCIA FELICITER ADMINISTRATA, PRÆCIPVISQVE REGNI VRBIBVS, XXX. ANNOS SVMMA CVM LAVDE RECTIS, ET REGIS, ET PROCERVM FASCIBVS: ANNO DOMINI INCARNATIONIS MDCXXXII. ÆTATIS VERO SVÆ SECVNDO SVPRA SEXAGESIMVM E NOSTRIS LARIBVS EREPTO, AD SVPEROS EVECTO; LIBERI MOERENTES PARENTI MERITO, MERITO. PP.

Joannes Franciſcus de Tarſia Abbas Parentis mei frater. Utriuſque Juris Laureatus, Protonotarius Apoſtolicus, & *Cuperſanenſis* Eccleſiæ Archidiaconus, vir ſanè prima eruditione imbutus, *Antonio Marzato* S. R. E. Cardinali, ut ſanguinis, ità literarum neceſſitudine conjunctus, eique in primis charus; qui cum ad *Teutes* præcipuæ *Martuccinorum* urbis Archiepiſcopales Inſulas fuiſſet electus, cum *Romam* ejus rei gratia pergeret, è vita cedens, ad perenniores Inſulas evectus eſt.

Domini Nardi familia illuſtri, & antiquo enituit ſplendore, in qua floruere Equites eximii, qui à Domino *Leonardo* milite, ut primam ſanguinis claritatem, gloriæque fulgores; ſic *Domini Nardi* Cognomentum obtinuere. Reſplenduit præ cæteris, & Sanctitudine, & meritis egregiis *Antonius Domini Nardi*, Patriæ ſuæ electus Epiſcopus, à *Martino* V. ſub annum MCCCCXXII. confirmatus: Qui ſumptuoſum in Cathedrali à fundamentis extruxit Sacellum *Divo Antonio* Abbati dicatum: idque Gentilitio Sacerdotio exornavit peramplo, noſtræque *Tarſiorum* Familiæ, ex illa *Domini Nardi* materno ſanguine, & linea deſcendenti, jam addicto: cujus quidem reditus, obventioneſque mihi cum *Octavio* germano majore communes ſunt. Hujuſce *Antonii* eam prædicant in pauperes pietatem, ut ſæva *Cuperſani* furente paupertate, ac victus inopia, ejus tritico plenum horreum aſſiduis jam hauſtum eleemoſynis, nova ſemper in egenos exeſtuans charitate, iterum plenum meruerit invenire, ita ut quod ſcopis antea ſervi ejus mundaverant, frumento ſic invenere refertum, ut foribus apertis quaſi creſcens erumperet. Nec anteà Præſulis charitas ſtetit, quam annonæ caritas deſecerit. Verum infrà hoc latiùs referemus. Floruit, & *Nicolaus Domini Nardi Lupiorum* Caſtri Præfectus, mox *Tarenti* moderator anno ſalutis MCCCCXLVIII. *Mariæ Ladislai* uxori, *Hungariæ*, *Hieruſalem*, & *Siciliæ* Reginæ plurimum charus, cui eadem *Maria* haſce dedit literas.

Spectabili viro chariſſimo nobis Nicolao Domini Nardi Capitaneo Civitatis Tarenti: Maria Regina Hungariæ, Jeruſalem, & Sicilie.

Spectabilis vir cariſſime nobis. Nui mandamo quiſti litteri allo Principe noſtro benedicto figlio volimo in quella hora, che li reciperay coſi ligati come ſtanno ſubito per un Cavallaro bono, & experto de tracta li mandi ſini ad Altamura al detto Principe, e che quello Cavallero adduca la reſpoſta, quale adduca ſubito per queſto Antonello preſente latore, quale velimo dibbia aſpettare dallo ni li digi mandare incontinenti, e queſto non manca, perche è neceſſario. Ex Caſtro noſtro Licii XI. Julii VII. indictione.

Nobilem *Martucciorum* familiam etſi nonnulli cum ea *Domini Nardi* eandem eſſe cenſeant, longè tamen diverſam eſſe, certis evincitur experimentis; cum diverſas de utriſq; vetuſta nobis archivia notitias propinent. *Cuperſanum* venit, magno *Athenarum* Duce in eadem urbe regnante ſub annum, MCCCXXXIII. viriſque ſemper claruit eximiis. Hos inter enituit *Donatus* ille *Martuccius Sarni* Epiſcopus qui Gentilitium poſteris reliquit Sacerdotium, Sacello *D. Donati* addictum ubi hæc viſitur inſcriptio.

SVB TITVLO ALTARIS HVJVS D. DONATI DONATVS MARTVCCIVS DE GVIDOTTO SARNENSIS EPISCOPVS JVS PATRONATVS INSTITVIT.

Sed quidquid de hac familia laudis, quidquid honoris dici poſſet in uno comprehenditur *Donato Antonio Martuccio Scipionis* filio, Parentis meæ germano de cujus admiranda vitæ ratione ſermo mihi habendus eſt. Is à teneris annis ſanctitudinis ſuæ ſpecimen dedit; Nam ſeptimum vix attigerat annum, & ſolitariam traducere vitam eo meditabatur animo, ut niſi ætas, & parentes obſtitiſſent, anachoreticam vivendi rationem utique impleſſet. *Neapoli* deinde ſtudiorum cauſa commorans, quidquid ſibi erat, vel lecti ſtramenta, egenis largiebatur; in quos etiam, Judicis *Barulorum* munere fungens, anno MDCI. obventiones muneris ſui omnes erogabat, ita ut è propriis ipſe cogeretur paternis vivere reditibus. *Hieroſolymitanam* peregrinationem aggreſſus, ſummos poſt labores *Chriſti* cauſa ſuſceptos, eam complevit. *Neapolim* reverſus, Congregationis Oratorii inſtitutum, ibidem *Divo Philippo Nerio* auctore, per egregium virtute virum *Franciſcum Mariam Tauruſium*, deinde S.R.E. Cardinalem implantatum, magna flagrans pietate, ſubiit. Virtutibus ita ſtuduit omnibus, ut nominis ſui fama ubique per omnium ora volitaret. Lacrymarum, & orationis dono etiam clarus. Humilitatem nun-

quam

Digitized by Google

quam non coluit: carnisque suæ maceratio- A nem placi semper amplectebatur animo. In objurgandis peccatoribus usque adeò intrepidus, ut neque eorum minas, neque strictos contra ipsum gladios pertimesceret; ob idque *Neapolitanis* Archiepiscopis plurimum charus. Prophetiæ dono ità emicuit, ut interna etiam cordium cogitationes sæpè dignosceret. Confessionibus audiendis assiduus charitate semper exæstuans. Rebus arduis componendis præclarus. Miraculorum quoque patratione insignis. Tandem B & annis, & virtutibus plenus obdormivit in Domino Anno MDCXXXVI. Magnum post se desiderium sui, majusque virtutum omnium exemplar relinquens.

Episcopa familia antiquam ex *Aquavivæ* oppido in *Barisi* Provincia originem ducit suam: impræsentiarum autem *Cupersani* ferè nobilitatis gaudet, Anno MCCC. floruit in ea *Joannes Cæsar Episcopi Consentiæ* Archiepiscopus. Mox *Stephanus* in legali facultate insignis, qui *Mariam de Andrano* uxorem C duxit, filiam *Lucæ* M. C. magistri Rationalis, & Regni Protonotarii. Floruit & *Vitus Episcopi*, qui anno MDXX. *Bitectensium* Præsul creatus. Nec modicam illa ex *Belisarii Episcopi* Poetæ celeberrimi fama laudem hausit; magnificam qui domum extruxit, in qua hoc legitur marmori incisum distichon.

HAS BELISARIUS ÆDES CONSTRUXIT AMICIS
GENTIS EPISCOPIÆ GLORIA MAGNA D SUÆ.

Antonellus Episcopi ob præclara *Isabellæ Aragoniæ de Baucio*, *Altamuræ*, & *Andriæ* Principi præstita obsequia, insigni exornatus privilegio anno MCCCCXCV. Nunquam hæc familia viros desideravit literis eximios, quibus, & in hodiernum usque diem claret. Nam & *Agapytus* amicus noster in philosophia, & re medica præclarus, primis hujusce tempestatis conferendus est viris. E

Clementiorum antiqua, & nobilis familia ex insigni clementiæ, ac pietatis edito facinore nomen mutuavit suum: viget adhuc, cujus sepulchrum in Cathedrali situm, hac à cæteris lepida secernitur inscriptione:

CLEMENTIORUM OSSIBUS
HIC OPPERIRI LIBET
NOVISSIMUM DIEM.

Familiarum autem aliarum nostra in urbe F nobilitatis nota insignitarum seriem, quam plenè vobis proponere decreveram, sicco transire calamo cogor, quod ab *Apulis* Archivis quaterdenis abfuerim annis, impræsentiarum autem *Hispanas* mihi oras incolenti, nonnisi allatæ præ manibus notitiæ occurrant, reliquas verò cum per temporis mihi opportunitatem, & in Patriam reditum, licuerit, alteri reservamus editioni. Familias autem penè omnes, tàm scilicèt extinctas, quàm superstites, hic per indicem tangam.

NOBILES FAMILIÆ EXTINCTÆ.

Abbadonam.
Arpona.
Baronia.
Blancha.
Domini Nardi.
Durantia.
Ferraria.
Imberlinia.
Maneria.
Montia.
Rubiuna.
Salerna.
Stancionia
Tavara.
Torramana, &c.

NOBILES FAMILIÆ SUPERSTITES.

Accolita. Blasii.
Aloisia. Viti.
Amendoria.
Aquavivia, ex Bitunti Marchionum sanguine.
Caietana. Hyacinthi.
Carbonella.
Clementia.
Contina.
Episcopa.
Ebola.
Fortia.
Juliana, è Francisco Seniore.
Marancia.
Martuccia.
Medica.
Pannicella.
Pentasulia. Stephani.
Putea.
Rinalda.
Sanductia.
Taconia, quæ & Paviæ antiqua nobilitatis prerogativa illustris:
Tarsia.
Therama.
Trombetta, quæ è Narbonensi Provincia venit, ac peramplo Jo: Hieronymi VIII. Cupers. Comitis privilegio familiaritatis decorata.
Viola.

Et nonnullæ quoque extant familiæ Patriatus honore, recentèr auctæ.

Digitized by Google

D. PAULI ANTONII DE TARSIA

DOCTORIS THEOLOGI

HISTORIARUM CUPERSANENSIUM

LIBER SECUNDUS.



Uperſani primordiis, nomine, gentium ritu, moribus, ac nobilitate ſuperiori libro ſatis explicata, ſuorum modò Comitum Hiſtoriam paucis delineandam aggredimur. Urbis quippè claritatem, quam ob oculos poſuimus, majus auget Comitum decus, & fulgor. Procerum ſiquidem famam, haud in modicum ſubjectæ civitatis honorem cedere, ex ipſa palàm faciàm Comitum ſerie, quam mox ſubjiciam. Comitis profectò, ſive Comarchi dignitatem, nomen, & munus conferebant Imperatores, quibus Provincias, aut Urbes committebant regendas. At illa nihilominus Imperatoribus antiquior fuit, ſed non imperantibus; cum Romanorum Regum, Conſulumque temporibus extiterit; fuiſſeque cum officii, tùm dignitatis munus, vel indè habemus, quod *Cicero* ſua tempeſtate Horreorum Comites dictos aſſerat; qui à Principis horreo, aut annona erant. Comites etiam *Ammiani Marcellini* temporibus ii dicebantur, quos Priſci *Romani*, legatos, & nos vicem Principis obtinentes appellamus, penè quos, Duce, ac Imperatore abſente, ſumma rerum, ac poteſtatis erat. Quod etiam nomen in cujuvis Regiique Senatus Præfectos bellè quadrabit, præcipuèque in inclytos *Caſtellæ* Præſides, quos non tantùm Regia auctoritate fungentes, ſed & Regis ipſius Comites dixerim. Fuitque, & hoc Regiæ domus dignitatis genus, valdè antiquum, quod ſanè fugit *Franciſcum Alunnum*, id omninò novum ſcribentem. Namque, & ii Comites appellati, qui præcipuam alicujus rei curam gererent, aut aliquod Cæſaris in Aula munus obirent. Unde Comes Domorum, ſive domeſticorum quem dicimus *Hiſpanè*: *Mayordomo mayor*. *Bacurium* ſanè *Iberorum* Regem à *Conſtantino* Imperatore, Comitem domeſticorum creatum, aſſerit *Baronius* ex Ruffino. Comes item cubiculi: *Camerera mayor*. Comes laborum: *Maeſtre de caſa*. Comes ſacri Patrimonii: *Theſorero del Rey*. Comes Sacrarum largitionum: *Limoſnero mayor*. Comes Regii Stabuli: *Cavallerizo mayor*. Comes rerum privatarum: *Sumiller de corps*. Comites Palatini: *Gentiles bombres de la camara*. Comes *Cortinariorum*: & *Cortinarii* erant, qui Imperatoris, Regiſque Tabernaculo, quod antiquis *Corte* dicebatur, miniſtrabant; unde, & *Apollinis* tripodem, ex quo oracula redderentur, *Cortinam* appellarunt, quaſi *Certinam*; vel quòd certa illic darentur reſponſa, vel quòd ſeriò ibi ageretur. Ego vero *Cortinarios* exiſtimo, quos nunc vulgò *Sumilleres de cortina*; ei verò Comitis nomen addi, qui eo in munere eſt antiquior, ac præcipuus.

Neque in Regia ſolùm, ſed, & in bello Comites; quorum ſanè munus Præfecturam, & in milites imperium denotabat. Dictos autem Comites remur, quaſi Imperatorum Comites: niſi à comite etymologiam petamus: quæ Comiti bellè quadrabit, quòd Comes verè debeat eſſe comis; comitas enim ſi cui utilis, militum Præfectis ſupremum in modum neceſſaria. De hujuſce muneris ratione ad rem Joannes Mariana *de reb. Hiſpan. lib. VI. cap. I. Neque ii tantummodo* (ait) *quibus Reipublicæ moderatio erat demandata Comites dicebantur; ſed etiam quibus in bello alicujus functionis cura impoſita erat, quique in Gottborum Regia honorem aliquem gerebant, eodem nomine cenſebantur. Unde Comites Cataphractarii, Clibanarii, Sagittarii, Tinphadi in re militari, caſtriſque.*

Do-

Digitized by Google

*Domi Comes Stabuli, qui vulgò est Condesta-*A *ble, Cubiculi, Patrimonii, Notariorum Comites, omnia fortassis ex Romani Imperii æmulatione, Gothorum Regibus, ut Romanæ potentiæ hac ætate non multum concedebant, ità honorum nomina ex Romano more, libenter usurpantibus. Constantinus* ille *Magnus*, Comitis dignitatem claris viris Christiana fide recenter imbutis tribuere solebat, ut hac honoris specie, cæteros ad nostram fidem alliceret, quod affirmat *Baronius* anno 327. cum de *Bacurio* agit *Iberorum* Rege, B qui ab eodem Imperatore domesticorum Comes jussus fuerat. *Porrò Comitatus* (inquiens) *nobilissimæ dignitate consuevisse Constantinum Imperatorem insignire sublimes, ac nobiles viros illos, qui spretis patriis ritibus se ad Christianam Religionem conferrent; cum agit de Josepho Judæo S. Epiphanius testatur*. Qui autem tunc temporis ritus, in Comitis creatione adhiberentur, non satis liquet, cum singulæ quæque nationes suum haberent. Veteres quidem *Hispani*, eos nimis rudes C usurparunt, Regis sanè auctoritati, non ità accommodos, ut temporibus; quos posteritati hisce tradit verbis Joannes Mariana *lib. xv. cap. 20. de rebus Hispan.* Comitis titulum, dignitatemque *Alvaro Nunnez Osorio Hispali* collatam referens: *Osorio amicorum Principi abs Rege Hispali datum, ut Thrastamaræ, Lemosii, atque Sarriæ Comes esset; Novum id exemplum fuit, nullis autèa in Castellæ Regno Comitibus rudi cæremoniâ honos delatus. Hispania literaturæ expers, moris* D *omnis ignara. Tres offæ in vini poculo oblatæ, Cum inter se Rex, Comesque tertiò invitassent, uter prior sumeret, a Rege offa una sumpta, à Comite altera. Jus caldariæ in castris, in in bello vexilli propriis insignibus distincti datum. In eam sententiam confectis tabulis, atque recitatis, consecutus astantium clamor, plaususque, lata faustaque novo Comiti ominantium. Is instituendi Comites ritus fuit*, Hactenùs *Mariana*, Sed nè novum, atque inusitatum existimes hunc *Hispanorum* in E creandis Comitibus morem, ac quasi rusticum irrideas: scias oportet, feudorum apud *Longobardos* possessionem, vulgò *Investituram* bibendo initam, ut ex *Gloss. instit. de verb. obligat*, narrat meus Prosper Rendella, *in Reliqu. Juris Longobardi cap.* VIII. *n.* 7. Certè Antiquitas condendis ritibus haud nimium immorata, cum è vulgari eos mutuaretur commercio. At quænam fides sponderi potest in potu, & crapula? Et tamen hanc in Feudis exuberare docet, contra *Christophorum Port.* citatus *Rendella*, qui, & in suæ F confirmationem sententiæ multa ex *Athenæo*, *Diodoro Siculo*, *Andræa Baccio*, *Herodoto*, *Salustio*, *Polidoro Virgilio*, *Alexandro ab Alexandro* aliisque, scitu digna refert. Eundem sanè ritum inter *Montanos Burgenses* in Veteri *Castella*, perseverare adhuc, in rerum emptionibus, venditionibusque, deprehendi; nunquam enim eas ratas haberent, nisi potus sequeretur, quali bibendo, commutationibus inviolabilis accederet obfirmatio. Idque vulgò ab eis dicitur: *Corrobra*. Hodierna verò tempestate Comitis dignitas inter cæteras ultimo numeratur loco, quod scilicet antiquior, cum recens titulorum ambitio, vetustas sensim expellat dignitates. Sed ultima licet, ab Heroibus tamen ipsa nomen potiùs desumit, quàm Heroes ab ipsa. Eam egregiè exornarunt insignes, ac inclyti nostræ Urbis Proceres. Decus autem magis, magisque accersit suum Urbs ex Imperatoria *Aquaviviorum*, quibus impræsentiarum subest, claritate, Eratque, & hujusmodi dignitas apud *Normannos* peculiaris, cum enim de ejiciendis ex *Apulia Græcis* consilium caperent, duodecim viros, cum sanguine, tùm virtutibus clarissimos, exercitus eorum Duces elegerunt, quos & Comitum titulis ingnitos asserit Guilielmus Apulienſis *lib. 1. de Reb. Normannic. Hardouinum* inducens loquentem, *Normannosque* contra *Græcos* instigantem,

. . . . . Vehementer, & increpat illos
Appula multimodæ cum terra sit utilitatis
Fœmineis Græcis cur permittatur haberi,
Cum genus ignavum sit, quod Comes ebrietatis,
Crapula dissolvat, minimo sæpè hostes fugatos,
Vestituque graves, non armis asserit aptos.

Quibus extimulati verbis, *Apulas* iterùm sedes quærere, delicias, ruraque, consectari decernunt, comitesque constituunt, ut hi sce idem *Apulienſis*,

. . . . . Bis sex nobiliores,
Quos genus, & gravitas morum, decorabat, & ætas,
Elegere duces: provectis ad Comitatum
His, alii parent, Comitatus nomen honoris
Quo donantur, erat;

Apuliam sanè nostram, post *Romani* Imperii declinationem *Gothi*, & *Longobardi* tenuere, qui, ut *Romanis* inimici, ità, & eorum leges omninò abolere conati, novas inducentes, ut cum legibus *Romanorum* quoque memoria interiret; itàque iis ædhesere *Apuli*, ut in hodiernum usque diem *Longobardico* jure vivant, de quo commentarios scripsit noster *Rendella*, eorumque vidimus proloquium eruditione refertum. *Longobardos* expulere *Græci*, *Saracenique*, Universam penè *Apuliam*, non imperio tantùm, sed, & morum pravitate infestantes; In *Garganum* se montem recepit *Melus*, ultimus *Longobardorum* Princeps, *Græcam* effugiens feritatem, ibique aliquamdiù latuit, donec *Normannorum* ope in *Græcos* arma induens, eos domuit, ac in fugam egit, sed non multo post ab iisdem victus, ad *Henricum I. Alemanorum* Regem, ac Imperatorem confugit, à quo benignè exceptus, auxilia, & copias obtinuit; remeassetque contra *Græcos* iterùm præliaturus, nisi supremus ejus vitæ dies anteverttisset. At *Normanni Apulæ* Regionis amore capti, novum sibi Ducem delegere *Rannulfum*, mox *Argiroum Meli* filium, qui etsi id muneris respueret, à Populo tamen compulsus, invitus licèt, admisit, cum, & omnes fortissimi in eo Parentis vestigia venerarentur. Rejecta autem in *Argiroum* rei bellicæ summa, pari vigilantia, strenuitateque pugnatum. Eoque vita functo, qua

bellum, quà obtinendæ *Apuliæ* decretum penès *Tancredi* filios manſit, & quidem feliciore auſpicio, ut meliori fortuna. Primuſque, qui Comitis dignitatem in eam invexerit Regionem *Drogo Tancredi* filius, qui *Normannorum* primò, mox ad Annum M. XXXIX. *Apuliæ* Comes, quæ, & hoc anteà quàm Ducis titulo clara.

Expulſis itaque *Græcis*, Præcipuiores noſtræ *Apuliæ* Urbes Comites nactæ ſuos, ſuos tunc, & noſtrum obtinuit *Cuperſanum*, de quibus nonnulla mihi præ manibus occurrunt, quæ omnium ante oculos ſiſtam, ne quid ſplendoris Hiſtoria hæc deſideret noſtra. Scripſit porrò de Comitibus *Cuperſani Franciſcus Iulianus* ſenior, vir quidem eruditus, cujus Hiſtoriam vidimus non contemnendam, è tenebris antiquitatem, e Claſſicis Scriptoribus, & ex Archiviis erutam.

Primus, qui *Cuperſanenſes* tenuit habenas, *Goffridus Tancredi* filius, qui & in alias, atque alias ex præcipuis Regni, Urbes juriſdictionem exercuit, *Monopolim* nempè, *Lupias*, *Brunduſium*, *Neritonumque*. Floruit is anno Salutis M. LXXX. & in publicis monumentis hos ſibi titulos vendicabat:

Goffridus Æmuni Regis diſpoſitione
Inclytus Comes, & Dominator Cuperſani.

ut ex diplomate anno MXCVI., quod in Archivio *S. Benedicti Cuperſanenſi* aſſervatur. In alio etiam, quo Monaſterium *S. Stephani Monopolitani* anno M. LXXXVIII. idem *Goffridus* inſignivit, ſic lego:

Goffridus Dei gratia inclytus Comes Cuperſani, & Dominator Monopolis.

Goffridus iſte adverſus *Robertum Guiſc.* fratrem *Abegelardo F. Droganis* primogeniti *Tancredi* ſuppetias tuliſſe fertur; deindè præclara pietatis ſigna præſetulit, quandoquidem in Religionem pronior, & in Eccleſias extitit liberalior. In *Monopolitana* enim Civitate anno Salutis humanæ M. LXXXVIII. Protomartyri *Stephano* ſecùs maris littus Templum erigens, Ordinis *Benedictini*, tunc vireſcentis, Monachos ad id accerſivit, goſque reditibus, ac privilegiis cumulavit peramplis. Nobile etiam Sancti *Benedicti* Cœnobium, (quod in noſtra *Cuperſanenſi* Civitate ſuperſtite adhuc *Benedicto* Inſtitutore fuit erectum) innumeris, iiſque magnificis decoravit prærogativis, ac opibus auxit; eique *Caſtellanæ*, & *Siſignani* oppida donavit. Quæ omnia, aliaque ejus pietatis veſtigia oſſervat, ejuſdem Cœnobii celebre quod extat, Archivium perſcrutans. *Neritonenſem* Prioratum in Epiſcopales Inſulas, & dignitatem commutatum, una cum *Alexandro* ejus filio dotavit, ac reditibus auxit. Ex Baronii *Annalibus ad Chriſti annum* M. XC. apparet. *Goffridum* hunc noſtrum privilegio, quod *Bantino* Divæ Virginis Monaſterio, *Rogerius* Dux, & *Boamundus Roberti* Magnifici Ducis *Italiæ* hæredes, & filii conceſſere, ſubſcripſiſſe ſe, cum filiis ſuis, aliiſque Comitibus, Proceribuſque, ut hic exhibeo.

✠ *Ego Rogerius Dux me ſubſcripſi:*
✠ *Signum propriæ manus Boamundi fratris ejus,*
✠ *Robertus Comes de Laureteilo.*
✠ *Crux manus Goffredi Comitis Cuperſani.*
✠ *Roberti*, ✠ *Alexandri*, & ✠ *Tancredi Filiorum ipſius Comitis Cuperſani.*
✠ *Signum manus Comitis Richardi Andriæ.*
✠ *Signum manus Roberti de Anſia.*
✠ *Signum Roberti Comitis filii Guilielmi filii Ivonis Comitis.*
✠ *Signum manus Aſtruvenſis G.*
✠ *Ego Gratianus Seneſcalcus pro Domino meo Polethen. Comite in Acherocia languente hanc crucem feci.*
✠ *Signum manus Uffridi montis Cabioſi Dominatoris.*
✠ *Amicus gratia Dei inclytus Comes.*

Sycelgaytæ Goffridi uxoris effulſit quoque Religio, quum *Brunduſii* Monaſterium anno Chriſti MIC. excitavit, ditavitque. Porrò antiquorum nonniſi ea apparent veſtigia, quæ religione obfirmata reliquerunt.

Goffrido Alexander ejus filius in *Cuperſanenſi* Comitatu ſucceſſit. Cujus tam magna apparet in *B. Vitum* martyrem religio, ut antiquam ejus non longè à *Cuperſanæ* Urbis ambitu ſitam Eccleſiam, voti compos, muneribus donaverit ampliſſimis, anno Salutiferæ Incarnationis MIC. & anno MCIII. ut ex Tabulis ejuſdem martyris Eccleſiæ.

Robertus de Vaſville cognominatus, *Alexandro* fratre ſine liberis decedente, *Cuperſani* Comitatum adeptus. Poſt coronationem verò *Rogerii Siciliæ* Regis cujus filiam uxorem duxit *Adeliviam*, hiſce ſe titulis decorabat *Robertus* hic.

En ego Robertus de Vaſville gratia Dei, & Regia Cuperſani Comes.

Ut ex privilegio in Archivio D. *Benedicti Cuperſanen.* aſſervato. In cujus calce ſic lego.

Et plumbeo noſtro typario illud bullare feci, quin men propria manu ſignum Sanctæ, ac vivificæ crucis appoſui. ✠ *Signum crucis mei qui ſupra Roberti Cuperſanenſis Comitis.*

In pendenti verò plumbo *B. Virginis* imago inſculpta erat ex uno latere; ex altero autem hæc verba. *Robertus de Vaſville Comes Cuperſani.* Ex quibus quanta fuerit antiquorum Comitum auctoritas liquidò apparet, *Fraxeneti* oppidum *Barienſi S. Nicolai Mirenſis* Præſulis Eccleſiæ, anno MCXI. dono dedit idem *Robertus*; qui, & anno MCXXXIV. bona plurima *Divi Benedicti Cuperſani* monaſterio largitus.

Robertus II. Roberti primi, cui, & in Comitatu ſucceſſit filius, dictuſque eſt Comes *Palatinus*, & *Lorotelli*. In diplomate enim, quo anno MCLXXIII. Cathedralem *Monopolitanæ* Civitatis Eccleſiam muneribus inſignivit, ſic lego.

Robertus Palatinus Comes. Lorotelli, & Cuperſani Comes, filius, & hæres Domini Roberti Cuperſani Comitis donat Eccleſiæ S. Mariæ Epiſcopatus Monopolis quamdam terram ſilvoſam &c.

Ejuſdem meminit *Bartholomæus Caracciolus* in compendio Hiſtoriarum, quod manu exa-

Digitized by Google

exaratum vidi in Chartophylacio amici noſtri Abbatis *Lafarinæ de Madrigali*, qui & ejus mihi legendi copiam fecit. *Robertus* hic *Alexandro IV.* Summo Pontifice hortante, pro *Romana* Eccleſia, adverſus *Siciliæ* Regem *Guillelmum*, *Mali* cognomento teterrimum, cui, & ipſe inviſus, arma ſumpſit, ſtrenuèque ſe geſſit anno MCLV. Ejus adeò magna prædicatur, in rebus gerendis, dexteritas, & ingenium, ut ob malos *Mali Guillelmi* mores à *Rogerio Guillelmi* Parente, & *Roberti* avo, ſceptro dignus haberetur; qui ob hoc in ſævam *Guillelmi* perſecutionem incidit.

Poſt *Roberti II.* fatum, *Rogerius* ejus filius, qui *de Celano* dictus, *Cuperſanenſem* Urbem Comitis titulo, optimiſque legibus moderatus eſt.

Bernardinus Rogerio Patri in Comitatu ſucceſſit, qui anno MCC. ſingulis *Gennæ* Oppidum, quod *Monopolitanæ* parebat Cathedrali, incolentibus, nonnulla in *Cuperſanenſi* territorio jura poteſtatem fecit habendi; Cujus quidèm rei facem præbet privilegium ex Archivio *S. Benedicti* exſcriptum, ſic incipiens, „ In anno milleſimo ducenteſimo Incarnationis Dominicæ, Regni Domini Federici Illuſtriſſimi Regis Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ anno tertio. Bernardinus Dei, & Regia gratia Loreti, & Cuperſani Comes, Capit. & magnus Juſtitiarius totius Apuliæ, & Terræ Laboris una cum Comitiſſa Maria cariſſima uxore noſtra pro remedio animarum Divorum Regum Rogerii, Wilhelmorum, primi, & ſecundi, pro animabus Patris noſtri Domini Rogerii de Celano, & matris noſtræ Dominæ Alfaredæ, atque Domini Guillelmi Loreti, & Dominæ Comitiſſæ Adeliviæ inclyti Domini Regis Rogerii filiæ uxoris ejus, concedo hominibus Caſalis Gennæ poteſtatem lignandi, paſcendi, aquandi in toto territorio Civitatis Cuperſani, &c.

Cum hoc *Bernardino*, *Goffridi* inclyti Comitis linea extincta eſt, Cui ſucceſſit *Albiria Tancredi Siciliæ* Regis, ac *Sibyllæ* filia, quæ nupſit *Galterio Joannis Hieroſolymæ* Regis, germano, Comitique *de Brenna*. *Galterius* iſte, *Philippo Francorum* Rege impellente, numeroſa ſtrenuiſſimorum militum manu collecta, Regnum *Neapolitanum* impetere auſus, à *Diopoldo* profligatis ejus militibus in carcerem conjectus, in quo dies explevit ſuos; ſuperſtite *Albiria* uxore uterum gerente, quæ mox poſthumum peperit, cui *Galterii* Patris defuncti nomen impoſuit. *Conſtantia* Imperatrix *Frederici* ſecundi mater *Albiriæ* caſum compaſſa, *Lupiarum* eidem, *Cuperſanique* Comitatum donavit.

Octavus *Cuperſani* Comes *Galterius de Brenna Albiriæ* natus, qui *Eliſabetham* Regis *Cypri* filiam duxit uxorem, moritur anno MCCLIII.

Ex *Galterio*, & *Eliſabetha* nonus ortus eſt Comes *Ugo*, cui juncta eſt matrimonio *Beatrix de Tarento* è Regia *Philippi* Principis *Caroli II.* nepotis ſtirpe exorta. Hic *Athenarum* ſe Ducem ſcribebat, ob Reginæ *Sibyllæ* ejus aviæ jura. Deceſſit anno M. CCXCVI. *Conſtantia* hujus filia anno ſalutis MCCCL. renunciata eſt *S. Benedicti Cuperſanenſis* Monaſterii Antiſtita.

Ugone natus *Galterius* hujuſce nominis tertius, decimus verò *Cuperſani* Comes, Ducis *Athenarum* etiam pronomen retinuit, de quo hæc *Cuperſani* in porta, quæ eſt ad carceres, inſculpta viſuntur.

ANNO DOMINI MCCCXXXVIII. REGNANTE DOMINO NOSTRO REGE ROBERTO. DOMINANTE VERO GALTERIO ILLVSTRI DVCE ATHENARVM CONSTRVCTVM EST HOC OPVS.

Galterio ſine liberis vita functo, *Cuperſanenſem* obtinuit Comitatum *Margareta Anghiana* ejus cognata, *Joanni Lutzemburgio Bautevorii* Domino nupta, Regiam porrò, & antiquam *Lutzemburgiorum* Stirpem, accuratè delineavit eruditiſſimus *Pontus Heuterus Delfius*, de rebus *Burgundicis* agens. Fuitque *Joannes* frater *Wallerani Lutzemburgii* cognomine *Pulchri*, Comitis Fani *D. Pauli*; ac *Lignii*, qui ducta *Mathelde* ſorore *Richardi Secundi Anglorum* Regis, genuit filiam *Joannam* priorem uxorem *Antonii Burgundi*, *Brabantiæ* Ducis, ex qua *Joannes*, ac *Philippus Brabantiæ* Duces, qui ſine liberis obiere. Hanc ſanè *Joannam* unicam *Wallerani* filiam facit *Heuterus*, cum tamen *B. Petrum* ejuſdem *Wallerani* filium cenſeam, qui *Metzenſis* fuit Archiepiſcopus, & S. R. E. Cardinalis, qui ſeptimum ſuprà decimum agens annum vita functus, inter Beatos à *Clemente VII.* Summo Pontifice anno MDXXVII. ob ejus vitæ Sanctimoniam, unà cum *B. Ludovico Alamanno Gallo*, & S. R. E. Cardinali, relatus. Cujus in *Cuperſanenſi* quidem Cathedrali in hodiernum uſquè diem antiquam veneramur imaginem miraculis claram. Quatuor item *Walerano*, & *Joanni* ſorores, quarum prima Comitis *Vaudemontii*, altera Comitis *Genevæ*, tertia Comitis *Leſchei*, quarta Domini *Morjamezi* uxor. Nec *Cuperſani* tantùm *Margareta*, ſed, & *Brianæ* Comes, ac Domina *Anghiani*, peperitque *Petrum Cuperſani* Comitem, de quo infrà. *Ludovicum Lutzemburgium* natu ſecundum, *Jerovanenſem* Antiſtem, & Cardinalem *Rothomagenſem* Joannem Lutzemburgium *Lignii* Comitem, tertiò natu filium, itemque filiam, quæ poſt *Joannem*, ac *Philippum Brabantiæ* Duces, ſine liberis vita defunctos, facta eſt *Fani D. Pauli*, ac *Lignii* Comes, obiitque ſine liberis, relictis hiſce ditionibus cognato *Joanni Lutzemburgio Ludovici* nato.

Petrus Lutzemburgius Joannis filius *Cuperſani*, ac *Brianæ* Comes, qui duxit *Margaretam de Baucio*, *Andriæ* Ducis filiam, è qua tres filios, totidemque filias ſuſcepit, *Ludovicum* de quo inferiùs, *Tibaldum Fiennæ* dominum, & *Jacobum Richeburgi* Regulum; *Jacobam*, quæ primò Duci *Bethfordiæ Angliæ* Regis fratri, deindè *Richardo Dondevilio* Comiti *Riverio* nupſit: *Eliſabetham Caroli Dauronii Cenomanorum* Comitis; & *Annam* (quam nonnulli *Catharinam* appellant) *Artho Britonum* Duci apud *Francos* Equitum magiſtro nuptam.

Ludovicus Lutzemburgius Petri filius *Fani D. Pau-*

Digitized by Google

D. Pauli Comes, Equitumque apud *Francos* magister, à *Ludovico* Rege XI. capite plexus. Duxit autem primò *Joannam Barrensem Mariæ* Comitem; mox Filiam *Sabaudiæ* Ducis *Mariam*; ex hac unicum suscepit filium *Ludovicum*, ex illa verò sex; nempè *Joannem Lutzenburgium Fani D. Pauli*, ac *Lignii* Comitem, qui contra *Helvetios* pugnans interiit; nec non,

Petrum Lutzenburgium Fani D. Pauli, *Cupersani*, *Lignii*, *Leschii*, ac *Brianæ* Comitem, *Anghianique* dominum, qui filiam Ducis *Sabaudiæ* sibi matrimonio copulavit, è qua unicam *Mariam* suscipit. *Antonium Lutzenburginm Charnii* Comitem, ac *Russii* dominum sub *Carolo Pugnace Burgundiæ* Marescalcum, *Franciscæ Croviacæ*, *Philippi* Comitis *Chimaii* filiæ maritum, cui unica tantùm filia *Philiberta*, *Carolum Lutzenburgium Laoneusem* Antistitem, & *Jacobam Lutzenburgiam Philippo Croviaco Porcæani* Comiti nuptam; & *Helenam Genevæ* Comitis uxorem.

Mutato deindè rerum eventu ob intestinas Regni dissensiones inter Regiæ stirpis Proceres ohortas, *Lutzenburgii Cupersanensis* Comitatu orbati, quem paucis tenuere annis, subsecutusque *Joannes Borbonius* Comes, *Mariæ*, *Ramundello Ursino* in matrimonium collocatæ parens, *Joannis* porrò tumulus nostra extabat in Cathedrali, prominebatque è solo, ex veterum Principum more. Deinceps verò *Romano* Pontifice altiora, prostantiaque auferri sepulchra jubente, omninò eversus est; ejusque ossa in subterraneam cryptam sepulta. Erat siquidem tumulus ille hoc insignitus epitaphio,

* * *

ANNO SALVTIFERO MCCCCXXI.
JOANNA ANDEG. REGNANTE.
JOANNI. BORBONIO. STRENVO.
PIISS. GENITORI.
MARIA. LIC. CVPERS. ET ENGHEN. COMITISSA.

P.

s a t n e n n n

C. A. R. I. P. A. A. A.

III. KAL. OCTOBER. GAVFFRIDVS DE LICIO JVSSV REG.

S.

* * * *

Ludovicus de Enghineo post *Joannis Borbonii* fatum *Cupersanam* tenuit Urbem: de quo *Summontius* mentionem infert *Historiæ Neapolitanæ* quum de *Ramundello Ursino* loquutus, qui obtinendi *Tarentini* Principatus gratia, *Aloysii* Regis vexilla, post *Othonis de Bransuich Joannæ* Primæ *Neapolitanæ* Reginæ viri obitum, intrepidè sectatus.

Franciscus mox *Ursinus Gravinensium* Dux nostram tenuit Urbem, quæ in manus deinceps magni Comestabuli; strenuissimique militaris peritiæ Ducis pertransiit, *Alberici* nempè à *Barbiano Cuneo* Comitis, à quo, & illustris, & antiquitate præcellens *Cuneorum* familia originem, & primordia desumpsit sua. Fortissimum *Cupersani* Castrum magnis excitatum sumptibus ab *Alberico*, cujus testimonium, ejus in una Arcis Turrium extantia referunt insignia. Hic *Albericus* ille extitit qui militari peritia abs *Joanne Aguto* imbutus, & à quo deinceps innumera belli fulmina, inter quæ *Sforzia*, & *Braccius* eam accepere.

Manfredus Alberici filius Parentis sui obtinuit opes, & *Cupersanam* quoque Civitatem, at non exempla sectatus, quippè adeò se exhibuit inhumanum, ut invisus redderetur Civibus, à quibus, Regina *Joanna II.* annuente, expulsus, & Comitatu orbatus.

Vladislao Rege extincto, *Maria de Enghineo* uxor, superstes *Tarenti* Princeps (quippè quæ *Ramundello Ursino* ante Regias Insulas matrimonio juncta extiterat) *Cupersani*, & *Lupiarum* adivit Comitatum. Ex hac egregia muliere nonnullos suscepit *Ursinus* liberos, è quibus extitere *Joannes Antonius de Baucio de Ursinis Tarenti* Princeps, *Gabriel Venusiæ* Dux. *Catharina Tristano Claramontio* nupta, *Isabellaque Ferdinando* Primo *Aragonio Neapolitanorum* Regi, matrimonio junctæ, inclyta parens, *Maria* quam *Antonius Aquaviva* ex Imperatorio *Othonis* sanguine proveniens, ac Regi familiaris, sibi matrimonio copulavit. Hujusce *Mariæ* Reginæ Epistolæ nonnullæ adhuc extant in Archivio *S. Benedicti Cupersani* asservatæ, quarum exempla hic subjungere placuit, ne tempus fragiles obruat pagellas.

Venerabili consanguineæ nostræ carissimæ Abbatissæ Monasterii monialium Ordinis Sancti Benedicti de Cupersano.

Maria Regina Hungariæ, Jerusalem, & Siciliæ.

Venerabilis consanguinea nostra carissima post Salutem. „ Recepemmo la lettera vostra, „ & placzemi assai, che lo Principe nostro „ beneditto figlio agià fatto rendere la obe„ diantia di Castellana, & respondere delli „ rayson debiti allu monasterio, imperoche „ tanto nuy, quanto ipso simo tenuti non „ solamente de le cose debite, ma etiam „ de proprio subvenire la Ecclesia, pregan„ dove che vi piacza avereme sempre à men„ te alli vostri oracioni. *Datum in Castro nostro Licii XVI. XV. Ind.*

Egregiæ, honestæ, & Religiosæ mulieri carissimæ nobis Abbatissæ Monasterii Sancti Benedicti Civitatis Cupersani.

Maria Regina Hungariæ, Jerusalem, & Siciliæ.

Egregia carissima nobis post salutem. „ Perche semo certo tiè consolatione quando „ di nuy senti bona novella, ti fachimo à „ sapere ad tua contentezza, è nuy Ga„ brieli, e questi altri pichirilli, tutti dun„ que stanno bene, ancora lo Principe di „ lo quale hoggi havimo novella, benche

„ tu

Digitized by Google

„ tu sy pluy vicina donde deve havere spes-
„ so novella. Nuy scrivemo mo presencial-
„ mente ad M. Antonio de Bitonto, che
„ nostro intuitu ve agia per raccomandate
„ in singulis occurrenciis necessariis, cre-
„ demo, che lo farà pregannove che ny
„ agiati à mente alle vostre orationi vuy,
„ è tutti l'altri soro monache, le quali sa-
„ lutamo, pregando alle vostre orationi per
„ nuy, per lo Principe, per Gabriele, è
„ Catarina nostra, e per li pichirilli. Dopo
„ à nuy scrivetene de lo fatto vostro. *Da-*
tum in Castro nostro Licii, die XXII. Octob. p. Indict.

Nobili Viro carissimo nobis Notario Nicolao de Terlitio Locumtenenti Reginali. Vicegerenti Provinciæ Terræ Bari.

Maria Regina Hungariæ, Jerusalem, & Siciliæ.

Vir nobilis, carissime nobis salutem. „ La
„ Abbatessa de lo monasterio de Sancto Be-
„ nedicto di Cupersano ne scrive sopra lo
„ facto de le ragioni, le quali lo dicto mo-
„ nasterio antiquamente, & à tempore cujus
„ in contrarium memoria hominum non
„ existit, have avuto da lo Casale di Castel-
„ lano, & non ostante certa remissione fat-
„ ta alli detti homini di Castellano per la
„ bona memoria di Missignore lo Rè Lan-
„ celao de li detti ragioni ex inavertentia
„ tempore reductionis dicti Casalis ad ejus
„ fidelitatem, atque dominium. Da poy ob-
„ tenne la Abbatessa de lo dicto monasterio
„ uno commandameuto justificato, che tro-
„ vandosi la sua expositione essere vera, do-
„ ver essere reducta en possessione dello di-
„ dicto Casale, e delli frutti, sincomo per
„ lo dicto commandamento porrai essere in-
„ formato, & niente meno la Maestate di
„ Madama mo de novo per li sui litteri co-
„ manda allo Vichirè, che li deggia fare
„ bona, & expedita raggione, sincome per
„ lo dicto commandamento ni scrive la di-
„ cta Abbatessa, che vi costa. E pertanto
„ ve pregamo affectuosamente te che vi
„ placza como à quello, che diviti sapere
„ bono questi facti tanto per debito di ray-
„ sone, quanto per nostro intuitu, & amo-
„ re havere raccomandato li fatti de lo di-
„ cto Monasterio operantovi, è fare omni
„ bene che per vui se potrà, & à questo
„ hà de placzeriti primo à Dio, & appresso
„ à nuy, è sarimovende tenuti. *Datum in Castro nostro Licii die XXVI. Augusti, XI. Ind.*

Rebus mox publicis, intestina Principum, Regiique sanguinis Procerum dissensione conturbatis: *Cupersanensem* occuparunt Urbem, & Comitatum *Jacobus Caldora*, & *Antonius* ejus filius. Quos deinceps *Joannes Antonius Vrsinus* Regina editus *Maria*, legitimus *Cupersani* Dominus, ex ephebis excedens, armorum vi è Comitatu expulit: ac summa deindè cum tranquillitate in *Cupersanates* dominatus, quos, & optimis moderatus est legibus.

Catharinam Vrsinam Joannes Antonius ejus Pater, ac *Tarenti* Princeps, *Julia Antonia Aquaviva Aragonio Hadriæ* Duci, ac *Italiæ* Primati matrimoniali conjunxit vinculo: ad quem *Cupersanensis* deindè Civitas jure dotis pervenit. Porrò quantis, quotve inclytus hic *Julius Antonius* effulserit titulis, innumeris ejusdem encomiis tumentibus libris, ejus quidem fama facinorum buccinatrix, immortale vivens ævum, nunquam eloqui non desistet. Eo *Cupersanates* moderante, Crypta Insulana, antiquis *B. Virginis* sacra vestigiis, non procùl ab Urbe reperta. Ejusque tunc tanta enituit pietas, ut magnificam inibi Ecclesiam, sumptuosumque ædificaverit Cœnobium; in quo, & hunc vidi lapidem.

AD HONOREM GLORIOSÆ VIRGINIS MARIÆ ILLVSTRIS JVLIVS ANTONIVS DE AQVAVIVA DVX ADRIÆ, THERAMI, S. FLAVIANI, AC CVPERSANI COMES, HOC COENOBIVM CÆPIT CONSTRVERE ANNO DOM. MCCCCLXXII. VI. MAJI.

Conspicuum deinde Æterni Parentis Verbo humanis induto exuviis in *Cupersanensi* Cathedrali sacellum erexit: quo hæc nos admonet inscriptio.

M.CCCC. LXXIII. IN HONOREM INCARNATI VERBI HOC JVLIVS DVX, ET COMES.

Julium Antonium sua tempestate militum Imperatorem extitisse præclaritissimum, totus acclamat Orbis, cujus quidem aviti sanguinis claritas in uno præ cæteris repercussa gladio, sic Vivis dabat Aquis splendorem, ut celerem hostibus inferret interitus caliginem, & mentis, & ensis acie nimio fulgore perstricta. Ejus in *Hetrusco* bello penes *Calabriæ* Ducem Regis *Ferdinandi* filium, strenuè præliantis pedem transverberant inimici, sed expedita nihilominùs Ducis extitit manus, & animus ad prælium. Mox *Julius* ex *Hetruria* utpotè unicum vexati Regni remedium, quod in una ejus dextera, in unoquoque consilio reponebatur, à *Ferdinando* Rege accersitus. Quot verò, quantave supremis, ac desperatis in rebus *Julius* egerit, laboraveritque in ipsa Regni pace stabilita, quæ, ad nostra usque tempora perduravit, liquidò perspicimus. Sed *Ferdinandus* eximia Ducis merita, quæ oculis usurpabat, multis testata voluit signis; unoque in primis privilegio, quo eundem *Julium Antonium*, ejusque filium *Andream Matthæum*, amborumque liberos, ac posteros, Regiæ *Aragoneusium* Familiæ allegit suæ: anno post Christum natum M. CCCC. LXXIX. cujus quidem privilegii concessione, Regiaque itidem affinitate, *Aragonium*, & nomen, & insignia, nec non prærogativas *Aquavivii* Proceres usque in hodiernam lucem, superstites ubique ferunt; Exscriptam privilegii illius seriem inferiùs lubet exhibere: quum de *Aquavivensis* Familiæ claritate sermo habendus. Qua siquidem allectione, nec non Regii sanguinis conjunctione *Carolus V.* Imperator ille magnus cum

Ibi

Digitized by Google

lippo ejus filio, ſingulos ex *Aquavivio* ſtipite provententes, conſanguineos appellavit ſuos: evenitque, ut cum *Bononiæ Carolus* Imperatorio donaretur diademate, *Hadriæ*, ac *Neritoni* Duces, non ut ſinguli Proceres Cæſari aſtantes, ſed utpotè affines Magnatum prærogativis, ac titulis affecti. Ex *Etruria Julius Neapolim* deveniens, à *Ferdinando* accerſitus, ut labanti Regno ſuppetias tanti Ducis conſilio daret, in *Turcam* Chriſticolarum hoſtem *Hydruntinam* Provinciam injuſto divexantem gladio, Imperatoris munere eum ſele geſſit, ut ſummos tandem in re bellica aſſequutus honores: Antiquis illis Ducibus non comparandus modò, ſed præferendus. *Othomanicus* gladius *Neapolitanum* concuſſerat Regnum, ſed *Julii* dextera, & metum excuſſit è Regno, & Regni hoſtem. Laboranti *Othomanicæ* lunæ armorum murmur non opem, ſed ruinam intulit majorem: quandoquidem nonniſi *Julii* nece, enectæ Hydro vita danda. De eo Beliſarius Aquaviva Aragonius Neritinorum Dux *in paraphr. in œcon. Ariſtot. Quum pancis ille* (ait) *ne inhoneſta, turpique fuga ſaluti conſuleret, pluribus acceptis vulneribus: fortiter pugnans interiit, ac in prælio potiùs cadere, quam fugere voluit.* Fortiſſimis Ducibus, *Eleazari*, & *Sampſoni* haud impar *Julius*, nam, ut Elephantum ille, & *Philiſtæos* hic proſterneret, vitæ jacturam fecere; ſic occubuit in veſtigio *Julius*, ſatiùs ducens hoſtem ſecum emori, quàm Reipublicæ vitam hoſte divexari. Cæſo nempè Barbarorum Duce, victoriæ ſtudet *Julius* augendæ, paraturus, *Turcam* quibus torqueret, inſidias, in nemus abiens. Sed ô ſortem ſibi minus conſtantem: æqualem numquam? Inſidiatores offendit hoſtes, ubi hoſtibus inſidiari putabat, & in luco lux adempta Duci. Prælians eſt ſolus, vicit ſolus, ſed non ſolus emori potuit, qui inter devictas à ſe hoſtium turmas caput dedit. Cadaver obtruncato capite, equo cui inſidebat, *Sternateam* revectum. Par quidem erat, ut qui victori paruerat moderatori, victum non deſtitueret inter hoſtes; ſimulque, & Dominum, & victoriæ coronidem victis *Othomanicis* eripuit. Et profectò id *Julio* æquum erat obſequium equo præſtari, ut licut Equo ſaxum feriente *Helicenius* Mons aquæ fonte potitus, ſic Equo fugiente *Aquavivæ* in uno *Julii* cadavere adhuc præterlabentis beneficium agnoſcerent *Salentini*, & cum iis tota *Neapolis*, *Italia*, totus, & Orbis. Equo ſanè illi perennes debentur honores, quippè quo *Julii* cinerum theſauri ad poſteros revecti, ut tanquàm martyris, meritò non carerent obſequio. Et quàm jure theſaurus tàm eximii Ducis, geſtorum extiterit memoria, *Antonius* id teſtatur *Galatheus* ad *Beliſarium Julii* filium hæc ſcribens: *Quamobrèm magnanimus ille heros corporis, & animi viribus inſignis Chriſti martyr, & fratri tuo animæ meæ Domino, & tibi, totique familiæ veſtræ tàm pulcherrimi facti perpetuam memoriam, omni auro, omnibuſque gemmis pretioſiorem hæreditatem reliquit.* Tanto Duci *Sternateæ*, ſepulturæ honos illico delatus, ubi, & hoc poſteritati lapidibus inciſum legimus teſtimonium.

A JVLIVS ANTONIVS AQVAVIVUS DE ARAGONIA DVX HADRIÆ CONVERSANI, ET S. FLAVIANI COMES, ANNO HVMANATI DEI M. CCCCLXXXI. VII. IDVS. FEBRVARII PRO CHRISTIANA RELIGIONE. INVICTI REGIS FERDINANDI FIDE, AC TVTIONE OMNIVM IN ORIS HYDRVNTI APVD AGRVM MVRI DVO PASSVVM MILLIA AB VRBE DISTANTEM ACRITER PVGNANDO A TVRCIS CAPITE CÆSVS HIC RE-
B CVBAT.

Joan. de Giſſis Servuli.

In *Cuperſanenſi* verò *Beatæ Virginis* Inſulanæ Templo ab eodem *Julio Antonio* magnificis ſumptibus excitato hanc tanti Ducis memoriam proſpicimus.

JVLIVS ANTONIVS DE AQVAVIVA HADRIÆ DVX, ET CONVERSANI COMES, SVMMAM INTER MILITES GLORIAM SVDORE, ET SANGVINE ASSEQVVTVS, TOTIVS DEMVM EXERCITVS REGNI NEAPOLITANI DVX CONTRA TVRCAM CHRISTIANI NOMINIS HOSTEM, ITALIÆ IMPERIO INHIANTEM, APVD HYDRVNTVM FORTITER DIMICANS OCCVBVIT. VI. IDVS FEBRVARII.
M. CCCC. LXXXI.
PRO MILITARI COELESTEM CORONAM ADEPTVS.

Tanta quippè ex *Julii* nece *Neapolitano* Regno, & *Aragonenſibus* in primis Regibus pervenit utilitas, ut *Federicus de Aragonia* Rex anno M.CCCCIIIC. *Beliſarium Julii Antonii* filium privilegio inſigniens, quantum *Julio* deberet hilce teſtatum reliquerit verbis. *Nam, ut omittamus quod Illuſtris Pater ejus Julius de Aquaviva bello Hydruntino, quod contra Turcas geſtum eſt, pro ſtatu, & ſervitio domus noſtræ viriliter pugnans animam poſuit; quod meritum in primis magnum, nec obliviſcendum filiis quoque ſuis, noſtra domus perpetuò debet. Julii Antonii, & Catharinæ Urſinæ* uxoris ſtatuæ genibus innixæ ante princeps Altare viſuntur. Eam, verò quæ *Julii* pietatem refert *Salvator Varo* Societate Jeſu ut ſuam *Veſuviani* Incendii Hiſtoriam, variis & noviſque refertam rebus in lucem promeret, furente *Veſevo* anno MD.XXXI. fulmine tactam aſſerit. Hem fabellam, quam doctus hic refert Jeſuita? quæ, & in hiſtorias referrem, niſi ex relatis vagantem auctoris animum aucuparem, modicamque iis fidem habendam. Et niſi cum ſæva illa *Veſuvii* tempeſtas *Italiam* deterreret, me *Cuperſanum* haberet oculatiſſimum rerum teſtem, vera utique cenſerem, quæ de *Julio* commentus eſt auctor.

Beliſarius Aquaviva de Aragonia Julii Antonii ſecundo natus *Cuperſanenſem* Civitatem, quam poſt parentis ſui obitum dono Regis *Ferdinandi Secundi* poſſederat, *Federico de Aragonia* Regi (ita rebus publicis, regiaque expoſcente utilitate) reſtituit. Sed Rex, ut beneficiis, promptaque *Beliſarii* vo-

Digitized by Google

voluntate non vinceretur, *Neritonensem* ei Urbem ob *Angliberti de Baucio* Comitis *Ugenti*, ejus domini defectionem sibi devolutam, pro *Cupersano* donavit. *Belisarii* auctoritate, & labore *Neapolitanarum* rerum dissensiones compositas, eique uni, Regni pacem debendam Regali asserit privilegio *Federicus* hisce verbis. *Certè ipse hic Belisarius, & aliàs semper, & proximis his adversis temporibus nostris eum sese præstitit, ut si cui alii pro recuperatione hujus Regni, & hac gloriosissima nostra victoria debemus, huic in primis, & supremum in modum debeamus. Nam ità subinde semper infracta, & constanti fide partes nostras secutus est, ut nullis neque sumptibus, neque laboribus parceret, & sæpe vitam ipsam manifestissimis discriminibus, & periculis obiiceret.* Et inde etiam est, ut in eodem *Federicus* privilegio de *Belisario* dixerit: *Cujus ea in nos, & domum nostram merita, studiaque extiterunt, ut nullum tàm magnum præmium, vel ornamentum sit quod polliceri sibi à nobis jure quodam suo non possit.* Enim verò egregia *Belisarii* in domum *Aragoniam* ea extitere obsequia, ut Regno intestina dissensione laborante, rebus publicis *Gallica*, dubiaque fide quassatis, unus, & consilio, & auxilio adstiterit *Belisarius*; qui conjuge, liberis, sororibus, suoque relicto statu, triremi *Barulum* petiit, ut *Aragonensi* faveret vexillo *Gundisalvo Fernandez de Cordona* Prorege, armorumque *Neapolitano* in Regno Imperatore sic exposcente. Idemque *Belisarius* Provincias *Barianam*, & *Hydruntinam* ad Regis *Ferdinandi* fidem summa prudentia, nec minore reduxit labore, sumptuque. De quo Rex in privilegio, ubi *Neritonensem* illi Statum obfirmat anno 1505, egregiam infert mentionem, additque: *Habentes quoque respectum ad grata, grandia, & fructuosa servitia per ipsum Comitem novissimè præstita in bello, quod contra Francorum Regem in dicto Regno gestum est, quæ non solùm hæc, sed majora de nobis promerentur.* Quo sanè in bello contra *Gallos* gesto, quàm se acriter gesserit *Belisarius*, hisce cecinit carminibus Camillus Querna Archipoeta Monopolitanus, *lib.* 1. *de Bello Neapol.*

Non Aquavivus abest Belisarius, optima pandens
Virtutis monimenta suæ, fidissima magni
Corda gerens Caroli titulis, discedere nunquam
Parthenope voluit, tanta est constantia fortis,
Et virtus animi, nullo sub tempore pallens.

Magna tunc extitit *Joannis Bernardini Belisarii* filii in domum *Austriacam* fides, quod, & ipsemet Archipoeta sequentibus declaravit carminibus.

Joannes, proles tàm claro digna parente,
Vtpotè qui nequeat divelli à Cæsaris armis
Fortis, & intrepidus gaudet tenuisse Tarentum.
Hostileisque acies Marte invasisse cruento.

Non contemnendam verò de *Belisario* Duce, *Antonius Galatheus* datis ad eundem literis mentionem agit, quam ob oculos pono. *In re bellica quantum valeas* (inquit) *omnes noverunt, in bello Gallico virum fortem semper egisti; Ferdinandum Regem extrema per omnia (ut ait Poeta) sequutus es: Vnde inter Regni Proceres magnam gloriam es adeptus. Quapropter Ferdinando mortuo, Federicus Rex te ob ingentia merita tua pulcherrimæ, & celeberrimæ Vrbis Neriti titulo decoravit. In bello Veneto, apud Salentinos penè puer sub fratre tuo (qui ætate nostra, & armorum, & literarum gloria pollet) militasti: atque ità te gessisti, ut facilè omnes cognoscerent, te nihil degenerasse à paterna, atque avita virtute.* Quanta porrò literarum effulserit eruditione *Belisarius* in quæsitissimis ab eo editis libris unico agnoscimus intuitu: quos videat lector. Ejus enim typis datarum lucubrationum catalogum propino.

Belisarii Aquavivi Aragonei Neritinorum Ducis *de Instituendis liberis Principum liber unus.*

Præfatio paraphrasis in Oeconomica Aristotelis, lib. 11.

De Venatione, & Aucupio, de re militari, & singulari certamine.

Explicatio orationis Dominicæ.

Homiliæ diversæ super nonnullis Psalmis.

Expositio Psalmorum quorundam, qui in sex horis Canonicis diebus singulis dici solent.

Federicus autem Rex, apud quem Domus *Aquavivia* tanta erat, ut ea nihil majus; *Conversanam* Urbem, quàm à *Belisario*, ut diximus acceperat, *Andreæ Matthæo Aquavivæ Aragonio*, *Belisarii* germano majori, *Atriæque* Duci præclarissimo, dono dedit. Unde ad manus *Aquavivias Conversana* iterum Civitas devoluta, atque *Andreas Matthæus* secundum, & vigesimum inter ejus Civitatis Comites locum obtinuit.

Anno verò 1480. celebratæ sumptuosissimæ nuptiæ inter *Andream Matthæum*, & *Elisabetham de Aragonia Piccolomineam Amalphitani* Ducis filiam, & *Ferdinandi de Aragonia Neapolitani* Regis neptim. Anno verò 1509. nuptiæ secundò initæ ab *Andrea Matthæo*, duxitque *Catharinam de Aragonia de la Rattæ*, quæ antea Cæsari *Aragonio Ferdinandi* Regis filio nupserat.

Andreæ Matthæi ea enituit pietas, ut Ecclesiis reparandis, subveniendis pauperibus, sublevandis oppressis, & piis id genus officiis obeundis numquam non esset intentus: quovè hæreditaria *Aquaviviæ* domus religio in uno *Andrea Matthæo* supremum sumpsisse videatur incrementum. *Divæ Mariæ* Insulanæ sacras Cavernas, quas *Julius* Pater sumptuoso ornaverat Cœnobio, Temploque, Almæ Parentis toto orbe celebrem deveneraturus imaginem, sæpè sæpiùs invisens, ibi cordis præferebat pietatem sui. Interim *Ferdinandi* Regis, & *Alphonsi* filii intentatæ conjurationis ultione in Proceres desæviente, haud aliàs *Andreas Matthæus* latebras quæritavit, nec aliud, nili Insulanæ cryptæ effugium, ut Deiparens sicut innocentiæ suæ testis sic esset, & clypeus. Ibique diù potiùs cultui frequens præstare obsequium, quam ab imminente se immunem servare periculo videbatur. Et omisso quidem frequenti, quotidianoque quod Divinis con-

templandis impendebat, ſtudio, exercitationes ferè omnes, cum internas, tùm externas, quibus ſoccati Religioſi ſtrictioris obſervantiæ ibi degentes addicti, pari conſortio, animo, ſed majore, inibat. Operam tunc temporis, eo in Cœnobio, divino dabat cultui *Beatus Jacobus Dalmata*, qui utpotè literaturæ ignarus, vilioribus ſemper, & infimis præficiebatur muneribus, cui, & Cœnobii Culinæ cura demandata. Incumbebat coquinariæ *Dalmata* lubenter, ac ſingulis quibuſque diebus temporario ex igne, vel in æterni ignis meditationem deſcendebat, vel ad æternæ charitatis incendium devolabat. Unde, & ſenſibus ſæpè ſuis deſtitutum, inter ollas immobilem conſiſtere contingebat. Mane quodam fabas Cœnobitis dum pararet, in eçſtaſim raptus. Manus ollæ, Cœlo animus hærebat, & lacrhymæ ultrò ex oculis effluentes, dignæ, quæ cœlo reciperentur, fictilem cadebant fabarum in ollam. Interim Dux per Cœnobium deambulans, ubi devitandæ regiæ perſecutionis gratia domicilium fixerat; pertranſienſque per Coquinæ Januam, Sanctum vidit ollam manibus tenentem, à ſenſibus alienatum, effluentibuſque lacrhymis, & ollam madentem, & fabas. Demiratus tunc Comes, ſtetit pauliſper, Vos felices calonatos inquiens, & iterum felices, quos *Jacobus* ſuis paſcit lacrymis; mox abiit, nè Religioſum virum interpellaret orantem. Sed ut ad ſenſus rediit ſuos *Jacobus*, Comitem adiit, ut coquus, & ab eo quidnam veſci cuperet, ſciſciratur. Ad quem Comes, nonniſi fabas tuis co as lachrymis eſſe cupio. Quo, & *Jacobo* rubor advenit, & Ducis in *Jacobum* crevit affectus. Porrò de hujus viri ſanctitate Fratrum minorum conſulantur Annales. Nec modica etiam *Andreæ Matthæi* Ducis emicuit pietas, quum Inſulani Cœnobii clauſtra, ut per ea deambulanti quid meditaretur, occurreret, variis, iiſque ſacris exornavit imaginibus: illaque magnificentiſſima reddidit, unde ſequens inibi viſitur inſcriptio,

ANDRÆAS MATTHÆVS AQVAVIVA ARAGONIVS ILLVSTRIS DVX HADRIÆ, ET THERAMI, ET BITONTI MARCHIO CONVERSANI, ET JULIÆ COMES, JULII ANTONII MAGNIFICI PATRIS SVI, HVJVS RELIGIOSISSIMI COENOBII CONDITORIS SVCCESSOR, ET FILIVS, CLAVSTRA HÆC COMPINGERE FECIT, ANNO DOMINI MCCCCLXXXI. IV. IDVS SEPTEMBRIS; QVO DIE, ET TEMPORE ALPHONSVS REGIVS PRIMOGENITVS CALABRIÆ DVX ILLVSTRISSIMVS A TVRCIS DIVTIVS EXPVGNATIS HYDRVNTVM ACCEPIT.

Sed enim verò in Regni Proceres, Regiæ ultionis tempeſtate furente, eorumque plurimis capite cæſis, Regis timet manus *Andreas Matthæus*. At *Jacobus* ille *Dalmata* Inſulani Cœnobii cultor, necis metum è Ducis pectore arcet, tantaque tunc erat *Jacobi* auctoritas, & opinio, ut ei fidem, omni hæſitatione ſublata, adhibuerit Comes. Nec evaſit inane tanti viri Oraculum; quando-quidem uni *Andreæ Matthæo* jam ſcimus indultum. Pietati literarum ſtudium ſic adjunxit *Andreas Matthæus*, quo cæteros inter ætatis ſuæ Principes ceu Unicus *Phœnix* emicuerit. Et quantum ſtudio profecerit, libris à ſe editis teſtatum reliquit, quos ſumma eruditione refertos nemo non novit. Nec ob ſtudia literarum conſuetam militari peritiæ operam navare deſiit cujus eruditio an belli arte major, & an hæc illa, in medio adhuc eſt. Novitque hoc præ cæteris ſpectatæ virtutis *Jovianus Pontanus* literatorum fulgor, qui de *Andrea Matthæo*, de magnanimitate ei libellum dedens, hæc ſcriptis tradidit ſuis: *Militare decus, ac belli gloriam ita es aſſecutus, ut Philoſophia, cæteraque artes bonæ te & Authore, & Magiſtro glorientur, & ſeni jam mihi, atque annos plurimos maximis in rebus agenti, gloriari etiam liceat, vidiſſe tandem Principem virum, & in mediis philoſophantem belli ardoribus, & philoſophum inter libros, naturæque rationiciationes tractantem Ducum artes, muneraque Imperatoria, utrumque cum dignitate, neutrum ſine ſuo, & decore, & laude.* Præclarum habes *Andreæ Matthæi* encomion apud Joannem Tarchagnotam *in Regni Neapolitani deſcriptione lib.* 1. Inter libros ab *Andrea Matthæo* editos numeratur unus de Encyclopedia: de Philoſopnia alter, aliique, quorum cathalogus ad meas adhuc manus integer non pervenit. Moritur tandem *Andreas Matthæus* Idibus Aprilis. Anno MDIII. à *Gallis* vulneribus confoſſus propè oppidum *Rutiliani* ebullientibus tunc in Regno diſſenſionibus.

Andreæ Matthæo in *Cuperſanenſi* civitate ſucceſſit *Joannes Antonius Aquaviva de Aragonia* ejus filius, cujus eximias virtutum laudes, nemo extitit qui ea tempeſtate non cognoverit.

Ioanne Antonio natus *Joannes Hieronymus* quartus, & vigeſimus *Cuperſanenſium* Comes. Navali bello contra *Turcam* geſto interfuit militum evocatorum Imperator: cunctis ſe in rebus exhibens acerrimum. Filios ſuſcepit *Iulium* & *Octavium* S. R. E. purpuratos Patres, illum à *Pio V.* hunc à *Gregorio* XIV. creatum *Rodulphum*, qui in ſocietatem Jeſu aſcriptus, pro Catholica fide amplianda apud *Goas* in *Salſetis* Inſula *Indiæ* Orientalis, ſanguinem effudit *Aquaviva* ſuum. *Horatium Calatinum* Præſulem. *Albertum Bitunti*, & *Aquavivæ* Marchionem. *Ioannem Antonium* militari cingulo eximium. *Eliſabetham Siciliæ* Principem, & *Hadrianum*, qui Comitatum *Cuperſani*, Rege annuente, a Parente obtinuit ſuo; ſubſecutuſq; eſt vigeſimo quinto loco, Eidem *Nucis* oppidum, in idque Ducis titulum *Philippus III. Hiſpaniarum* Rex eximia ejus reſpiciens meritorum culmina, elargitus.

Iulius Hadriani filius *Philippi III. Hiſpaniarum* Regis *Neapolitani* Regni Status à conſiliis (quod profectò munus ſummæ ea tempeſtate æſtimationi habitum) egregiam rebus in omnibus agendis prudentiam præferens, majorum ſuorum inſiſtens veſtigiis, *Cuperſanam* Urbem avitis moderatus eſt legibus. *Catharinam Aquavivam Aragoniam Neritinorum*

Digitized by Google

rum Ducem virilis animi mulierem, omnium undequaque virtutum radios diffundentem sibi matrimonii vinculo copulavit, è qua *Joannem Hieronymum* impræsentiarum inclytum Comitem suscepit.

Itaque *Joannes Hieronymus*, ætate iam adolescens, mente senex, parente orbatus *Cuperſanæ* Urbis suscepit habenas. Avorumque suorum exempla sectatus, ad id gloriæ culmen brevi pervenit, quod *Neapolitanæ* Urbis Procerum nullus ad hanc usque memoriam tetigit. Tanta scientiarum ferè omnium eruditione imbutus, ut *Parnassias* rupes illi cunas præbuisse dixeris, ut ve *Eliconios* Fontes pro materno suxisse lacte censueris. Vix septimum supra decimum pertigerat annum, & contra *Turcam* in *Sipontinam* Urbem ingruentem numerosa ictu oculi collecta quadringentorum penè equitum manu, arma tàm strenuè sumplit, ut contremiscentibus utriusque *Apuliæ* Provinciis ausus, animosque sufficerit, unde Regno, totique Orbi conspicua extitit tanti adolescentis animi fortitudo, semperque singulis se se offerentibus *Philippi Hispaniarum* Regis, *Neapolitanique* Regni egestatibus, *Joannes Hieronymus*, prout exigebat occasio, animo sed majore, & ære occurrit, & milite. Interpellata verò fruitus tranquillitate, fortuna tanto Principi invidente, quæ aliquot ante annis, postremum in eum edidit flagitium, ut enim Cicero IV. *ad Herennium* ait: *Virtutis Comes invidia, plerumque bonos insectatur*. Namque *Vivas* ejus fidei *Aquas* lethæis immiscere fluctibus ausa est sæva in eum mota persecutio, sed ejus immergendæ gloriæ ansam quæritans pessum ivit. *Hibero* siquidem *Aquæ Vivæ* suppetiante, feliciori hæc fluxit auspicio, nitorque Comitis magis emersit, ac magis. Nemo est, quem lateat, quot in hunc Principem dolos (*Medinæ Turrium* Duce *Neapolitanorum* Prorege) ejus gloriæ invidi struxerint; sed a *Philippo IV.* utriusque *Hemisphærii* moderatore *Joannes Hieronimus* accersitus, benignè, & honorificentissimè exceptus fuit *Cæsaraugustæ* anno M. DC. XLIV. quem & ego secutus, ejus à secretioribus, gravioribusque negotiis eram. Mox liberaliter in eumdem effudit Rex animi monumenta sui. Sed quæ *Joannes Hieronymus* pro *Neapolitanæ* Urbis, Regnique tumultu sedando egerit, difficile calamus expresserit meus, cum *Hispanici* nominis defendendi ergo bellum proprio sumptu, undecim solidos menses ferè sustentarit, quo & strenuitatem præsetulit perpetuò celebrandam; & quicquid sibi aut virium, aut prudentiæ, & existimationis inerat, suprà singulorum vires Procerum, uno ictu exhibuit. Unde subsultantium Populorum audaciam compescuit, & *Gallorum* contudit invidiam, ambitumque, & *Philippo* Regi rebellantes Regni Provincias facilè subjugavit, ac obsequio solus restituit; quæ nos omnia in ejusdem Comitis vitæ, gestorumque libro, quem meditamur, omnium oculis accuratiori exhibebimus calamo. Vices Comiti suas exhibuit *Rodericus Pontius* à Legione Dux Artus (vulgò *de la Frontera*) Avrei velleris Eques, & ea tempestate Regni Prorex, ut omnibus adhibitis remediis, seditionem arceret, rebellibus obsisteret, ac pro Catholici Regis diademate prælium susciperet, quæ optimè Comes implevit. Quantum porrò debeat Rex Ducì Arcus, difficile dictu est, cum nec sibi, nec liberis pepercerit suis; se enim apertis objecit periculis, filios autem, Regiæ utilitatis intuitu obsides Populo non semel obtulit, nullumque non movit lapidem, quo hujusmodi extinguereret incendium; addidisset, & sanguinem, si eo noviſſet aliquid se profecturum. Aderant Proregi Duces strenuitate præclari, necnon Administri prudentia, literisque conspicui, quos inter, eminebat *Joannes Ciaconius Pontius* à Legione, eidem Regno generalis censor à Regemissus, qui præter incrementum, quod Regio attulit patrimonio, pro componendis dissensionibus præclara edidit, Ducemque Arcus, & consilio, & ope adjuvit, ut plebis captaret benevolentiam. Comiti sane nostro fortitudinis, ac fidelitatis præmium à Rege propediem conferendum expectamus, quod ejus nomine postulamus, ut *Castellæ* scilicet magnatum numero eum adscribat, meritisque afficiat prærogativis, quas *Carolus V.* Imperator semper *Augustus Neritonensibus* concessit Ducibus.

Elisabetha Filomarina Roccæ Asperæ Princeps *Ioannis Hieronymi* Comitis uxor, verè virago; cujus amazonium nulla unquam infringere adversitas, aut fortuna erigere valuit animum. Liberos ex ea Comes suscepit nonnullos, è quibus *Cosmus* emicat *Castelli Nucis*, ac *Neritoni* Dux, Parentis sui, ut feudorum hæres, ità virtutum æmulator omnium. *Iulius Philippi Hispaniarum Quarti* Cortinarius, quem infulis, & Galero natum præpropera mors abstulit. Vita sanè illi peritura adempta, non perennior; Lucis usura, non gloria. Sedandis enim ultimis Regni seditionibus sub invicto parente sedulò pugnans, multis præclarè gestis, apud *Fractæ* oppidum, quod ut Regio submitteretur Imperio, armis compellebat, ignito bellici tormenti globulo, è medio sublatus est. *Fr. Thomas* insignia præferens *Rhodia*, majorumque suorum vestigiis insistens. Et *Catharina Torrecusentium* Marchioni *Hispaniarum* magnati, *Caroli Andreæ Mariæ Caraccioli* magni militum Imperatoris filio nupta.

Comitum seriei colophone addito, de antiquissimo *Aquaviviorum* germine aliquid prælibare necessum est. Clarissimam porrò, pervetustamque hujus Familiæ originem ex antiquitatum latebris subobscurè nobis innotescere confitemur. Sed quæque illa fuerit, maxima profectò fuit. Anno enim humanæ salutis sexcentesimo decimo nono viros dabat *Aquavivium* Genus toto Orbe claros, supremisque conspicuos honoribus, ut milites strenuos, Equites prudentissimos, munificentissimos proceres, & S. R. E. purpuratos Patres. *Italiæ* verò anno M. C. LII. *Aquavivios* excepit, ex iisque quantumvis ox floruerit, hodiernum testor diem. In ejus origine ostendenda insudarunt Historici, varii varia tamen tradidere. Ex *Austriaco*, *Bavaricoque* sanguine *Aquavivios* originem traxisse testem habemus antiquum, luculentumque

tumque Auctorem Magistrum *Joannem de Virgilio*, qui floruit temporibus excellentis Poetæ *Dantis*. Hic enim in suis de *Ecclesiæ Catholicæ Romanæ Regno Chronicis cap.* XIV. & XXIV. *de Aquaviviis* hæc ait: *Familia Aquaviva ducit ortum suum à Germania à Ducibus Bavariorum*. Idem habere videtur Joannes Caramanius *de antiquitate Orbis*. Quod & Philippus Scalia confirmat *in lib. antiqu. Terræ laboris* hæc scribens: *Aquaviviorum progenies, quæ ex Austriacis oritur illustrissima & nobilissima est reposita in sedili Nidi Almæ Civitatis Neapolis*. Sed ut redeamus ad Magistrum *Joannem de Virgilio*; cognomenta hic generis Catholici, generosi, ac Illustrissimi quæ Serenissimæ, ac Imperatoriæ Domus *Austriacæ* propria sunt, *Aquaviviis* attribuit, hisce verbis: *Catholicum nomen meretur familia Aquavivia, ejus enim duces, virique generosi militarunt in crucifera militia pro recuperatione Terræ Sanctæ, inter quos Rodulphus Aquaviva Dominus prudentissimus, ac magnanimus suis impensis illi sacro bello interfuit, & in recuperatione Sanctæ Civitatis Jerusalem multum insudavit*. Hæc ille. Alii vero originem non tam longè petentes, ut Phanusius Campanus *lib.* I. *de familiis Illustribus Italiæ, earumque origine cap.* II. & Prosper de Cantelmis Neapolitanus *in registro Illustrium familiarum Regni Neapolitani*: Marinus Freccia Capuani Consilii Præses *tract. de subfeud.* & *Franciscus de Petris* amicus noster, clarus nostri temporis Historicus, & Juris Consultus Familiam *Aquavivam* scribunt è *Piceno*, seu *Marchia Anchonitana* venisse in *Campaniam* Felicem. Nec ullum in hoc agnoscimus absurdum: quippe *Aquavivii* ex *Austria Picenum* venere, *Castrumque Aquaviviæ* inibi possederunt (ex quo illis cognomen factum nonnulli putant, nisi id sit, è converso) inde *Neapolim* se transtulere; ubi semper inter Proceres, ac Magnates adnumerati, adeoque antiquus in hac familia Ducis titulus ut cæteros *Europæ* Duces antecedat. Sanè Duces apud majores nostros erant, teste Joanne Mariana *lib.* VI. *de reb. Hispan. cap.* I. *Qui Urbem aut Regionem aliquam præsidio militari obtinebant*. Ex quibus aureo nummo ducati nomen derivatum, eo quod cudendæ monetæ facultatem haberent, quo stipendia militibus promptè solverentur. Et quamvis *Neapolitano* in Regno magna semper emicuerit nobilitas, & Illustria in eo, ac vetusta germina nunquam defuerint, septem tamen ex his familias, cæteras anteire communi ore confessum, & utpote Illustriores ex aliis segregatas numerarunt. Eæque sunt:

Sanseverina.
De Balzo.
Aquavivia.
Ursina quæ primordia ducit è Latio.
Caldora.
Cantelma.
Et Ruffa.

Quæ *Neapolitanæ* Civitatis sedilibus nunquam adnumeratæ, licet *Sanseverina*, & *Aquaviva* anno MDV. *Nidi* sedili aggregatæ: ut ex illis major sedili claritas accederet.

Nec modicus is est *Aquaviviorum* honos millenis ante annis S.R.E. Cardinalibus eorum familiam floruisse, & ut eos hic recenseam.

Anno Christi DCXIX. à *Bonifacio V.* Cardinalium numero adscriptus *Stephanus Acquaviva*, vir omni virtute ornatus.

Anno verò DCCLXXII. *Papinianus Acquaviva* heros omni ex parte incomparabilis à Pontifice *Hadriano I.* Cardinalis creatus.

Albericum Acquavivam salutis anno MLXI. *Alexander* Pontifex II. tanti viri merito præmio afficere voleus, purpuratorum Patrum numero adscivit.

At *Joannes Vincentius Acquaviva* per *Paulum Pontificem III.* anno MDXXXXII. S.R.E. Cardinalis renunciatus.

Julio Acquavivæ de Aragonia Cardinalis dignitas à *Pio Pontifice V.* anno MDLXX. collata.

Octavius Aquaviva Aragonius, Joannis Hieronymi X. Atriæ Ducis, & *Margaritæ Pia* filius Cardinalium albo relatus à *Gregorio XIV.* anno MDXCI. Archiepiscopatum *Neapolitanum* optimè gessit; sepultusque est in Cathedrali, ubi hæc in marmore æreis literis defixa inscriptio.

D. O. M.

OCTAVIO AQUAVIVO ARAGONIO
CARDINALI ARCHIEPISCOPO
NEAPOLITANO
PURPURA, ET LITTERARUM MAXIME GRÆCARUM ORNAMENTO
MAJORUM DECORA ADEPTO, QUÆ
FUERUNT E REPUBLICA
CHRISTIANA IN PONTIFICIIS, PRÆCIPUÆ COMITIIS, ATQUE
IN AVENIONENSI LEGATO, CUM
ARDERET PROVINCIA CIVILIBUS
DISCORDIIS, ARDERENT BELLO
GALLIÆ, STRENUE CUNCTA
EXSECUTO
IN OMNI VITA SINGULAREM MAGNI CONSILII, EXCELSI ANIMI
LAUDEM PROMERITO. D. FRANCISCUS AQUAVIVUS MARCHIO
AQUAVIVÆ EX D. JOISIA NEPOTE
DUCE HADRIANORUM XI.
PRONEPOTE PONTIFICIS OBIIT ANNO SALUTIS MDCXII.
NATUS ANNO LII.

Floruit & *Vincentius Acquaviva Hydruntinæ* Civitatis Archiepiscopus, itemque *Marcellus* ejusdem Urbis Archiepiscopus, & Nuncius Apostolicus apud *Venetos*, & *Sabaudos*. *Andreas Matthæus* Episcopus *Venafri*, & *Horatius Calatinus* Episcopus; nec non *Sulpitius*, & *Donatus Cupersanensis* Urbis Præsules, aliique.

Viros dedit hæc familia innumeros variis dignitatum generibus conspicuos, quos inter numeramus magnos Regni *Neapolitani* Justitiarios *Andream Aquavivam* anno 1155. *Ricardum* anno 1284. & *Antonium*; magnumque Marescallum *Conradum Aquavivam*; necnon *Matthæum*, & *Antonium* magnos Regni *Ciamerlanes*; militum verò Imperatores *Ludovicum Aquavivam*, *Andream*

Mat-

Digitized by Google

Matthæum, *Antonium*, & *Julium Antonium*. Primus sanè, atque alter à *Ladislao* Rege, tertius à Regina *Joanna*, ultimus à Rege *Ferdinando* exercitibus præfecti fuit.

Nec armis solùm, sed & literis floruere *Aquavivii* Proceres, ut nobilitate, & gladio magis effulgerent, ac magis literæ, itemque literis nobilitas clareret, & gladius. Nonnullos hic recensebo, ut eruditis faciam satis.

Robertus Aquaviva floruit anno salutis 1283. eruditione clarus, quam variis à se editis libris præsetulit, ut de eo refert *Phanusius Campanus*, & Bibliotheca Mundi, scripsit enim,

De disciplina Regum libros sex;
De calamitatibus Italiæ tractatum.
De fato, & fortuna libros duos.
De consuetudine librum, &
De Abusibus rerum Mundi libri tres.

Albericus Aquaviva multâ, variâque notus eruditione, Libros composuit innumeros, quarum nonnulli hodiè apparent, ut Henricus Marcellus de Agrigento *in Bibliotheca mundi* retulit. Scripsit:

De Principiis Regnorum Mundi Chronicon.
De Suprema Petri, & Ecclesiæ Romanæ potestate libros tres.
SS. Petri, & Pauli gesta.
De excellentia & suprema Pontificis potestate in utroque foro.
Item librum, qui *Giglissimus Philosophus*, inscribitur.
De ineffabili Trinitate libros duos.
De animæ immortalitate librum.
De modo in Cœlum ascendendi tractatum.
De adoratione, ac veneratione libros duos.
Item *in Genesim tres commentariorum libros aliosque nonnullos.*

Dorothea Aquaviva mulier omni virtutum genere, & literis ornata, quæ poeseos lauream promerita, una cum *Victoria Columna*, *Laura Terracina*, & *Margarita Sarrocchia* de qua Franciscus de Petris in *proœm. proble. VIII. in Histor. Neap.*

Andreas Matthæus, & *Belisarius Aquavivii*, Principes omnium virtutum genere ornati, librorum etiam compositione, ut diximus, clari, *Andreas Matthæus de Philosophia* scripsit, & Enciclopedia, &c. *Belisarii* autem libros recensuimus suprà, cum de eo egimus.

Claudius Aquaviva vigesimo quinto ætatis suæ anno *Pii V.* Pontificis Maximi à Cubiculo, eique ob literarum studia, & summam ingenii perspicacitatem in primis charus; nullâ rerum humanarum, ac dignitatum spe, cohiberi potuit, quin omnibus pro Christo relictis, magnæ Societati nomen dederit, ubi ea virtutum merita assequutus, & cum nondum quadragesimum attigisset annum, ad supremum Præpositi generalis fastigium divinis præcedentibus monitis, mirè evectus fuerit. Tanta enituit humilitate, ut Archiepiscopales *Neapolitanæ* Urbis insulas à *Clemente VIII.* oblatas constanter renueret, & colapho ab equite *Romano* injustè cæsus, alteram percutienti maxillam præbuerit: orationi, ac divinis contemplandis usque adeò intentus, ut in ecstasim actus, ain aera quandoquè raperetur; nec *Moysii*, nec *Eliæ* impar, quippe ignitis fulgere radiis sancto *Philippo Nerio* oratorii congregationis Parenti, non semel visus. Ei tantùm Societas debet, ut si *Viva* Claudii *Aqua*, semina à divo *Ignatio* jacta non irrigarentur, penè arescerent. *Ignatius* si quidem plantavit, *Aquaviva* rigavit, Deus autem incrementum dedit. Perseverat adhuc in societate quædam agendi norma à *Claudio* lata, qua Jesuitarum ritus hodiè sustentantur, & imperium; morti proximus dixisse fertur: *Gratias Deo, qui facit de tenebris lucem splendescere, & de morte vitam suavissimè rependit*: mox astanti *Roberto* Cardinali *Bellarminio* in hæc prorupit: *Non temo di morire, nè mi vergogno di vivere, perchè abbiamo un buon signore*. Mortalem hanc vitam cum cœlesti, ac perenniori commutavit anno M. DC. XV. magnusque hominum concursus ad ejus cadaver factus, ut religiosè tangerent & exoscularentur. Libellum scripsit de industriis ità ingeniosum, ut necessarium: nec non in psalmos XLIV. & CXVIII. commentarios, sive meditationes, & Epistolas ad universam societatem *de renovatione spiritus, & unione fraternæ charitatis*. Opus sanè posthumum, quod evulgavit Bernardus de Angelis *Secretarius Societatis Jesu Coloniæ anno* 1616. de eo hujusmodi circumfertur epigramma.

Par erat æternæ te ducere tempora vitæ
Nomen, & æternum viva quod indit aqua.
Humana probitas major divinaquè virtus.
Menticana fides, hæc tibi vita fuit.
Vox cœlestis erat species dignissima vultus.
Et quod cœlicolis dicitur esse color.
Jam fluvios post hac nullas reor esse perennes,
Cum tu etiam possis, o Aquaviva mori.

Scripserunt de hoc Heroe, *Jacobus Damianus*, *Philippus Alegambus*, & *Joannes Baptista Masculus* in odis.

B. Rodulphus Aquaviva Societatis Jesu institutum sectatus, ità se virtutum omnium ornamentis illustrem exhibuit, ut ad *Goas* sacra Evangelii dogmata disseminaturus, mitteretur. In *Salsetis* tandem Insulam se contulit, quatuor ex eadem Societate adhibitis sociis. Ubi cum in oppido *Cuculini* Catholicam prædicaret fidem, idolorumquè templa everteret, gentilium furore immanitèr percuitur, & quino intrepidè accepto vulnere animam Christo reddidit. Cujus vitam nec non relata *Claudii* gesta, *Hispanicè*, sed candido quidem stylo exarata æternæ donavit memoriæ Reverendus Pater *Eusebius Nierembergius* amicus noster ejusdem Societatis literarum, & virtutum exemplar. Ex *Indiis* demùm B. *Rodulphi* vitæ, & miraculorum testimonia *Romam* tranmissa, ut ejus per Pontificem Maximum declaretur martyrium, pro quo & *Hispaniarum Indiarumque* Rex *Philippus IV.* cognomento magnus ad *Innocentium Pontificem X.* me petente, literas dedit. Fortunatum, & bis fortunatum *Rodulphum*, quem viventem, viva Aqua illustravit, morientem sanguis clariorem reddidit, ut ipsamet Aqua, & sanguis, vita, & morte tua resplendescerent, en eximium de *B. Rodulpho Aquaviva* quinque

Digitized by Google

que vulneribus pro fide perempto ingenioſi cujuſdam Viri epigramma.

Dum cadit innocuum fundens Aquaviva cruorem
Qui par Chriſto annis, vulneribuſque fuit:
Quam lætor Franciſcus ait, quæ vulnera vivus
Ipſe tuli; moriens illa Rodulphus habet.
Vivere qui voluit quino me vulnere Chriſtus;
Vulnere te quino, vult Aquaviva mori.
Chriſtum morte refers, ego vivus præfero Chriſtum.
Effigies Chriſti, eſt, mors tua, vita mea.
Vulnera habet moriens, & ſurgens Chriſtus.
Imago
Ipſe reſurgentis, tu morientis eris.

Obſequia verò, quæ *Aquavivii* Proceres Regibus præſtitere ſuis, maxima quidem fuere, & quæ ſe offerebat, occaſioni reſpondentia; à quibus plurimis affecti beneficiis, non ſecus ac quibuſdam incitamentis. *Quis enim* (ait Sineſius ad Arcadium) *Laudante Rege, ſanguini pareat ſuo.* Ut cum *Averardus Aquaviva* ſecundus Sancti *Valentini* Comes totius *Neapolitani* Regni nomine *Hungariæ* Regem nuptias cum Regna *Neapolitana* celebraturum magno ſervorum agmine ſtipatus, immenſiſque expenſis ſolemnitèr excepit & cum *Conradus Aquaviva* Sancti *Valentini* itidem Comes *Carolo* tertio *Neapolitano* Regi magnam pecuniæ vim pro Regni reparatione dedit: & cum *Andreas Matthæus Aquaviva Atriæ* Dux *Joannam* Regis *Ladislai* ſororem ſolemni, & quæ decebat pompa ſtipavit, dum nuptias cum *Guillelmo Auſtriaco* Duce celebravit. Et cum *Julius Antonius Aquaviva Aragonius Federicum* Regis *Ferdinandi* filium (ipſo id Rege jubente) *Caroli Burgundiorum* Ducis filiam uxorem ducturum, euntem, magno ſervorum agmine comitatus eſt. Quo in itinere ſe magnificè geſſit, ac ſplendidè, ut hac ſolùm de cauſa peculiari Rex *Ferdinandus* privilegio grati erga eum animi ſui monumenta oſtenderit ſub annum MCCCCLXXXI. & cum *Beliſarius Aquaviva Neritinorum* Dux cùm pecunia, tùm milite *Ferdinando Neapolitano* Regi II. auxilia, & ſuppetias dedit, ità ut Regni fides, quæ jam ob *Gallorum* vexationem periclitabatur, magis, ac magis conſtabiliretur. Ab eodem hoc *Beliſario* ſumptuoſo exceptus eſt hoſpitio *Mediolanenſium* Dux una cum *Bona* filia ſua, quæ poſtmodum *Poloniæ* Regi matrimonio juncta. Et poſtremò cum *Joannes Hieronymus Aquaviva Aragonius* hodierno die *Cuperſanenſium* Comes omni virtutum genere ornatus, cum duodevigeſimum nondum attigiſſet annum, contra *Turcas Sipontum* depopulantes, totique *Barienſi* Provinciæ minitantes multo milite, ſua in ditione, collecto, exiit, tituboſque Civitates, & Oppida confirmavit; Qui & *Hiſpaniarum Philippo IV.* præclara in dies præſtitit obſequia, & milite, & donis. Tantaque in eo erga Regem ſuum fides eduxit, ut ob eam multorum ſibi æmulorum machinamenta concitaverit; ſed Regis, Patriæ, & Populi, ſpectans commodum difficile peſſum ire permittitur. Oblatrent licèt, ac livore rumpantur æmuli, omnium ad ſe oculos convertit *Joannes Hieronymus*, omniumquè ſibi affectum rapuit.

His accedat *Ludovicus Aquaviva Caperſani* Comes, qui una cum *Thoma de Sancto Severino* è Regni finibus ejecit *Franciſcum de Baucio Andriæ* Ducem Regio ſanguine clarum, ſed Reginæ *Mariæ de Tarento* Imperium detrectantem. Nobiliſſima ſanè *Bauciorum* familia eſt, & antiquiſſima, quam ex uno Regum ad Chriſtum recens natum adorandum, ſtella duce, vocatorum provenire tradunt. Pervetuſtum vidi *Covellæ de Baucio Jacobi de Baucio*, & *Covellæ de Tocco* filiæ teſtamentum, *Joannis de Leſcun* publici Notarii fide obſignatum 5. Kal. Julii anno 1472. ex quo nuptam fuiſſe conſtat *Jacobo de Oſſau Aſtæ*, & *Getæi* domino, edidiſſeque *Ramundum de Oſſau*, qui anno 1385. *Mariam Pelliceriam* duxit nobiliſſima ex ſtirpe mulierem, ex qua deſcendit Dominus *Joſeph Pellicerius*, Dominus domus *Pellicerïæ*, & *Oſſau*. Regius Chronographus, Vir omni eruditionum genere ornatiſſimus, & amicus noſter. *Antonius Aquaviva*, qui *Joanna* Regina jubente, Pontificis Maximi Legato tèr ſuppetias tulit contra *Aſculanos*, quibus Legatum à periculo, & Sedem Apoſtolicam ab injuria vindicavit. Et *Joſias Aquaviva Aragonenſibus* Regibus adhærens, *Franciſcum Sfortiam* magno contra *Neapolitanum* Regnum exercitu adventantem, ne Regno accederet, exturbavit. Qua de cauſa ab eodem *Sfortia* cum *Alphonſus* Rex anno 1453. & ipſemet *Joſias* à *Januenſibus* cum *Mediolanenſium* Ducibus confœderatis, navali captus bello multa in ſua captivitate perpeſſus: & poſt modum à *Joanne Sfortiæ Franciſci* germano una cum *Ramundo Caldora* eandem ob rem divexatus, & *Julius Antonius Aquaviva Aragonius*, qui ad Regis *Ferdinandi* fidem *Urſum Urſinum Tarenti* Principis filium revocavit, multaque pro Regni pace conſtabilienda geſſit. In *Hetruria* tandem pro Rege fortitèr dimicavit, indeque *Neapolim* vocatus, ut *Turcam* ex *Hydruntina* Provincia ejiceret: quod, & conſequutus eſt *Julius*, non labore tantum, ſed & nece propria; quæ uſque adeò Regi diſplicuit, ut ipſam *Hydrunti* Provinciam libentiùs perdere elegiſſet, quàm tantum Ducem, ut ipſemet privilegio teſtatus peculiari anno 1481. & *Andreas Matthæus Aquaviva Aragonius* unaque cum eo Cæſar *Aragonius*, & *Bartholomæus de Albiano*, contra *Gallorum* Regem *Carolum VIII.* tria militum millia propriis congregarunt expenſis, ipſemet *Andreas Matthæus* nihil non fecit, quo *Aragonenſium* conſtabiliret Imperium, & anno M. DXVI. obortas in Regno publicas diſſenſiones una *Andreæ Matthei* auctoritas ſedavit, qua cum Regni Proceres, tùm Populus ipſe in obedientiam *Caroli* Regis Catholici nepotis (qui poſt modum *Romanorum* electus Imperator hujuſce nominis V.) inducti. Et *Beliſarius Aquavivus Neritoni* Dux, quæ quanta pro *Aragonenſibus* Regibus patraverit ſuprà enumeravimus, quæ nè moleſtus & prolixior fiam, non repeto. Quæ verò *Joannes Franciſcus Aragonius*, *Bitunti* Marchio, *Balthaſar Aquaviva* & *Franciſcus Balthaſaris* filius; aliique

Digitized by Google

què hujuſce familiæ innumeri Proceres, *Auſtriacæ* Domui ſervitia præſtiterint, longum eſſet recenſere. Sufficiet tantùm hic meminiſſe, quod *Aquavivii* heroes ſuprema ob merita ingentem privilegiorum numerum à Regibus obtinuere ſuis; quæ in Archiviis excellentiſſimorum Ducis *Atrio*, & Comitis *Cuperſani* aſſervantur. Hic tantum exſcribam unum, quo *Ferdinandus Neapolitanus* Rex *Julium Antonium Aquavivam*, *Atrienſium* Ducem, & *Cuperſanenſium* Comitem, ejuſque filium *Andream Matthæum Bitunti* Marchionem, eorumque poſteros, & utriuſque ſexus ſucceſſores propriæ *Aragonenſium* Regiæ familiæ aſcivit, ita ut privilegia, & prærogativæ, *Aragoniis*, & *Aquaviviis* eſſent communes.

„ Ferdinandus Dei gratia Rex Siciliæ, „ Hieruſalem, &c. Illuſtri viro Julio Anto- „ nio de Aquaviva Duci Adriæ, Converſa- „ ni, & Sancti Flaviani Comiti, Armorum- „ que Capitaneo, Collaterali Conſiliario, „ & affini dilectiſſimo, gratiam, & bonam „ voluntatem. Conſueverunt majores noſtri, „ ſapientiſſimi viri benemeritos homines, „ ac virtutibus claros honoribus proſequi, „ & titulis honeſtare, ut & ornamentum „ virtutibus adderent, & alios tali quoque „ exemplo invitarent ad gloriam. Hinc exi- „ ſtunt decreta illa in erigendis ſtatuis, in „ ſcribendis titulis, ut non ſolum præſen- „ tes, verum etiam poſteri magnorum vi- „ rorum egregia facinora cognita haberent; „ qualia exempla ſecuti Reges, ac Principes „ inclyti, viros inſigni virtute præditos va- „ riis honeſtamentis, & honoribus libenter „ ſunt proſequuti, cenſentes ad ſe ipſos po- „ tiſſimum hoc pertinere, etenim nobilita- „ re virtutem, illuſtrare ingenia, honeſtare „ illos, in quibus animi magnitudo eluceat, „ ſplendeſcantque præſtantes actiones, vi- „ detur proprium eſſe Regum; & alii qui- „ dem Reges in aliis honeſtandis hominibus „ ob alias cauſas diverſis ornamentoræm ge- „ neribus ſunt uſi. Nos autem cum multa „ inter eſſe perſpexerimus digna, quæ hono- „ rari à nobis debeant, cum plurimas pro- „ fectò virtutes in te latas eſſe viderimus, „ ac multa magnaque vigere merita conſi- „ derantes, præſertim in præſenti bello quo „ pacto te geſſeris, licet jam diù tuam in „ re militari peritiam optimè perſpexerimus, „ jure ipſo commoti, atque adducti ſumus, „ ut te ipſum egregiaſque virtutes tuas, & „ honoribus exornemus, & titulis illuſtre- „ mus. Quanquam autem ad ampliora inſi- „ gnioraque in te ipſum conferenda voluntas „ noſtra intendat, meritaque tua poſtulent „ te in præſentia eundem Julium Antonium „ ad majorem amoris noſtri declarationem „ licet ſatis ipſe per te nobilis, & illuſtris „ ſis, tenore hujus noſtri privilegii, ac de- „ creti deque noſtra certa ſcientia, propriò- „ que animi motu, meritiſque quidem tuis „ hoc expoſcentibus in Familiam noſtram, „ & in domum de Aragonia aſciſcimus, ad- „ ſcribimus, & annumeramus, volentes „ quod de cætero in perpetuum Vos, veſtri- „ que liberi, hæredes, & ſucceſſores utriuſ- „ que ſexus nati jam, & naſcituri, ſignan- „ ter illuſtris Andreas Matthæus noſter alu- „ mnus Marchio Bitunti tuus filius primo- „ genitus ſitis, & ſint de domo, & proſa- „ pia de Aragonia, atque in omnibus actio- „ bus, titulis, negotiis gerendis, atque agen- „ dis rebus inſcribamini, appellemini, in- „ ſcribantur, & cognominentur de Arago- „ nia, ſitque veſtrum, atque illorum co- „ gnomen de Aragonia. Præterea ad vos, „ illoſque magis; magiſque illuſtrandas, „ etiam cum hac ſerie literarum, plenam- „ que atque amplam conferimus poteſtatem „ arma noſtra deferendi, & faciendi, qui- „ bus quidem armis vos, liberos, hæredes, „ & ſucceſſores veſtros donamus, ac vos, & „ illos iiſdem inſignimus, & honeſtamus, „ à vobis, illiſque pro, & cum armis no- „ ſtris deferendis, utendis, & faciendis, „ quemadmodum inferius figurantur. Tu „ igitur quod virtutes exigunt tuæ id effice, „ & præſta, ut honori, & decori ſis armis, „ & cognomini noſtro, & brevi fore ſpera, „ ut majoribus te, atque illuſtrioribus ſimus „ titulis condecoraturi: in quorum teſtimo- „ nium præſentes fieri fecimus magno ma- „ ſtræ ſigillo pendenti munitas. Datum in „ Caſtello novo Civitatis noſtræ Neapolis, „ die XXX. menſis Aprilis Anno milleſimo „ quadringenteſimo ſeptuageſimo nono, Re- „ gnorum noſtrorum anno vigeſimoſecundo „ REX FERDINANDUS. Dominus Rex „ mandavit mihi Antonello de Petrutiis, Egi- „ dius, &c. Regiſtr. in cellaria, &c. Reg. „ 11. &c.

D. PAULI

Digitized by Google

D. PAULI ANTONII DE TARSIA

DOCTORIS THEOLOGI

HISTORIARUM CUPERSANENSIUM

LIBER TERTIUS.

Cuperſanum pervetuſta origine, Comitibuſque ſuperbum ſuis jam vidimus; videamus & Religionem redolens ſacram. Subnaſcentis enim Chriſtianæ fidei primordia, per *Apuliam* *Divo Petro* Apoſtolorum Principe tranſeunte, latamque a *Chriſto* doctrinam diſſeminante, Evangelii ſemina ſuſcepit *Cuperſanum*, clariores ſuos reddens natales, novum ex aqua & ſpiritu Paracleto renaſcens. Noſtram ſanè luſtratam à *B. Petro Apuliam* *Joannes Juvenis* de varia *Tarentinorum* fortuna ſcribit, cum eum, & *D. Marcum* Evangeliſtam ad *Tarentinum* ſinum appuliſſe ait: tritumque eſt: quo quidem tempore noſtra cum *Tarento*, & *Rubo*, & variis urbibus fide imbuta *Cuperſanenſis* civitas. In qua primum à *Petro* relictum Epiſcopum qui reliquum urbis expiaret, & idola everteret, conſentaneum videtur, & probatur ex vetuſta *Beato Petro* dicata Eccleſia, prima quæ *Cuperſani* erigeretur, & ex agro in *Cuperſanenſi* territorio, qui de *ſancto Petro* dicitur, ibi enim primum Apoſtolorum anteſignanus Ruſticis terram exercentibus fidem *Chriſti* prædicavit. Sub ipſis initiis magnam *Cuperſanum* præſetulit religionem; nam ſi Urbem perluſtraverimus, mœnibus illa ſacris munita occurret. Quandoquidem Templis in Orbem circumdata, ut *Roma* olim, nullam inibi partem, vel ab ipſis Chriſtianæ fidei incunabulis Diti, ac Manibus reliquam, vicina gentilitio adhuc errore oberrantia Oppida, & Urbes demirata. Porrò ad Urbis mœnia Eccleſias, non ſecùs ac incolarum propugnacula à veteribus extructas, ex *Laurentio Surio* de ſancto *Domnolo* Epiſcopo *Cenomanenſi* hæc ſcribente, habes. *Extruxit autem ſanctæ Eccleſiæ amator devotiſſimus Monaſterium quoddam in ſuburbio civitatis ſuæ, tum ut ejus Vrbis eſſet munimentum, tum ut poſſet domino animas lucrifacere: idque in honorem ſanctorum martyrum Vincentii, & Laurentii conſecravit.* Micat ſiquidem noſtra hæc Urbs Eccleſiarum numero, quas veteres Chriſtianæ fidei cultores ubique paſſim erigebant. Sed nè civitatem ſolùm ſacris elucentem Templis cenſeas, totus ferè *Cuperſanenſis* ambitus ſacellis plenus apparet. Inter ea, quatuor extant, quæ *Simplicius Cuperſanentium* Præſul exſtruxit, ſub annum noſtræ ſalutis CCCC. XC. cum ex *Africa*, ubi reprimendæ *Patarinorum* hæreſi (Pontifice id maximo jubente) incubuerat, ſuæ rediret Diæceſi; de quo infra dicendum. Viſuntur etiam hodie *Cuperſani* nonnulla antiquitatis veſtigia in cryptis, ac locis ſubterraneis, in quibus veteres ſanctorum ſtatuas, ac imagines, ut ab idolatrorum impetu, & furore ſecuriores, divino vacarent cultui, erigebant: ibique rem ſacram faciebant: quod non à *Cuperſanenſibus* tantummodo actitatum, ſed ab omnibus Chriſtianæ fidei, in quacunque Regione cultoribus, ut teſtatur Baronius *tom. 1. anno Chriſti 57.* Variæ extant *Cuperſani* cryptæ, ſed inſignis quidem eſt crypta Inſulana *Beatæ Virginis* clara oſtentis, de qua in tractatu noſtro de ſubterraneis una cum aliis cryptis, ac ſpeluncis à Deipara illuſtratis nonnulla ſcripſimus; & in ejuſdem hiſtoria hæc retulimus. Ducentenis ferè ab hinc annis Virgunculæ cuidam *Cuperſanenſi*, ibique degenti candidis ſanè moribus claræ, obſcuro, ſed pio genere prognatæ, per ſomnium Deipara Virgo albis induta veſtibus apparens, ſuam adeſſe Inſulano in ſpecu imaginem Cryptica-

cam

cam, in eoque lumen sibi manifestavit ostendendum; proindeque ad eum se conferre locum jussit. Puella summo manè experrecta insomnium, sive potiùs celestem visionem Amitæ suæ, quacum degebat, aperuit. Quæ cum ex deliratione puellari id existimaret accidisse, nullam ostenni puellæ fidem putavit habendam: quasi somniasset ineptias, aut *Alcinoi* narrasset apologum. Ignara enim mulier illa erat cœlestia per insomnium sæpe sæpiùs revelari: ut de puero *Samuele*, qui dormiens à Deo vocatus fuit, & de *Josepho D. Mariæ* Viro, qui in somnis ab Angelo admonitus est, ac de aliis Sacræ Paginæ testantur. *Quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lectulo* (ait Job) *tunc aperit aures virorum, & erudiens eos instruit disciplina*. Sed imaginem diu latere suam Virgo non patiens, secundò, atque iterùm dormientem puellam admonuit. Ad postremum concita hoc ex iterato per trinoctium somnio Amita, cum adolescentula, ad præmonstratum eam ductura locum, vicinia, amicis, aliisque stipata quamplurimis, domo egreditur. Cum verò ad Portam Urbis benè magnum illud virorum, ac mulierum pervenisset examen: cumque omnes quo pedes direxerant, minùs è colle, cui *Cupersanum* innititur, oculos conjecissent: en grandè lumen quasi ardentis cærei funalis, puellæ tantummodò, ut à Virgine prædictum, inibi ante oculos evasit. Quod cum illa ab omnibus videri circumastantibus, sicut ab ipsa, autumaret, hisce cæpit verbis mirabunda vociferari: *Ecce inibi lumen: lumen video: faciesque accensæ fulgores prospicio*. Idque singulis digito monstrabat salutari. Mirabantur equidem, & quodam veluti sacro horrore ad ingeminatas adolescentulæ voces, corripiebantur omnes, quibus lumen illud videre non dabatur: uni enim puellæ hujusmodi develatum erat ostentum, cæteris fortasse id non merentibus: Attamen Cives insolentia commoti, ad eum illicò confluentes locum, ubinam Virginis, vel pervetustæ cujusvis imaginis vestigia cernerentur, puellari ducatu conquisitè rimabantur. Erat autem Insulano in loco telluris quoddam chasma, internascentibus virgultis, luxuriantibus herbis, ac spinis occultum, è quo radios, & lumen erumpere adolescentula despiciebat. Dum verò unus è turba lanius cæteris solertior, puellæ sanguinis vinculo, ut ajunt, conjunctus, cultro pecuario, quem secum, ut moris est, adferebat, annosum ex hiatibus emergentem dumum radicitùs avellere, ac incidere conabatur, obsistente dumi magnitudine, ac duritie, culter ex insperato fractus est. Quapropter non modico affectus dolore, mœrens ad Urbem remeabat; ante cujus portam quam plures aderant civium, quidnam Insulanis in locis reperissent novi, nova curiositate audire præstolantes. Quibus à lanione indè revertente, quid actum esset scisciantibus, nil aliud eveniisse novi, respondit lanius iracundia, indignationeque percitus, nisi se deliramentis, ac insomniis puellæ illius, ejusque amitæ pugalibus verbis fidem tribuentem, rhamno nescio quo lumine, ut ajebant, effulgente, ambabus manibus, totoque in extirpando conatu, cultroque laborasse; ac tandèm sibi præcharum, ac perneccessarium creopolicum cultrum confregisse. Cum verò sibi cultrum ostendi poposcissent nonnulli, è vagina lanius illum exeruit. At, ò mirum? quem fractum in eam recondiderat, ita integrum, ut ne vestigium quidem recentis fracturæ præseferret, non sine maxima omnes admiratione viderunt. Quo extimulati signo ad ipsorum Antistitem *Petrum de Migolla Hispanum*, *Cupersanensem* tunc regentem Ecclesiam, se se raptim omnes contulerunt; eique puellæ visionem, quà luminis, quà cultri prodigio obfirmatam, calore lætitiæ interturbatis mutuò vocibus enarrantes, nec non antiquam ipsorum de inibi cælata Virginis imagine, traditionem aperientes, Præsulem in admirationem egerunt. A quo, ut diligenter ulterius pervestigarent, animati, rustici cum armis ad infodiendum aptis celeranter, lætoquè cucurrerunt animo; & inventis hypogæi, sivè loci subterranei signis quibusdam, tandèm altiùs suffodientes, cryptam natura denormatam, angustam, oblongam, & in cochleæ formam penè retortam, præruptisque, hinc & illinc impendentibus cautibus asperatam invenerunt. In cujus quidem antica, sive superiori parte, sub orificio, ex quo nunc ad Cryptam per cochlidium patet accessus; Deiparæ Virginis extare imaginem, vivis in pariete coloribus, pii, ac devoti Pictoris manu expressam, puerum ulnis, sinuque gestantem, ascendente halitu terreno, incluso que humore nè tantulum quidem labefacta, tàm & adversus alias, quæ obvenire possent injurias, crate ferrea conseptam, ac quemadmodum hodierna etiam luce inspicimus, benè munitam; præterea aram ad ineruentum Deo sacrum faciendum, pia veneratione conspexerunt. In postica autem, sive ulteriori, infima arctaque ejusdem Cryptæ parte, ipsiusmet Deiparentis ex solido marmore statua ferè quadripalmaris inventa fuit, quam *Beatæ Annæ* levibus, imò nullis credit vulgus indiciis. Cum in eadem Icone *Græcos* hosce Characteres insculptos legerim. MP. ΘΥ, quod, *MATER DEI*, latinè sonat. Quam sanè posteriorem antri partem, seu potiùs Cryptulam, octonos ad summum homines, eosque curvatos capientem, spongiæ adinstar, ac pumicis cavernosam, foraminibus, atque venis natura distinctam, non semel contemplatus, ac demiratus sum ob defluentes è saxis aquæ guttas, quæ à languoribus ad hæc usque tempora curandis, non solitam cunctis ad locum accurrentibus, easque religiosè bibentibus perciunt admirationem, ut inferiùs dicendum. Mox verò *Petrus de Migolla Cupersanatium* ea tempestate Præsul, ulterioris primum, dehinc citerioris *Hesperiæ*, ac novissimè utriusque decus *Apuliæ*, celebri indicta supplicatione, Clero, nobilibus viris, Populoque comitatus ab æde summa ad Cryptam usque, & locum nèc à Sole anterioribus lustratum annis, tot à Virgine signis tunc illustratum, apparatu, solemnique pompa lustravit. Fa-

Digitized by Google

nalia deindè, cereos, ac lampades sacram ante Imaginem ut arderent, manibus accendit suis. Ibique prò se, ac sibi commissa Civitate, Dio Numini, Deiparæque, precibus, non sine magna lacrymarum vi, imò pectore fusis concionem habuit, qua Cives, ut divinis illis favoribus, Virgineæque protectioni ex animo responderent, vehementèr exhortatus est; nec non divino quodam impulsu venerabili illi Imagini nomen fecit, quam è loco SANCTAM MARIAM DE INSULA nuncupavit: nam verè *Maria* Insula est, & mare; Insula nulli Regionum per peccati, sive originis, sive actualis labem juncta, & mare est gratiarum immensum. At videte nascentis adhuc prodigii clamores? Vix sola Civium concursione *Mariana* Crypta inventa, pernicioſissimo fama volatu per omnia *Peucetiæ* loca, quidquid evenerat, prolatavit, innumerosque accersivit, qui ab implorata Virginis ope, voti compotes abcessere. Aspectabant omnes, & sanctam illam venerabantur Imaginem, quæ tanta illos lætitia permovebat, ut effluentes præ gaudio lacrymas cohibere non possent. Prohnovam nostri Servatoris liberalitatem? Antrum nobis aperuit, ubi per depicta matris vestigia quæ gratias consequeremur, ut referaret, & Cœlum, in quo divinitatis contemplatione sine fastidio fatiaremur. Glorietur *Cupersanum* se per imagines id assequutum, quod *Palæstina* per *D. Annæ* partum. Felix *Cupersanum*, terque quaterque felix, quòd illam obtinuerit peccati carie expertem Cupressum, de qua *Eccles.* xxiv. dicitur: *Quasi Cedrus exaltata sum in Libano, & quasi Cypressus in monte Sion.* Cives Virgine protegente magis felices, quàm Dynastis Regibusque faventibus insignitos. Effulget in antris Virgo, in iisque cælestia hominibus indulget, quæ Creatorem Mundo suum humana carne amictum in *Bethlee, mitico* specu edidit. Ima loca, & latebras amat Deipara, quæ thesaurus est paucis notus, sed Orbem totum locupletans.

Novissimè autem tertio à *Cupersanensi* Urbe lapide, Deiparentis inventa est in quibusdam ruderibus vetustissima imago, innumerabilibus quotidiè prodigiis scatens, quam de *Cryphella* dicunt, & Episcopi *Simplicii* temporibus depictam volunt. Ejusque *Cryphellæ* nomenclationem à nubibus ciendis pluviam afferentibus, desumptam existimo. Porrò à veteribus *Crypella*, sive *Cyphella* pro nubibus acepta. Unde Rodiginus *lib.* x. *lect. antiquit. cap.* 5. sic ait: *Sed Cyphella nubes appellant, ab occultandi potestate, quia Cœli adimant aspectum, quasi Crypella.* Præclarum apparet Princeps Templum variam redolens antiquitatem, & à *Petro de Itro* Episcopo *Cupersanensi* perstauratum. Extant itidem *Cupersani* nonnulla virorum religionem sectantium Cœnobia nempè *Calonatorum* strictioris observantiæ, *Capuccinorum*, *Carmelitarum* Minorum, atque Minimorum, nec non mulierum, ut ordinis *Cistercienſis*: *Divæ Claræ*, & sanctæ *Elisabethæ Vngariæ* Reginæ. Ædem *D. Francisco* dicatam Minoribus cultam Fratribus septuagenis ante lustris *Cupersanates* ædificarunt, ut ex inscriptione quæ in veteri extabat Ecclesia patet, quam subiicio, ne pereat, eam enim cum vetusta demoliti sunt, ut nova commodiùs surgeret.

D. O. M.

IN NOMINE SANCTÆ, ET INDIVIDVÆ TRINITATIS MCCLXXXIX. QV. DIE PENTECOSTIS, NICOLAO IIII. SVMMO PONTIFICE, REGNANTE CAROLO ANDEGAVENSI DOMINANTE VGONE CVM BEATRICE DE TAREN. BRENNÆ, ET CVPERSANI MAGNIFICIS COMITIBVS PRÆSENS ECCLESIA AD HONOREM S. FRANCISCI CONFESSORIS EPISCOPI MVNIFICENTIA NEAPOLIONIS VRS. CARD. S. R. E. VOTORVM CIVIVM LARGITATE FVNDAMENTA POSITA, LABORANTIBVS IN DOMINO FR. STEPHANO DE SANCTORO DE CVPERSANO, ET FR. ENBRANDO CAVATELLA DE TARENTO DOMINÆ COMITISSÆ CONFESSORE EPISCOPO IOANNE DE GROPIS DOMINI MATTHÆI CARD. S. LAVRENTII ALVMNO, PANEN. DE GENTE TYPAR. CANONVM DOCTORE, ET PASTORE VIGILANTISSIMO.

Divi Martini Ecclesia antiqua admodùm est: ea porrò elaptis sæculis *Sancti Benedicti* ordinis Monialium septo, ac cœnobio satis amplo illustris; cujus sanè quidam adhuc rudera supersunt; reditus autem ad se subcessoresque suos vertit *Franciscus Maria Sforzia Cupersani* Præsul, unde, & hæc visitur super Templi Januam inscriptio.

HANC DIVI MARTINI ÆDEM, EJVSQVE JVRA FRANCISCVS MARIA SFORTIA MONOPOLITANVS, EPISCOPVS CONVERSANENSIS, VT EPISCOPALIS MENSÆ FRVCTVVM TENVITATEM AVGERET, POSTERISQVE CONSVLERET, EIDEM MENSÆ PERPETVO VNIENDAM CVRAVIT. ANNO DOMINI M. DCIV.

Vixisse autem, vel ab anno M.CC.LXXXX. VIIII. multas eò in Cœnobio Moniales, patet ex vetusto quodam Instrumento tunc temporis *Egidii Cupersanensis* Notarii fide firmato de nonnullis inter *S. Martini*, & *S. Benedicti* Monasteria quæstionibus compositis. Extabat, & extra Urbis mœnia in Agro *Sessani* Monasterium *S. Leucii Ascetis* cultum, sed nunc dirutum. In Monasterio *D. Claræ V.* centum ante annis extructo, virtutes hac luce vigent, vigent merita. *Divo Matthæo* sacra ædes, à Virginibus Capuccinarum institutum sectantibus incolebatur, sed ut nova inibi *S. S. Cosmo*, ac *Damiano* Ecclesia, sumptuosaque Virginum claustra erigerentur, jam diruta. In hoc siquidem non modica cernitur *Joannis Hieronymi Aquavivæ Aragonii* impræsentiarum Comitis religio, qui ut cupitam fabricæ imponat coronidem assiduè studet: nec immensis parcens sumptibus. In id Monasterium ingressa illustris mulier

Digitized by Google

ller *Beatrix de Guevara Roccæ* Princeps, quæ calcatis mundi illecebris, virtutibus insistere omnibus cupiens, *S. Elisabetha Vngariæ* Reginæ Regulas, & constitutiones, vivendique normam (*Vrbano Pontifice VIII.* annuente) attulit: ac magnum facta Religionis exemplar sibi prius, mox cæteris observandam proposuit monialibus. *Beatrix* jurè Beata, quæ monasterio accessit Dio incensa amore, ubi virtutibus plena omnibus, & meritis decessit.

Atqui percelebris, cæterisquè videtur nobilior vetusta *S. Benedicti* Ecclesia, Cœnobiumque subnascentis *Benedictinæ* Religionis incunabula à *S. S. Mauro*, & *Placido*, *Barensis* etiam Monasterii extructoribus, excitatum: ut antiquæ *Cupersanensis* Ecclesiæ traditiones habent. Id primis illis temporibus ut ab transenna aliquid de eo attingam, sub Apostolicæ sedis tutela à *Paschale Secundo* exceptum anno MCX. Pontificatus sui anno XI. patet ex Apostolicis literis ad *Vincentium* ejusdem monasterii Abbatem ab eo datis *Beneventi*, manu *Joannis* S. R. E. Cardinalis, & Bibliothecarii, nec non facultatibus ditatum peramplis, & à quadraginta Monachis *D. Benedicti* instituto addictis habitum, habes ex *Celestini Pontificis III.* diplomate, quod anno MCXCV. Datum *Romæ* apud *S. Petrum IV.* Nonis Junii Pontificatus ejus anno IV. impræsentiarum autem *Cisterciensibus* viventes legibus ferè octoginta moniales incolunt; quæ tot tantisque se Jurisdictionis, ac Thiaræ prærogativis exornatas jactant, ut non *Italiæ* modò, sed, & *Europæ* totius Monialium cætus antecellant omnes, ut infrà dicendum.

Inclytus ille Comes *Goffridus* anno post *Christi* natalem M. L. XXXV. suæ erga hoc Monasterium liberalitatis specimen dedit: Namque *Castellani* oppidum non obscurum, & nunc valdè opulentum (in quo jurisdictionem moniales in hodiernum usque diem exercent satis amplam) nec non Villas, & prædia *Sessani*, *Bigetti*, & *Signani* huic monasterio dono dedit: innumeraque ejus commodo, ac nitori concessit. Accedit præterea immunitatum, ac privilegiorum eidem à Principibus *Tarentinorum*, *Cupersanantium*, & *Adriensium*, & Regibus *Tancredo*, *Ludovico*, *Ladislao*, Regina *Joanna I.* & ab Imperatoribus *Friderico*, & *Philippo Romanorum* illo, & hoc *Constantinopolitanorum*: nec non à Summis Pontificibus *Paschale II.*, *Alexandro IV.*, *Gregorio X.*, *Sixto IV.*, *Innocentio VIII.*, *Julio II.*, *Paulo IV.*, *Pio V.*, *Gregorio XIII.* concessorum ingens numerus, quibus elucet Cœnobium, & Cœnobio Civitas Monachorum sanè longo post tempore, observantia, cultuque collapso, Monasterium in mulierum pertranstiit habitationem, in earum sustentationem pingues reditus assignati, & in ostentationem, non quidem vanam, privilegia cessere: anno siquidem M.CC.LXVI. *Dametta Palæologa* Imperatorio sanguine clara, & in Monasterio *S. Mariæ de Verge* Diœceseos *Motostensis* in *Romania Cistercienses* quondam regulas, religionemque professa, *Græcorum* vexationes (qui, & Cœnobium ubi ipsa præerat, vastaverant) cum sociis Virginibus devitans, septa destituere, & mari se committere compulsa; Ad *Brundusii* tandem, Deo sic permittente, appulit oras: Ubi cum *Rodulphus* Cardinalis *Albanensis*, qui in *Apulia Clementis IV. Pontificis* a latere Legatum agebat, moraretur, nec *Brundusina* in Urbe, totoque in Regno locus ullus esset accommodatior, quem Sacri illis concederet Virginibus: *Cupersanense Sancti Benedicti* Cœnobium jam à Monachis destitutum, eis, *Clementis* ipsius jussu tribuit, jussitque *Bartholomeo* Episcopo *Polinianensi*, ut eas in possessionem dicti Monasterii, & Oppidi *Castellani* induceret, ut effecit, in quod sanè Cœnobium domicilia illicò transtulere, divino Cultui toto ex animo indulgere ardentes. Erant quippè Virgines illæ sanctitatis odore conspicuæ, *Gregorius* deinde *Pontifex X.* præfatam *Rodulphi* concessionem Pontificio obfirmavit diplomate, ipsiusque Monasterii privilegia, ac prærogativas monialibus addixit: eas sub Apostolica protectione immediatè suscipiens, diplomate illis expedito apud Urbem veterem 5. Idus *Julii* Pontificat. anno I. Cujus quidem concessionis vi jurisdictionem Antistita exercet adeò amplam, ut sessum superare videatur. *Castellani* sanè Oppidi Clerum habet sibi subjectum, ad cujus regimen idoneum nominat Sacerdotem, suas tenentem vices, Vicariique munus exactè obeuntem. Beneficia item Antistita confert, Canonicos instituit, cæterasque Ecclesiæ suæ dignitates tribuit. Episcopalia denique jura habet & non actu, sed habitu: jurisdictionem enim, quam ipsa habet, exercet per alium, & hunc sacerdotem, virum potestatis illius capacem. In *Hispaniis* insigne, ac nominatissimum est monialium (vulgò *de las Huelgas de Burgos*) Monasterium ab *Alphonso* nono Rege fundatum, divitiisque ditatum amplissimis, cui innumera parent Oppida, & Cœnobia, ejusque auctoritas, & prærogativæ tantæ sunt, ut à nostro *Sancti Benedicti* nihil differat. De quo Joannes Aloysius Riccius in *praxi variar. resolut.* 285. *part.* 14. meminitque *Rodericus Mendez Silva* amicus noster, & insignis nostrorum temporum Historiographus. Verum de jurisdictione Abbatissæ *Sancti Benedicti Cupersanensis* specialitèr mentionem fecere Cæsar Lambertinus Episcopus Insulensis de *jure patronatus* I. *part.* XI. *lib. quint. art. V. q. prin.* I. *partis*. XI. *lib. num.* 3. Anastasius Germonius de *sacr. Immunit. lib.* III. *cap.* 10. *in fine*. Sempronius Ascia *in determin. juris*. 106. D. Jacobus de Graffiis *in practica qu. cas. Summ. Pontif. reser. tit. de Blasphemia. cap.* 10. *num.* 8. *& tit. de incest. cap.* XIII. *nu.* 27. *tit. de concubin. cap.* XVIII. *num.* 27. Victorellus *in notis ad Ciacconium de Vitis Pontificum*, *in Vitis Pii V. & Innocentii VIII.*

Quoniam verò post *Damettam Paleologorum* sanguine, magnisquè virtutibus illustrem, egregiæ eidem Monasterio præfuere Antistitæ tum virtutibus, cum natalibus claræ: placet earum hic Catalogum ex Archivio ejusdem *D. Benedicti* Monasterii, excerptum, brevibus retexere verbis.

I. *Dametta Paleologa* anno Christi M. CC. LXVI.

LXVI. prima Monasterium susceptit gubernandum, à Cardinale *Albano* electa, & à *Clemente IV.* & *Gregorio X.* confirmata, ut supra plenè relatum est.

II. *Isabella* una ex Virginibus, quæ cum *Dametta* è *Romania* venere: anno M. CC. LXXI. priorem inter moniales locum obtinebat vulgo *Priorissa*, mox verò in Antistitam electa, & à *Joanne Cistercienſi* Abbate de *Delphino* prædicti Monasterii Generali à *Cistercienſi* ordine constituto censore, confirmata, auctoritate ejusdem ordinis, & Capituli Generalis. Temporibus hujus Abbatissæ anno M. CCLXXIV. *Stephanus*, *Cuparſani* Episcopus nonnullos *Castellani* clericos ad sacros promovit ordines, qua de re inter Antistitam, & Episcopum lis orta, & in Abbatem *Sanctæ Mariæ de Galeso de Tarento*, & Fr. *Antonium de Celano* Ord. Præd. Priorem ab utroque compromissa, tertio quoque Arbitro adhibito, beneque examinata, in favorem Abbatissæ decisa.

III. *Adelina* anno M.CC.LXXXVII. monialibus præficitur, *Bonifacii Octavi* literis confirmatur. Et hæc *Damettæ Paleologæ* fida Comes.

IV. *Maria Andegavenſis*, *Philippi Tarentinorum* Principis, *Constantinopolitani* cognomento Imperatoris filia, anno M. CCCVIII. Monasterio præfecta est: *Joanne XXI. Pontifice* annuente.

V. *Constantia*, *Ugonis Brennæ*, *Licii*, & *Cuperſani* Comitis, ac *Beatricis Andegavenſis* filia, Antistita creatur, & *Clementis VI.* auctoritate anno M. CCCL. ejus electio firmatur.

VI. *Constantia II. Roberti de Baro* Protonotarii filia, Antistitæ munus susceptit anno MCCCLXXVII. *Gregorio Pontifice XI.* confirmante.

VII. *Franciſca de Angiò* ex *Caroli Duratii* germine Antistita efficitur anno ætatis suæ vigesimo quarto Christi verò MCCCXC. *Clemente VII.* Pseudo Pontifice annuente, & defectum ætatis, ac natalium supplente, eo quod ex conjugato, & soluta, fuerit genita, Attulit pia hæc Ascerria *Cuperſanum* unam ex spinis, quibus divinum Christi caput perforatum fuit, quæ in ipso *D. Benedicti* Sacrario summa cum veneratione asservatur.

VIII. *Franciſca de Enghineo* Comitem *de Enghineo* sanguine clara, *Joannis Borbonii* Comitis soror, MCCCIVC. Cœnobio præficitur.

IX. *Franciſca de Angiò II.* Antistita confirmatur anno salutis. MCCCCXVII.

X. *Sancia Fogetta* Monasterii *Sanctæ Claræ Neritonenſis* monialis à *Nicolao V.* Pontifice ob sanctitudinis merita, & preces *Joannis Antonii Urſini Tarentinorum* Principis, ex eo *D. Claræ* Cœnobio, ad hoc *D. Benedicti* translata, ejusque Antistita per *Jacobum* Episcopum *Vigilienſem* electa, auctoritate, & concessione ejusdem *Nicolai* Pontificis anno M.CCCC. XLVII. Vixitque usque ad M. CCCC. LXXXIX. cujus hæc extat in æde *D. Benedicti* inscriptio.

✠ CIANCIA FUGECTA DE SAVIANS VENERANDA ABATESSA SEPELLITA. S. D. A. DOMINI. MCCCLXXXVIIII.

XI. *Mariella de Urſinis ex Tarenti* Principibus, quæ in *Lupienſi D. Franciſci* Monasterio, *Sanctæ Claræ* regulas antea professa, anno M.CCCC.LXXXIX. *Cuperſanenſi D. Benedicti* Monasterio per *Pontificem VIII.* præficitur, & Antistita renunciatur; qui ejus rei executionem Episcopo *Cuperſani*, ea conditione mandavit, ut expressus *Andreæ Matthæi Aquavivæ de Aragonia* ejus Urbis Comitis, assensus accederet.

XII. *Beatrix Aquaviva de Aragonia*, virtutibus, & genere clarissima omnium voto Antistitæ munus susceptit; & à *Julio II.* Pontifice anno sui Pontificatus primo, salutis autem MDIV. confirmatur. Tanta hæc sanctitudine prædita fertur, ut cæteras moniales Dominas appellaret suas, ipsa autem non nisi mulieris titulum ab illis exigeret: vulgò *Maddama*. Sic eleemosynis largiendis addicta, ut vel lecti sui stramenta; resque cibi necessarias pauperibus tribueret. In aves quoque liberalis, quas ad se vocans, panis pascebat micis; miram enim ei obedientiam præstabant. Unde ad ejus cadaver innumeræ advolarunt aves, quæ lugubri concentu parentalia illi celebrare visæ.

XIII. *Catharina Aquaviva Beatricis* adjutrix *Julio III.* annuente per *Raynucium* Cardinalem *Sancti Angeli*. Porrò *Beatrix* Monasterium quinquagenos rexit annos, & ob senectutem, & infirmitatem electa est ejus coadjutrix *Catharina*, quæ omnia Antistitæ muneri respondentia optimè exercuit, Beneficia contulit; & quidquid de jurisdictione Monasterii erat, administravit.

XIV. *Barbara Aquaviva de Aragonia Claudii* Societatis Jesu Præpositi generalis æternum memorandi optima soror. Antistita renunciatur anno MDLVIII. *Paulo Pontifice IV.* confirmante. Ea tempestate sacerdos quidam *Castellannenſis Annibal de Matthèis* vocatus, *Sancti Joannis Hieroſolymitanæ* Religioni ascribitur, qua de re à jurisdictione ejus exemptum se esse dicebat, & ab Apostolicæ Cameræ Auditore in sui favorem diploma obtinuit. Sed mox *Barbara*, & Monasterio instante, revocatum est.

XV. *Isabella Aquaviva de Aragonia* post *Barbaræ* germanæ suæ fatum præ celsissimis meritis ad monasterii regimen admota anno Domini M.DLXIV. Hæc *Castellanenſes* clericos sue jurisdictioni subjectos ad pristinam Religiosæ disciplinæ normam, compellere desiderans, abusus, prævosque mores tollere curavit. Quare de re laxiorem ducentes vitam, ut se ex Cœnobii jurisdictione eximerent, Fratrum Minorum Tertii Ordinis *Sancti Franciſci* habitum induerunt, neque suarum, ut antea, domorum habitationi, neque secularibus negotiis abrenunciantes, cui quidem rei obviare non destitit *Isabella* Sanctæ Sedis Apostolicæ adhibitis remediis, à *Pio enim V.* obtinuit, ut quilibet clerici habitum ejusmodi sumentes, à sua non essent jurisdictione exempti, Apostolicis literis *Ro-*

me

Digitized by Google

mæ exaratis apud *S. Petrum V.* Augusti. MDLXIX. Pontificatus anno IV.

XVI. *Victoria Palagana* nobilis *Tranensis* (cujus parentes in Oppidis *Cirinolæ*, & *Sancti Viti* dominati fuere) ad regendum *S. Benedicti Cupersanense* Cœnobium ex *Barensi* S. Scholasticæ, ubi religiosam vitam professa erat, à *Gregorio XIII.* Abbatis *Scalabrini de Tarsia Cupersanæ* Ecclesiæ Archipresbyteri precibus evecta, anno Domini MDLXXXIII. jurisdictionem Oppidi *Castellani* à perturbationibus strenuè defendit.

XVII. *Donata Aquaviva* nobilis *Cupersanensis* Monasterio regendo electa anno MDCXII. & à *Paulo V.* confirmata, quæ virtutis suæ ac religionis zeli eo in regimine specimen dedit.

XVIII. *Catharina Aquaviva de Aragonia* è *Neritonorum* Ducum germine, omnium calculo Antistita creatur anno MDCXVIII. accedente *Pauli Pontificis V.* confirmatione, summæ, spectatæque virtutis fœmina, quæ viginti annos quibus Monasterio præfuit, cunctis in rebus agendis fortem, ac religiosum præsetulit animum.

XIX. *Barbara de Tarsia* antiqua *Cupersanensis* fori nobilitate, ac virtutibus conspicua, Antistitæ munus suscepit anno MDCXXXVIII. quam *Urbanus VIII.* Apostolicis literis confirmavit.

XX. *Hieronyma Indellis* nobilis *Monopolitana* impræsentiarum Monasterio præest, prudens quidem monialis religiosæque observantiæ, ac virtutis amans. Antistitæ munus suscepit anno M.D.CXLI.

Præter nobiles hasce Abbatissas prudentia, & virtute claras, religiosæ hoc extitere in Cœnobio moniales æternum memorandæ: per quas collapsa Monachorum restituta est disciplina: unde imparem *Cupersanense* Monasterium cum *Gemmeticense* illo subiit fortunam. Erat siquidem *Gemmeticense* sic appellatum, quod gemmæ ob religionem non esset absimile, vel quod ibi peccata gemerent sua Christi cultores: sed usque adeo à Religiosis fuit destitutum, *ut evaserit cubile ferarum*. At nostrum *Divi Benedicti* deletam veterum Patrum observantiam non diù ploravit, sacris suppetias ferentibus Virginibus. Quarum quidem virtutes hic recensere longum esset. Præcæteris effulsere *Anna Manfridda*, *Aloysia Pranatella*, *Agnes Pisana*, *Catharina Blanca*, *Eufrasia Maffia*, *Bernardina Latilla*, *Vincentia Nave*, *Beatrix Pelangela*, *Felliciana Maraffa*, *Eugenia Nerràcia*, *Victoria de Medico*, *Ruberta de Tarsia Senior*, *Ursula Venera*, & soror *Hieronyma de Conversano*, aliæque permultæ Religiosæ observantiæ nitore cæteris admirabiliores. Quæ verò de tanto hoc Cœnobio referre hic possem, deberemque, & quidem multa, & quidem magna, missa facio omnia, breviati consulens, ea accurato descripsit calamo *Franciscus Julianus* senior notariorum, & antiquariorum facilè antelignanus; mihi verò non deerit locus in quo ea vestros sistam ob oculos. Et hic sistat, ne prolixior fiam, *Cupersani* Ecclesiis periodus.

Verum enim verò millenis ante annis *Cupersanum* Episopos numerat suos peramplam jurisdictionem in hæc oppida exercentes, nempè *Castellum Nucis*, *Rutilianum*, *Turium*, *Puteneauum*, & ante quam belli devastatione, præteritique temporis malitia ab habitatoribus destituerentur, in *Castelienium*, *Fraxenetum*, *Cimeniam*, *Casabolum*, *Barsentam*: nec non innumera ante lustra *Javurram*, *Sexanum*, *Agnanum*, & in alia atque alia Oppida, quorum ruinæ vix hodierna luce supersunt. Præsules suos meritò jactat *Cupersana* Civitas, quos vel a nascentis Christianæ fidei incunabulis primordia agnovisse, ex eorum memoriis, quas reperimus, & hic recensebimus, palam dubio procul fiet. Antiquior siquidem *Cupersanensis* Præsulatus memoria alia non apparet, nisi *Simplicii*, qui anno Christianæ Redemptionis CCCCLXXXIX. *Cupersanæ* præerat Ecclesiæ, è cujus sanè Primicerio, à *Felice* Pontifice *Romano* ad Episcopatum evectus: summæ quidem integritatis, doctrinæ, ac sanctitudinis Vir, qui post magnos pro Ecclesia Catholica susceptos labores obiit anno salutis CCCCXCII. ut ex quadam inscriptione quæ subterraneo in Templo, ejus affixa Sepulchro annis reperta elapsis dicitur: & hæc præclara *Simplicii* in quodam antiquo, & impresso libro fit mentio; quam nè tanti Præsulis præclariora gesta, è memoria elabantur, hic exscriptam præfero.

Anno Christo CCCCLXXXIX. Simplicius Cupersani Primicerius deinde Felice SS. Romano Pontifice Episcopus, in Africa cum Sinobaldo, Gisulpho, & Petrarcha Diaconis suis ad repellendam Patherinorum hæresim ad Coepiscopos Africanos subdelegatus in Tingitana Urbe applicans Bremi Vandalorum Ducis, qui pro Unrico Rege Urbem invaserat, modestia, simplicitate, quibus maxime pollebat virtutibus, gratiam consequutus, Bremum, & Valfridam conjugem, & gnatos suos Hyppicondam, & Asurgen, & gnatam Alfidam rudimentis Catholicæ fidei edocuit: sociis Coepiscopis à Vandalis trucidatis: Simplicium tunc chiragra correptum Bremus clam navigio ad Metaponti oram transmisit, qui in littore sacellum D. Silvestro dicatum memoria sanctissimi Pontificis ab Heraclienses finitimis Populis latanter exceptus, ad ovile suum rediens Pastor bonus biennio supervixit. Divi Silvestri sacellum prope Cryptam Ecclesiæ matricis, quatuor Deiparæ Virginis Mariæ propriis sumptibus, in sua Diœcesi edificari curavit in Mastella Arpionis ad ortum Solis, in loco Castelli ad occasum, ubi fons vivus; in Palude ad Boream, & propè sancti Mauri ad meridianum, ubi à Clero, & Populo excerptus Cupersanensi sexto Idus Januarii Imbre à Cœlo cadente, & à Clero indumentus tectus anno CCCCLXXXXII. natalis Domini nostri Jesu Christi, Gelasii Romani Episcopi ann. P. in pace obdormivit, & in Crypta sepultus.

Quorum quidem sacellorum vestigia in hodiernum usque diem perseverantia, *Cupersanensis* pietas veneratur, tanti civis, & Episcopi memoriam recolens, cui & ego intendens hunc scripsi lapidem,

D.O.M.

Digitized by Google

D. O. M.

SIMPLICIO CVPERSANI EPISCOPO.
PATRIÆ PASTORI VIGILANTISSIMO
DOCTORI MAXIMO.
A FELICE III. ROMANO PONTIFICE
AD COMPRIMENDAS OBORTAS HÆRESES, IN AFRICAM LEGATO.
ORTHODOXÆ RELIGIONIS PROPUGNATORI ACERRIMO, AD HÆC
CASTO.
VITÆ INNOCENTIA, ET MORUM
SUAVITATE, VEL IPSIS CHRISTOMACHIS VENERABILI.
BREMO WANDALORUM DUCE, WALFRIDA CONJUGE.
HYPPOCONDA, ASARGE, ET AFRIDA;
CATHOLICA FIDE IMBUTIS.
MANIBUS CHIRAGRA CORREPTIS,
OPERI SEMPER EXTENTIS.
BIENNIO ANTE SUPREMUM VITÆ
DIEM AD GREGIS SUI CAULAM REDEUNTI, IBI QUATUOR DEIPARÆ
SACELLIS, ET HOC DIVO SILVESTRO ÆDIFICATIS, DICATISQUE.
TERRENA DESPICIENTI AD COELESTIA TRANSLATO:
E LABORIBUS AD PRÆMIA VOCATO:
MORTALIBUS EXUVIIS SUB HAC
CRYPTA SEPULTIS.
ANNO A NATIVITATE DOMINI
CCCCLXXXXII.
CUPERSANENSIS ECCLESIA
AD CONSTABILIENDAM TANTI
PRÆSULIS MEMORIAM.
P.

In Crypta *S. Silvestri* hujus sancti Episcopi ossa requiescunt, supra quam hodie *Divæ Virginis* à Fonte sic dicta extat prodigiis scatens imago, quæ ab eodem *Simplicio Cuperfanum* lata fertur.

Simplicio successit *Hilarius* in Episcopatu, qui anno salutiferæ Incarnationis quingentesimo primo *Cuperfanenfi* præerat Ecclesiæ, interfuitque *Romanæ* Synodo tertiò sub *Symmacho* Pontifice habitæ, ut ex Conciliis generalibus à *Severino Bino* editis, apertè patet. Habeturque ejusdem *Hilarii* mentio in vitis Pontificum in additionibus *Andreæ Victorelli* viri eruditione conspicui, cum de *Gregorio XIII.* agit.

Ab hoc quingentesimo primo *Christi* anno nostræ Urbis Episcoporum silent notitiæ usque ad millesimum, & octogesimum octavum, quum *Leonis* apparent memoriæ. Hic fuit Episcopus *Cuperfani*, & Judex major: per quem jurisdictio spiritualis *Castri Puteneani* in Monasterium *S. Stephani*, ordine *Divi Bened.* Civitatis *Monopolis*, precibus inclyti Comitis *Goffridi* (a quo sex argenti marchas, & ducatos centum ex auro midalatos recepit) translata.

Anno supra millesimum centesimo vigesimo *Cuperfanenfem* regebat Ecclesiam *Saxo* Episcopus.

Anno millesimo centesimo quadragesimo quinto: *Rogerius Cuperfani* Episcopatum tenuit, qui, ut ex ipsius literis apparet, *Puteneani* donationem Cœnobio *S. Stephani Monopolitano*, à *Leone* Episcopo facto, clero consensum præstante, confirmavit.

Leo Secundus anno Christi millesimo centesimo quinquagesimo tertio *Cuperfanenfi* Ecclesiæ Episcopus præficitur. Qui & *Puteneanenfem* donationem revocasse videtur, eo quòd sacram *Divi Blasii* ædem in eodem *Puteneani* Oppido sistentem, & tunc temporis vacantem binis contulerit presbyteris gubernandam, per quos fidelitatis Sacramentum ei præstitum: ut ex publico patet documento.

Cafisius Episcopus *Cuperfanenfis* anno M.C. LXXX. florebat, obtinuitque privilegium, sive declarationem à *Raynaldo Barenfi*, & *Canusino* Archiepiscopo, Ecclesiam nempè *Rutilianenfem* ad Episcopum *Cuperfani* spectare, annuente, atque id eidem Archiepiscopo injungente *Alexandro Pontifice III.* Pontificatus sui anno XX. Excommunicationis sententiam protulit *Cafisius* in Abbatem *S. Stephani*, eo quod Archipresbyterum *Puteneani* in carcerem conjecisset, anno Episcopatus sui tertio.

Anno M.CXC. temporibus *Guillelmi Apuliæ* Ducis inclyti, *Cuperfanenfem* gubernabat Ecclesiam *Guillelmus* Episcopus, ut apparet ex publico Instrumento, testibus *Boamundo*, & *Baldo* Primiceriis.

Ex alio itidem publico instrumento anno M. CCX. exarato, apparent notitiæ cujusdam Episcopi cujus nomen, vetustatis injuria pergameno corroso, discerni non potest. Eum tamen *Rogerius* Cardinalis à latere Legatus ex sententia *Cœlestini Pontificis III.* ponendum declarat, & conservandum in *Puteneanenfi* jurisdictione: Abbatem vero *S. Stephani* petentem restitui, non audiendum pronunciat.

MCCLX. Christi anno, alius *Cuperfano* præerat Episcopus, cujus nomen, tempore in papyros sæviente, ignoramus. Cui absenti duo *Puteneanenfes* presbyteri censum, ac tributum solvere renuentes, in excommunicationis sententiam inciderunt. Ad *Barienfem* mox Archiepiscopum ut absolverentur, humiliter accedentes, quod petebant; consecuti: præmisso quidem de fide, & obedientia *Cuperfanenfi* Episcopo præstanda juramento. Ex instrumento publica fide roborato.

Frater *Stephanus Venerabilis Cuperfanenfis* Episcopus anno millesimo ducentesimo septuagesimo quarto florebat: ut apparet ex instrumento publica auctoritate munito, ex quo *Isabellam S. Benedicti* Antistitem, & ipsum Episcopum auctoritate *Caroli Primi, Neapolitanorum* Regis nonnullas lites quorundam *Tarentinæ* Ecclesiæ Canonicorum arbitrio subjecisse habemus.

Joannes de Gropis Fanenfis Canonum Doctor, & *Cuperfani* Præsul anno MCCLXXXIII. humilem se scribebat gregis sui Pastorem. Supereſt & hodiè memoria hujus Episcopi in quodam publico instrumento propria ejus manu, aliorumque testium subscripto sub præfatum annum, quo fatetur, Fr. *Petrum* Abbatem monasterii *B. Mariæ de Dalphino Cisterciensis* Ordinis, siti in *Archaja*, venisse

Cu-

Digitized by Google

Cuperſanum Abbatiſſæ ac venerabilium *S. Benedicti* monialium cætus inviſendi gratia, pro quo ſane Cœnobio eidem ordini conjuncto, ſicut & pro cæteris tàm Monachorum quàm monialium totius ordinis *Ciſtercii* Joannes *Venerabilis* Abbas *Ciſtercii* olim in *Lugdunen.* Concilio, ſummo Pontifice *Gregorio X.* pro ſubſidio Terræ ſanctæ decimas ſolverat. Ejus ſanè Præſulatus tempore Eccleſia Cœnobiumque *S. Franciſci* anno *Chriſti* M. CC. LXXXIX. conſtructum. Mentionem itidem hujus Epiſcopi reperimus in alio inſtrumento anno MCCCI. publica fide munito.

Anno M. CCCXVIII. *Cuperſanenſem* Eccleſiam *Guillelmo II.* Epiſcopo paruiſſe ex inſtrumento item publicè ſcripto, ſcimus.

Petrus Baccarius Epiſcopus *Cuperſani* creatur: cui anno ſalutis humanæ milleſimo tercenteſimo quadrageſimo ſecundo, a Capitulo & Clero *Puteneanenſi* præſtita obedientia.

Poſt *Petri Baccarii* dies ad Epiſcopatum *Cuperſanenſem* aſſumptus *Joannes* vir inſigni ſanctitate præditus: qui anno Chriſtianæ Redemptionis MCCCXLVII. Eccleſiaſticas *Puteneanenſis* Eccleſiæ dignitates nonnullas, & præſertim Archipresbyteratum *Gregorio de Micolo* contulit.

Anno Chriſti MCCCLVIII. teſtamento *Domini Angeli de Badò* militis *Cuperſanenſis* deſiderabilis memoriæ, Domini *Stephani* Epiſcopi *Cuperſanenſis* mentio infertur.

Petrus de Itro præſidebat *Cuperſanenſi* Eccleſiæ anno Salutis tercenteſimo quinquageſimo nono ſupra milleſimum. Palatium Epiſcopale, & matricem quoque Eccleſiam vetuſtate penè collapſam propriis reædificari ſumptibus curavit, cujus rei memoriam ſupra ipſius Eccleſiæ Januam marmori inſculptam ſubjicio.

ANNO DOMINI M. CCCLIX. PRÆSENS ECCLESIA CVM EJVS ALIS INCEPTA FVIT, PRÆSIDENTE DOMINO PETRO DE ITRO EPISCOPO CVPERSANI PRÆTER TECTVM IPSIVS ECCLESIÆ, ET FINITA TEMPORE EJVSDEM ANNI MCCCLXXIII. QVI FIERI FECIT PROPRIIS SVMPTIBVS HOSPITIVM NOVUM SICVT PROTENDITVR A CAPPELLA IPSIVS HOSPITII VSQVE AD ECCLESIAM: ET MVLTA ALIA BONA FECIT INTVS, ET EXTRA CIVITATEM, CVJVS ANIMA REQVIESCAT IN PACE. AMEN.

Ante fores autem domus Epiſcopalis ſequens inſcriptio viſitur.

ANNO DOMINI MCCCLXIII. PRÆSIDENTE REVERENDO IN CHRISTO PATRE D. D. PETRO DE ITRO CUPERSANI EPISCOPO HÆC PRÆSENS NOVA FABRICA, SICUT PROTENDITUR AB HINC USQUE AD TECTVM MAJORIS ECCLESIÆ RADICITVS FACTA EST.

Milleſimo tercenteſimo octogeſimo quinto Chriſti anno, alterius *Petri* Epiſcopi *Cuperſani* monumenta veteribus apparent ex inſtrumentis.

Fr. *Angelus* Epiſcopatum *Cuperſani* adeptus, anno M. CCC. XCV. ſub obedientia *Benedicti de Luna* Pſeudo Papæ, apparet ex originali Bulla gentilitii ſacerdotii, hoc eſt juris patronatus Eccleſiæ *Sanctæ Crucis* extra mœnia Civitatis, inſtituti per noſtram *Tarſiorum* familiam, in qua in hodiernum uſque diem perſeverat, quod tunc ceſſit in Abbatem *Balthaſarem de Tarſia Nicolai* viri nobilis, & providi Judicis, ac *D. Rucciæ de Abbadò* filium. Cujus Bullæ tenorem ſubjicio, ut eam à futuri temporis injuria vindicem.

Frat. Angelus, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Cuperſanenſis Epiſcopus. In Chriſto filio Joanni Balthaſari nato viri nobilis, & providi Judicis Nicolai de Tarſia de Cuperſano ſalutem in Domino. Debitum paſtoralis Regiminis nos provocat, & inducit illos Eccleſiis noſtræ Juriſdictioni ſubjectis præficere in Rectores, in eiſdem inſtituere viros, quos vita commendabiles reddit, & approbat laudabile teſtimonium probatorum. Cum itaque præfatus Nicolaus Pater tuus, ad quem ſpectabat, & ſpectat de jure præſentare Abbates, ſeu Rectores Eccleſiæ Sanctæ Crucis, ſitæ extra, & prope ipſam Civitatem Cuperſani vacantis ad præſens, te nobis tanquam idoneum infra tempus à jure ſtatutum, præſentaverit ad Rectoriam Eccleſiæ antedictæ, auctoritate ſui juris patronatus prædicti: nobiſque humiliter ſupplicaverit, ut te deberemus inſtituere in Abbatem, & Rectorem Eccleſiæ memoratæ. Nos igitur Nicolai patroni precibus utpote juſtis, & rationabilibus inclinati, & quia te idoneum invenimus ad Regendam Eccleſiam ante dictam, ipſam præſentationem admiſimus pro te, quem in Abbatem, & Rectorem ipſius Eccleſiæ ſanctæ Crucis inſtituimus, cum omnibus juribus, pertinentiis ſuis, ac ejuſdem Eccleſiæ curam, & adminiſtrationem in ſpiritualibus, & temporalibus, nihilominus committentes. Salvo ſemper cenſu librarum duarum ceræ, debito nobis, & ſucceſſoribus noſtris per te, & per alios in poſterum tuos ſucceſſores Abbates, ſeu Rectores Eccleſiæ memoratæ ſingulis annis in feſto Aſſumptionis Beatæ Virginis glorioſæ. Inveſtientes te præſentialiter de eadem, & etiam juribus univerſis per noſtrum annulum, ut eſt moris. Mandantes, & committentes harum ſerie in Chriſto filio Abbati Antonio Archipresbytero noſtro Cuperſanenſi, ut te in corporalem poſſeſſionem dictæ Eccleſiæ Sanctæ Crucis inducat auctoritate noſtra, & defendat inductum ac de omnibus juribus, & proventibus ſuis integrè tibi faciat ex modo reſponderi. Contradictores omnes per cenſuram Eccleſiaſticam compeſcendo. In cujus rei teſtimonium, & tui Abbatis Balthaſar Cautelam, ac omnium, quorum intereſt, & intereſſe poterit certitudinem, in futurum præſentes noſtras teſtimoniales literas tibi ex inde fieri juſſimus, noſtri Pontificalis ſigilli appenſione munitas. Actum, & datum Cuperſani, die vigeſimo primo menſis Junii: tertiæ indictionis ſub anno Domini milleſimo trecenteſimo nonageſimo quinto, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri Domini Benedicti divina providentia Papæ tertii decimi anno primo.

Stephanus Dei gratia *Cuperſanenſis* Epiſcopus

pus, vivebat anno salutis MCCCCVII. ut ex publico patet documento.

Sub annum humanæ Redemptionis M. CCCC. XXII. ad mœnia *Cupersani* excitatum est publicæ commoditati Nosocomium sancto *Joanni* Evangelistæ dicatum, ex cujus quidem fundationis instrumento apparet præsidere *Cupersanensi* Ecclesiæ quendam Episcopum, cujus nomen, papyro ob vetustatem corroso nos latet.

Antonius Domini *Nardi* ex Archidiacono *Cupersanensi* ad Præsulatum evectus anno M. CCCC. XXIII. ut apparet ex diplomate sanctissimi D. Nostri *Martini Papæ V.* eximiæ quidem sanctitudinis vir, cujus in hodiernum usque diem æternus perseverat, ubique effusus odor. Integer quippè fuit, & ad hæc castus, spectatæque virtutis, meritisque permultis venerabilis: qui adeò in pauperes extitit liberalis, ut iisdem omnibus instar Patris esset. Quod sic Deo gratum, ut miraculis confirmaverit. Nam cum maxima tunc *Cupersani* fames grassaretur, omnia Episcopus in egenos elargitus erat, ut frumenti, cujus magnam in horreo copiam asservabat, nihil illi supereſſet. Accedenti tamen inopi, & eleemosynam petenti, quod jam defecerat, vel justè denegare non patiebatur. Quare divinæ fidens providentiæ servos jussit horrea inspicere, ut, si quid in iis esset, pauperi illi darent. Servi autem Pio sic respondêrunt Episcopo: Scopis, Domine, nuper verrimus horreum, in quo nec granum quidem frumenti relictum; totum pauperibus distributum est. Instat misericordia motus Præsul, & iterum servos jubet, ut inspiciant horrea, quamvis versa; eunt illi, ut Episcopo magis obediant, quam ut triticum colligerent, quod inibi non extare sciebant. Sed ò Diam Bonitatem piorum desideriis obsecundantem: Reseratis horrei vectibus, vix fores urgere poterant, ut ingrederentur, tantam in horreo frumenti vim invenere. Quo obstupescentes miraculo, omnibus relictis, læti ad Episcopum cucurrerunt, quid secum egisset divina largitas, renunciantes. Unde frumentum illud totum pauperibus distributum. Hoc sanè Episcopi horreum, domumque hæreditario adepta est jure nostra *Tarsiorum* familia ex ea Domini *Nardi* descendens, quod in hodiernum usque diem miraculi horreum appellamus. Huic non absimile à *Juliano Stylita* editum miraculum ait *Rosweyda*, cum enim deficeret frumentum, ad *Julianum* Abbatem accessit frater *Conon*, cui horrei Cura erat demandata, aitque: *Frumentum non habemus. Senex autem de columna respondens, ait; vade frater, & ipsum quod inveneris, collige hodie, & mole, & de crastino Deus nostri curam habebit. Ille vero in hoc verbo turbatus (sciebat se nihil dimisisse) abiit ad cellam suam. Necessitate autem urgente misit ad eum senex, dicens. Accede huc. Ille cum vix venire acquievisset, dicit ei senior. Frater Conon, vade, & quod inveneris fac in cibum fratrum; ille præiracundia sumptis horrei clavibus abiit, volens terræ pulverem ferre. cum autem amotis claustris ostia vellet aperire, non poterat. Erat enim totum horreum frumento plenum. Quo ille viso perterritus, à sene veniam prostratus petiit.* Respondet Deus piæ hominum voluntati, vel miraculorum patratione. *Portia Febonia Cæsaris* Cardinalis *Baronii* mater sic eleemosynis dedita, ut panis, & vini multiplicatione pluriès Divina largitate subventa fuerit. Idem ejus filio *Baronio* sæpè accidisse in ejus vita scripsimus, quam mox luci dabimus. Sit ergo quisque in pauperes largus, ut manus sua area fiat, & torcular: quemadmodum viduæ *Sareptanæ* accidit. *D. Antonii* Abbatis sacellum propè Cathedralis Ecclesiæ sacrarium, ejusque gentilitium sacerdotium ab *Antonio* Episcopo, ut primo libro scripsimus, excitatum est, quod ad nostram hodie *Tarsiorum* familiam spectat: Aliaquè ejusdem Episcopi apparent monumenta, quæ nè prolixior fiam, omitto.

Anno MCCCCXXXIV. *Marinus de Ursinis* Protonotarius Apostolicus, Ecclesiæ *Cupersanensis* administrator deputatus.

Sub hac tempestate adest memoria Abbatis *Nicolini de Cursitio* Archidiaconi *Barensis*, qui electus est, & intrusus in Episcopatum *Cupersanensem*.

Præfuit, & Ecclesiæ *Cupersanensi Donatus de Neapoli* S. Theologiæ magister, qui anno *Christi* millesimo quadringentesimo quadragesimo octavo ad *Volvensem* translatus Ecclesiam. Ut patet ex S. Sedis Apostolicæ diplomatibus.

Petrus de Migolla Hispanus Ordine minorum S. D. N. minor Pœnitentiarius erat *Cupersani* Episcopus anno salutis M. CCCCLV. Ex fundatione Sacelli *Sanctæ Mariæ de Succursa* in *Castello Nucis*: & ex Bulla collationis beneficii *Sanctæ Crucis* in *Joannem de Tarsia* ob jura *Nicolai* parentis sui.

M.CCCCLXIV. *Paulus de Turculis Juvenaciensis*, Episcopus *Cupersani*, præclaræ Vir nobilitatis, ac virtutis præclarioris. Tanta porrò in eo effulsit sanctitudo, ut teste *Cæsare Lambertino* ejus consanguineo, & Insulano Episcopo in suo de jure patronatus tractato, pro Beato habeatur. Qui antea *Turcus de Turculis* nominabatur, deindè à *Paulo Papa II. Julii de Aquaviva Cupersani* Comitis, & *Catharinæ Ursinæ de Baucio* ejus conjugis precibus, ad Episcopatum promotus, nomenque *Turci* ob *Turcicæ* hostilitatis odium in *Pauli* commutatum; de quo extat *Jacobi Piccolominei* Cardinalis *Papiensis* Epistola 150. ad Cardinalem *Senensem* data anno 1465. Quæ sane sic habet. *Non imprudenter egit hodie Pontifex Paulus. Rem aliquandò non æstimatam sine animadversione prætereundam non duxi. Præficiendus erat Conversanæ Ecclesiæ novus Præsul. Nomen illi erat Turcus ex Turcolorum familia. Cum cætera probarentur in eo, nomen solum probatum non est. Dixit Pontifex convenire in nomine Episcopi nihil, quod fideles aures offendat. Monachi eos, qui à seculo fugiunt, ut renasci Deo appareant, nomen vetus etiam acceptum ex sanctis cogunt deponere: nos ad Episcopatum vocato nomen hostile non commutabimus? igitur Patrum comprobatione pro Turco Paulum ex suo nomine sanxit vocari. Atque ita in nova appellatione enunciatus Episcopus est.* Nomina quidam religiosam pie-

pietatem minimè redolentia, viros in Ecclesiastica dignitate constitutos haud conveniunt. *Cæsaraugustæ* in *D. Francisci* Ecclesia corpus inspexi, & veneratus fui sancti cujusdam Episcopi, à corruptione servatum, cui *Lupi* nomen, cum ad Præsulatum eveheretur, in *Agni* commutatum. Et *Trecasinæ* Urbis Episcopus *Lupus* appellabatur, quem, refert Laurentius Surius, & M. Marulus Spalatensis *lib.* v. *cap.* 2. *Attila* Dei flagello civitatem obsidente, *Et ego Lupus* (dixisse) *vastator gregis Dei*: *dignus flagello ejus*. Cumque portas ei reserari jussisset, rectà ille Urbem pertransiit, nihil hostile agi permittens, sed nec Oppidanorum quenquam respiciens, ac si neminem vidisset; nam qui se flagello dignum dixerat, immunis esse debuit à flagello. Nominum sanè summis Pontificibus mutandorum consuetudo, ex *Sergio Secundo* ad Pontificales Infulas elato, exordium sumpsit, ut refert *Panvinus*, & *Ciacconius*; quippè cum, *Os porci* anteà vocaretur, nominis deformitatem mutare coactus est, & *Sergii* nomen assumere. Multis tamen præclarè gestis, mortalem *Paulus* vitam cum cœlesti commutavit, sepultusque est in *D. Mariæ de Insula*, ubi & statua ejus marmorea, & sequens visitur Epitaphium,

D. O. M.

PAULUS DE TURCULIS U. J. D. NOBILIS JUVENACIENSIS AD PRECES ILLUSTRISSIMI DOMINI COMITIS JULII DE AQUAVIVA, ET ILLUSTRISSIMÆ DOMINÆ CATHARINÆ CONJUGUM INVITUS A PAULO II. PONTIFICE PROMOTUS AD EPISCOPATUM CUPERSANENSEM, QUI SANCTISSIME VIXIT, ET MORTUUS FUIT. VERE EXEMPLAR OMNIUM PRÆLATORUM HIC JACET.

Sulpitius Aquaviva Julii Antonii Atriæ Ducis germanus frater, Decretorum Doctor, ex Episcopatu *Bisceglensi* ad *Cuperſanenſem* translatus post obitum *Pauli de Turculis*, anno M.CCCC.LXXXII.

M.CCCCXCVIII. Christi anno, *Cuperſanensis* Ecclesiæ præsulatum gerebat *Vincentius Pistachius de Neapoli*, ex Bulla beneficii *S. Stephani Terræ Nucum* penès familiam *Cassanam*.

Donatus Aquavivus de Aragonia Julii Antonii Ducis Atriæ filius, ex Archidiacono *Cuperſanensi* per *Alexandrum VI.* Papam cum ætatis suæ annum vigesimum sextum attigisset, ad ejusdem Ecclesiæ Præsulatus assumptus MCCCCXCIX. Archidiaconatus verò dignitas in Abbatem *Petrum de Maneriis* collata.

Anno sesquillesimo vigesimo octavo, *Antonius* tituli *Sancti Apollinaris* S. R. E. Presbyter Cardinalis de *Sancta Severina* Ecclesiæ *Cuperſanensis* perpetuus administrator. Erat sanè *Antonius Tarenti* Archiepiscopus ex *Joanne Juvene de Tarentinorum* fortuna. Nec *Cuperſanensis* solum, sed *Nicoterensis*, & *Laquedonensis* Ecclesiæ administrator, ex Ferdinando Ughello Monacho Cistercienſi *in ng-*

tationibus ad vitas Pontificum, & *Cardinalium*, quas accuratissimè elucubravit. Extant hodie Bullæ nonnullorum beneficiorum per eundem Cardinalem collatorum. Ejus Vicarius generalis fuit *D. Ludovicus de Indello*, nobilis *Monopolitanus*.

Jacobus Antonius Carrozza Manduriensis, aliàs *de Casali novo* Provinciæ *Hydruntinæ* è Vicario *Tarentinæ* Ecclesiæ ad Episcopales *Cuperſanensis* Infulas elatus anno M. DXXXIII. per resignationem ab *Antonio* Cardinali de *Sancta Severina* sibi factam. Huic Episcopo, suoque Vicario *Francisco de Riccardis* tradita possessio jurisdictionis spiritualis Oppidi *Puteneani* per Abbatem *Nicolaum Mariam Gerundo Monopolitanum* Vicarium exequutorem, & Commissarium Apostolicum; regio etiam nutu accedente.

MDLXII. *Romulus de Valentibus de Trebio Cuperſanenſium* optimo exemplo gubernavit Ecclesiam. Sacrosancto *Tridentino* Concilio interfuit, ut ex Episcoporum subscriptionibus patet. Moritur *Cuperſani* anno MDLXXIX. cum è sua Diœcesi nunquam abfuisset nisi cum prædicto Concilio intervenire opus fuit. De eo hujusmodi extat Lapis in Cathedrali.

ROMULO VALENTI EPISCOPO CONVERSANO, RELIGIONIS ACERRIMO PROPUGNATORI, SINGULARI MORUM INTEGRITATE, OMNI ERUDITIONIS GENERE ORNATISSIMO NOBILISSIMO FAMILIÆ SFORTIÆ ALUMNO. QUI CUM EPISCOPATUM MAXIMA CUM LAUDE XVII. ANNOS ADMINISTRASSET, NEC UNQUAM ADFUISSET SUMMO BONORUM OMNIUM MOERORE DECESSIT, ÆTATIS ANNO LVII. VIDUS JULII M. D. LXXIX. FATRES MOESTISSIMI POSVERUNT.

Franciscus Maria Sfortia nobilis *Monopolitanus Cuperſanensi* præficitur Ecclesiæ anno M. D. LXXIX. quam optimè rexit: exeritque Palatium Episcoporum commode, & domicilio sumptuosum: in cujus Januæ supero limine hæc lego.

GREGORIO XIII. PONTIFICE MAXIMO CATHOLICO REGE PHILIPPO: EXCELLENTISSIMO JOANNE HIERONYMO AQUAVIVA DE ARAGONIA HADRIÆ DUCE: ILLUSTRISSIMO ADRIANO EJUS FILIO CUPERSANI COMITE SEXTO: FRANCISCUS MARIA SFORTIA MONOPOLITANUS CONVERSANI EPISCOPUS HANC DOMUM PARTIM REFECIT, PARTIM A FUNDAMENTIS EREXIT ANNO DOMINI MDLXXXIII.

Super aliam quoque ipsius Episcopalis Domus Januam hæc adest inscriptio.

FRANCISCUS MARIA SFORTIA EPISCOPUS
HAS SIBI SUISQUE SUCCESSORIBUS
RESARCIVIT ÆDES.
TABERNACULA JUSTORUM GERMINABUNT.

Mortalitatem explevit *Cuperſani* Kalendis Junii. MDCV. in Sacello *D. Hieronymi*, quod cum gentilitio ſacerdotio pro nobiliſſima *Sforziorum* familia, excitaverat, ſepultus: ubi hoc extat Epitaphium.

FRANCISCVS MARIA SFORTIA MONOPOLITANVS, EPISCOPVS CONVERSANI VIVENS DE MORTE COGITANS, HVIC SEPVLCHRO CORPVS, ANIMAM DEO COMMENDAVIT. OBIIT DIE DECIMA OCTAVA MAJI. ANNO DOMINI MDCV. ÆTATIS SVÆ LXIV. PRÆSVLATVS VERO XXVI.

Magiſter Frater *Petrus Capullius Cortonenſis* Ordinis minorum Conventualium, Regens in Conventu SS. XII. Apoſtolorum in Urbe, ad *Cuperſanenſem* Eccleſiam promotus anno MDCV. Admirandæ vir benignitatis, ac doctrinæ; eximiuſque concionator. Scripſit ad libros ſententiarum *D. Bonaventuræ* commentariorum tomos duos, omni eruditione refertos. Obiit dierum plenus, ac virtutum XVIII. Kalendas Julii MDCXXV. Sepultuſque eſt in *D. Franciſci* Sacello, ab eo in Cathedrali conſtructo, cui hæc addita tanto Epiſcopo inſcriptio.

FRATRI PETRO CAPVLLIO CORTONENSI ALMI COLLEGII S. BONAVENTVRÆ EACVNDISSIMO S.T. INTERPRETI, AC SVPER SENTENTIIS EJVSDEM COMMENTATORI ERVDITISSIMO A PAVLO V. SVMMO PONTIFICE ANNO PRIMO AD EPISCOPATVM CONVERSANI EVECTO. VITÆ INNOCENTIAM, MORVM SANCTITATEM ANNIS LXXIII. PRÆSEFERENTI. FRANCISCVS NEPOS, NON ERGO SANGVINIS, ET GLORIÆ, SED AMORIS, ET REVERENTIÆ POSVIT ANNO MDCXXV.

Magiſter *Fr. Vincentius Martinellus* Ordinis Prædicatorum *Nicolai Rodulphii* S.P.A. Magiſter Socius, ab *Urbano VIII.* ad Epiſcopatum *Cuperſanenſem* evectus anno MDCXXV. & ab eodem Pontif. anno MDCXXXII. ad *Venafrenſem* translatus Eccleſiam ubi poſt exactum triennium deceſſit MDCXXXV. Juriſdictionem Oppidi *Ratiliani* ſtrenuè recuperandam curavit, quam hodiè ſucceſſores ſui pacificè exercent.

Antonius Brunacbius Florentinus, primum *Avenionenſis* Legationis Auditor generalis, Rector deindè *Venaiſſini* Comitatus; mox verò apud S. Sedis Apoſtolicæ Nuntius in *Hiſpaniarum* Regnis diù commoratus, indeque Sanctiſſimo *D. N. Urbano VIII.* Epiſcopus *Cuperſani* creatus, conſecratur *Romæ* anno M. DCXXXII. in *D. Joannis Florentinorum* per Eminentiſſimum Cardinalem *Pamphilium* hodiè *Innocentium X.* Ad gregem ſuum veniens nullo honorum genere, ac ſumptu, ſed privatè excipi voluit grave podagræ morbo laborans. Omnibus in rebus agendis rigorem præſetulit, ac ſeveritatem. Cum verò à Catholico Rege *Philippo* MDCXXXVII. *Monopolitanæ* regendæ Eccleſiæ Pontifici Maximo proponeretur, *Neapolim* hac de cauſa adiit, ubi iterum podagra maceratus, in dies dolore ingraveſcente, prima anni die MDCXXXVIII. obiit; ibique in *D. Joannis Florentinorum* ſepelitur.

Auguſtinus Ferentillus Interamnenſis, è Vicario *Fundano* in Epiſcopum *Cuperſani* aſſumptus anno ſalutifero MDCXXXVIII. Honores in ingreſſu reſpuit, juriſdictionem Oppidi *Rutiliani* conſtabilivit, per S. Cameræ Apoſtolicæ decretum. Moritur, ac ſepelitur *Cuperſani* anno ſui Præſulatus quarto. Suique ad lapidem ſepulchri hanc appoſuere inſcriptionem.

D. AUGVSTINVS FERENTILLVS INTERAMNENSIS CONVERSANI EPISCOPVS. OBIIT ANNO IV. SVI PRÆSVLATVS. VII. SEPTEMBRIS MDCXXXXI.

Petrus Paulus Bonzius nobilis *Florentinus* Epiſcopus *Cuperſani* ordinatus anno ſalutis M. DC. XLII. eximiæ quidem bonitatis doctrinæque Vir. Qui ſumma hodierna die integritate, maximo omnium plauſu præeſt. Porrò *Bonzia* Familia antiqua, in *Florentinorum* dominio nobilitatis prærogativa illuſtris. In ea quidem floruere viri tùm litteris, cùm armis, primariiſque Reipublicæ muneribus conſpicui, ut magni vexillarii etiam munus exercuerint.

Et hæc de Patria noſtra ſint ſatis: quæ porrò congeſſimus, ut pietatem erga illam exerceremus. Exerce & tu eam, benigne lector, in calamum noſtrum, hoſcequelabores boni conſulas, obſecro. Vale diù.

FINIS.

Digitized by Google

ÆS SEDIVIVUM,
SIVE
TABVLA
ÆREA, MAXIMA,
CONSULARIS, DUUM-VIRALIS
DECURIALIS,
Faſtorum Conſularium, Romanarumque
Familiarum, in pluribus inſtaurativa,
CANUSII
IN AGRO APULORUM
OLIM INCISA, ET ERECTA,
Exinde Barbarorum depopulatione recondita, recens
e Terræ Viſceribus eruta:
ILLUSTRATA
PER
ABBATEM DAMADENUM.
Opus nunc ſecundò editum juxta editionem Lugduni Batavarum in Theſauro Antiquitatum, & Hiſtoriarum Italiæ, ad Codicem M.S. pretioſiſſimum.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

L. LICIO. ÆLIANO. . COS.
M. ANDVS. II. VIR. QUINQUENN.
ENDA. · CURAVERUNT

PAT
APP. CL
T. LOR
M. ÆDI
L. DID
L. DOM
M. ANT
M. STA
L. PON
C. BET
C. CAV
C. FVR
L. BRV
C. BRV
C. IVN
M. PAP
L. CÆC
Q. CÆL
L. LVCI
L. PONT
L. PONT
M. ANT
II. IVL
C. SVLP

LICII.
CROCALIANVS
MARCIANVS
PRISCVS
IVSTVS
CANDIDVS
HELIVS
MINERVALIS
CRESCENS
MARINVS
SECVNDINVS
EVRYALVS
CARPOPHORVS
PRISCVS
TIIALAMVS
EVTYCHIANVS
SABINIANVS
PRISCIANVS
MEROP · S.IVN.
VINDEX.

TORICII.
C. LICI
L. VALE
L. FLAV
P. MARC
M. STAT
M. STAT
M. VALI

ASCLEPIODOTEANVS
LABERIANVS
FELIX
IVSTVS
QVINTI. Q
CONSTANS
IANVARIVS
AVGVRINVS
ACRISIVS

PATI
P. GERELI
T. LIGE

ANI
T. MVNA
T. FLAV
C. GALB
T. ÆLIV
T. ÆLIV
Q. COEL

FABIANVS
IVVENTIANVS
VESTINVS
AGATHANGELVS
PRISCINVS
CVPIEV
DIONYSIVS
ÆMILIANVS
ALTICVS
SATVRNINVS
CHRYSOMALLVS
FELIX
MAXIMVS
PIETAS
SILVANVS
ONESIMIANVS
VITALIS

C. FVFIDIV
T. POMPEIV
C. LVCRETIV
C. IVLIV
M. ATHANIV
L. HERENNIV
D. SATRENIV
T. POMPEIV
P. ESQVILIV
TI. CLAVDIV
Q. IVNIV
P. RVTILIV
TI. CLAVDIV
M. VIPIV
P. PVBLICIV

RVFVS
ALEXANDER
VENVSTVS S.IVN
STACHYS
FELIX
CELSVS
SATRENIANVS
ATTALVS
SILVANVS
ONESIMIANVS IVN
MVSOGENES
TERTVLLINVS
VERVS
ANTHIMVS
MAXIMVS

PRÆTEXTATI.
T. FLAVIV
C. IVLIV
L. ABVCCIV
M. AVRELIVS
T. ÆLIV
L. EGGIV
C. VIBIV
P. PVBLICIV
L. ANNIV
L. TRICCIV
M. AVRELIV
M. AVRELIV
I. ATTIV
C. GALBIV
C. VIBIV
T. POMPEIV
L. TIMINIV
M. AVRELIV.
C. GALBIV
M. SERVILIV
M. CAVIV
L. DASIMIV
Q. IVNIV
T. FLAVIV
TI. CLAVDIV

FRONTINVS
HOSPITALIS SIVN
PROCVLVS SIVN
MARVLLVS
NECTAREVS
MAXIMVS
MARCELLVS
MAXIMVS S.IVN
RVFVS
APOLLINARIS SIVN
IVLIVS
AGRIPPINVS
IANVARIVS
ATTICILLIANVS
FAVSTINVS
ASCLEPIVS
PONTICVS
VALENS
AMANDVS
MARCELLVS
RVFVS
IVSTVS
TROPHIMIANVS
SILVINVS
FORTVNATVS

Digitized by Google

ICONOLOGIA

TABULÆ

ÆREÆ, CANUSINÆ.

QVI MAGNA SCRVTARIS,

MAGNA

PERCIPE, ET INTVERE:

ADEST

TABULA,

PONDERE MAGNA,
ANTIQUITATE MAJOR,
DECLARATIONE MAXIMA;
CANVSIVM EAM EREXIT,
TERRA CONSERVAVIT,
ARATRVM OFFENDIT,

COLONUS

OBSTETRICANTE MANU
DE MATRE-TERRA
EDUXIT.
NOVO OMINE RENATAM;
AC NOVO PARTV
CANUSINAM COLLAPS: COLONIAM
AD VITAM REDVXIT,
ET SPLENDISSIMUM ORDINEM

DECURIONUM

RESVSCITAVIT.
QVOT SVSCITATOS DECVRIONES VIDES;
TOT VIXISSE, IMO ET VIVERE,
SCIAS,

OMNES.

HÆC OLIM TABULA

VIVOS EXCEPIT, ET VIVOS VENERATA EST:
NVNC DENVO
DE ABSCONDITO TENEBRARVM,
IN ADMIRABILE LVMEN COGNITIONIS,
EDVCTA.

VI-

Digitized by Google

VIVOS IN ÆRE EXHIBET,
ET MEMORIA LAPSOS,
REDIVIVOS ÆTERNITATI RESTITVIT,
FELICIORES
INVENTIONE, QVAM ERECTIONE.

TABULA,

ÆREA EST SONORA,
SONVM DABIT,
ET QVIDEM, IN OMNEM TERRAM EXIBIT SONVS ILLIVS.
VIRGO EST,
NON RVGIS CONTRACTA, SED POLITA CVTE
RVBESCIT,
NON SCALPELLO VITIATA, SED OBDVRATA VIRGINITATE
SVPERABIT.
MAXIMA EST,
QVIA MAJOREM NON PARTVRIVIT ANTIQVITAS:
RARISSIMA EST,
ILLVSTRIOREM QVIPPE ELAPSA TEMPORA NON
PROVIDERE.
SENATVM CLXV. DECVRIONVM
PANDIT:
CONSVLARES FASTOS
ILLVMINAT:
ROMANAS FAMILIAS
AVGET.
VERBO UNO
CRESCIT PER TABVLAM
ROMA.

Digitized by Google

PRÆFATIO AD LECTOREM.

LECTOR BENIGNE,

MAgnum quod vides opus, una Tabula peperit: magna illa quidem & inter æreas maxima, quam Antiquitas extulit, recentior Ætas amisit, & novissima tempora recuperarunt. Rem totam paucis accipe. Canusium deducta Colonia Militaris sub variis Romanis Imperatoribus floruit, & plures Viros illustres, succedente ætate, de gremio suo produxit, qui etiam vario in Romana Republica munere decorati, insignes præstantesque extitere. Anno tandèm Urbis conditæ 976. Christi verò 225. Kalend. Mart. ad Imperium pervenit Alexander Severus, Varii Genesii Martiani, & Juliæ Mammææ filius, Elagabali Prædecessoris sui (à quo adoptatus fuerat) consobrinus. Sub hoc Cæsare, plures uno anno in Republica Canusina Viri illustres, ac varia, vario tempore, perfuncta dignitate spectabiles reperiebantur, quorum, ut magnus erat numerus, non parva ex omnibus honoribus Coloniæ accedebat existimatio, eoque major, quod ex iis multi ad Decurionum decus assumpti, Splendidissimum Canusii Ordinem seù Senatum constituerent, quem ex sexaginta quatuor compositum personis (ut memoria pereunaret) L. Mario Maximo II. & L. Roscio Æliano Romanis Consulibus, in ære incidi curaverunt M. Antonius Priscus, & L. Annius Secundus, per id tempus Canusinæ Coloniæ Duum-Viri. Hic habes Historiam, Historiæ Circumstantiæ in libro extant illustratæ. Tabula itaque ærea ex Duum-Virum decreto confecta, & erecta fuit. Spectabantur in ea, sub multiplici dignitatis titulo Canusini Heroes, in uno tamen Decurionis munere concurrebant. Canusii Patroni Supremi, Romæ (ut aliarum Coloniarum, & Municipiorum) degebant: Patroni Subalterni, qui aliquando ad majora Romanæ Reipublicæ munia elevati, eaproptèr Clarissimatus ornabantur honore, & unà Decurionis exercitio fungebantur, nunc in Colonia, nunc Romæ omnium Defensionem suscipiebant. Horum filii, aut Equites Romani nati, aut adlecti, Decurionis eligebantur, & proximum in defensione gradum, ac Patris locum sibi vindicabant. Quinquennalicii à Duum-Viratu honore, per quinquennium continuati, nominabantur; & cum alios Duum-Viros (qui deposito munere II-Viralicii dicebantur) excederent annorum numero (etenim dignitas erat annalis) eos etiam præcedebant gradu, & honore functionis. Quorum, uti decus rarum, ità numerus parvus erat, hinc aliquandò ex II-Viris assumpti, Allecti inter Quinquennalicios nuncupabantur. Duum-Viralici, Ædilicii, Quæstoricii, à defuncto Magistratu indigitati, ordinem in Tabula servant. Pedani & Prætextati, uti juvenes, non à perfuncto munere, sed à Magistratu, quem actu gerebant, vocati, etiam in Tabula locum habent. Tabula denique, quæ tot tantisque Viris exornata, Romana tempora vidit, Barbarorum irruptiones passa est, & semper perstitit inconcussa, donec Saracenorum illuvie oppressa, inducta populatione Canusii in terram cecidit, & ruinarum mole tecta jacuit sepulta. Inde ruinæ ad maceriem, maceries ad rudera, rudera ad pulverem redacta, magnam machinam ad tenuem superficiem transtulerunt, quam cum Tabula proximè lamberet, per arantem Colonum Rusticum inventa, Toparchæ tra-

dita est: ut autem cœno & squalore mundata fuit, multorum animos ad suam possessionem excitavit. Venetias tandèm ex Apulia translata, benigna quadam Fortunæ sorte in potestatem Bernardi Palotulæ, Antiquarii, pervenit, qui eam viris eruditis admirandam, & explicandam ostendit. Hæsit longo tempore sine recto judicio; divinationes quidem non paucæ accessere, sed eæ, cum Romani Consules in Tabula sculpti, eo modo in Fastis Consularibus non apparerent, nec apud Fastorum interpretes invenirentur, evanuerunt. Ultimum, præfatus Bernardus Palotula cum se Tabulæ significatione, & explicatione privatum videret, Abbatem Damadenum interpellavit, & enixè rogavit, ut Tabulam, qua posset claritate, scriptis illustraret, & publicæ cognitioni sisteret. Hic, post longum ac consummatum studium hunc librum composuit, quem eidem Bernardo Palotulæ, utpotè ad instantiam suam, & suis expensis, confectum, tradidit, ut ipsum Tabulæ jungeret, eique quasi individuum sisteret, ut vel sic arcanum, & absconditum lumen ejus, non amplius sub modio lateret, sed super Candelabrum positum ante omnium oculos exindè clarescceret. Tu, Lector, eodem fruere, lege benignè, si placeat; si displiceat, aut zoilum, aut invidum agas, ne carpe maledica lingua, nisi meliora, & saniora, si valeas, ex penu tuo litterario deprompseris, & aliorum judicio submiseris. Vale.

TESTIMONIA DE USU ÆRIS.

USus Æris, inquit Plinius, [a] *ad perpetuitatem jam pridem translatus est, Tabulis Æreis in quibus publica Decreta, & Constitutiones inciduntur. Vetus autem ille mos incidendorum Decretorum, ac Constitutionum, duravit usque ad posteriorum Cæsarum tempora.* Constitutionibus autem Legis, Decretis illustrium virorum nomina, in perpetuum conservanda, æri ineidebantur, ut qui in Foro claruerant, in Foro etiam perennarent; imò, ut ipsi quasi vivi persisterent, [b] *Alexander Severus Imperator, imaginibus Clarorum Virorum Forum Lararium ornabat.* [c]

Hinc nullum majus, hoc regnante Cæsare (sub eo Canusina Tabula erecta) *felicitatis specimen esse putabatur, quam semper omnes scire cupere, qualis fuerit aliquis. Itaque Virorum illustrium Vultus finguntur, & nomina incidantur, ut certitudine sua desiderium paviant.*

[a] *Plinius lib. 34. cap. 9.*
[b] *Lamprid. in Vita.*
[c] *Plinius lib. 35.*



PRÆ-

Digitized by Google

PRÆFATIO TYPOGRAPHI, BENEVOLE LECTOR,

NOn minori forte jure, quam quidem Colonus ille *Canuſinus*, de Ære redivivo exhibito gloriari poſſe nobis videmur. Inſignis, non negamus, ejus fuit felicitas, invenire æternitatis alumnam :. Tabulam æream, quæ plura immortalitati conſecrata oſtentans nomina, tot, & tantas temporum inſpexerat vertigines, tot viderat ſceptrorum metamorphoſes, purpurarum declinationes, & regnorum pro bellis ruentia cacumina ipſa tandem Barbarorum dejecta populationibus, diuturnum inter ruinas perpeſſa eſt ſepulcrum .. Inde eruta pluribus ſummi nominis Viris admiranda exhibita, quos inter, vel unicum ſaltem *R.P.D. Bernardum de Montfaucon*, Monachum Benedictinum, Congregationis Sancti Mauri, nominare liceat, qui inter Notitias, ut ipſe vocat, ſingulares in Itinerario Italico collectas, *pag.63. Diarii Italici* Muſeum *Antonii Capelli*, Patritii Veneti, laudans, hanc noſtræ Tabulæ facit mentionem : *Hic illa Tabula ænea antiqua tripedalis quaquaverſum inſculpta nominibus multis Romanorum, quæ paucis hinc annis Canuſii effoſſa eſt. Eam typis dedit Vir Ampliſſimus, & exemplum ejus nobis obtulit cum germana characterum forma : eamdem publicavit Sponius in Miſcellaneis eruditæ Antiquitatis.* Verùm enim verò, pluribus licet rariſſimum hoc Antiquitatis monumentum admirantibus, feliciſſimus alias ipſius poſſeſſor explicatione ejuſdem deſtitutus, multo carere ſibi videbatur non immeritò. Loquebatur Tabula ſcalpro exornata *Canuſii* quidem ejusdemque Splendidorum Virorum antiquas dignitates, quæ vero non percipiebantur, donec accederet dexterrimi Interpretis, *Abbatis Damadeni*, ſolidiſſima illuſtratio : tùm enim *Ære* redivivo ſonus reſtituebatur cuilibet intelligibilis. Fata verò Tabulæ, ejuſque ruinas, ac reſtitutionem nos hic memorabimus neutiquam. Explicantur omnia non minus ſolidè quam eleganter in ipſo Opere. Id ſaltem noſtrum eſt indicare, extitiſſe horum laborum, à Viro modo laudato Præſtantiſſimo ad explicandam Tabulam ſuſceptorum, hucuſque nonniſi Codicem M. S. unicum, eumque pretioſiſſimum. Communicavit verò nobis inſigne hoc Cimelium, pro ſua in nos ſumma benignitate, Illuſtriſſimus Marchio *D. Beretti Landi*, Catholicæ Majeſtatis ad Potentiſſimos Confœderati Belgii Ordines Orator, ut & in Conventu Camaracenſi, fundandæ Pacis Europæ gratia Plenipotentiarius.

Singulare itaque prælo noſtro ſubiiciendum opus nacti ſingularem etiam adhibuimus induſtriam, ut opus in publicum prodiret ornatum omnibus, quæ ejus requirebat dignitas. Inſcriptionum, quæ apud alios quoque Auctores potuerunt reperiri, addidimus lectiones variantes, ut Lectorem reddamus eo certiorem, noſtras eſſe exhibitas, prout ipſas à *Damadeno* accepimus, fideliſſimè. Continebat, & Codex quædam, quæ, ut æri inciderentur, exigebant : illa unica, & ita uno quoque conſpectu exhibentur

Digitized by Google

Tabula; locis vero, ubi ea explicantur, Lector ad eandem ablegatur. Tabulam Totius Operis, vel si mavis Indicem, ut accepimus, ita exhibemus, mutatis saltem, prout exigebat impressio, paginarum numeris. Idem in Indice Capitum, Nomenclaturæ Lapidum conjuncto, observatum. Hic vero, monitum velimus Lectorem, nos cum Codice nonnisi Nomenclaturam Lapidum accepisse. Exhibebat hæc Elenchum omnium in Opere contentarum Inscriptionum, adjunctis Capitum, ubi eæ leguntur, *Titulis*, omissis Capitibus illis, quæ tali ornamento destituuntur. Ut vero uno intuitu pateat, quæ in egregio hoc habentur Opere, reliqua addidimus Capitum Inscriptiones, & ita cum Nomenclatura Indicem quoque Capitum exhibemus integrum. Ut vero *Æs* hoc *Redivivum*, Explicatione tam solida illustratum, præ aliis Antiquitatum monumentis locum sibi facilè vindicat primum: sic nobis gratulati sumus non immeritò de Editione Tui gratia, *Erudite Lector*, nunc primum adornata.



IN-

Digitized by Google

INTRODUCTIO
AD COGNITIONEM
TABULÆ ÆREÆ CANUSINÆ.

Multa dicuntur de subjecto, quæ in subjecto non sunt, atque dicuntur, quod ad subjectum pertineant. Non absimili modo, sententiam Philosophorum insecutus, de Ære Canusino, sive Tabula ærea edicere possum: multa dicuntur de subjecto Tabulæ, quæ in Tabula non sunt: sed ideò dicuntur, quia ad Tabulam spectant. Tabulam quidem quoad materiam, quoad formam explicare valebam, quid autem Tabula significaret, unde veniret, qua tempestate fusa, incisa & erecta foret, pluraque similia, cum ex tabula non apparerent, aliundè quærenda fuerunt. Quamobrem concludendum: Multa dicuntur de subjecto, quæ in subjecto non sunt. Multa, inquam, dicenda, ut antiquitatis cupidum ac studiosum in plenariam tabulæ cognitionem deducere queam. Igitur si tabulam Canusinam funditùs illustrare velim, ubi Canusium situm obtinuerit, priùs demonstrare cogor, cum autem illud Apuliæ emporium, ac civitatem extitisse comperiam, primum *Ager Apulorum* describendus est, inde ipsum *Canusium Apuliæ Civitas*, cognoscetur. Sed variam cum indè fortunam sustinuerit, superaddendum fuit: *Canusium a Romanis subactum, & inter fœderata oppida relatum*. Fuit exindè accedentibus, & Hannibale, & aliis Romanorum hostibus, fœderatæ civitatis fides sæpiùs tentata, illa cecidit aut voluntate, pellecta; aut vi, adacta, hinc pœnas dedit, & onus coloniæ suscipere debuit, quod sequenti titulo causam præbuit, quo *Canusii oppidi mutatio in Coloniam militarem Romanam* declaratur.

Colonia absque regimine stare non poterat, sic nata *Respublica Coloniæ Canusii*. Hujus Reipublicæ capita erant II. Viri, qui consulari propemodum potestate, pleraque pro libitu moderabantur; cum verò plures Viros in Colonia conspicuos & Decuriali dignitate insignes, vario tempore Canusium aleret, eorundem memoriam II. Viri extulerunt, quapropter rectè subjicitur: *II. Viri Cannsii erigunt Tabulam æream, in qua nomina Decurionum incidi curaverunt*. Sed tempus incisionis nominum anceps hærebat. *Tempus* proindè, *& Erectio Tabulæ æreæ Canusinæ* explananda fuerunt: Cum tempus appareret, & erectio constaret, *Materia Tabulæ Canusinæ* succedebat. Dehinc si perfectam Tabulæ cognitionem tradere volebam, *Forma*, *Altitudo*, *& Latitudo Tabulæ Canusinæ* describi exactè debebant. Nec *Scriptura seù Incisio Tabulæ* abesse poterant. Hæc sic efformata perpetuam durationem promittere videbatur, substitit multis annis erecta, sed Barbarorum stragibus agitata, persistere nequivit, cecidit proindè populato Canusio, & ruinis ac cineribus obruta, per multa sæcula jacuit sepulta; rectè itaque *Populatio Canusii, & amissio Tabulæ* occurrere adjungendæ. Ex immani tandem ruina, quam hodie faciem Canusium præferat, *Descriptio hodiernæ constitutionis Canusii* patefacit. Inventam fortuitò Tabulam per arantem Rusticum *Inventio Tabulæ æreæ* exponit. Ipsam, sibi ignotam, Domino tradidit, hic eam Venetias misit, inde *Invictissimi* NOBILIS aulam petiit, in qua nunc consistit perennanda; non inconcinnè propterea sequitur *Varia Mutatio Dominii, & Translatio Tabulæ Canusinæ*. Jam Tabulam Venetias translatam aspiciebam, quid ipsa vellet, quid præferret, an Coloniam, an Municipium, an Præfecturam, an Forum, an Conciliabulum, primo intuitu non capiebam, imò etiam post consummatum studium ægrè mihi innotuit, hinc appositè subjuncta legitur *Significatio Tabulæ æreæ Canusinæ*.

Cum generica significatio inclaresceret, specifica erat adjungenda, prævii tamen *Consules Romani Tabulæ insculpti*, diffusè erant describendi, quod illi tabulæ ætatem, Romano more, indigitare deberent, sed hæc difficilè constabat, cum insculpti Consules in Fastis Consularibus vix apparerent. Sublata tamen difficultate, dum statim post Consules, II. Viri in Tabula conspicerentur, *Varii Reipublicæ Romanæ II. Viri* explicantur. Quibus cognitis succedunt ex ordine, *Varii II. Viri Coloniarum & Municipiorum*. Quos tandem excipiunt *II. Viri Quinquennales Tabulæ Canusinæ*. Hi II. Viri Quinquennales nomina Decurionum Canusii in ære incidenda curaverunt, quapropter *Decuriones Tabulæ æreæ Canusinæ* in genere exhibentur. Cum verò essent plures, & sub variis nominibus in Tabula positi, specificè omnes exindè producuntur, & primum *Decuriones Patroni* c. & v. v. Nec intermittenda *Appellatio Clarissimi Viri Patronis inscripta*, quæ ad illustrationem materiæ conducere videbatur. *Decuriones Patroni EE. QQ. RR.* secundum in Tabula locum tenent, hinc eundem in explicatione sibi vindicarunt. Quibus explicatis sese obtulerunt *Decuriones Quinquennalicii*, qui etiam scriptis illustriores evadunt. Hos inter cum subindè eligerentur alii, qui Allecti dicebantur, sequuntur descripti *Decuriones Allecti inter Quinquennalicios*. Deinde *Decuriones II. Viralicii* quintam sibi afferuere explanationem. Ædilicii postea dignoscuntur, dum *Decuriones Ædilicii* illustrantur. Nec desunt Quæstoricii

ricii, quos *Decuriones Quæstorii* dilucidant. Pedani qui fuerint, indicant *Decuriones Pedani*. Explicationem Prætextatorum *Decuriones Prætextati* abundè tradunt. Tandem ut Canusium Romanam Coloniam extitisse, Tabulamque in Colonia erectam, ac nomina ipsi inscripta Decurionum Coloniæ fuisse constaret, omnes ejusdem Tabulæ Familias Alphabetica sequela deductas, Romæ passim floruisse demonstrari possent, quæ inde Roma Canusium venientes, ut Romanæ, in ipsa Colonia, & alibi extitere conspicuæ. Horum omnium si ordinem observare velim, primum ex ordine procedendum erit, adeoque describendus *Ager Apulorum*.

CAP. I.

AGER APULORUM.

AGer Apulus variè ab antiquis divisus legitur: etenim post Salentinos Apuli à Brundisio ad amnem Fiternum, agrum tenuerunt. Duplex fuit, & duorum Populorum habitatione insignis. Originem nominum Ughellus[a] tradit, ego Populos explico. Alii Peucetii, & Japygæ, & Pediculi vocabantur, alii Daunii & Mesapygæ. *Peucetiorum ad mare fuerunt Egnatia, Barium, Ausidus. Dauniorum Salapia, Sipus, Apeneste, Garganus Mons, inde Fiternus. Illorum mediterranea Venusia, Cælia; horum, Teanum cognomine Apulum, Luceria, Vidarnum, Arpi, Canusium.* Ptolomæi[b] divisionem Apulorum insequitur Plinius[c], & accuratiore distinctione illustrat, quapropter ipsa scriptoris verba hac de Regione recitare operæ pretium esse duxi: *Brundisio*, inquit, *conterminus Pediculorum ager, quorum oppida Rhudiæ, Egnatia, Barium, amnes Pactius, Ausidus ex Hirpinis montibus, Canusium præfluens. Hinc Apulia Dauniorum, in qua oppidum Salapia, Sipontum, Uria, amnis Cerbalus Dauniorum finis, portus Agasus, promontorium Montis Gargani, portus Garnæ, Lacus Pantanus, flumen portuosum Frento, Teanum Apulorum, itemque Larinum, Cliternia, Tifernus amnis. Inde Regio Frentana. Ità Apulorum genera tria, Teani à Duce Gares, Lucani subacti à Calchante, quæ loca nunc tenent Atinates. Dauniorum præter supradicta coloniæ Luceria, Venusia, oppida Canusium, Arpi.*

His duobus, Strabo tertius accedit, qui non minori studio, ac diligentia hunc Apulorum agrum explanat, quamobrem & hunc scriptorem, ut ex ore trium testium Regio describeretur, adducere volui. *E Brundisio*, scribit, [d] *Barium* DCC. *stadiorum spatium est. Pariter fere distat ab utraque Tarentum. Contiguum quidem pascuntur agrum Dauuii, deinde Apuli usque ad Frentanos, ut necessitudo sit usque ad Peucetios, & Dauniös, quos nec accolæ omninò ita vocitant, præterquam antiquioribus annis. Omnis quidem hujus Regionis, quam Apuliam nuncupant, terminos explicamus. E Bario ad amnem Ausidum, ad quem Canusiorum est emporium, stadia sunt* CCCC. *Ad emporium autem superior navigatio stadiorum* LXXXX. *Proxima est Salapia Argyripenorum emporium. Haud enim multum à mari duæ Italicarum urbium maximæ, quondam in plano sitæ sunt, sicut documento sunt circuitus earum, Canusium videlicet & Argyrippa, porrò autem Arpi nunc vocata est. Utraque in præsentia sanè deletæ à Diomede conditæ dicuntur: his in locis & campus & alia complura, Diomedis potentatum ostentant. In Minervæ quidem Fano, quæ Luceriæ est, prisca dona, & ipsum vetus oppidum Dauniorum extitit, nunc verò depressa jacet. In propinquo mari jacent duæ insulæ, quas Diomedæas appellant. Ex quibus habitatores habet altera, reliquam dèsertam esse dicunt, in qua Diomedem disparuisse quidam fabulantur, comitesque in aves conversos esse. Eas etiam hac ætate mansuescere, & humanam quodammodo vitam agere, & vivendi ordine, & erga benignos mansuetudine, à malignis autem & sceleratis fuga, & evitatione. De hoc ipso Heroe, cum alia permulta, per Venetos tum soliti vulgantur honores. Creditur & Sipontum ædificium esse Diomedis.* Hactenùs Apulorum agrum ex præfatis Auctoribus descriptum, ac divisum demonstravi, varias civitates, divisionis membra indicavi, & inter alias Canusium vetustissimam allegavi, de qua (cum sit scopi intentionisque meæ argumentum) plura dicenda occurrunt.

CAP. II.

CANUSIUM APULIÆ CIVITAS.

PErfecta ex Ptolomæo, Plinio, & Strabone supracitatis Scriptoribus Canusii civitatis deducenda descriptio. Ejus fundamenta jecit, unà cum Arpi, Diomedes. *Utraque*, inquit Strabo[a], *à Diomedæ conditæ dicuntur.* In Dauniorum Apulorum regione Canusium obtinere situm Ptolomæus affirmat[b]. *Dauniorum*, ait, *Salapia, Sipus, Apeneste, Garganus Mons, Hyrium indè Fiternus, Illorum mediterranea Venusia Cælia, Horum Teanum cognomine Apulum, Luceria, Vidarnum, Arpi, Canusium.* Opportuno sanè loco Ausidi aquis urbem lambentibus, *Ausidus*, Plinii[c] est testimonium, *ex Hyrpinis montibus Canusium præfluens.* Jam Diomedes situm elegerat, jam urbem ædificarat, jam civium copia civitatem formarat: situs opportunitas, loci commodum, & aquarum usus Canusium emporium

[a] *In descript. Apuliæ sub Archiepisc. Bar. in Ital. Sacr.*
[b] *in Geographia.*
[c] *in Hist. Nat. Lib. III. Cap. XI.*
[d] *Lib. VI.*

[a] *Lib. VI.*
[b] *In Geograph.*
[c] *In Hist.*

Digitized by Google

rium fecit. *E. Bario ad amnem Aufidum, ad quem Canusiorum emporium, stadia sunt* CCCC. allegat Strabo [a], jungitque: *ad emporium autem superior navigatio* (en commodum ingens) *Stadiorum* LXXXX. *Haud enim multum à mari duæ Italicarum Urbium* (scribit una de Arpi) *maximæ quondam* (en opportunitas multiplex) *in plano sitæ sunt, sicut documento sunt circuitus earum, Canusium videlicet & Argyrippa, porrò autem Arpi nunc vocata est.*

Canusium ergò Urbs, & emporium non ignobile, dudum ante Romam conditum, inter totius Apuliæ civitates nominatissimum, & præstantissimum extitit. *Canusium* (scribit Abraham Ortelius [b]) κανύσιον. *Apulorum Dauniorum oppidum Ptolomæo ad Aufidum flumium, Plinio, & Pomponio testibus. Item Straboni, ex quo Stephanus,* κανύσιον *est. Nomen Canosa quidam retinere putant.* Idem esse cum Cannarum vico, Romanorum clade nobili, asserit Leander. Cui, quo minus assentiar, faciunt Livius, Strabo, Plinius, & Plutarchus, qui utriusque meminere. Procopius item scribit, *Canusium distare à Cannarum vico* XXV. *stadiis: Circa Bacchettam fuisse aliqui existimant.* Hujus Canusii quoque meminit Philostratus in Herode.

Verba Pomponii Melæ [c] supra citati, sunt: *Extra Sipuntum* (vel, *ut Graji dixere, Sypus*) *& flumen, quod Canusium attingens, Aufidum appellant.* Aufidum, inquam, quem olim, [d] *cruentum ex Cannensi Romanorum clade, aliquamdiu fuisse Florus asserit.*

His accedunt, quæ in Geographia Blaeuwiana [e] de Canusio allegantur. *Ad eundem,* scribit, *Aufidi ripam* XXXV. *Stadia supra cannas, situm est Canusium, vulgò nunc Canosa dictum. Urbem fuisse mœnibus cinctam patet ex Livii XXII. ex quibus etiam manifestum est, in quantum errent illi, qui cannas Canusiumque unum eundemque locum fuisse volunt.*

Nec piget adjungere, quæ Philippus Faber [f] de Canusio profert: *Canusium*, inquit, *Livio Canosa, Urbs Apuliæ Peucetiæ* (errat, Dauniæ dici debet) *apud Aufidum flumen, à Cannis excisis* III. *millibus passuum distans; à Barolo* VIII. *in Austrum, inter Barium ad ortum, & Asculum ad occidentem* XXXV. *mill. pass. circiter dissitum.* Ab hoc enatum derivativum *Canusinus*, de quo Martialis [g]:

Hæc tibi tuxbato Canusina simillima mulso.

Nec ab eo dissentit Horatius: [h]

Verba foris malis Canusini more bilinguis.

Dum hæc scribo, occurrit illud Suetonii de Nerone [a]: *nunquam carrucis*, inquit, *minus M. fecisse iter traditur, soleis mularum argenteis, Canusinatis mulionibus.* Hujus itaque vocabuli *Canusinatis* explicationem trado. *Canusinatum dicimus*, inquit Beroaldus [b], *indutum veste ex lana Canusina confecta, cujus color est, ut Græci dicunt,* ἐρυθρός *ut Latini interpretantur, Rutilus*, Canusinatis ergo mulionibus, est Canusino indumento coopertis. Quaptopter Torrentius [c]: *Jam diximus de mulis carrucariis, ergò & muliones carrucarios intelligo, qui carrucas una cum jumentis regerent. Canusinatos verò, Canusina indutos veste vocat,* (*quæ & ob lanæ Canusinæ nobilitatem, & ob colorem, quem Rutilum fuisse volunt, conspicua*) *lecticarios, ac muliones suos vestiebant.* Canusina lana laudatissima fuit, teste Plinio, circa Canusium Apuliæ. Hinc Martialis [d]:

Ut Canusinatus nostro Syrus asserre sudet:

Flavius memorat birros Canusinos scenicis donatos fuisse, significans vestimenta ex lana Canusina. *Fuit ea lana in summo pretio, ob idque apud Juvenalem, ovem sibi Canusinam emi à marito flagitat sumptuosa mulier*, inquit Sabellicus. [e]

Sed nimis per agrum Canusinum evagatus, ad Canusium revertor [f]. Illud situm obtinuit suum in declivi collis ab utraque parte, nempè ad occidentem, & meridiem: hic erat tota veteris emporii moles, nam civitas tortuosum illic fluminis alveum respiciebat. Altis pluribusque magnificis splendebat ædificiis, quæ vestigia in hodiernum diem demonstrant perinsignia. Testimonium effert Porta Civitatis, olim & etiamnum hodiè Romana vocata, quæ ad milliarium Italicum à recentiore Canusio stat inconcussa, civitatem non claudit, quia undique adstant rudera, sed veterem olim clausam fuisse ostentat. Romana vocabatur, quia civitatem exeuntes Romam ducebat, sed & Roma venientes multiplicata via ex vivo lapide complanata, recipiebat; artificio sanè magno hæc via erecta fuit, &, ut hodie conspicitur, structura quasi tessellata: industria antiquitatem superavit, cum onustis rhedis ac carris per tot secula resistat. Porta ex opere lateritio confecta, sumptuosam Canusii ætatem exhibet. Eidem adstat Portula, qua peditibus Canusii introitus & exitus patebat, utraque ad flumen deflectit. Romam versus admiranda.

Aliæ veteris Canusii undique [g] intuentur, ruinæ, quæ civitatis magnitudinem, extensumque circuitum (hunc ad sedecim imò plura milliaria Italica exploratum esse, ausim dicere) demonstrant. Ex circuitu multitu-

[a] *Lib.* VI.
[b] *In Thesaur. Geograph.*
[c] *in Geograph. Lib.* II.
[d] *Joachim Vadianus in Comm. Pompon. Melæ.*
[e] *in Geographia, vulgo Atlantes vocata, in Descript. Apuliæ. In suo Lexic.*
[g] *Lib.* XIV. *Epig.* 127.
[h] *Lib.* I. *Sermon. Sat.* 10.

[a] *In Nerone.*
[b] *in Comm. in Sueton. loc. cit.*
[c] *In Sueton. loc. cit.*
[d] *Epig.*
[e] *in Suet. loc. cit.*
[f] *Ex relatione accolarum, & inspectione meâ Canusii.*
[g] *Fortes videntur.*

Digitized by Google

titudo, & præstantia ædificiorum, tàm publicorum quam privatorum (quibus civitas erat exornata) dijudicantur. Sed hæc omnia cineribus obruta, ut infrà dicetur, solum superstitem veteris Canusii memoriam ad nostra sæcula transmiserunt.

CAP. III.

CANUSIUM A ROMANIS SUBACTUM.

Et inter fœderata oppida dignè relatum.

SAmnitibus per Q. Fabium Maximum ex parte oppressis, ex parte domitis, Romani Tarentinos bello aggressi sunt [a], *unum quidem fuit titulo, & nomine, sed victoria multiplex. Hoc enim Campanos Apulos, atq; Lucanos, & caput belli Tarentinos, idem totam Italiam, & cum istis omnibus Pyrrhum Clarissimum Græciæ Regem, una veluti ruina pariter involvit, ut eodem tempore & Italiam consummaret, & transmarinos triumphos auspicaretur.*

Apulia itaque inter cæteras regiones Romanis accessit, & Apuli inter alios populos subacti censebantur, nam quod bello deerat; pace suppletum est. *Apuli*, scribit Sigonius [b], *quod extat in Annalibus Livii anno Urbis* CDXXVII. *amicitiam petentes sucepti. Bellum autem post triennium commoverunt L. Sulpicio. Q. Aulio Consulibus. Itaque sequenti anno Q. Fabius Maximus Consul in Apuliam progressus, maximas indè prædas egit: deindè C. Publilius biennio post ad peragrandam Apuliam profectus, aliquot expeditione una populos, aut vi subegit, aut conditionibus in societatem accepit. L. Papirius Cursor collega ejus Luceriam, quam Samnites tenebant, pressit. Biennio post, Teanenses & Canusini populationibus fessi, obsidibus L. Plautio Consuli datis, in deditionem venerunt.*

His accedit Diodorus [c], qui per id tempus regionem omnem Dauniorum Apulorum populatam, & Canusinos in fidem acceptos testatur. *Inclinatis*, ut placet Livio [d], *in Apulia rebus, Teanenses quoque Apuli ad novos Consules C. Junium Bubulcum, Q. Æmilium Barbulam fœdus petitum venerunt. Pacis per omnem Apuliam præstandæ Populo Romano auctores, id audaciter spondendo impetraverunt, ut fœdus daretur, neq; ut æquo tamen fœdere, sed ut in ditione Populi Romani essent. Apulia perdomita (nam Ferento quoque valido oppido Junius potitus erat) ad Lucanos perrectum.* Quibus, quasi Sigilli loco, adjungit Sigonius [e]: *nec de Apuliæ rebus quidquid aliud scriptum invenimus.*

Ab eo tempore Canusium Romanis subditum, Romanam agnovit potestatem. Oppidum primo fuit confœderatum ac sociale, & hoc est, quod Plinius insinuare videtur, quando scribit [a]: *Dauniorum, præter supradicta, Coloniæ Luceria, Venusia, Oppida Canusium, Arpi.* Etenim Luceriam & Venusiam inferioris notæ urbes, coloniæ missæ sunt; Canusium verò, & Arpi, utpote, Strabone teste, emporia insignia, socialis oppidi dignitatem promeruere. Sed hic inquiri posset, quid sit oppidum fœderatum, & quid sub hoc nomine significetur, nam & allæ civitates, sive Coloniæ, sive Municipia, sive Præfecturæ, aliquod cum Romanis, quibus suberant, fœdus contraxerant. Oppidum igitur fœderatum, neque Coloniam, neque Municipium, neque Præfecturam fuisse, describere valeo. Aliquid sanè ex fœdere Populo Romano [b] debebat, aliquid sibi reservabat, nempè libertatem, in cæteris enim oppidum fœderatum liberum erat. Cujus libertatis indicium prodit, quod suam Rempublicam, & leges suas, & suos magistratus habuerit. *Itaque*, inquit Sigonius, [c] *Senatus populique in iis oppidis, ut in liberis civitatibus, memoriam usurpari videmus.* Quod, ne frustrà singula explanare cogar, una Capua, dum erat oppidum fœderatum, & antequam in Præfecturam esset relata, exemplum dabit. *Hannibal*, scribit Livius, [d] *Capuam flectit iter, luxuriantem longa felicitate, atque indulgentia fortunæ, maximè tamen inter corrupta omnia licentia plebis sine modo libertatem exercentis, Senatum, & sibi, & plebi obnoxium Pacuvius Calavius fecerat. Is cum forte eo anno in summo magistratu esset, jam diu infestam Senatui plebem, ratus magnum ausuram facinus, ut si in ea loca Hannibal cum exercitu venisset, trucidato Senatu traderet Capuam Pœnis, cum mallet incolumi, quam eversa Republica dominari, nullam autem esse incolumem orbatam publico consilio crederet, rationem iniit, qua, & Senatum servaret, & obnoxium sibi, ac plebi faceret.* Verba clara patent, ex quibus proindè colligitur, Capuam extitisse Rempublicam, ac in eadem Senatus plebisque consilium, summumque magistratum fuisse dominatum.

Quod de Capua cognoscitur, de cæteris fœderatis oppidis dicendum est, quæ aliàs victa, concessam à Romanis libertatem sibi asserverunt. Talia, ut Capua, fuere Tarentum, & Canusium.

Canusium profectò Reipublicæ dignitate, floruisse decoratum, constat ex marmore C. Octavio Modesto, inscripto, quod infrà explicandum suscipiam.

Qualia autem in fœderatis oppidis olim munia exstiterint, Carolus Sigonius [e] enarrat. Ædilitatem sanè, & Quæsturam ibidem fuisse creatam, Strabo auctor est.

Horum oppidorum numerus frequens fuit, omnes

[a] *Florus lib.* I. *cap.* 18.
[b] *De Antiqu. Jur. Ital. Lib.* I. *Cap.* 13.
[c] *in Histor.*
[d] *in Hist. Lib.* IX. *Cap.* 20.
[e] *Loc. cit.*


[a] *In Hist.*
[b] *Carol. Sigonius de Antiq. Jur. Ital. de Oppid. Fœder.*
[c] *De Antiq. Jur. Ital. Lib.* II. *cap.* 14.
[d] *In Hist. Lib.* XXIII. *cap.* 2.
[e] *De Ant. Jur. Ital. Lib.* II. *cap.* 24.

Digitized by Google

THE NEW YORK
PUBLIC LIBRARY

ASTOR, LENOX AND
TILDEN FOUNDATIONS

Digitized by Google


TAB. I.
Pag. VII
Pag. VIII
DECVRIONES POPVLVSQ.

Imò uberrimus ante bellum Italicum, nam omnes civitates, quæ coloniæ, municipii, aut Præfecturæ nomine non erant insignitæ, oppida fœderata dicebantur, dummodò Romanis subessent. Hoc autem bello magna mutatio inducta, & oppida plura antiquo jure libertatis privata, duriorem coacta sunt sustinere conditionem.

CAP. IV.

CANUSII OPPIDI MUTATIO IN COLONIAM ROMANAM MILITAREM.

ROmana Majestas tam augendæ ditionis, quam conservandæ omni ævo allaboravit. Incrementum sumpsit bello continuo, vicino populo illato, conservationem induxit Coloniarum erectione, & missione. Romanis enim in usu fuisse, allegat Appianus: [a] *nunc hos, nunc illos Italiæ populos subjugando, parte agri mulctare, in eumque Colonias deducere: aut in jam ante condita oppida novos colonos sui generis adscribere*, hæ *coloniæ tanquam præsidia partis bello provinciis imponebantur: in quibus, quantum erat culti agri, dividebatur, quod verò ineultum supererat, ut fermè bellum sequi solet vastitas, quia sub sortem mittere non vacabat, per præconem invitatis assignabant, quibuscumque liberet colere, excepta sibi tributi nomine in singulos annos ex arbustis proventus parte quinta, frugum vero decima. Quin, & gregibus vectigal indictum erat, tàm minoris, quàm majoris pecoris, ita prospiciebatur frequentiæ generis Italici, quod laboris patientissimum est habitum, ne careret domesticis auxiliis*. Ex Appiani verbis elucet erectio Coloniarum in devictis populis fundata, dum illi superati *parte agri mulctarentur*. Inclarescit Coloniarum deductio dum ait: *in eumque Colonias deducere*. Apparet etiam ex ipsis Coloniis Reipublicæ conservatio, dum *Coloniæ tanquam præsidia partis bello provinciis imponerentur*. Ex his etiam ad conservationem accedebat Romanis emolumentum, nunc ex quinta, nunc ex decima parte proventus, quibus & vectigalia pecoris jungebant utilitatem, & hoc modo valida solidaque constabat Romana potentia, & sibi *de domesticis auxiliis* providebat.

Cum igitur aut lege aliqua (quæ agraria dicebatur) à plebe scitum, vel Senatus-Consulto [b] decretum esset Coloniam aliquam, aut in vicinas, aut in longinquas partes deducere; Colonorum [c] numerus in scriptis redigebatur, & comitiis Tributis interdum per Consulem, interdum per Prætorem Urbanum, indè per III. Viros, ac Imperatores, Curatores, qui ipsam Coloniam, ac multitudinem ducerent, sed pro Coloniarum varietate diversi, nunc duo, nunc tres, nunc quinque, nunc septem, nunc decem, imò subindè viginti creabantur, qui proindè ex assumpto numero Duum-Viri, Trium-Viri, Quinque-Viri, Septem-Viri, Decem-Viri, vel Viginti-Viri Coloniæ deducendæ, aut agris dandis, attribuendisve, nominabantur. [a] *Hi postquam creati essent, colonos, qui vel sua sponte nomina dederant, vel sorte exierant, in agros lege definitos, atque in Coloniam sub vexillo quasi exercitum aliquem deducebant. Dux autem deductionis aliquis ex Curatoribus agrariis erat*. Plura verò reperiuntur vexillorum formæ, quæ signa cohortium, à militia nomine mutuato, dici possunt: ne longiore descriptione utar, formam *Tab.* I. *fig.* 1. 2. 3. isto.

Tandem cum Coloni, quasi novi hospites, ad destinatum Coloniæ locum pervenissent, tum Curatores aratro Urbem, & agrum Coloniæ circumscribebant: Varro formam, & etymon tradit, dum scribit: [b] *Oppida, quæ prius erant circumducta aratro, ab orbe urbes: & ideò Coloniæ ut Urbes conduntur, quod intra pomœrium ponuntur*. Hæc de Urbe; de agro sic in Antonium scribit Cicero: [c] *Casilinum Coloniam duxisti, ut vexillum tolleres, & aratrum circumduceres, cujus quidem vomere portam Capuæ perstrinxisti, ut florentis Coloniæ territorium minueretur*. Invehitur quippè in Antonium, quod Casilini agrum ita dilataverit, ut eum usque ad portam Capuæ perduxerit, atque hoc modo Campanum territorium imminuerit.

Usus ducendi aratri, principium habuit in Romulo, quem tauro, & vacca (fertilem generationem indicare volens) junctis, urbi condendæ locum circumaravisse, & designasse Dionysius auctor est. Hinc in antiquis numismatibus ductæ coloniæ signum exhibetur eo modo, ut *Tab.* I. *fig.* 4. representatur.

Circumscriptus ager, ut enarravi, in plures pro Colonorum multitudine partes dividebatur, ac singulis singulæ assignabantur, hinc agri Coloniarum, agri divisi, & assignati, ut notat Frontinus, nominabantur.

Hoc interim divisionis, & assignationis munus, non minimam in se fovebat difficultatem, quam procul dubio generabat Colonorum invidia, quia partem uni subindè assignatam, alter sibi applicatam cupiebat. Invidia odium producebat, quo etiam aliquando ipsi Curatores persequebantur.

Ne autem inanis esset agri Divisio, aut omine infausto procederet ejusdem assignatio, omnia fiebant auspicatò. Hinc ipsis Curatoribus Pullarius dabatur, qui eos ad Coloniæ,

[a] *Lib.* I. *Bellor. Civil.*
[b] *Sigonius, & ex eo Rosinus, de Coloniis.*
[c] *Joan. Rosinus in Ant. Roman. Lib.* 7. *cap.* 47. *ex Cicerone, Appiano, Sigonio & aliis.*

[a] *Hubertus Goltzius in numm. Consular.* I. *folio* 161. *& alibi.* II. *folio* 175. *& alibi.* III. *folio* 213. *& alibi.*
[b] *De Ling. Lat. in. Lib.* IV.
[c] *Cicero in Antonium.*

Digitized by Google

loniæ locum comitaretur, quapropter Cicero in Antonium insurgit, dum ait: *Negavi in eam Coloniam, quæ esset auspicatò deducta, dum esset incolumis, coloniam novam jure deduci.*

His expositis ad Canusium venio, illudq; ex oppido fœderato in Coloniam Romanam fuisse immutatum affero. *Colonias*, ex prædictis, & ex Gellio constat, *fuisse Civitates, ex Civitate Romana quodammodo propagatas*: Oppidum, seu civitatem, ipsum Canusium extitisse, supra ex Plinio, Ptolomæo, & Strabone exposui: Coloniam fuisse eo deductam, infra probabo. [a]

Nec mirandum est, hanc immutationem fuisse inductam *a siquidem omnia Italiæ oppida, præter Colonias, Municipia, & Præfecturas, in fœderatarum Civitatum numerum adscribenda sunt.* Sive, quod idem est, omnia Italiæ oppida, quæ bello sunt subjugata, aut quæ voluntariè in potestatem Populi Romani venerunt, sunt Coloniæ, Municipia, Præfecturæ, aut Civitates fœderatæ. In his, dum Coloniæ, Municipii, aut Præfecturæ jus inducebatur, cessabant nominari civitates fœderatæ, & deinceps Coloniæ, Municipia, aut Præfecturæ dicebantur. Hinc colligitur, oppidum fœderatum facilè in coloniam mutari potuisse. Sed objiciet aliquis, pactum fœdus, à quo fœderatum dicebatur, à Romanis exactè fuisse observatum. Observavere Romani, sed oppida sæpiùs ab eo declinaverunt, vel bello inferendo, vel armis commeatuque hostibus præstandis, vel etiam sese adversariis Populi Romani novo pacto, novoque fœdere sociando. Quid autem Canusium ex his peregerit, cum Pœnorum copiæ, & Hannibal earum Dux, omnem circumquaque Regionem occuparent, & ad Cannas, vicinum Canusio vicum, memorandam Romanis cladem infligerent, hactenus me latet, nec post satis applicatam mentem, studiumque continuum quidquam aliud indagare potui, quam, quod Livius [b] tradit, dum scribit: *ubi primùm in agris pabuli copia fuit, ex hybernis profectus ad Canusium Hannibali occurrit. Sollicitabat ad defectionem Canusinos Pœnus.*

His Polybii [c] scripta jungo: *Hannibal*, inquit, *arcem Cannarum occupat, eo enim Romani, & frumentum, & reliquos commeatus è Canusio convexerant, atque indè necessaria ad usum exercitibus deferebant. Urbs quidem ipsa anno prius solo æquata fuerat, tunc verò belli apparatibus simul cum arce amissis, non mediocriter Romanus exercitus ea re est perturbatus. Non solum enim propter commeatus magnis eo difficultatibus afficiebatur, quod is locus in potestatem hostis venisset, verùm eo etiam nomine, quod vicino tractui* (adeoque Canusio) *arx illa opportunè imminebat.* Substitit in fide Canusium usque ad tempus victoriæ Pœni, nam scribit Terentius Consul, [d] *L. Æmilium Cos. exercitumque cæsum, Canusique se esse reliquias tantæ cladis, velut ex naufragio colligentem.* Quid posteà factum, ignoratur: suspicandum sanè est, Canusium animo viribusque sollicitationi inclinatis, Pœnis adhæsisse, & amicam, ac opportunam manum Hannibali victori præstitisse, eaproptèr Romanæ Gentis indignationem promeruisse, ac in coloniam fuisse redactum.

Sed huius erectio, aut deductio à Paterculo, & Sigonio (posterior priorem insecutus est) reticetur, neque in numero Coloniarum, quæ ab Urbe condita usque ad belli Italici tempora deductæ sunt, Canusium invenitur, hinc ejus coloniæ deductionem ad ulteriorem ætatem, in qua floruere Heroes coloniarum Ductores, referre cogor. Quid enim hac in re L. Sulla, C. Cæsare Dictatoribus, M. Antonio, Lepido, & C. Octaviano III-Viris R. P. C. & ipsomet Imperatore Augusto potuit esse illustrius? Quos omnes, parta civili victoria, inimicorum suorum agros, militibus, per quos vicerant, divisisse litteris proditum est. De Sulla quidem Livius scripsit hoc modo: [a] *L. Sullam civitatis statum ordinasse, exinde colonias deduxisse*, ac posteà jungit [b] *Sullam XLVII. Legiones in agros captos deduxisse, & eos iis* (nempè militibus) *divisisse.* Quas tamen colonias, aut quam multas ille deduxerit, non est memoriæ libriſque, quod sciam, commendatum.

Cæsarem in primo Consulatu, Capuam duxisse coloniam, ex Paterculi verbis dignosci potest, dum tradit: *Cæsarem in Consulatu legem tulisse, ut ager Campanus Plebi divideretur, suasore legis Pompejo, atque civium circiter XX. millia eo esse adscripta.* Plures Dictatorem, & posteà, duxisse, ex scriptoribus, & antiquis documentis, quæ hic prætereo, constat.

M. Antonium aliquot etiam colonias in Consulatu duxisse, probat Sigonius [c] plures in III-Viratu, quæ proindè triumvirales potius nuncupandæ sunt.

Quot autem III-Viri deduxere? illud sanè constat, & apud antiquissimos rerum Romanarum Scriptores compertum est, totum negotium C. Cæsari Octaviano ab Antonio, & Lepido Collegis esse commissum, ut in deducendis coloniis milites emeritos collocaret, quorum præcipuè opera Brutum, & Cassium unà devicerant, unde Suetonius prodit sequentia: *Partitis post Victoriam officiis, cum Antonius Orientem ordinandum, Octavius Veteranos in Italiam reducendos, & municipalibus agris collocandos recepisset, neque possessorum tenuit gratiam, alteris pelli se, alteris non pro spe meritorum tractari, querentibus.* Octodecim per id tempus decretas fuisse colonias, Appianus testatur, sed septem tantum enumerans, reliquas divinationi exposuit: inter septem colonias Venusiam, & Beneventum, Canusio vicinas,

[a] *Carolus Sigonius de Antiq. Jur. Ital. Lib. II. Cap. 24. in fin.*
[b] *Lib. XXII. Cap. 14.*
[c] *Megalopolitan. lib. Hist. III.*
[d] *Livius Lib. XXII. Cap. 56.*

A. V. C. DCLXIII.
[a] *In Epit. Lib. LXXVII. Idem in Epit. Lib. LXXXIX.*
[b] *Cicero. Appianus Dio.*
[c] *De Ant. Jur. Ital. Lib. III. cap. 4.*

Digitized by Google

nas, aliasque Regionis civitates constituit, quid de Canusio factum, suspensum tenuit, Sigonius ut reliquarum coloniarum nomina indicaret, ea ex Frontino mendicari conatus est: hinc suspicionis non veritatis argumentum præfert, cum subjungit[a]: *Hæ sunt XVIII. Coloniæ, quas à III-Viris decretas ab Octaviano deductas libet suspicari, alias quærent alii.* Quibus ultrà præscriptam III-Virum legem, tota ferè ab Octaviano occupata esse Italia dicitur[b]. *Siquidem in eadem Appiani historia scriptum est, objectum esse ab Antonio Cæsari Octaviano, quod cum XVIII. oppida Veteranis assignare debuisset, totam ferè Italiam divisisset, & cum* XVIII. *legiones eò ducere debuisset* XXXIV. *deduxisset.*

Prosequitur Sigonius[c]: *Postremò Colonias etiam alias duodetriginta ab Octaviano, post victum ad Actium Antonium, & præclara Victoria pacem, & Urbi, & Orbi terrarum partam, tum, cum jam Augustus diceretur, invenio.* Confirmationis ergo Suetonii verba adduco[d]: *Ad hunc modum*, inquit, *Urbe, urbanisque rebus administratis Italiam duodetrigiuta Coloniarum numero à se deductarum frequentavit, & ut Romam suffragia mitterent, de Magistratibus Urbicis, statuit.* His sanè incertis, incertitudinis quasi sigillum imprimit Sigonius[e], cum de hisce Coloniis loquitur hoc modo: *Quæ autem hæ Coloniæ XXVIII. fuerint, parum explicata memoria est.*

Ad hæc ergò tempora, & inter has Colonias post bellum Italicum erectas, procul dubio Canusina Colonia referenda est. Post Cannensem cladem Canusium forsan in Coloniam redactum, hoc tempore militaris effecta est, non absimili modo, ut Venusiana Colonia mutationem accepit.

Canusium ergò Colonia fuit militaris, & emeritis, ac Veteranis assignata, quæ tractu temporis in filiis posterisque eorum, Canusinis Colonis, quasi civilis effecta dignoscitur; cum hi plures urbicos Magistratus, tempore incisionis Tabulæ, & ante, ac post (ut infrà dicetur) Romæ elegerint, & obiverint. Imò hoc est, quod ex suprapositis Suetonii[f] verbis colligitur, ut hæ coloniæ *Romam suffragia mitterent, de Magistratibus Urbicis, statuit.*

Canusina proindè Colonia, non jus Latii, sed Quiritium, non jus Latinæ Coloniæ, sed Civium Romanorum, promeruit. *Qui autem jus habet Quiritium, is non plenam civitatem Romanam, sed partem tantum civitatis adeptus est: Jure enim Quiritium quid aliud continetur, nisi jus privatæ libertatis, connubiorum, patrium, jus legitimi dominii, ut hæreditatis, mancipii & nexus, usucapionis & reliquorum, itemque jus testamentorum & tutelarum? Ergò Romanæ Coloniæ fuerunt, quæ jus privatum Civium Romanorum habuerunt, quod his rebus est comprehensum.* Hæc autem jura omnia coloniis Romanis concessa, latinis interdicta, in veteribus monumentis animadvertere licet.

De jure autem suffragiorum (de quo suprà Suetonius scribit[a]) *Magistratuum Romæ petendorum* (quos Magistratus plures ex Tabulæ Decurionibus adepti sunt) *quoniam in hoc propè muta sunt monumenta, facile adducor* (inquit Sigonius) *ut credam nullum Colonis ullis ante Legem Juliam* (seu annum DCLXIII.) *patuisse.* Quod jus cum Canusinis Colonis patuerit, facilè dijudicari poterit, hanc coloniam post Legem Juliam fuisse deductam, & inter XXVIII. ab Augusto erectas esse recensendam.

Sub Imperio Trajani, & Hadriani Principum hæc Colonia magno honore floruit, quod licet pluribus comprobare documentis valeam, unum vetustum marmor sufficiet adduxisse, quo C. Octavius

C. OCTAVIO C. F.
PAL. MODESTO.
AVGVR. II. VIRI. D.[b] QUÆSTORII
PRÆF. FABR. ROMÆ PRÆF.
COH. II. PANNONIORUM PRÆF.
COH. III. ITYREOS TRIB. MIL.
LEG. IIII. SCYTHIC. CVRAT. REI
P. ÆCANOR. ITEM HONORA-
TO. AÐ. CVRAM. KALENDARI
REIP. CANUSINOR. A. DIVO TRA-
JANO. PARTHICO. ET. AB. IMP. HA-
DRIANO AVG. HIC. OPVS. QVA-
DRIGÆ. CVM. EFFIGIE. IMP. HADRI-
ANI. AVG. CITRA. VLLIVS. POSTV-
LATION. CVM. A. MVNICIPIBVS
SVIS. OBLATVM. EX. ARGENTI
LIBRIS ĐXVII. = LIBRIS ∞. AD-
JECTIS AMPLIVS. VIRITIM. PO-
PVLO. ✿. SING. DISTRIBVTIS
DEDICARI. CVRAVIT
P. Đ. D.

Modestus, Trib. Mil. Legionis IIII. à præfatis Cæsaribus exhibetur honoratus ad Curam Kalendarii Reipublicæ Canusinorum, qui etiam ibidem opus quadrigæ, cum effigie Imperatoris Hadriani Augusti, à municipibus suis citrà ullius postulationem, ex argenti Libris quingentis, & septemdecim oblatum, de suo adjectis Librarum quatuor millibus, remunerationis caussa, erigendum curavit. In dedicatione verò viritim, sive singulis de populo, denarium distribuere jussit. Tanti honoris, ac munificentiæ splendorem redivivus lapis suprà descriptus indicat.

Sed & alia plura Marmor docet, imprimis Canusium fuisse Coloniam, partim in verbis: *Reipublicæ Canusinorum*, partim in aliis subjunctis[c]: *Municipibus suis*. Fuisse

a *De Ant. Jur. Ital. Lib.* III. *cap.* 4.
b *ibid.*
c *De Antiq. Jur. Ital. loc. cit.*
d *in Augusto.*
e *ibid.*
f *in Augusto.*
g Lib. II. *cap.* 3. *de Ant. Jur. Ital.*

a *in Augusto.*
b 1. Grut. *pag.* 444. *n.* 5. QUÆST.
Marmor hoc Canusii erutum hodie conservatur Beneventi in ædibus hæredum Aphonsi Majorani. Metellus, Pighius, & Smetius.
c Joan. Rosinus *Ant. Rom. Lib.* IV. *cap.* 3.

Digitized by Google

Coloniam Civium Romanorum, cum jure suffragiorum, & petitionis Magistratuum Urbicorum, constat ex honore, & cura Kalendarii, quod dierum sacrorum, interciso-rum & negotiosorum elenchum indicabat. Primos, Diis sacros, eorumque sacrificia, Epulas, Ludos, & Ferias proponebat. Secundos, Diis & hominibus communes, passim offerebat. Tertios, propter solos homines constitutos, Fastos, & Nefastos significabat, illos in Comitiales, Comperendinos, Statos, & Nundinas, hos in varii temporis, ac rerum, dividebat. Quod Kalendarium Canusini, ut Romam ex jure civium Romanorum, Suffragiorum, ac petitionis munium convenire possent, cognoscere debebant. Apparet etiam fuisse coloniam militarem emeritorum, ac Veteranorum, per C. Octavium Modestum, qui per varias Cohortium Præfecturas ad Tribunatum Militum Legionis IV. ascendit, ac proindè Veterani merita sibi asseruit. Liquet, eumdem Octavium fuisse membrum, seu Colonum Canusinæ Coloniæ, quod *Honoratus ad curam Kalendarii Reipublicæ Canusinorum*; hic, id est Canusii, etexerit opus oblatum à *Municipibus suis*, hoc est, (ut statim patebit) Colonis Canusinis, Collegiis, ac consolidalibus suis. Tandem Canusii Coloniam, Tribui Palatinæ fuisse aggregatam, in eadem fuisse censam, Comitiis Tributis suffragium dedisse, inclarescit ex eo, quod C. Octavius præfatus, ejusdem Tribus exhibeatur Tribulis, his verbis: C. OCTAVIO C. F. PAL. hoc est *Palatina* ex Tuibu, MODESTO. Tritum enim & inveteratum est, antiquos Romanos Tribum, in qua censebantur, nominibus suis adjunxisse.

Ex his tamen nova exoritur quæstio, cur ex verbis: *à Municipibus suis*, non dicatur, Canusium municipium potiùs quam Coloniam, ejusque incolas municipes rectiùs, quam Colonos extitisse? Solutio statim apparebit ei, qui discrimen inter Colonos & municipes cognoscit: ut rectè cognoscatur, utrosque explicatos allego.

Coloni fuerunt, qui ex Civibus Romani aliò ducti, agrum colendum acquirebant. Municipes, qui ex subditis civitatibus, inter Romanos assumpti, muneris quasi capiendi fiebant participes. Priores erant ex familiis Romanis procreati, nomenque conservabant. Posteriores, exteris prosapiis nati, exteris vocabulis gaudebant. Cum verò in lapide suprà posito C. Octavius Modestus inveniatur, qui cum ex Romana familia Octavia (hæc alias C. Octavium Augustum Imperatorem dederat) procreatus esset, & hic incola Canusinus perhibeatur, stabiliendum est, Canusium fuisse ductam Coloniam, ex hac, & aliis Romanis familiis compositam. Confirmatur assertio per Tabulam æream, quæ omnes fermè Decuriones Romanis nominibus Romanarumque familiarum exponit.

Nec obstat vocabulum *Municipibus*, à municipio derivatum, in lapide reperiri, quia liquet, [a] *Municipis vocabulum etiam ante Legem Juliam* (à L. Julio Cæsare A.V.C. DCLIII. ad sedandum Italiæ motum latam, *varié* (Sigonius scribit) *esse acceptum: siquidem & Coloniæ & fœderatæ Civitates municipia dicta sunt*. Hinc enim illud manavit Livii, de bello Punico: *Ipse per Appiæ municipia, quæque propter eam viam sunt, Setiam, Soram, Lavinium præmisit*. Cui jungendum aliud Ciceronis in Epistolis, de Neapoli civitate scribens: *Erat adscriptus in id municipium ante civitatem sociis, & Latinis datam*. Et nihilominus ea tempestate Setia, Sora erant Coloniæ, & Neapolis fœderata civitas.

Ex quibus illustratur, & intelligitur illud Gellii: *Municipes, & Municipia verba sunt dictu facilia, & usu obvia, & neutiquam reperias, qui hæc dicat, quin scire se planè putet, quid dicat. Quotus enim quisque fere nostrum est, qui cum ex Colonia Populi Romani sit, non & se municipem esse; & populares suos municipes esse dicat? quod est à ratione, & à veritate aversum.*

CAP. V.

RESPVBLICA COLONIÆ CANVSII.

OMnis Colonia à Romano deducta imperio, Matris Romæ insequebatur Magistratum. Roma verò plura subsellia venerabatur: hinc etiam nonnullis Coloniæ gaudebant. Romana Respublica Consules suos, tanquam rerum Dominos colebat, Canusina Respublica II. Viros suos in Colonia supremos Ergonarchos, & quasi consulari potestate præditos, extollebat. Senatus à senibus dictus, senili prudentia Populum Romanum Provinciasque subditas gubernabat[b]: Decuriones; à decima parte olim dicti, & consilii publici gratia conscripti, Decuriam seu Coloniæ Senatum efformabant, & Canusium regebant. Ut autem Cæsarum temporibus, ipsi Imperatores erant quodammodo Patroni Romanæ Reipublicæ ejusque augmento invigilabant, nec consularem recusabant dignitatem, sic etiam in Canusina Republica Patroni florebant, qui nunc Clarissimi viri, nunc Equites Romani, ejusdem tam toga, quam sago Protectores, onera Decuriæ non abnuebant.

[c] Romæ Consulares, Prætorii, Ædilicii, Quæstorii, aliique (nam *generis, ætatis, census, ordinis, magistratus ratio habebatur*) in Senatores eligebantur: nec absimili modo Canusii Quinquennalicii, [d] II. Viralicii, Ædilicii, Quæstoricii in Decuriones assumpti sunt[e]. Non defuere Romanis Pedarii Senatores, hinc Canusinis adfuere Pedani Decuriones[f]. Prætextati Romæ subindè Senatores, quapropter & Canusii Prætextati Decu-

[a] *Sigonius de Ant. Jur. Ital.*

[a] *in Hist. Lib.* XXVI. *Cap.* 8.
[b] *Pomponius Mela.*
[c] *Joh. Rosinus lib.* VII. *cap.* 9.
[d] *Patet ex Tabula ærea.*
[e] *Rosin. lib.* VII. *cap.* 5.
[f] *Rosinus ibid.*

Digitized by Google

curiones. Viguere etiam Romæ Allecti in primum ordinem Patriciorum, qui deindè Patrum numero sunt adscripti: floruere Canusii Allecti inter Quinquennalicios, qui posteà Decuriales honores promeruerunt. Quos omnes Canusinæ Reipublicæ magistratus cum altioris sint indaginis, infrà suo loco explicabo.

Ipsa verò Respublica, in Legibus, & Legum Curatoribus fuit posita. Leges, vel à Populo Romano Canusium recepit, vel ipsa sibi per Senatum suum, aut populum condidit.

Legum Curatores, aut Magistratus, aut Sacerdotes fuere, humanarum illi, quos suprà citavi; hi divinarum, quæ potissimum in sacrificiis, aliis populis communibus, consistebant, hic prætermitto. (*Leges autem suas* (scribit Sigonius) *a quæque Colonia habuit præcipuas à Romanis quidem Legibus separatas, sed tamen à Romanis III-Viris datas.* Ut enim Legati à Senatu decreti, Provincias ordinabant, iisque Leges, ac Jura præscribebant, sic Curatores Coloniarum, Coloniis.

Hæc Antiquitatis documenta plures Scriptores testantur, & inter alios Gellius tradit: *Colonias omnes jura institutaque non sui arbitrii, sed Populi Romani habuisse.* Nec ab his Flaccus discedit, dum ait: *Territoria inter Civitates, id est inter Municipia, Colonias, ac Præfecturas, alia fluminibus finiuntur, alia summis montium jugis, ac divergiis aquarum, alia etiam lapidibus positis præsignibus, alia inter binas Colonias limitibus perpetuis diriguntur, de quibus Territoriis, si quando quæstio movetur, respiciuntur Leges civibus datæ, id est Coloniis; Municipiis, ac Præfecturis.*

Aliæ Leges à Decurionibus Canusio concessæ, pro opportunitate temporis, & constitutione rei variæ fuere, & mihi hoc infimo tempore scribenti, nulla superstite memoria, incognitæ.

Illud præterea non prætereundum reor, quod veluti in Senatore Romano, sic in Decurione Colonico legendo, censum esse observatum, quod infrà, cum de Decurionibus agam, illustrabo.

Ex censu Censores in Coloniis extitisse colligitur, nec alio, ad probationem, quam Livii, de bello Hannibalis scribentis, testimonio opus est: *Decretum est*, inquit, *ut census XII. quæ imperium abnuerant, ageretur ex formula ab Romanis Censoribus data. Dari autem placuit eamdem, quam Populo Romano, deferrique Romam ab juratis Censoribus Coloniarum, priusquam magistratu abirent. Sed & Nero & Salinator Romani Censores earundem Coloniarum, quod nunquam antea in usu fuit, deferentibus Coloniarum Censoribus, censum receperunt, ut quantum numero militum, quantum pecunia valerent, in publicis monumentis redigeretur.* Verba dilucida produnt quid in Coloniarum censu peractum fuit.

In Republica Canusii, uti etiam in aliis Coloniis, erat Magistratus habitus singularis, quem Prætextam appellarunt, de qua infrà, cum de Prætextatis agam, plura dabo.

Patronos etiam Coloniarum, & præcipuè Canusii, suo loco variè explanabo.

CAP. VI.

DUUM-VIRI CANUSII ERIGUNT TABULAM ÆREAM, IN QUA NOMINA DECURIONUM INCIDI CURAVERUNT.

CAnusina Colonia tractu temporis non minimum augmentum cœperat, & usque ad Alexandri Augusti annos glorioſum nomen, ac ætatem perduxerat. Plures insignes Colonos tàm domi quàm foris, tàm Canusii quàm Romæ publicis functionibus exhibuerat: functiones colonos condecorarant, & eorum nonnulli exercitis muniis in Viros clarissimos evaserant. Unum tempus multos conservabat, sed labiles anni multorum memoriæ invidebant: ut autem perennarent, M. Antonius Priscus, & L. Annius Secundus Canusii Duum-Viri Quinquennales, (L. MARIO MAXIMO II. & L. ROSCIO ÆLIANO COS. Romanis) studium singulare adhibuerunt, & novo commento rem totam securam reddiderunt, dum edacitati temporis ingentem Laminam æream opposuerunt, ac in Tabulam, (quasi Album) redactam, formarunt. Ut igitur præcipuorum Colonorum sana, & illæsa consisteret memoria, & annos, & sæcula, & tempora superaret.

[a] NOMINA DECURIONUM IN AERE INCIDENDA CURAVERUNT.

Et rectè, nam viri insignes Canusii incolæ, undique perfunctis muniis, nunc majoribus in Urbe Roma, nunc minoribus (attamen primariis) in Colonia, tandem in ordinem seù Senatum Canusii relati, & Decurionis honore, ac insigniis decorati [b], in perpetuum, si non corpore, saltem memoria supereſſe merebantur. Omnes ergò quos hac dignitate functos invenerunt, sub vario, ac multiplici Anterioris Magistratus appellatione, in unum collegerunt; omnes inquam, non in unius temporis functione dignitatis, sed in uno variorum annorum honore magistratus. Quapropter plurium Decurionum multiplicata nomina in eadem Tabula leguntur, qui sub variis titulis semper Decuriones indigitantur: sic *T. Ælius Flavianus*, qui primò (ab inferiori magistratu ad superiorem ascenditur) inter Quinquennalicos Decurio recensetur, posteà inter Patronos Equites Romanos Decurio perhibetur. Pari forma *T. Ælius Rufus* priùs Quinquennalicius, exindè Decurio Patronus Eques Romanus scribitur. Non dissimili modo *P. Esquilius Silvanus*, primum inter

[a] *De Ant. Jur. Ital. Lib. II. Cap. 4.*

[b] *Habetur in Tabula Canusina.*

Pedanos, secundò inter II-Viralicios Decu-A riones exaratur. *T.* etiam *Flavius Crocalianus*, nunc inter Edilicios, nunc inter Equites Romanos Decuriales honores sibi vindicavit. Nec tacendus *T. Ligerius Postuminus*, qui, & ipse multiplicatus Decurio, nimirum Quinquennalicius, & Patronus Eques Romanus declaratur.

Sed his sepotis ipsi M. Antonius Priscus & L. Annius Secundus, qui Auctores Tabulæ cognoscuntur, in ipsa Tabula per modum Actionis, & Passionis reperiuntur con-B stituti. Priori: dum II-Viri Quinquennales nominantur, & in II-Viratu Quinquennali *Nomina Decurionum in ære incidenda curaverunt.* Posteriori: dum seipsos inter Decuriones Quinquennalicios reponendos permiserunt.

Varii ergo temporis, variorumque annorum, unius Decurialis Dignitatis viros Tabula præfert, qui quamvis ex anteriori magistratu (ad inducendum inter illos discrimen) nomen retinuerint, omnes tamen (illo licet superaddito) in Decurionis honorem C dignitatemque concurrunt, & ut tales in ære inciſi leguntur.

Ipsi etiam II-Viri Quinquennales, in præfatis verbis: *In ære incidenda curaverunt*, usitatam quandam formulam observasse videntur, quam ne solam extitisse suspiceris, aliam ipsi sociam superaddo.

[a] Moralis refert, in villa propè Cordubam, notam Hispaniæ civitatem, extare inscriptionem, quam II-Viri C. Cornelius Severus, & M. Septimius Severus in ære inciderunt, & M. Calpurnio Luperco dedicarunt. D Æs inciſum offero, ut eamdem fermè formam percipias.

[b] M. CALPVRNIO. M. F.
GAL. LVPERCO.
AED. II. VIR. PONTIFICI
MANLIA. CN. F.

II. VIRI. C. CORNELIVS. SEVERVS. ET.
M. SEPTIMIVS. SEVERVS. PVBLICE. E
IN. AERE. INCIDERVNT. VALETE.

Eamdem, nudam tamen, hoc est absque inferiori formula, Inscriptionem, in lapide sculptam, Sagunti in Turri juxtà januam secundæ arcis locatam, inveniri Schottus[c] tradidit.

Formula usum probat, plurium penuria rarum facit, raritas prætium auget. F

CAP. VII.

TEMPVS ET ERECTIO TABULAE AEREAE CANVSINAE.

JAm à longo tempore Canusina Colonia in Apulia floruerat, jam undequaque famam nomenque suum sparserat, & Varii Marcelli, (qui mutato nomine M. Aurelius Antoninus ELAGABAL. nuncupatus fuit) Cæsaris ætatem attigerat. Anno itaque V. conditæ DCCCCLXVI.[a] *Maximus, & Ælianus* Romæ Consules exiterunt, & præfati Antonini obitum, & Alexandri Severi ad Imperium successoris evectionem, uno anno maturatuque emensi sunt. His *Consulibus*, habet Cuspinianus[b] *M. Aurelius Antoninus Romæ occiditur tumultu militari, cui successit Alexander Mammææ filius, qui regnavit annis tredecim, sub quo hi Consules fuerunt.* Kalend. Januar. Consules creati, ad VI. Id. Martias Elagabal occisus, reliquum anni tempus sub Alexandro in Magistratu per Consules continuatum.[c]

His interim Consulibus *M. Antonius Priscus, & L. Annius Secundus*, IJ-Viri Quinquennales Canusium gubernarunt, & Tabulam æream, in qua Decurionum nomina fuere inscripta, exexerunt. Tabula fuit, quod antiqui *Tabularum nomine, omne genus Scripturarum appellabant.* Ærea fuit, ad instar earum, in quibus Leges promiscuè scribebantur. *In æs*, inquit Rosinus[d], *sive in æneas Tabulas Lex incidebatur.* Quamobrem prudentes JJ-Viri non minus Legum Conditoribus, quam ipsis Legibus tribuere cupiebant, ut autem has, sic etiam illos in ære perennare volebant.

Tabulam inde Stylo ferreo scriptam, seu æri inciſam, ac nominibus Decurionum honoratam, in loco publico (ut credi potest) exposuerunt, vel saltem ad ærarium in perpetuum conservandam detulerunt, nam[e] *illæ Tabulæ interdum in publico proponebantur, ut oculis civium paterent, interdum verò ad ærarium deferebantur, & ibi conditæ asservabantur.*

Nisi velim afferere, Tabulam Æream Canusinam Civitatis Prætorio fuisse affixam, ejusque muro affixam, non secus quam alia Tabula Ærea Regiensis A. V. C. DCCCCXLII. (Canusinæ proindè fermè coætanea) Silii Juliani, Patroni Fabrum, & Centonariorum Domo fuit appositа, ut ex ipsa Tabula colligi potest, dum legitur: [f] *Petendumque ab eo libenter suscipiat collegii nostri Patronatum honorem, Tabulamque Æream cum inscriptione huius decreti nostri Domo ejus poni censuerunt.* Clarior lucidiorque res omnis apparebit, si totam Regiensis Decreti Tabulam adduxero, ejusque inscriptionem proposuero, hanc igitur vide & lege:

IMP.

[a] *In suis Antiq. Monument.*
[b] *In villa prope Cordubam.*
[c] *In suis Monum. Antiq.*

[a] *Carol. Patin. sub M. Aurel. Anton. in Numism. Imper.*
[b] *In Commentar.*
[c] *Raf. in Antiq. Rom. Lib. IX. Cap. 21.*
[d] *Idem Lib. VIII. Cap. 2.*
[e] *Idem loc. cit.*
[f] *Habetur in sequenti Tabula Ærea.*

Digitized by Google

IMP. CAES. M. AVRELIO ANTONINO. AVG. PIO. FELICE. VI. M. PETRONIO. SEPTIMIANO COS. X. KAL. APRIL. IN. TEMPLO. COLLEG I. FABRVM. ET CENTONARIORVM. REGIENSIVM. QVOD. REFERENTIB. P. SAENIO. MARCELLINO. ET. C. AVFIDIO. DIALOGO. QVAESTORIB. V. F. IV. SILIVM JVLIANVM VIRVM ET VITA ET MODESTIA. ET. INGENITA. VERECVNDIA. ORNATVM ET LIBERALEM. OPORTERE COLLEG I. NOSTRI PATRONVM. COOPTARI. VT. SIT. CETERIS EXEMPLO. IVDIC I. NOSTRI. TESTIMONIVM Q. F. P. D. E. R. I. C. [b] SALVBRI. CONSILIO. TAM. HONESTA. RELATIONE. A. QVAESTORIBVS. ET MAGISTRIS. COLLEG I. NOSTRI. FACTAM. ET. SINGVLI. ET. VNIVERSI. SENTIMVS. ET. IDEO EXCVSANDAM. POTIVS. HONESTO. VIRO. JVLIANO. HVIVS TARDAE. COGITATIONIS. NOSTRAE. NECESSITAT. PETENDVMQVE. AB. EO LIBENTER SVSCIPIAT. COLLEG J. N. PATRONAL. HONOREM. TABVLAMQVE. AEREAM. CVM. INSCRIPTIONE. HVJVS. DECRE. N. DOMO. EIVS. PONI. CENSVERVNT.

Quæ omnia, quamvis multis auctoribus confirmare possem, illis potiùs supersedere quam inutili narratione rem notam probare, statui. Studiosum tamen, & ulterioris notitiæ cupidum ad Paulum Manutium remitto.

Ex his tandem concludere licitum, præfatam Laminam, sive Tabulam æream A. V. C. DCCCCLXXVI. sub consulatu *Maximi & Æliani* (ut ipsa illa exponit) à II. Viris Quinquennalibus fuisse erectam.

Cum autem hic annus duorum Cæsarum Imperio fuerit divisus, dubium occurrit, qua anni parte Tabula primùm patuerit exarata? hac de re quid certi statuere, difficile reputatur; cum verò Elagabal hoc anno tantum tribus, Alexander novem mensibus imperaverit, facilè ad credendum inducor, Tabulam sub Alexandro Augusto fuisse erectam.

Ex quibus ultimò deducitur Tabulæ Canusinæ antiquitas, quæ juxta computum meum ad mille quadringentos viginti quinque annos ascendit: nam annus Urbis conditæ DCCCCLXXVI. [a] incidit in annum CCLV. post Christi nativitatem, (is enim natus perhibetur anno Urb. Cond. DCCLI.) quos annos CCLV. si ex M. DC. LXXX. dempseris, rectum computum invenies.

[a] *Fuit hic Imp. M. Ælius Aurelius D. M. Antonini F. Commodus Antoninus. Hæc Tabula Ærea Regii inventa. Ex Pancirola.*

[b] *Sensus litterarum, Q. F. P. D. E. R. I. C. hic est: Quod fieri placuit, de ea re ita censuerunt.*

CAP. VIII.

MATERIA TABVLÆ CANVSINÆ.

EX nunc Materiam Tabulæ indicavi, dum eam æream dixi. Ærea est, sed cujus æris? Tres æris species ponit Plinius. [b] *Æs coronatum*, *Æs regulare* sive *ductile*, *Æs Caldarium*. Æs Ephiretum, Æs Corinthium jungunt alii. Si epitheta spectò: solidum, grave, canorum, durum, crepitans, splendidumque æs invenitur. Quæ igitur materia Tabulæ? ex quo ære composita? non ex *Ære coronato* (quod Germanis *Moss.*, sive *Messing*, Gallis *Laiton*, Hispanis *Arambre*, sive *Laton*, Italis *Latone* dicitur) Tabula conflata dignoscitur. Illud enim, sepositò flavo colore, quem exhibet, cadmia tinctum fundi quidem potest, non autem extenuari in laminas, seu lamellas, ob suam friabilitatem. Non etiam ex *Ære regulari*, sive *ductili* (Germanis *Ertz*, Gallis *Bronze*, Hispanis *Bronze*, Italis *Bronzo*) quia & illud flavo-viridante quodam colore insigne, nullam rubedinem præfert; & quamvis ductile, laminæ tamen grandioris impatiens invenitur. Æs etiam *Caldarium*, (quod Germani *Kupffer*, Galli *Cuivre*, Hispani *Cobre*, Itali *Rame* nuncupant) solum substantiam Tabulæ non contribuit. Non nigredinem *Æs Ephiretum*, non auri venas *Æs Corinthium* Tabulæ attulere. Quænam tandem materia dicenda? cognoscitur illa mixti æris ex Cupro nempè sive ære Caldario, & Ære regulari sive ductili, composita. Primùm, quod rubescat, alterum, quod subflavescat, apparent. Rubescentis, sanguineæ maculæ, quæ plures in Tabula extant conspicuæ, ex antiquitate in ære generatæ ipsum æs mirum in modum nobilitant. Subflavescentis indicia in fuliginosa claritate, quæ Tabulam ipsam passim adumbrat, reverentur. Teneritudo æris ductilis Laminam formavit, durities Caldarii ipsam conservavit. Hinc fusam fuisse Laminam extremi limbi conclamant, asperè exindè laboratam micans planicies ostendit. Non ignobili interim vividaque passim fuget viriditate; sic utrumque Æs, & Rubiginem, & Eruginem in præstantissima vivacitate ex quadam exhalatione naturæ (quæ ab Italis *Patina* vocatur) contractam, expressit, & quasi spoliis de sepulchro relatis intumescit exornatum.

Superaddo, Tabulam ex ære solidam esse, & gravis ponderis, canoram etiam, &. ex mixtura metalli præstantissimi soni, quem passim

[a] *A. Ch. 1680. Tabula Canusina antiqua annorum 1425.*

[b] *In Hist.*

Digitized by Google

passim æs simplex, quasi inani cupiditate, frustra, persequitur. Cui etiam duritia, & ex ipsa duritia splendor accedit.

Hic habes Tabulæ Canusinæ materiam illustratam, ejusque circumstantias, pro temporis præscripti mihi brevitate, explanatas.

Jungo æs olim, magni nominis habitum fuisse metallum, illudque non solum Tabularum erectioni, statuarum moli, sed & familiari hominum commercio inserviviſſe: hinc Isidorus Hispanienſis, scribit: [a] *Antiquissimi, nondum auro argentoque invento, ære utebantur, nam prius ærea pecunia in usu hominum fuit, post argentea, deinde aurea subsecuta, sed ab ea, qua cœpit, nomen retinuit: unde & Ærarium dictum, quia prius tantum æs in usu fuit, & ipsum solum recondebatur.*

In ære vultus Imperatorum [b], non solum nascente, sed etiam florente Republica, imprimebantur, non solum apud Romanos, sed etiam apud Græcos mos iste invaluerat, rationem non inconcinnam M. Aurelius Cassiodorus adducit [c]: *ut imago Principis subjectos videretur pascere per commercium.*

Quid de Tabula nostra dicam? ærea conspicitur, in ære consistit, in ære Procerum, ac Decurionum non vultus, sed nomina incisa refulgent. Liceat mihi edicere cum Cassiodoro: *ut subditos viderentur pascere per commercium, per aspectum, per venerationem*, nam quotiescumque expositam æream Tabulam intuerentur, hinc Procerum dignitatibus, ac honoribus stimularentur ad imitationem, illinc Majorum titulis, & insigniis pascerentur ad gloriam.

CAP. IX.

FORMA, ALTITVDO, ET LATITVDO TABVLÆ CANVSINÆ.

Forma Tabulæ fermè quadrangularis est, acuminatis angulis ad normam reductis olim fuit conspicua, nunc tamen duo inferiores sublati, edacitati temporis cessere in spoliâ. His verò Tabula spoliata de longissimo quasi antiquitatis prælio redux, mutilata quidem pedibus, integro tamen sanoque corpore venustior, ac glorioſior evasit. Dexter angulus à superiori perpendiculo ad extremitatem declinando, duobus cum dimidio fermè digitis, duobus verò diametraliter procedendo, imminutus conspicitur. Damnum hic nullum sensit, imò contra Serrata imminutio vetustatem propalat. Angulus sinister, si diametrum insequor, quinque digitis, si perpendiculum, sex cum dimidio, quasi per medium circulum excavatus, consistit, & dentatis suis acuminibus Barbarorum rabiem superavit, ac totum Tabulæ corpus conservavit.

Superior pars Tabulæ ab Anguli dexteri extremitate, diametraliter progrediendo, ad longitudinem unius fermè *Pedis* Romani, exiguam fissuram, quæ vix digitum cum dimidio attingit, passa est: disjunctam reunire quis posset, si antiquitati injuriam inferre vellet.

Profundum Tabulæ si inquiris, tactu spissa est, & ad tertiam partem digiti plus minusve exsurgit.

Ad Altitudinem venio, hæc ad quadraginta omnino digitos ascendit, eos tamen non excedit.

Latitudo ejus triginta sex digitos comprehendit, hinc quatuor altior, quam lata mensuratur.

Ut omnium æqua mensura sumi possit, Pedem Romanum [a], quem antiqui lapides subministrarunt, cum digitis tam rotundis, quam quadratis, eorumque dimidietate, ac triente hic apposui. Vide *Tab.* I. *fig.* 5.

Etenim pudebat me, in his antiquis quidquam metiri, nisi Romano more, & Romana mensura. Cum enim Laminam Canusinam Tabulis, marmoribus, lapidibus, aliisque vetustatis monumentis illustrare conor, decebat, ut pristina forma Æs Canusinum ad Matris-Romæ mensuram adducerem, ut vel sic antiqua antiquis probari valerent testimoniis, ac documentis.

Planum intereà Laminæ sese sistit examinandum. Illud duplex est: Adversum, & aversum. Adversum, quod, cum fusum esset, molæ applicatum fuit: hac rudè fricatum, exindè limæ, & planulæ subjectum, quatenus, quod reliquum erat, levigarent, & polirent, ut illud tandem nitorem indueret. Planities ergò perfecta efformata scribentis stylum ferreum susceptit, & se incidi passa est.

Aversum planum, rudiori modo ex fusione persistit impolitum. Quod olim muro (ut conjici potest) fuerit impositum, certa quædam adhuc indicia demonstrant.

Lamina tandem, eam, quam descripsi in altitudine, & latitudine, obtinet magnitudinem. Maximam eam dixi, quod majorem non viderim, imò majorem ea ætate eaque mixtura fieri potuisse, planè dubito. Plures per Europam Tabulas æreas ex Antiquitate superstites vidi, & admiratus sum, Canusinæ tamen nullam æqualem.

CAP. X.

SCRIPTVRA, SEV INCISIO TABVLÆ ÆREÆ.

Scripturam stylo ferreo in ære exaratum, cum incisione hìc confundo, nam illæ coincidere in Tabula videntur, sit quod velit, unum pro alio sumo. Tabulam igitur æream planam offero, istius, quam anteà de-


[a] *Lib.* VI. *Etymolog. cap.* 17.
[b] *Aristoteles Lib.* VI. *Politic.*
[c] *Lib.* VI. *Epistol.* 7.

[a] *Hunc Pedem Romanum cum digitis, tam rotundis, quam quadratis subministrat Janus Gruterus in Antiq. Inscript. Fol.* 664.

Digitized by Google

descripsi, Formæ & Magnitudinis. Hanc per omnem rectam, qua patet, partem incisis nominibus repletam intueor, charactere quidem Romano, sed non istius puritatis, qua Consulum tempore Respublica utebatur.

Rudior parumper scriptura, quia Colonis indulgendum, cum negligentiorem formam adhiberent. Ne longiores moras traham explicando, Alphabetum ex litteris collectum, legentium oculis expono.



Hoc posito fundamento, enuncio ipsam Tabulæ Scripturam, primò Consules Romanos, deindè II. Viros Quinquennales, tertiò Decurionum ordinem complecti. Hic in novem classes discriminatur. *Primum* adsunt Decuriones *Patroni* C. C. V. V. Clarissimi viri, numero XXXI. quos inter unus abrasus, ipsum numerum imminuit. Leguntur Secundò *Decuriones Patroni* EE. QQ. RR. Equites Romani VIII. succedunt Tertiò Decuriones *Quinquennalicii* VII. Quartò IV. Decuriones *Allecti inter Quinquennalicios* inveniuntur. Hos Quintò excipiunt XXIX. Decuriones II. *Viralicii*. Quibus Sextò sociantur Decuriones *Ædilicii* numero XIX. *Quæstoricii* Decuriones. Septimò numerantur IX. Et his accedunt Octavò, Decuriones *Pedani* XXXII. Quos tandem Nonò claudunt Decuriones *Prætextati* XXV. Quos omnes hic in Tabula incisos indico, infrà incisos explicabo.

Ordinem novo ordine resumo, & ad Consules redeo: hos alibi fastidioso commento, quandoquidem sub istis (quibus in Tabula leguntur) scriptis nominibus, in Romanorum Fastorum Scriptoribus non reperiantur, illustrabo.

Interim admoneor hic, ipsis appositam abbreviaturam COS. explicare. Contrà Tabulam allegarunt viri eruditi, & auctoritate pollentes, has contractas litteras in Superiori ac puriori Romanæ Reipublicæ sæculo, non Consules, sed Consulem significasse; adeòque in Tabula Canusina inventas, ipsam Tabulam ab illa ætate segregasse, & ad inferiora tempora, sæculumque infimum declinasse. His viris doctis (pace ipsorum fecero) objicio Janum Gruterum, qui in sua Litterarum abbreviatarum Interpretatione scribit hoc modo: COS. & CONSS. *Consules*. Huic accedit Hubertus Goltzius qui in Dictionum scriptarum explicatione ponit: COS. & COSS. *Consules* CONS., & *aliquando* CONSS. *Consules*. Sed istis præteritis Tabulam æneam in Hispaniis inventam, & olim apud Antonium Augustinum Archiepiscopum Terraconensem conservatam intueor, in qua C. Vettius Attius, & C. Asinius Prætextatus Romani Consules A.V.C. DCCCCVXIV. adeòque solum octodecim annis post erectionem Tabulæ nostræ, hoc modo COS. Consules, indigitantur,

C. VETTIO. ATTICO. ET.
C. ASINIO. PRÆTEXTATO. COS.
PR. IDVS. APRIL. [a]

Sed quid posteriora Tabulæ Canusinæ adduco, anteriora inquirenda sunt tempora, in quibus tot lapidum occurrunt exempla, ut eorum mole obrui videar. Omnia sepono, & ex omnibus unum adduco, in quo Consules sub Imperio Hadriani Cæsaris scribuntur, ut in Tabula Canusina, hoc modo, COS. Lapidem vides, qui partem Tabulæ marmoreæ quatuor pedum magnitudinis format; reliqua pars Tabulæ, Romæ in Campo Martio, in ædibus Cecchinorum, conspicitur.

LEJVS DIOCLES. AGITATOR. FACTIONIS. RVSSATAE. ONE. HISPANVS. LUSITANVS. ANNORVM. XXXXII. MENS. VII. D. XXIII. MVM. AGITAVIT. IN FACTIONE. LAB. ACILIO. AVIOLA. ET. CORELLIO. PANSA. COS. M. VICIT. IN FACTIONE. EADEM. N. b. ACILIO. GLABRIONE. C. BELLICIO. TORQVATO. COS. RIMUM. AGITAVIT. IN. FACTIONE. PRASINA. TORQUATO. ASPRENATE. II. ET. ANNIO. LIBONE. COS. PRIMUM. VICIT. E RUSSATA. LAENATE. PONTIANO. ET ANNIO. RUFINO COS. [b]

Hæc etiam formâ abbreviata, Consules scribendi, in Tabula sequenti sæpius apparet exarata.

Quapropter sublata prima difficultate Scriptionis Consularis, alteram illicò opposuere, ex contractis litteris C. C. V. V. quibus *Clarissimi Viri* leguntur, deductam. Neque hanc Titulorum speciem Alexandri Severi Principis ætati Consonam, sed Gallieni Augusti longè retroacto Successorum Imperio coætaneam fuisse contenderunt. Hanc ego contentionem & contradictionem, quia profundioris est examinis, infra ad Patronorum (quibus annexa videbatur) explicationem retuli, ubi eam Studiosus Lector decisam inveniet.

Tertiò in Scriptura apparent abrasa, & expuncta prænomen, nomen, & cognomen De-

[a] Grut. p. cccc xliii. N. 6. *Olim apud Antoninm Augustinum Archiepisc. Terraconens. Ex Vrsino, & Lipsio.*

[b] Grut. p. ccc. xxxvii. A. V. C. 874. A. V. C. 876. A. V. C. 880. A. V. C. 883.

Digitized by Google

Decurionis Patroni, C. V. quem fuisse indigitatum C. HERONIUM MAGNUM suspicor [a]. Expunctionis autem caussam indagare hoc opus, hic labor est. Non aliam fuisse arbitror quam delicti, quod cum in Decurione puniretur, ejus nomen ac memoria ex consortio aliorum expungenda videbantur. Justitiæ verò cum esset satisfactum, delinquentis nomen subindè fuit restitutum, sed cum hoc addito, *Restitutus*. Sic una Tabula marmorea Romæ apud SS. Apostolos, parieti Palatii Colonniorum inclusa, sub *Cæsare T. Ælio Hadriano Antonino Aug.* & *Ælio Aurelio Cæsare* COS. erecta, tres lituras, seu nominum expunctiones demonstrat, & L. Helvium Sulpicium, *Restitutum* (qui procul dubio prius erat expunctus) insinuat. Ratio restitutionis forsan fuerit, quod ipse, (sicuti in fine secundæ columnæ declaratur) unà cum Aulo Egrilio Fausto, testamento reliquerit Ordini Corporatorum, in lapide espresso, H-s. IIII. M. N. hoc est *Sestertium quatuor millia nummum*. sub ea conditione, ut ex usuris S. S. S. V. KAL. DEC. id est *Suprascriptæ summæ. V. Kalendas Decuriones*, omnibus annis epulentur: & quamvis ibi solum L. Helvius *Restitutus* nuncupetur, in quinta columna ipsius cognomen, Sulpicius, apparet, ibidemque, ob restitutionem *Restitutus* (additamento cognominis) vocatur. Ut autem tantæ rei superstit memoria, totam Tabulam (*quæ e regione exhibetur*) In testimonium hic adduxi.

Constat itaque ex hoc marmore, Tabulis inscripta nomina aliquando fuisse sublata ob res magni momenti, caussasque non vulgares, ut ex ære Canusino & apposita Tabula colligitur, & aliquando apparuisse restituta.

Interpellandus etiam videor, ut hoc signum ❧, quod in inferiori parte Laminæ ad majorem rupturam reperitur incisum (hoc enim ad Scripturam pertinere creditur) explicandum suspiciam. Video illud formam cordis exprimere, sed cor absque corpore apparet. Fragmentum quod deest, ut reor, hominem sustulit, illud enim prout credi potest Canusii-Scribæ nomen continebat, quod ad confirmationem Superioris Decreti, animirum: *In ære incidenda curæverunt*, procul dubio appositum fuit, ut vel sic, ex Scribæ publici (qui subscribere solebant, ut infrà [a] patet) nomine, decretum factum, & ex præscripto, promulgatum dignosceretur. Moris autem fuit Suscripto nomini signum (quod à Scriptione manus, manuale dictum) apponere: quod sanè fuit Signum, seu figura cordis in Tabula apparens. Nec refert illud ante nomen (temporis usus erat) fuisse locatum: quod enim hac ætate nomen sequitur, superiori nomen præcedebat. Plura similia signa in antiquis auctoribus inveniri possunt. Scacet Ciaconius, Trithemius, Opmerus, Panvinius, aliique plures, qui proindè desuper consuli poterunt.

Tandem ut Tabulæ Canusinæ Scripturam expediam, aliquid de scripturæ forma dicendum. Video illam concinno modo, ac venusta dispositione fuisse ordinatam, & indè executioni mandatam. Illa nimirum primum prænomina, secundò nomina, tertiò cognomina exhibet incisa, ex quibus octo in Tabula columnæ formantur, sed illæ octo ad quatuor ordines redigendæ sunt, nam in lectione duæ columnæ combinandæ, ut in prima legatur prænomen & nomen, in secunda cognomen hoc modo:

APP. CLAVDIV	S	VLIANV	S	[b]
T. LORENIV	S	CELSV	S	
M. AEDINIV	S	IVLIANV	S	
L. DIDIV	S	MARINV	S	

Qui modus ex paritate rationis in cæteris procedit, sic ergo ulterius columnæ tertia & quarta, quinta & sexta, septima & octava invicem erunt jungendæ, & ex combinatione quatuor Classes seu ordines Decurionum, ut jam dixi, efformandi.

In Tabula quoque singularis dispositio ultimarum litterarum nominum & cognominum, quæ passim in S. (pauca in O. R. X.) finiunt, uno recto perpendiculari filo concinnata, consideranda & æstimanda venit.

Hanc dispositionem litterarum olim in usu fuisse probat fragmentum lapidis, quod extat Romæ, ad Templum S. Ludovici, quondam Galliæ Regis, in ædibus privatis.

[a] *Colligitur ex eminentibus litterarum puncturis seu apicibus.*

[a] *Pag. 29. in Lapide.*
[b] Extra Gruterum.

Digitized by Google

IMP. CÆSARE. T. ÆLIO. PIO. P. P. III. M.
ORDO. CORPORATOR. QUI. PECUL.

PATRONI

T. PRIFERNIUS SEX FIL. PAETUS. ROSIANUS GEMINUS.

M. STLACCIUS. ALBINUS.

TREBELLIVS. SALVSTIVS. RUFUS.

M. SEDATIUS. C. FIL. SEVERIANUS.

T. PRIFERNIVS. T. F. PAETVS ROSIANUS. GEMINUS

M. SEDATIUS. M. FIL.

SEVERVS. JVLIVS. REGINVS

C. ALLIUS C. F. FUSCIANUS.

T. STATILIUS. T. F. TAURUS.

TI. ATERIUS. SATURNINUS

C. PANTULEJUS GRAPTIACUS

C. ALLIUS. C. F. FUSCUS.

QUINQ. PERPET.

C. SOSSIUS. BENEDICTUS.

QUINQUENN.

A. EGRILIUS. AUGUSTAL. QUINQUENNALIC.

P. SULPICIUS. HERA.

L. NAEVIUS. SÆCULAR.

QUINTILIUS. COS.

QUINQUENN.

A. EGRILIUS. FAUSTUS.

SILVANO. ET. AUGVRN

Q. Q. COS

T. FISEVIUS. NICEPHOR.

L. NÆVIUS. PROCULUS.

L. ÆLIANO. ET. PASTORE

Q. Q. COS.

T. FISEVIUS PRISCIAN.

CLARO.ET.CETHEGO.COS.

Q. Q.

M. MAGIUS. MARSUS

MAXIMO.ET.ORFITO. COS.

Q. Q.

L. HELVIUS. RESTITUTUS.

A. EGRILIUS FAUSTUS

TESTAMENTO. RELI fic

QVNT. H. S. IIII. M. N. SVB

EA. CONDICIONE. UTI. EX. USURIS. S. S. S. V. KAL. DEC. OMNIBUS. ANNIS.

EPVLENTVR.

P. CINCIVS. APELL

L. NÆVIVS SYRIAC

****

T. FISEVIVS FELIX.

P. CÆTENNIUS EPAPHRO

L. MVNATIVS TROPH

A. EGRILIVS SVCCESS

A. EGRILIUS ZORA

A. ATINIVS PROCVL

A. EGRILIVS FAVSTV

A. EGRILIVS HILARU

M. APULEJUS COMITIAN

D. PUBLICIUS MARTIAI

A. EGRILIVS EVTYCH

A. EGRILIVS VRBAN

L. NÆVIVS PROCVL

Q. KANINIVS CRISP

L. NÆVIVS FORTVNAT

L. BELLENIVS GEMIN

P. ENNIVS VITALI

C. RAMMIVS JVSTV

C. SOSSIVS HERM

P. CINCIVS APELLES

P. POSTVMIVS EPAPHRO

M. MAGIVS MARS

C. KANINIVS DIVIN

L. NÆVIVS ZOSIMIAN

A. EGRILIVS JVSTVS

A. EGRILIUS. MERCUR

T. ARRANIVS FELI

T. FVSEJVS NICEPH

IAN.
TVS.
NVS.
IXS.
NVS.
IVS.
TVS.
MVS.
RIO.
CVS.
HVS.
(-)
IIVS.
LIVS
RIVS
MES
TOR
NVS
M ES
SSVS
TVS
NVS
TVS
ION.
ENS
TOR
ATVS
RIVS
ANVS
ETVS
INVS
ION.
ATVS
ARIS
JAN:
IANVS
IACVS
NINVS
ARVS.
RIVS.
MPVS
RIPPA.
LVFVS

FERENT
STVS.
TVS.

Digitized by Google

Digitized by Google

AB ÆLIO AP
RANTIBUS AURELIIS RU
ELICITER. ORDO. SACER
DOMUS. AUG. PALAT.
M. AVRELIVS. RVFINVS
M. AVRELIVS. PALLADIVS
M. AVRELIVS. ANVBION. VE

ITEM CLARISS. VIRI

C. JVLIVS. DOMITIVS. HONORATV S.
C. VETTIUS. AQUILINV S.
ATTIVS. RVFINU S.
PONTIVS RABELLIANV S.
VITRASIVS. POLI O.
AMINN. SABINIANV S.
SEPTIM. ANTIPATE R.
PONTIVS. VERV S.
ANNEJUS. RAV S.
PETRONIVS. SEVERV S.
VETTIVS. SCIPIO. ORFITV S.
CORNELIUS. ARCHELAUS
ANTISTIVS. ZOILVS
AELIVS. SAOTERVS
AEMILIVS. FRONTINIANVS

Grut. p. CCCII. N. 2.

ITEM. X. PRIMI.
.M. AVREL. RVFINVS
.M. AVREL. PALLADIVS
.M. GRANIVS. VITALIO. EQ
.M. AVR. MAXIMVS. AVGG.
.A. AEGR. EVNV
.D. FOL. L. CHRYSOGONV
.C. TREB. AVGVSTALIS. V. E. D.
.M. JVN. SELEVCVS. V. E. D. I.
.M. AVR. PRAEPELAVS. V.
.M. AVR. THEODORVS. V.

ITEM. ORDO
.TI. CL. ABASCANTV
.T. AEL. AGATOPV.
.AVR. TVL. EVPREPE
.AVR. PETR. SOSTRATVS
.A. CÆDIC. PRISCIANVS. E.
.JUL. MARCIVS. CELERINVS.
.MINDIVS. COMMODIANVS
.M. AVR. ANTONIVS. E.
.AVR. NVM. ELEVTHER. E.
.M. AVR. BRAHITO, AVG.
.AVR. CYRILL. [a] EPAEFRODIT. [a] Grut.
.AVR. CALL. MARO.
.L. RVCCON. MAXIMIANV
.Q. OSTOR. VALERIV
.CALPVRN. EVNVS. E.
.M. AVR. VICTORIV
.P. NON. SABINIANVS. AVG.
.FL. VALENTINIANVS.

Ex fragmenti pluribus nominibus constat, illud Tabulæ Canusinæ, si non, vetustius, saltem extitisse coætaneum.

Non absimile fragmentum Lamina nostra 30. ad minimum annis antiquius, extat Romæ in solido lapide, qui Basis figuram demonstrat, exaratum, & M. Aurelio Antonino Augusto, quem Caracallam dixere, inscriptum, ut tempus appareat, anteriorem marmoris partem producere cogor, quæ hoc modo incisa conspicitur.

IMP. CÆSARI. M. AURELIO ANTONINO. AUG. Grut. p. CCLXVIII. N. 1.

IMP. CAES. L. SEPTIMI. SEVERI. PII.
PERTINACIS. AVG. ARABICI. ADIABEN.
PARTHICI. MAXIMI P. P. FILIO.

COLL. FABR. TIGNARIOR.

Hic habes ætatem mormoreæ Basis: qua cognita, protinus ad Basis latera pergo. Dexterum & sinistrum nominibus repleta video. Dexterum hanc exhibebat dispositionem.

Eee Ser-

[a] *Romæ olim conservabatur in Horto Secretioris Vimæ Cardinalis Carpensis.*

SERVILIV	S	ZEN							Grut.p.cclxviii. Num.i.
C. JULIUS	C.	FIL.	ARN.	SATVRNIN.					
C. APULEJV	S	P. F.	PHILVMENV	S	CORNELIV	S	JVL.		
MONNIENIV	S	PRISCV		S	MVNATIV	S	EPICTETV	S	IND. xxx.
JULIU	S	CHRYSI		O	METELLIV	S	VENIANV	S	IND. vi.
ANNAEV	S	PHILETV		S	LVRIV	S	MARTIALI	S	IND. xiix.
		HONORATI			AELIV	S	CRESCEN	S	IND. xv.
NIMISIV	S	PRIMITIVU		S	CÆCILIV	S	FELICISSIM		IND. xlix.
MARCIV	S	EVTYCHV		S	CLAVDIV	S	FELICISSIM		IND. xxv.
BETVEDIU	S	EVARISTV		S	JULIU	S	EVTYCHE	S	IND. xxi.
VALERIV	S	JVNIANV		S	VRINATIV	S	CALISTIANV	S	IND. xx.
RVERIV	S	THESEV		S	AELIV	S	AVCTV	S	IND. xxxi.
VALERIV	S	VALERIANU		S	CLAVDIV	S	ERASINV	S	IND. xiv.
JULIU	S	PRIMITIVU		S	MINDIV	S	SVESSIANV	S	IND. xvi.
FABRICIV	S	PERVSINV		S	FAENNIV	S	HELIC	O	IND. xlv.
VALERIV	S	ACHILLEV		S	JVLIV	S	EVTYCHE	S	IND. xxx.
PACVVIV	S	MARTIALI		S	NOVIV	S	HERME	S	IND. Lv.
VOLVSIV	S	PHILVMENV		S	CLAVDIV	S	CARPIO	N	IND. xxvi.
CLAVDIV	S	FILINV		S	POMPONIV	S	PAPIANV	S	IND. xxxii.
SERVILIV	S	ADJVTO		R	THORANIV	S	HONORATV	S	IND. iii.
MARSENIV	S	SABINIANV		S	GELLIV	S	SECVNDI	N	IND. xlvi.
CEJONIOV	S	JULIANV		S					
VLPIV	S	CELSIANV		S					

Sinistrum vero latus hanc Regulam tenet, in qua ultra formam, perpendendum occurrit appositum Scribæ vocabulum, ex quo proindè elucet, has similesque Tabulas à Scribis fuisse subscriptas, & nomine, ac cognomine confirmatas, quod in Canusina appareret, si ejusdem sublatum fragmentum unius, vel plurium Scribarum indicia, densæ obscuritati non involvisset. Cum veritas non dignoscatur, suspicioni locum reliquit.

Grut.p.cc.xviii.N.i.				. . . xxxiiii.
NONIV	S	. . . .		. . . lix.
GORNELIV	S	CAR. . .		. . . xli.
HOENIV	S	XENOPHON		IND. Lix.
AELIV	S	SFORTVNATVS		IND, xiv.
CASTRI	C	PROCULU	S	IND. xxii.
COELIV	S	TELESPHO	R	IND. ii.
FABIV	S	LEONA	S	IND. xxv.
VETTIU	S	GERMAN		IND. xlii.
RUTILIU	S	VICTO	R	IND. xxvi.
MARCIU	S	EUTYCHE	S	IND. xxxiv.
SULPICIU	S	JULIANU	S	IND. i.
CLAVDIV	S	FILINU	S	IND. xvii.
MARSE	N	ADJUTO	R	IND. xxxiix.
AELIU	S	MARCIA	N	IND, Liii.
CORNELIU	S	PROEVIU	R	IND. xix.
AURELIU	S	EUTYCHE	S	IND. xi.
CAISUVIU	S	FORTUNATUS		IND. iv.

				ND. v.
IVS				IND. xii.
CINTASIV	S			IND. xiii.
DICITIV	S	POMPEJU	S	IND. xxii.
LOLLIV	S	VICTV	S	IND. xxxv.
NVMISIV	S	PHILIPPV	S	IND. Liv.
APULEJU	S	CERD	O	IND. Lv.
AVRELIV	S	EVFEMV	S	IND. vii.
ASVETIV	S	FELICIS	S	IND. viiii.
CURTIU	S	FELIX	S	IND. xxiix.
NUMEI	R	FELIX	S	IND. Liii.
MARCIV	S	SOZOME	N	IND. xxxvii.
MAELIU	S	EPAPHRODIT		IND. Lvii.
AVRELIV	S	PARTHENIVS		IND. i.
C. JUL. C.	F	EXPEDITU	S	IND. xlxii.
JULIU	S	SECUNDU	S	IND. xiii.
FONTEJU	S	PRETIOSU	S	IND. Liii.
	SCRIBAE			
VALERIU	S	SEB. .	.	
VALERIU	S	RARICU	S	
TUCEJU	S	HERME	S	
MONNIENIU	S	TUDIENU	S	3.Grut.
MARSENU	S	CASIU	S	Caisuius
MUSTIU	S			

Ex tribus adductis fragmentis Canusinæ Tabulæ forma inclarescit, ejusdemque dispositio nominum agnoscitur fermè æqualis, Unum deesse comperio prænominum, nempè adjunctio, quæ in primo abrasa, in duobus aliis videtur omissa. Alia proindè Tabula est inquirenda; nec mora, adest alia, quæ omnia prænomina, nomina, & cognomina, eodem fermè ordine enumerat: Hujus fragmentum, (reliqua deficiunt) extat Patavii in ædibus Contarinorum, qui novem olim Serenissimæ Venetæ Reipublicæ Duces dederunt, & hodiè decimum, Aluisium nomine, magno splendore conservant.

Marmor hoc Canusinæ Tabulæ ex similitudine nominum, & cognominum, quæ præfert, contemporale videtur. Hinc Tabula Tabulam firmat.

M.AT-

[a] *Romæ ibidem Smetius.*
[b] *Romæ ibidem. Smetius.*

Digitized by Google

Grut. p. CXXVIII. N. 1.

M. ATTILIUS. RUFINU S
SEX. SALVIUS. SENILIU S
C. AUTRONIUS. MAXIMU S
L. TITULEJUS. FELI X
P. VALERIUS. FESTU S
M. JULIUS. MAXUMINU S
C. JULIUS. VERU S
L. VALERIUS. VERECUNDU S
CANIA. LAJU S
L. CALVIUS. CLEMEN S
T. MINICIUS. VITALI S
M. FUBLICIUS. HISTE R
M. SOLETIUS. OPTATU S
C. LOLLIUS. CONSTAN S
M. TAMINIUS. PUDEN S
C. JULIUS. RIPANU S
Q. VALERIUS FIRMU S
C. DOMITIUS. VICTO R
M. SEXTILIVS. MAXIMV S
Q. VALERIVS. CAPIT O
L. DOMITIVS. PROBV S
C. JVLIVS. PHILETV S
L. CANINIVS SVPE R
M. VALERIVS. SECVNDV S
M. HERENNIVS. CAPIT O
C. VALERIVS. GRÆCV S
Q. RABILIVS. MANSVETV S
M. CÆCILIVS. RVFV S
C. AQVILIVS. PHILETV S
L. NÆVIVS. PROCVLV S
L. CASTRICIVS. OMVNCI O
L. GAVILIVS. RVFV S
C. VERATIVS. PRIMV S
C. SALVSTIVS. AMANDV S
M. MVLVIVS COMODV S
L. LOREJVS. EXORATV S
P. LOREJVS. PROCVLV S
L. SACIDIVS. THALLV S
P. VALLIVS. SVCCESSV S
L. CLAUDIUS. CASSIANV S

Q.
A.
L
M
T
L
Q.
Q
C
P
VALLIA. LATIA
L. VALLIUS. LUCANU S
Q. JULIUS. PECULIA
L. VALERIVS. SILVANV S
Q. CEJONIVS. PRIMU S
T. FLAVIVS SEVERU. S
Q. METIVS. SECVNDV S
Q. TAPPIVS. SATVRNINV S
C. ATTILIVS. PACATV S
L. SENTIVS. MAXIMV S
L. PETILIVS. PVDEN S
L. ANINIVS PUDEN S
L. PULLENIVS. SECVNDV S
L. PONTIVS MODERATV S
Q. VMBRICIVS. SEVERV S
L. SPVRIVS. VALEN S
C. VALERIVS. TAVRINV S

His omnibus Scripturæ, inciſioni, & ordini Tabulæ abundè ſatisfactum reor, quapropter ad alia propero explicanda.

CAP. XI.

POPULATIO CANUSII, ET AMISSIO TABULAE.

IAm fuimus Troes, de exciſa Troja deploranda voce canit Poeta: Jam fuimus Canuſini, intonare poſſent Canuſii incolæ, & antiquæ populatæ civitatis ſtatum deplorare. Canuſium fuit, & amplius non extat: Canuſium fuit, & quod fuerit, ſola memoria celebratur; Canuſium fuit, & quod fuerit, ingentia ruinarum rudera demonſtrant. Canuſium ſanè fuit, & præſtantiſſima Civitas, ac inter Italicas urbes maxima, Strabone teſte, jacet deſolata [a]. Sed undè, & quando tantæ ruinæ? Variam & multiplicem Canuſium ſuſtinuit fortunam. Urbs maxima, emporium famoſum, facilè advenarum Gentium iram rabiemque in ſe contraxit, illic erant divitiæ, & ubi divitiæ (irritamenta malorum) non deſunt contentiones; contentiones invidias; invidiæ odia; odia bella parturiunt. Apulia fertiliſſima Regio, ſæpius pugnæ Theatrum, & Canuſium orcheſtra fuit, ſed orcheſtra indè violata, hoſtibus in ſedem, & una in prædam ceſſit.

Romani primum Regionem explorantes, accolas illatis damnis fatigati ſunt, [a] *Canuſini populationibus feſſi, obſidibus L. Plautio Conſuli datis in deditionem venerunt.* Parumper per id tempus ſplendori detractum eſt: & quamvis civitas Romanis fœderata conſiſteret, pactus fœdum Hannibali inimicum, magnæ ſtragis cauſſam dedit. Romano ſolidata imperio, dum Roma ſubſtitit, intrepida ſemper permanſit, attamen, cum ſubdita fuit, aliquam imminutionem paſſa eſt; hinc eam Strabo ſuo tempore deletam aſſerit [b]. *Vixit* autem *Strabo ſub id tempus, quo JESUS Chriſtus noſtræ ſalutis reparandæ cauſ-*

a *Sigonius de Antiq. Jur. Ital. Lib. 1. Cap. 3. ex Livio.*

sa in terris dignatus est degere . [a] Deletam affirmare nequeo, sed à pristino decore aliquo modo declinatam reor.

In Coloniam redacta floruit sub Cæsaribus, & anno V. Cond. DCCCCLXXVI. hoc est, Anno Christi 255. plures viros insignes aluit, & ut Ærea Tabula præfert, conservavit. Igitur posterior ætas Canusinæ populationis inquirenda. Barbarorum in Italiam irruptio civitati cladem intulit: ea non una sola, sed varia fuit [b]. Genscricus Vandalorum, & Herulorum in Africa Rex, ab Eudoxia II. Theodosii II. Imperatoris filia, post Valentiniani III. Augusti mariti obitum, in Italiam evocatus, cum ingenti exercitu Campaniam, & Apuliam devastavit, civitates diripuit, & ruinis involvit.

Canusium Barbarorum rabiem sensit, & omnium ruinam sustinuit, nam quod unius furori defuit, alterius supplevit; donec tandem Totilas Gothorum Rex [c], *dirutis Neapolis mœnibus*, quod reliquum fuit, cruore & populatione consumeret: Is enim Buceliano teste, [d] *Beneventum Neapolimque occupat, Apulia & Calabria potitur*, omnesque civitates vastat.

Nec satis: ex tot ruinis deplorandus Italiæ Status nullatenus Narsetem, *odio metuque exagitatum* [e], movit, quominus aliam Gentem Barbaram, Longobardam nuncupatam, è Pannonia accerseret. Hujus Gentis Rex Ill. Flavius Antharis, sive Antarius nominatus, simulata religione, [f] *Istriam, Etruriam, Beneventum, Apuliam, & Calabriam, sibi subiecit, & tanta strages de Francorum exercitu* (nam illos in auxilium, ac fœdus accedere jusserat) *facta est, quanta nusquam alibi memoratur*.

Hæc accidere Gregorii Magni Pontificis ætate, qui proindè miserandam Canusii Civitatis faciem intuens, calamitatemque expendens, Felici Episcopo Sipontino, Ecclesiam desolatam commendans, sequentem Epistolam exaravit:

Gregorius Magnus Felici Episcopo Sipontino Canosinam Ecclesiam commendat [g].
Pervenit ad nos, quod Canusina Ecclesia ita sit Sacerdotii Officio destituta, ut nec pœnitentia ibidem decedentibus, nec baptisma præstari possit infantibus. Hujus igitur tam piæ rei tamque necessariæ mole permoti jubemus dilectioni tuæ, ut hujus præceptionis auctoritate commonitus, memoratæ Ecclesiæ Visitator accedas, & vel duos parochiales Presbyteros debeas ordinare, quos tamen dignos ad tale officium, veneratione vitæ, & morum gravitate, prævideris, & quibus in nullo obvient constituta Canonicæ disciplinæ, ut Sanctæ, cum digna cautela, provideatur Ecclesiæ.

Hactenus Canusium magnæ desolationi involutum, & Sacerdotio spoliatum exhibui, superest ut undique dirutum, ac funditùs excisum demonstrem. Currebat annus post Christum natum 800. quo Petrus Longobardus Ecclesiæ Canusinæ, fuit præfectus Episcopus, [a] *fuitque primus Canusinæ Sedis Archiepiscopus, ad enim dignitatem sublimatus anno 818. paulò post Canusinæ Civitatis à Saracenis captæ excidium propriis vidit oculis*.

His adjungit Ughellus in vita Angelarii, secundi, & ultimi Canusini Archiepiscopi, scribens de anno 845. quo ad Barensem Metropolitanam fuit promotus. [b] *Diruta tunc erat ex Saracenorum incursione Canusina Civitas, & præter Cathedralem, sanctorumque Episcoporum Sabini, Ruphini, & Nemoris pretiosa corpora, omnia ruderibus, & squallore obruta jacebant*.

Hæc est illa ruina & desolatio, quam S. Sabinus Canusinus Episcopus (anno 514. electus, & anno 566. mortuus) in vita prædixit. De Sabino enarrat Ughellus: [c] *Inter hæc illis ventura hoc modo prophetavit*. Eumque hoc sermone loquentem inducit: *Ego, inquiens, cum de corporis ergastulo, exiens Domino gregem, quem mihi ad pascendum tradidit, commendo. A Luporum scio vos post funeris mei tempora graviter dentibus lacerandos, nam gentium invasione Italia non paucis temporum curriculis premetur: ita ut rura absque agricolis ob gentium terrorem relicta videantur. Qua causa membrorum meorum tumbam incognitam relinquo. Diuturno etiam tempore absque adminiculo pastorum Ecclesia inculta retinebitur: nullus clangor laudantium, sive canentium sonora in ea voce audietur. Relicta ab hominibus loca hæc tantummodo bestiæ tenebunt*.

Quæ omnia ex ordine evenere: Lupi etim rapaces aliqui Longobardorum Reges ecclesiasticis proventibus nimium inhiantes extitere: variarum Barbararum gentium invasione misera Italia non uno tempore agitata, sæpiùs succubuit: & tandem Apuliam totam [d] (transeo Siciliam Insulam, Calabriam, aliaque ejusdem Climatis loca) Saraceni ab Euphemio genere Græco, viro militia, & nobilitate insigni, sub Imperio Michaelis Balbi, & Theophili Imperatorum, ex Africa vocati devastarunt, & Canusium everterunt, interea Canusina Ecclesia adminiculo pastorum inculta jacuit; ipsamque civitatem (ut posteà evenit, & adhuc videtur) tantummodo bestiæ tenuere.

In tanta Canusii populatione ubinam Ærea Tabula remanst? conservari illa non potuit, dum civitas spoliata muris, ipsas domus

[a] *Guiliel. Xylander in vita, & præfat. ad Strabon.*
[b] *Henninges in Vita Genserica Ann. Christ.* 459.
[c] *Procop. Goth. Hist. Lib.* III.
[d] *Gabr. Bucelin. in Nucleo Ann.* 543.
[e] *Paul. Diacon. Lib.* II. *C.* 5. *Valerian. Castilione in Com. in Thesaur. Reg. ex Paul. Diacon. Lib.* III. *cap.* 30.
[f] *Epist.* 51. *Lib.* I.

[a] *Ferdinandus Ughellus in Italia Sacr. in descript. Apuliæ, & præfatione ad Ecclesiam Metrop. Barensem.*
[b] *Idem Ughellus in Vita Angelarii Archiep. Barens.*
[c] *Ughellus in Vita S. Sabini Archiep. inter Barens.*
[d] *Henninges in Familiis, qui Siciliam, Neapolim, Apuliam, & Calabriam tenuerunt.*

Digitized by Google

mus Saracenis hostibus in spolia cessit: dum orbata præsidio amicorum; insidias inimicorum sustinere coacta est. Cecidere domus, cecidere ædificia, cecidit & ipsa Tabula, ac ruinis tecta, per tot sæcula in sinu terræ latuit admiranda; de terra venerat, & iterum sub terram reversa est: sed eò gloriosior reversa, quod igne solidata, de matre Terra triumphans, in pulverem resolvi nequiverit.

Ad Canusium depopulatum revertor: video ibidem matricem Ecclesiam Barbarorum, ac Saracenorum rabiem effugisse, & Petræ suæ constantia perstitisse. Video plures inferiores Ecclesias ruinis sepultas, & demolitionibus obrutas, video inter illas duas super antiqua fundamenta innovatas, quibus indè monasteria extra muros novi Canusii adjuncta sunt, à Fratribus Montis Carmeli, & S. Francisci Minoribus Conventualibus inhabitata: Video tandem veteris septa (ubi olim ingentia *Palatia*, & sumptuosæ extabant fabricæ) aratro nunc obedire. Sic omnia ad Principium redeunt: aratrum quondam ad Canusii Coloniam adductum, nunc Canusium ad aratrum reductum. Post inductum aratrum, olim in Colonia nummi figurabantur, nunc per aratrum percussi nummi effodiuntur: Quæ proindè veteres Canusini in ædibus cæra tenebant, recentiores Canusii incolæ de terra eruta, rara conservant, sic spolia antiquitatis, cedunt in prætia novitati.

CAP. XII.

DESCRIPTIO HODIERNAE CONSTITUTIONIS CANUSII.

CAnusii veteris ruinas illustravi; nunc recentioris Canusii statum dabo. Ruinæ, quæ undique videntur, magnitudinem, celebremque præstantissimæ Civitatis molem ostentant, & novam circumstant. *In plano* olim *sitam*, Strabo tradidit [a], *sicut documento est ejusdem circuitus*, nunc in Colle nova reposita, non illius ut antiqua extensionis, sed ad medium milliare Italicum dimensionis. Colli, hoc est veteris Canusii ruinis, quæ collem formarunt, imposita cernitur. Collis agnoscitur, dum novæ ædes struuntur, dum novæ veteribus solidantur. Collis agnoscitur, dum venerandæ Antiquitatis plurima subministrat munimenta.

Civitas trecentas forsan ædes habet, quas undique murus cingit, hæc quamvis aliquando locupletes, agrorumque possessionibus opulentos, in sinu suo conservarit, nihilominus hac ætate miseranda jacet. Arcem habet, & situ loci, & structuræ industria non inconcinnam, veteris castri vestigiis nobilitatem: cui si ars, & expensæ accederent, in munitissimum fortalitium adversus quoscumque potentis exercitus insultus evadere posset. Magnam fabricæ molem continet, quam quidam, supremi Principis familiæ sufficere, autumant.

Nullam in ea civitate Ecclesiam, nisi Sacellum quoddam invenies. Triginta aut plures presbyteros numerabis, qui omnes clerum formant, & Matrici-Ecclesiæ, extra muros positæ, inserviunt.

Cives habet non contemnendos, qui communitatis nomine gaudent, ac Judici & duodecim ad regimen civitatis politicum Deputatis subsunt. His omnibus præest Vrbis Prætor in Civili, & Criminali causa, qui Gentis more Doctorali laurea insignitus, Gubernator appellatur.

Fuit olim Canusina Civitas, amandatis Ethnicorum moribus, & religione, fidei Catholicæ fervens æmulatrix. S. Sabinum inter alios audivit, & Episcopum habuit, omnes reliquos alibi dabo. Ecclesiam habet in antiquæ civitatis ambitu sitam, nunc hodiernæ muris imminentem. In Vrbis plano olim posita fuit, nunc quasi subterranea videtur, etenim ædium ruinæ terram undique elevarunt, hinc ex altiori loco per decem, aut duodecim gradus ad Ecclesiam descenditur. Sub ipsa Ecclesia, secretiori recondito loco, Sacellum S. Sabino inscriptum invenitur: hic S. Episcopi corpus, ut ipse statuerat, *membrorum meorum tumbam incognitam relinquo*, tumulatum fuit. Quod quamvis sæpius tentatum erui, nunquam Vespillones, voti compotes, (ut constans est traditio) fuere effecti, studium quidem adhibuere, sed vel subitanea morte oppressi, vel immani fulgure, aut horrida tempestate perculsi, inane studium reddidere, sic a labore cessatum, & S. Corpori quies relicta.

Ecclesia itaque, vastata urbe tota, stat inconcussa, marmoribus scatet, & veteri cultu splendet. Duplici Regali tumba, ut rumor est, exornatur, quæ introeunti per portam principem ad latus dexterum in Sacello, reliquo Ecclesiæ Corpori juncto, conspicitur. Vna, Manfredi Regis Arca, opere erecta magnifico, varioque ditata marmore, in aerem elevatur. Altera, alterius Regis (ut creditur) in eodem loco priori contigua, sed inferiori parumper ornata insignita consistit.

Matricis Ecclesiæ titulo honorata, olim Cathedralis fuit Episcoporum tempore, quorum nomenclaturam ex vetustis munimentis hic adjungo [b]: *Primum, de quo extet memoria, Stercoreum fuisse ex Antonio Beatillo* tradit Vghellus, qui *Sardicensi Concilio interfuit anno* 347. *Post hunc Probum in Oriente Apostolicæ Sedis Legatum, ad Leonem Imperatorem, à Simplicio Papa missum anno* 462. *Sanctum Ruphinum anno* 501. *S. Memorem in Concilio Romano sub Symmacho Papa* 502. *clarum S. Sabinum electum anno* 514. *defunctum vero die* 9. *Februarii anno* 566. *cujus vitam idem Antonius Beatillus scripsit. Marcum, Julium, Stephanum, Palumbum, Ursum, Trans-*

[a] *Lib.* 6.

[b] *Ughellus in Vita S. Sabini sub Archiep. Barens.*

[b] *in Ital. Sacr. sub Archiepisc. Barens. ex ex Anton. Beatillo.*

Digitized by Google

Transmundum, *Rodecautum*, *Bursum*, *Maurentianum*, *Andream*, *Averaldum*, *Ludiperium*, *Petrum Longobardum*, *Grimaldi Salernitani Principis affinem*, *electum anno* 800. Hic fuit creatus anno 818. primus Canusinæ sedis Archiepiscopus, sed paulò post diruta per Saracenos Civitate [a], *Salernum fugit*; *anno* 834. *Salernitanus evasit Episcopus*, *ibidemque diem suum obiit anno* 844. *Angelarius successit Petro anno* 834. *qui post decem annos factus est Barensis Archiepiscopus anno* 845. *Tunc Canusina dignitas Barium translata est*, *& unita*; *qui primus Barensis*, *& Canusinus dictus est Archi-præsul*, & in vita Angelarii [b], *qui deinceps ex perpetua utrarumque Ecclesiarum unione in successores transiit usque in hodiernum diem.*

Deficiente ergò Canusino Episcopo, Cathedralis Ecclesia suprema Pontificia auctoritate in collegiatam insignem Præposito, & Canonicorum Capitulo decoratam, imò à Romana immediatè dependentem, immutata fuit. Hinc Barensis cum Canusinæ Sedis assumit dignitatem, clandestinè, & invitis Canusinis sumit possessionem, titulo quidem gaudet, & quibusdam exiguis proventibus, nullam tamen jurisdictionem exercere præsumit. *Habet* tamen *Barensis* (ut opinatur Ughellus) [c] *Melfacti*, *Canusii*, *Tirlitii*, *& Rutiliani caussarum appellationem Apostolicæ Sedis auctoritate concessam.*

Jungo tandem Ecclesias à S. Sabino Canusii exstructas: *pulchro siquidem opere in Canusina Civitate* (inquit de S. Sabino Ughellus) [d] *in honorem Beatorum Cosmæ*, *& Damiani Martyrum Basilicam exstruxit*, *eandemque diversis coloribus*, *ac musivo decoravit*, *nec non*, *& ad honorem B. Joannis Baptistæ*, *ac præcursoris Domini nostri JESU-Christi*, *excelso culmine Cameram juxta Ecclesiam Beatissimæ semper Virginis Dei Genitricis Mariæ condidit. Sed & ante Ecclesiam prædicti Præcursoris*, *Domino Salvatori templum magno decore instituit.* Quæ omnia hodierno tempore antiquata, immutata, aut exstirpata templa videntur.

Controversiam autem de S. Sabini corpore inter Canusinos, & inter Barenses animosè agitatam, indecisam relinquo; utrique sacrum corpus habere contendunt, Canusinorum fundamenta supra dedi, Barensium argumenta ex Ughello [e] petenda sunt.

CAP. XIII.

INVENTIO TABULAE AEREAE.

REs mira contigit: Canusinus ager (Canusio in Coloniam redacto) aratro fuit circumscriptus. Hoc moris erat, & in omnibus passim coloniis observabatur, quapropter dicam, coloniam in aratro, utpotè agrum colendo, fuisse radicatam, hinc aratrum, seu ductio aratri, ut signum expressivum coloniam effigurabat. Decuriones in Colonia, ut Senatores Romæ, Senatum componebant, per quem proindè, utpotè potiorem partem Coloniæ, ipsa Colonia indicabatur, ut plerumque occurrit in antiquis marmoribus hoc modo: *Decuriones Coloniæ. Ordo* seu Senatus *Decurionum* hoc vel hoc *fieri*, *erigi mandavit*, *curavit*. Omnes Decuriones Canusii in una Lamina ærea II-Virum mandato incisi, uno tempore per reconditam Tabulam fuere deperditi. Ut Novi Decuriones crearentur, aut Veteres innovarentur, aratro denuò opus erat. Agri-colonus, Agricola, seu Villicus aratrum terræ admovit, & ecce Laminam æream Anno 1675. mense Novembri, in terra offendit, & per tot tantosque Laminæ incisos Decuriones, non solum Ordinem, sed ipsam Coloniam, jam ab annis quatuor resuscitavit, ac redivivam exhibuit. Aratro igitur Canusii Colonia fundata, aratro innovata fuit.

Inventionis locus ad milliare Italicum ab ipsa Matrice Ecclesia intrà circuitum Veteris Canusii, sed extrà muros Hodierni habetur. Situs adhuc ruderibus cinctus, magnæ desolatæ Fabricæ, Prætori forsan, aut Ærarii demonstrat antiquitatem. Hic Tabulam (uti reperta) credendum est, fuisse expositam. De loco satis, nunc ad ipsam Tabulam venio.

Illa terræ pondere gravis, terræ quasi conglutinata videbatur: magnæ molis erat, aut terram removere, aut Tabulam à terra separare: illa relicta, hæc tandem vi avulsa, & in massam redacta, informem machinam præ se ferebat, quæ interim sub viridi penetrata ærugine, seu reconditi æris exhalatione splendebat. Exteriora in agro Rusticus amovit, & ad machinæ penetralia venit, quæ cum incurvo ligone nudaret, æream Laminam detexit, & quasi Thesaurum in agro inventum, veneratus est. Æs quidem agnovit, quid esset, quid valeret, quid significaret, penetrare nesciens, protinus Canusii Baronem, Octavium Affaitati, Dominum suum (de quo alibi) metallo terraque onustus accessit. Hic agricolæ fidam operam expertus, larga remuneratione ditavit, pro ære argentum reposuit, nudumque nova, ac decora veste, pro more rustico, circumdedit, & dimisit. [a]

Lamina novum hospitium nacta, Dominum quidem agnovit, sed squallore operta incognita permansit, donec undique purgata, magna diligentia mundata, & ardenti lixivio lavata, veterem faciem innovavit, quæ illicò venustate sua omnium adstantium oculos cordaque corripuit, ac flagrantem in Laminam Ardorem affectumque singularem excitavit.

Dominus veterem, sed ex vetustate pulchriorem Virginem adeptus, in Cimeliarchium suum reposuit, & conservavit.

CAP.

[a] *Ughellus ibid.*
[b] *ibid. in Vita Angelarii.*
[c] *In Archiepisc. Barens.*
[d] *Ibid. In Vita S. Sabini Episc.*
[e] *In Italia Sacrà sub Arch. Barensib. in Vit. Angelarii, & Heliæ Archiep.*

[a] *Accepi hæc omnia a D. Francisco Chrysolito Presb., qui vidit, & adfuit.*

Digitized by Google

CAP. XIV.

VARIA MUTATIO DOMINII CANUSII, ET TRANSLATIO TABULÆ CANUSINÆ.

Rerum Dominia, tradit Jurisconsultus, *non possunt esse incerta*, hinc, & Canusium Dominum suum agnoscere debuit: antiquitùs quidem à Diomede erectum, civitas, & emporium cum fuerit, suum sibi Dominium tenuit, & libertatem cum nativitate genitam ea tempestate conservavit, Romanis indè subditum, Romani Imperii paruit potestati, illis fœdere sociatum; & posteà in Coloniam redactum sub Cæsaribus floruit. Cadente Imperio Barbaris Vandalis, & Gothis obedire nesciens, eorum furorem sæpiùs attraxit. Aliquando ad Longobardos [a] pervenit. Pipinus Caroli Magni filius Apuliam, cæteramque vicinam Regionem exindè subjugavit, & communem cum Græcis tenuit. Circa annum 834. Saracenorum rabiem sentire cœpit, & usque ad annum 914. experta est. Non solum Apuliæ civitates eorundem expilationibus obedivere, sed ipsum Canusium multitudine oppressum, à multitudine dirutum, & funditùs eversum fuit. Ex ruderum mole novum Canusium posteà erectum, & veteris Dominium restitutum.

Expulsis Mauris primò per Ungaros, indè per Sclavos, ultimò per Ottonem II. Imperatorem, Regio Apulorum nunc Græcos, nunc Romanos, nunc privatos Dominos agnovit.

Donec tandem Tancredus Normannus Apuliam omnemque adjacentem terram Græcis, ac Longobardis, [b] per se posterosque suos paulatim eripuit. Quapropter Drago Tancredi filius *Successit fratri Gotfrido in regimine titulo Comitis II. Anno* 1039. *mense Februario, & primo impetu penè pulsus à Mele Imperatoris copiarum Ductore: at Drogo instaurato exercitu, Græcis altero prælio victis, provinciam mordicùs recuperat, qua recepta Umfredum fratrem in parte Apuliæ ad continendos in fide Apulos, & Robertum Guiscardum fratrem in Calabria contra Cosentinos præficit. Verum dum Dominii ampliationi nimis studet, & Apuliæ Urbes munit, Longobardorum, & Apulorum insidiis ad Montolium oppidum à Visone Apulo proditione occiditur. A. Ch.* 1050. 3. *Non. Augusti.*

Interim Leo IX. Pontifex Maximus ex sua auctoritate Normannis, quæcumque tum temporis, in Italia obtinerent, liberè possidere permisit.

Anno 1060. Robertus Guiscardus [c] præfatus *primus ex Normannis se Apuliæ, & Calabriæ Ducem appellavit. Nec longè post, omnem Apuliam, Calabriam, Lucaniam, & magnam Siciliæ partem subegit; & omnium primus, proditione, quam tenebat, homagium Nicolao II. Pontifici fecit, eique fidelitatis solenne præstitit juramentum, a quo per vexillum confirmatus est.*

Bohemundus, Roberti filius primogenitus, Princeps Tarentinus, videns se à fratre Rogerio, cognomento Bosso, in Apuliæ, Calabriæ, & Italiæ rebus defraudatum, ipsi bellum intulit, sed victus ad Beneventum, Tarento, & Apuliæ [a] parte contentum sese tenere debuit, recruduit tamen exindè bellum. *Obiit verò anno* 1108. *ætatis tempore in Apulia.* Hunc esse (facilè crederem) qui sepulchralem tubam, de qua anteà scripti, juxta Manfredi Regis Sepulchrum in Canusina Ecclesia adeptus est.

Sic Apulia, sic Canusium, Normannos Dominos habuit, & apud Rogerium, Rogerii Bossi filium, ejusque posteros, Siciliæ creatos Reges permansit, donec in Constantia, Rogerii, & ultima Gentis filia deficeret.

Constantia Monialis penè quinquagenaria Cælestini III. Pontificis facultate, per Gualtherium Panormi Archiepiscopum, de monasterio educta, Henrico VI. Imperatori, Sueviæ Duci, in connubium data, Apuliam, & Canusium cum ipso Regno ad Suevos transtulit. Quæ omnia, apud illos perstitere usque ab obitum Manfredi Nothi, Siciliæ Regis, (Canusii sepulti) vel paulò post, usque ad Capitale Supplicium Conradini Regis.

Dehinc ad Comites Andegavenses, utriusque Siciliæ Reges, Canusii Dominium translatum est. Stetit apud eos usque ad Joannam II. Neapolis Reginam, quæ inconstantia ducta, nunc Alphonsum Arragoniæ Regem, nunc Ludovicum Andium Ducem, ad filialem adoptionis conditionem evocatos, inter utriusque posteros bellorum seminarium exstruxit. Arragonii tandem superiores, Canusio præfuere. His etiam per Ferdinandum Catholicum, Hispaniæ Regem, exstirpatis, Neapolis Regnum, & cum eo Canusium Hispanis accessit.

A quibus, per Joannam Ferdinandi filiam, Philippo I. Archiduci Austriæ, & Hispaniæ, vel saltem Castellæ Regi, sociatam, ad Austriacos transiit. De Philippo ad Carolum V. Cæsarem, de Carolo ad Philippum II. Hispaniarum, & Indiarum Regem, pervenit.

Philippus Rex, ut erat magnanimus, varias Neapolis Regni ditiones Principibus viris, & de se bene-meritis in feuda concessit.

Hos inter Nicolaus Grimaldus [b] *Vir dives, & virtutibus plurimis ornatus*; enumeratur, cui Salerni Principatum pluresque in Apulia ditiones (quas inter Canulina recensetur) donavit. Hujus etiam filius Augustinus, Dux Eboli in Campania constitutus fuit. Sic Canulii Dominium, cum aliis in Regno ditionibus Grimaldis advenit, & apud

[a] *Abb. Briemville in suis Histor. Regni Neap.*
[b] *Henninges in Geneal. Normannor. Comit. Duc. & Reg. qui Apuliam, & Calabriam tenuere.*
[c] *ibidem in Vit. Roberti.*

[a] *ibidem in Vit. Bohemundi.*
[b] *Henninges in Famil. Grimaldi.*

Digitized by Google

apud eos, qui hodiè Monœco præsunt, remansit. Hi cum Gallis adhæreant, possessionibus suis eorumque fructibus, sub Hispanis sitis, belli jure spoliantur; cum Hispanorum partes insequuntur, iisdem gaudent. Canusium proindè cæteræque ditiones, pro Grimaldorum Principum mutatione, conditionis, mutationem accepere, & auctioni expositæ, alium Toparcham consecutæ sunt.

Hinc familia Affaitati, Baroli, seu Barlettæ Illustrissima, Canusii ditionem cum titulo Baronis, hoc est Liberi Domini, sibi vindicavit. Plurium Stirpis Heroum insignem, ac præstitam fidem Hispaniæ, & Neapolis Reges experti: quapropter Affaitati majoribus cumulandi beneficiis, majores à Carolo Rege gratias adepti sunt, quas inter Canusii erectio in Marchionatum non minima consideratur. Octavius Affaitati primogenitus Baronatum hactenus tenuerat, & etiamnum tenet, hic familiæ negotiis implicitus, familiæ procreationem Josepho fratri juniori commendavit, qui proindè ducta uxore ex Prosapia Tomasina, Neapolis Illustriffima, Canusii investituram cum titulo Marchionis, jam ab annis duobus, Regio favore adeptus est.

Hoc modo Canusium à Diomede fundatum per tot tantasque mutationes Dominii, Affaitatis obvenit.

Tabula verò ærea, ut a Rustico intrà septa Veteris Canusii inventa fuit, (sicuti suprà indicavi), quantocyùs ad præfatum Octavium Affaitati Canusii Baronem Barolum translata est, qui eam omni studio mundare, & in Cimeliarchium reponere curavit. Illicò Tabulæ fama sparsa est, & plures vicinos Principes, si non invidos fortunæ, Zelotypos saltem suæ possessionis excitavit. Nè omnia, quæ acciderunt, propalare cogar, hoc solum dicam, præfatum Octavium generosi, ac prudentis viri, hac in parte, personam egisse: etenim ne rivalium odia attraheret, neve plus uni quam alteri tribueret, Tabulam omnium oculis animisque eripuit, amico donavit, & Venetias misit.

CAP. XV.

SIGNIFICATIO TABULAE AEREAE CANUSINAE.

Quid hic de Significatione Tabulæ æreæ Canusinæ agendum, cum totus Liber ad eam explanandam conscriptus inspiciatur? quid sub uno titulo dicendum, cum plura sub pluribus dicantur? Liber, ut verum fatear, omnem Tabulæ circumstantiam exhibet, quid verò ipsa per se ipsam Tabula significet, nullibi traditur, & quamvis in Libro plures Decuriones, vario perfuncto munere nobiles, illustrentur, quid omnes simul Decuriones, in unum corpus redacti, sibi velint, constituantve, hactenus non explicui.

Quid Tabula significat? significat Splendidissimum Ordinem, ac Senatum Canusinæ Coloniæ militaris: hoc est, Curiam Canusinæ Coloniæ: Curiam, inquam, non formalem ædificii, sed materialem personarum.[a] *Quoties* enim, *Imperator vico, Civitatis jus deferret, eidem jus Curiæ attribuebat, quia nulla Civitas fuit sine Curia.* Curiæ institutæ sunt κατὰ τὴν βασιλευομένην πόλεως μίμησιν. Undè & Senatus dicitur: de quo Ausonius:

..... *Quos Curia summos*
Municipium vidit Proceres, propriumq; Senatum.

Curia itaque Senatum, & Senatus Curiam indicabant: à Romana enim Republica hæc nomina, ac dignitates, ad Colonias municipiave descenderunt. *Coloniæ*, inquit Gellius, [b] *in quibus primum Decuriones facti, quasi effigies simulachraque Populi Romani fuerunt.* Imò Decuriones à Decuria: Decuria à Curia, ut infrà dicetur, nomen mutuarunt. Igitur ab illa Suprema Curia Populi Romani omnes reliquæ Curiæ, ab ipso Senatu cæteri Senatus dimanarunt, & in Coloniis Municipiisque, quasi Romanæ Reipublicæ filiabus, constituti sunt.

Coincidit proindè, & Senator, & Curialis in dignitate functionis. Nobilis est Senator, nobilis est Decurio, hinc Prudentius, prudenter edicit:

[c] ..... *absit ut me Nobilem*
Sanguis parentum præstet, aut Lex Curiæ.

Quibus adjungit S. Ambrosius: [d] *Vixi persona quæritur, qui etiam in Senatu, & reliquis curiis, generis asservat dignitatem.* De his plura sub Decurionibus tradam.

Quapropter Curialium assumptio strictè procedebat, imò *in electione Curialium*, [e] *aut Magistratuum nihil ratum fuit sine Decreto:* Imò, *& ipsa nominationes fiebant in legitimo ordinis conventu, non sine duabus Decurionum partibus.*

Ex his verbis constat Curiam, & Senatum etiam ordinem vocari: Ordo profectò vocatur civitatis Senatus, ut etiam ex subjecto lapide inclarescit.

[f] Q. TVLLIO. SEVERINO. SEQVANO.
OMN. HONORIB. INTER. SVOS. FVNCT.
[g] PATRONO. SPLENDIDISS. CORPORIS.
N. RHODRNIC. ET. ARAR.
CVI. OB. INNOCENTIAM. MORVM.
ORDO. CIVITATIS. SVAE. II. STATVAS.
DECREVIT. INQVISITOR. GALLIAR.
TRES. PROVINC. GALL.
L. CONCOR. AVQV. FELICITAS.
Q. R. P. M.

Hic Ordo sive Senatus Coloniarum, non solum ultimis Imperii Romani temporibus, sed etiam ætate Trajani Aug. Splendidissimi appellativum sibi vindicavit, quod ut appa-

[a] *Jul. Cæs. Bulenger. de Imp. Rom. Lib. VII. Novell. 38. Ausonius in Mosella.*
[b] *Lib. 16.*
[c] *Prudentius in Roman. Antioch.*
[d] *In Cap. 3. Luc.*
[e] *Bulenger. ibid. L. 46. C. de Decurionib. L. 66. C. Theodos. eod.*
[f] *Lugduni ad S. Irenæum.*
[g] *Ex Symphoriano, & Thevet. Cosmographi a.*

Digitized by Google

appareat, plures lapides, cum de Patronis Clarissimis Viris agam, in testimonium adducam, hic interim (qui idem præfert) non contemnendus apponitur:

extra Grut.

TI. CLAVD. TI. F JL. PAL. QUART JN. TRIB. MIL. LEG. III. CYRENAICAE ADLECTO. AB. D JVO. TRAIAN. PARTHICO. IN. SPLENDIDISSIMO. ORDIN. QVI . . . . . ONIAE. . . DI. . . . PRAETORI. PROVINCIAE (a)

Tabula igitur ærea Ordinem seu Senatum indicat, Senatus Senatores promit, *Senatores verò in Coloniis, ut etiam in Municipiis Decuriones vocabantur* (b); quod docet Cicero, dum in Sextiana de Capua Colonia deducta, (cum anteà esset Præfectura), loquitur: *hoc tempore iidem homines, nomine commutato, Coloni Decurionesque*, & ibidem: *recita quæso, quid decreverint Capuæ Decuriones.* C

Significat ergò Tabula Curiam, Senatum, seù Ordinem. Sed cujus loci? Coloniæ, dixi, Canusinæ, ibidem enim erecta, ibidem recondita, ibidem etiam inventa fuit.

Sed cur potiùs Coloniæ Canusinæ, quam Municipii Canusini? Coloniæ, dixi, & alibi probavi ex ipsis Romanis nominibus Romanorum, qui Roma Canusium ducti, locum civitatemque familiis suis nobilitarunt, quod, si aliquando de Familiis agerem, clarissimè appareret; non Municipii, quia D illud familias suas, si non barbaras, saltem exteras conservabat; Municipium enim nil aliud est, quam oppidum jure civium Romanorum donatum, non tamen familiis immutatum. (c) Municipes autem ex eo nominarunt, quod jus adepti essent, cum Populo Romano munera capiendi. Quocircà præclarè Ulpianus Municipes propriè dictos prodidit, *qui in Civitatem Romanam aecepti munerum participes fierent*. Egregiè etiam Paulus: *qui municipes appellatos, quod munera civilia caperant*, dixit. Munera verò illi nihil aliud, quam officium Civilium jura vocarunt. Municipii porrò constituendi, multò expeditior atque proclivior ratio fuit, quam coloniæ deducendæ: quippè *cum ad largiendam Civitatem satis Senatusconsulto fuerit, & Plebiscito, id est, ut ex auctoritate Senatus de ea ferretur ad populum.* (d)

Sed cur in Tabula Senatus Coloniæ potius, quam Præfecturæ dicendus est? Ratio est, quod illa Duumviros numeraverit, F hæc Præfectos suos, (à quibus Præfectura dicta) Roma missos receperit, aliaque plura munia omninò diversa ab iis, quæ in Tabula leguntur, habuerit.

Cur non Fori, non Conciliabuli Senatum præfert? illa erant loca minoris æstimationis, quæ nullo Decurionum Senatu gaudebant: in Foro quidem jus dicebatur, Nonio teste, cum ait (a) *Fora locos fuisse, in quibus jus diceretur*. Quod notis loquendi formulis, *forum indicere*, & *forum agere*, comprobari videtur. *Forum* enim *indicere* Prætores dicebantur, cum locum jurisdicundi, qui conventus dicebatur, designabant: *Forum* autem *agere*, cum conventum in Provincia jurisdicundi caussa habebant. Forum etiam nundinationis locum indicat, quem pariter Prætores in provinciis indicere, Servio teste, solebant. Hunc autem locum proprio vocabulo, non Forum, sed distinctionis gratia, Conciliabulum dictum invenio, nam Festus adfert: (b) *quod eò in concilium veniretur*: Undè & illud Livii emanavit: (c) *Legem latam, ne ambiendi magistratus gratia Nundinas, & Conciliabula obire liceret*. Hæc autem aliquando ad jus municipiorum fuisse redacta; non obscurè Frontinus asserit his verbis: (d) *Quod si ad haec revertamur, hoc Conciliabulum fuisse fertur, & postea in Municipii jus relatum*. Quæ omnia nihil commune habent cum Canusio, quod non Forum, sed Civitas; non Conciliabulum, seù Nundinarum locus, sed Emporium fuit. Nundinæ ad tempus, Emporium semper, durabant.

Ex his tandem concludendum est: Tabulam Æream nil aliud efferre, aut significare posse, quam Senatum, seù Ordinem Coloniæ Canusii. Quæ Significatio generica, ut magis eluceat, per species suas illustrari debet: Species autem sunt omnes Tituli, & Munia Tabulæ, hinc ipsa Tabula in omni sua parte, in omni suo munere occurrit explicanda. Ut autem cuncta cum fundamento procedant, primum de Consulibus Romanis, qui in Tabula legentur, indè de cæteris omnibus, ex ordine scribendum est.

CAP. XVI.
CONSULES ROMANI TABULAE INSCULPTI.

IN capite Laminæ Canusinæ exhibentur Consules Romani his verbis:

L. MARIO. MAXIMO. II. L. ROSCIO. ÆLIANO-COS.

Laminam, seù Tabulam incisam, erectam, publico honori, ac commodo fuisse expolitam, L. MARIO MAXIMO II. & L. ROSCIO ÆLIANO COS. extra controversiam judico, ipso ære (de cujus antiquitate, quid sinistrum suspicari nefas) eos disertis verbis intonante. At quis mihi L. Marium Maximum II. quis L. Roscium Ælianum Romanos Consules, in Fastis Consularibus; aut eorundem Tabulis Capitolinis indigitare poterit? Quis eosdem à Fastorum scriptoribus, interpretibus, aut correctoribus

(a) *Lugduni olim in domo Langæi Scalig.*
(b) *Sigonius, & Rosinus de Coloniis. Cicero in Sextiana.*
(c) *Sigonius de Antiq. Jur. Ital. Lib. II. Cap. 6.*
(d) *Sigonius ibid.*

F f f

(a) *De Sermon. Latino.*
(b) *De Lingua Latina.*
(c) *Lib. VII.*
(d) *In Libro de Limitib.*

Digitized by Google

bus allegatos, expositos, aut nominatos ostendet? Hactenùs neminem inveni, post multam temporis inutilem consummationem, nec non post plurium auctorum attentam lectionem, & exactam inquisitionem: & tamen illi Consules fuerunt, ac in Tabula Consules nominantur, fides itaque Tabulæ adhibenda, & Fasti Consulares per eam ampliandi, & restituendi.

Sed indagare liceat, quis erit locus Consulum, quale tempus, ubi invenientur? in ipsis Fastis Consularibus inveniri poterunt. Sed quomodo invenientur, si ibi non sint; aut quomodo sunt, si ibidem inveniri non possunt? Rem totam explanabo: sunt, & non sunt; sunt cognomine-tenus; non sunt, prænomne, & nomine expressi. Quamobrem sciendum est, Consulares Tabulas (ut illas Romæ lapidibus inscriptas vidi) multis in partibus, temporis injuriam, læsionem, ac mutilationem passas esse; quapropter factum est, ut hinc ipsa Consulum prænomina, illinc nomina, istinc cognomina, imò, & dignitates, ovationes, ac triumphi per Viros doctos ex anterioribus probatis Scriptoribus, ubi litteralis facultas permisit, & humana notitia potuit, supplementum receperint.

Consulares itaque Fasti, quos Hubertus Goltzius edidit (a) sub initium Imperii Alexandri Severi, Consules habent hoc modo: ((((((Maximum & (((Papirium Ælianum. Prænomen, & nomen in priori reticetur, existente solum Maximi cognomine. In posteriore deficit prænomen, Consul verò nominatur Papirius, & cognominatur Ælianus. Onuphrius Panvinius (b) ad rem propiùs accedit, dum eodem tempore Consules ponit hoc modo: (((((((Maximus II. & (((Papirius Ælianus. Quem enim Goltzius Maximum simpliciter cognominavit, illum Panvinius eo tempore II. Consulatum obiisse allegat. Hic verò Maximus II. Consul, est noster L. Marius Maximus II. & ille Ælianus, falsò, aut saltem erroneè nominatus Papirius, est noster L. Roscius Ælianus, ut infrà apparebit. Prior facilè elucet ex cognomine & II. Consulatu, nec alia probatione indigere videtur, quam supplemento prænominis, & nominis, quæ proindè ex Lamina petenda sunt, cum hactenùs ex Historicis suppleri nequiverint, & sic rectè procedet, L. Marius Maximus II. Sed ne L. Marium Maximum perfunctoriè transire videar, ejus primò juventutem, indè virilem ætatem, & Consulatum adferre cupio.

Seccius Secundinus, Civis Romanus, & Miles Veteranus Legionis II. Italicæ, & Petejula Severia conjux, filium, & filiam procrearunt. Filia Seccia Secunda nominata, ex L. Mario Maximo, marito suo, duos filios peperit Marium Maximum, & Marium Secundum. Filius verò, Julius Apricius dictus, miles extitit Legionis SS. Suprascriptæ, B-F. PRAEF. Beneficiarius Præfecti, STIP. AN. VI. Stipendiorum anno Sexto, ANN. XXV. mortuus anno XXV. Cui proindè defuncto Parentes Sepulchralem locum delegerunt, eumdemque sibi, filiæ, ac nepotibus suis vivis, vindicarunt: Quæ omnia ex subjecto marmore clariora evadunt.

Grut.p.DLX.N.6.

D. ✠ M.
SECCIVS.SECVNDINVS.VET.LEG.II.ITAL.
PETEIVLA SEVERIA.CONI.EIVS.SIBI.ET.
SECCIÆ.SECVNDINÆ. FIL. ET.MARIIS.
MAXIMO.ET.SECVNDO. NEPOTIBVS.SVIS.
VIVI.FECERVNT.ET.IVL. APRICIO. FIL.
MLL.LEG.S.S. B.F. PRAEF. STIP.AN.VI.
✠. ANN. XXV. (c)

Ex lapide colligitur Marii Maximi nomen, & cognomen, quod à patre in filium (ut passim Romanis, & primis, & ultimis Reipublicæ temporibus in usu fuit) deductum est. Pater igitur Marius Maximus, Lucius prænominatus, quod in prima luce editus esset, Romæ subsitit, (b) & sub Imperatore L. Septimio Severo floruit, is enim Mariis ob præstitam operam, & conservatam fidem addictus, plures Marios ad honores promovit, ac inter alios M. Marium. M.F. Titium-Rufinum cognominatum A.U.C. DCCCCLIX. ad Consulares fasces evexit, & post paucos annos tempore Ludorum sæcularium L. Marium Maximum ex Kal. Juliis suffectum, Consulem creavit: hic autem fuit Maximi nostri primus consulatus, qui cum in Fastis desit, locusque vacuus in Goltzii, Panvinii, aliorumque Commentariis reperiatur, ex antiqua inscriptione Spoleti Fortunæ Reduci erecta, ac inventa, petendus est, & Fastis adjungendus, ut consulatum agnoscas, effiguratum marmor adduco.

Grut.p.MXIV.N.1.

FORTVNAE. REDVCI
. . . . . RVFVS. COL. DISP. SVMMAR . . . .
TEMPLVM OMNI. CVLTV. EXORNAVIT. ARAM.
DE. SVO. MAXIMAM. POSVIT. IDEMQ. DECRETO.
ORDINIS. . . . CVM. A. SOLO. AERE. CONLATO.
PERFICIENDVM. CVRAVIT. IN. CVIVS. DEDICAT
SINGVLIS. IN. COLLEGIO. . . . XX. N. DED.
DEDICATVM. XII. KAL. AVG. . . . ET. MAXIMO. COS.
SI. QVI . . . CVM. PONERE. VOLET. DABIT. ARCAE... II....N.

(c) Dedi-

(a) *Fol. 250. sub finem.*
(b) *In suis Fast. Consular. sub Alexandro Severo Imp.*

(a) *Habetur Celeiæ Styriæ Inferioris oppido supra portam Burgi. Appianus.*
(b) *Appianus, & Sigonius.*
(c) *Spoleti. Ursinus, & Gutenstenius.*

Digitized by Google

Dedicatum templum mense, cujus die XII. KAL. AUG. paulò post [illegible] Consulatus, quod ex Kal. Julii [illegible] Prosequitur magistratus [illegible] Cos. Prior Consul non apparet, posterior Maximus declaratur; & rectè. Secundum enim locum in Consulatu passim occupabant ii, qui primò ad Consulare evehebantur dignitatem, cum autem alteriorem Consulatum gesserant, plerumque primum in magistratu locum sibi vindicabant. Sic L. Mario Maximo contigit, qui in hoc primo Consulatu ultimum locum secutus, & in secundo (ut alibi, & ex Tabula patet) sibi primum asseruit. B

Nec urgendum, in præfata inscriptione non nisi cognomen Maximi invenire, illudque L. Marium Maximum non indicare. Sufficit hic Maximum dixisse, ut L. Marium ostendam, etenim per id tempus observatum fuit, nuda Consulum cognomina marmoribus inscribere, quod si opus foret, plura antiquitatis monumenta id ipsum edocere possent: sed istis præteritis, ipse Cassiodorus (a) paulò post sub Alexandro Severo Cæsare, per Maximum cognomen (cum illud Æliano jungit) L. Marium Maximum declarat. Cum igitur in inscriptione Templi Fortunæ Reducis, Maximum Consulem inveniam, ac primum L. Marii Maximi Consulatum quæram, absque dubio per Maximum, L. Marius erit intelligendus, utpotè qui tempore ludorum sæcularium sub Septimio Severo primum Consulatum gesserit, & inde circiter octodecim elapsis annis, secundum sub Alexandro Cæsare adeptus fuerit. C D

Quem secundum Consulatum M. Aurelius Cassiodorus (b) exhibet his verbis: MAXIMUS ET ÆLIANUS. Joannes verò Cuspinianus hæc adjungit: (c) *Horum Consulum sic facit mentionem auctor de Pontificibus, Urbanus An. VIII. Menses XI. dies XII. fuit temporibus Alexandri & Consulatu Maximi, & Æliani usque ad Agricolam, & Clementium* Panvinius iisdem assentitur hoc modo: *Damasus in Vita S. Urbani comparat Maximum, & Ælianum.*

IN H. D. D. I. O. M. Gr. p. MV.
GENIO. LOC. ET FOR- N. I.
TUNÆ. DIS. DEAB-
QUE. EMERITIUS
SEXTUS. MILES.
LEGIONIS XXII.
PR. P. F. SEVERIA-
NA E. B. F. COS. PRO
SE. ET SUIS. POSU-
IT. V. S. L. L. M.
Abest MAXIMO. ET.
Grut. ÆLIANO. COS.
IDIBVS. JANV-
ARIS,

(d)

(a) *In suis Fastis.*
(b) *In Fast. Consul.*
(c) *In Commentar. ad Cassiodor.*
(d) *Habetur [illegible] ad Nicrum amnem in Germania. Ex Studionis Schedis. Ex Melissi monumenti. antiq.*

Isi sunt illi Consules, qui Magistratum obierunt ea tempestate, quâ Aram Canstadii ad Nicrum Jovi Optimo Maximo, Genio loci, Fortunæ Dis Deabusque Emeritius Sextus miles erexit. Inscriptionem lego hoc modo: *In honorem dedicatum Jovi Optimo, [illegible], Genio loci, Fortunæ Dis Deabusque, Emeritius Sextus, miles Legionis XXII. Primigeniæ, pia, fidelis, Severianæ, Beneficiarius Consularis, pro se & suis posuit. Votum solvit libens, L. Mario Maximo & Æliano Consulibus, Idibus Januariis.*

Scio, & à multo tempore novi L. M. in Contractis verbis, per nudas litteras expressis, aliquando indicare *libens, merito*, sic ut sensus colligatur *Votum solvit libens merito*. Sed cum in Ara effigurata duplex L. L. inveniatur, & secundum, juxta sententiam Goltzii in tali significatione superfluum, & otiosum esse judicetur, scribit enim in similibus (a) *alterum L. superfluum esse reor*, alius explicandi modus erit indagandus, nec saniorem reperio, quam supra expositum; Sensus etiam subibit in tribus prioribus litteris V. S. L. *Votum solvit libenter*. Hinc secundo L. & insequente M. Maximo applicatis, procul dubio L. Marium Maximum indicarunt.

Quæ omnia clariora evadent, si profundâ mente perpendatur L. Marium Maximum Consulem cum Æliano in Lamina citata, eamque Alexandri Severi Imperatoris tempori, ut alibi probatum, esse coætaneam; ac tandem Alexandri primo Imperii anno Cassiodoro, Sigonio, Panvinio, Goltzio ac reliquis omnibus Fastorum Scriptoribus, Consules constitui.

Hæc de Maximo sufficiant: ad Ælianum alterum Consulem procedo. Hunc (supra erronè))) Papirium nominatum esse exhibui, rectè verò L. Roscium nominandum esse contendo. Panvinius, & Goltzius, unus alium secutus, hunc Roscium, Papirium dixerunt. Facilis eorum hallucinatio, facilis nominis inversio; non enim contenti Maximi, & Æliani cognominibus, (quæ Cassiodorus subministraverat) vetustas Fastorum Tabulas perscrutari voluerunt, corrosas ibidem inventas litteras, ut novi aliquid superaddere valerent, indagare conati sunt: antiquum verò marmor, (ut omnes passim Fastorum Tabulæ Romæ conspiciuntur) plures lituras, lineolas, ac virgulas invicem intercidentes, ex esu temporis contractas, exponebat; quamobrem in dubio constituti Papirium pro Roscio legerunt. Facilè sumpserunt in larvato lapide P. in Papirio, pro R. in Roscio; facilo A. pro O. mutuarunt. Facilè PIR. in Papirio, pro SI. in Roscio immutarunt, & tandem repertis tribus reliquis litteris I. V. S. in utroque nomine, Fastis apposuere Papirium. Securitatem, ac certitudinem sibi proponebant, quod anno V.C. DCCCCXV. L. Papirium Ælianum, cum Junio Pastore; Anno V. C. DCCCXXXV. N. Papirium Ælianum, cum M. Eggio Marullo; & anno V. C. DCCCCXXXIX.))))

F

a *Hubert. Goltzius in Not. Litterarum.*

Digitized by Google

Papirium Ælianum, cum Clodio Crispino Consules fuisse constaret, nec ullibi L. Roscium Ælianum offenderent. Hoc itaque tanquam incognito præterito, Papirium jampridem notum, sub Alexandro Principe, Æliani cognomento junctum, cum Maximo Consulem indicarunt. Nec recte; non enim sequitur: Consul invenitur Ælianus, ergo Papirius nominandus est: transeat, inveniantur Papirii, sed & invepiuntur Roscii Æliani, Celsi Æliani, Antonii Æliani, Rufi Æliani, Ursi Æliani, Silvani Æliani, Roscii Æliani, & plures alii.

Adjuvat sententiam meam Carolus Sigonius (a), qui Papirios insectatur hoc modo: *Tres tantum Consules invenio Papirios Elianos. Primus cum M. Egnio Marullo, Papirius Consul fuit DCCCCXXV. Alter Ælianus triennio post cum Clodio Crispino, quem Papirium fuisse incertum est. Hi duo temporibus Commodi Imperatoris. Tertius sub Alexandro (de quo hic ago) cum Maximo Consul fuit Anno DCCCLXXVI. Sed hic quoque (Notate bene) incertus.*

Incertus sanè ultimus Papirius Ælianus, fuit, hunc proindè Joannes Cuspinianus (b), Cassiodori Fastos commentatus, Celsum Ælianum nominat.

Quem ergò Scriptores incertum hactenus Ælianum adduxere, ego certum profecto, & ex Lamina L. Roscium Ælianum fuisse dico. Sed denuò contra sententiam meam plures instabunt, nullum Roscium apud Romanos Scriptores Consulem invenies. Non subsistit instantia, quia negativa est, una affirmativa, quam adduco, totam evertit. Roscium Regulum Consulem fuisse (c), qui sub A. Vitellio Cæsare ex pridie Kal. Novemb. Consul creatus, iisdem Kal. Novembris Consulatum deposuit.

Roscii Prænomen (quod reticetur) Lucium fuisse arbitror, illo enim Lucii Prænomine (ut Sext. Roscium Amerinum, Q. Roscium Gallum, & duos Titos fratres, Capitonem, & Magnum excipias) reliquos passim Roscios insignitos comperio. Sic Lucium Roscium, qui in Legatione ad Vejentes Tolumnii Regis jussu occisus est, nominatum Livius tradit (d). Sic Roscius Fabatus, qui Prætor fuit sub initium belli civilis Pompejani (e), cum antea Legatus Cæsaris in Galliis fuisset, Lucius dictus est.

Lucium etiam prænomen obtinuit Roscius, qui L. Cornificii (f) in Africa Legatus celebratur, ibidemque cum ipso periit.

Lucius etiam vocatur, Roscius (g) Otho, qui A. V. C. DCLXXXVII. C. Calpurnio Pisone, & M. Acilio Glabrione Cos. Cum ageretur de bello Pyratico Pompejo demandando, Trib. Pl. extitit.

(a) *in Fastis.*
(b) *Joannes Cuspinianus in Comment. M. Aurel. Cassiodor. Ann. DCCCCLXXVI. sub Maximo & Æliano.*
(c) *Fasti Consulares Panvinii, Goltzii, & alior. hoc loco.*
(d) *Lib. IV. A.V.C. CCCXVII.*
(e) *Cicero VIII. Epist. 16. ad Attic.*
(f) *Appian. lib. V.*
(g) *Hieron. Henninges sub Rosciis.*

Plures [illegible] præterito; & inter [illegible] Roscium [illegible] inter [illegible] non paucos [illegible] in hac [illegible] Æternæ [illegible] sub Ve[illegible] Cæsare [illegible]ta, nomen [illegible] inscri[illegible] dedit, quod Janus Gruterus (a) famosus [illegible] quitatis [illegible]tor, in ipsa basi exa[illegible] legendum curavit.

Ex quibus facilè cognosci potest pl[illegible] Roscios, itaque etiam & nostrum, [illegible] inciſum, Lucium Prænomen fuisse ad[illegible]

Hactenus Lucium videmus, sed [illegible] ter Roscius Ælianus apparet, [illegible] dem Consule invenitur in Ara marmo[illegible] ptus, quæ adhuc usque [illegible] in Concesio Brixiana Vill[illegible] pli muro inserta, illæsa [illegible] dem considere, & Roscium Ælianum [illegible] sulem legere.

[illegible]

IOVI [illegible]
CONSERVATORI [illegible]
SESSIORUM ROS[illegible]
VIB. PAUCUL[illegible]
ET [illegible]ÆÆ FIL[illegible]
EORUM EX VOTO [illegible]
ROSCIVS. EVTYCHVS. NVT[illegible]
ET. PROCVR[illegible]
FIRMO. LIB. [illegible]

Marmor hoc modo illu[illegible] Sessius Pauculus, Roscii [illegible] Col. Bassa uxor, & filii eorum Jovi Opt[illegible] pro conservatione suarum [illegible] Roscianarum, aram voverunt. Quam L. Eubulus, filiorum nutritor & Proc[illegible] cum Roscio Firmo Liberto, & una[illegible] dem Procuratore ex voto exercerunt.

Hic habes Roscium Ælianum C[illegible] nec alium unquam invenies, quam [illegible] Maximo ad initio Imperii Alexandri [illegible] latum gessit. Tempus adjuvant [illegible] Eubuli, Firmi, & Bassæ nomina; [illegible] tempestate in usu floruere.

Lucii vocabulum in marmore deest, ipsum Rosciorum Prosapiæ fuisse familiare ex Scriptoribus ostendi, superest antiquitatis monumenta producere, ut vel sic, utroque probationis modo, Roscius noster Ælianus, Lucius credatur prænominatus. Ameria Hispaniæ Civitas duplex submunitrat.

Grut. p. MLXVIII. N. 7.	Grut. p. MC. N. 3.
HOC. SACRUM.	ROSCIUS. L. F.
MARTI.	CITER. HISPANIAE.
L. ROSCIUS.	LEG. II. AVG.
RESTITUIT.	
EX VOTO. (c)	(d)

In

(a) *in Inscript. Antiquit. fol. 241.*
(b) *Habetur in Villa Brixiana Concesii in muro Templi. Verderius in suis Antiq.*
(c) *Amera ad S. Secundi.*
(d) *Ibidem Borromæus in suis Antiq.*

Digitized by Google

In utroque Lucii prænomen apparet in primo *L.* Roscius indigitatur, in II. Roscius *L.* Filius designatur, qui illi fuerint, hic agitare nolo, sufficit mihi ex vetustis marmoribus demonstrasse Roscios, Lucios fuisse vocatos. Sed necessaria satis: Roscium nostrum Ælianum, Lucii Prænomine fuisse donatum, conjicio ex inscriptione Lapidis Brixiæ adhuc superstitis hac forma.

Gruter. p. mc. N. 2.

SACRA AEDES L. ROSCII
. . . . . OR . . . . G . . .
. . . . . .
L. D. D. (a)

Etenim cum Sacram AEdem in Brixiæ confinio (ibidem lapis inventus) exstruxisset, eamque *L. D. D. Libens* dedicasset Deo, qui per temporis vetustatem è marmore sublatus non amplius dignoscitur, atque in eodem Brixiæ confinio Roscius Pauculus, Roscii AElliani Consulis Nepos, (de quo suprà) Aram (b) voverit Jovi Opt. Max. Conservatori possessionum Rosciorum, colligendum est, hanc Aram in eadem Æde Sacra *L.* Roscii fuisse votam, & erectam: cum ex præfatis constet Roscios in agro Brixiano possessiones habuisse: Sacræ AEdis Deum, in marmore non apparentem fuisse Jovem, in priori lapide expressum: & Roscium AElianum Consulem, ibidem citatum, extitisse Roscium Sacræ conditorem, eumdemque Lucium fuisse prænominatum.

Denique *L.* Roscius in lapide legitur, si injuria temporis lapidi pepercisset, absque dubio AElianus legeretur, quod abesset, ex Tabula Canusina petendum erit, & Ælianus, qui cum Maximo II. Consulatum egit, *L.* Roscius nuncupandus est, atque ita initium Tabulæ rectè procedet.

L. MARIO. MAXIMO II. & L. ROSCIO. ÆLIANO COS.

CAP. XVII.

VARII REIPUBLICÆ ROMANÆ II. VIRI.

DUum-Viri, si nomen inspicias, sic dicti sunt, quod duo viri simul idem munus obirent: unum igitur nomen fuit II. Virum, sed unius nominis varium, hæc multiplex fuit officium; in Sacrum & Prophanum divisit illud Antiquitas. Omnium antiquissimum (si unum Perduellionis II. Viratum excipias) Sacrum fuit, sub Tarquinio Superbo Romanorum Rege institutum. Huic enim, cum Amalthea Sibylla Cumana, Sibyllinorum oraculorum libros vendidisset, eosque diligenter custodiri mandasset, *Tarquinius II. Viros creavit ex numero Nobilium, iisque mandavit libros mysticos publicos, & per hos custodiri libros voluit* (a). Expulsis exindè Regibus Sibyllinorum cura devenit ad Populum, qui Nobilissimos Viros, eorumdem custodes, in vita perseveraturos, creavit. (b) *Hi II. Viri creati sunt usque ad annum U. C. CCCLXVIII. tunc numerus eorum auctus est.*

His accessere II. Viri Sacrarum AEdium locandarum (), aliis candatum, conservandarum, restituendarum, & consecrandarum, seu dedicandarum, quos Populus ex Lege Papiria designare solebat.

Fuere, & II. Viri Publici (c) & II. Viri Flamines (d), quos (in antiquis documentis) aris & sacrificiis invigilasse reperio, & magnam cum præcedentibus habebant, & communionem, & paritatem.

Hæc de Sacris: Prophanorum verò II. Virum omnium vetustissimos agnosco II. Viros Perduellionis, etiam Capitales nominatos, quorum originem ad Tullium Hostilium III. Romanorum Regem refero: cum enim ea celebritate Horatius Curiatorum victor, urbem triumphans ingrederetur, ac obviam sibi sororem, & unum de Curiis lamentantes interfecisset, postquam quorumdam censura reus factus, neque absolvi justè, neque honestè damnari à Rege posset: (e) *Rex II. Viros creavit*, qui de Perduellione certarent. Reges ejectos, hic mos aliquando retentus, ut in judicio Perduellionis II. Viri crearentur, qui perduellionem judicarent. Donec tandem vetustate obsoletus, prorsus intermissus fuerit (f). Nunc tamen quasi resuscitatum, aut saltem ex antiquitatis desuetudine redivivum, posterioribus Reipublicæ temporibus *Labienus* Tribunus Plebis in usum reduxit (g).

His adjungo II. Viros Navales (h), qui A. U. C. CDXLII. C. Junio Bibulco Bruto III. & Q. AEmilio Barbula II. Consulibus, cum per id tempus acerrimum inter Populum Romanum, & Samnites bellum arderet, rogante M. Decio Tribuno Plebis, creati sunt. Horum munus facilè ex nomine dignosci potest: Navales enim cum vocarentur, fabricandis navibus, instituendis, reficiendisque classibus, colligendis Sociis navalibus, aliisque similibus præficiebantur.

Quibus licet plures addere valeam, his tamen contentus, reliquos trancleo, atque alios II-Viros, qui propiùs ad intentionem meam accedunt, explicandos suscipio; quapropter succedunt *Varii II-Viri Coloniarum, & Municipiorum.*

CAP.

(a) *Ediat Brixiæ. Rubeus.*
(b) *Pag. præced. in Ara.*

(a) *Joan. Rosinus Antiq. Roman. lib. III. c. 24.*
(b) *Idem ibid.*
(c) *Gellius lib. XIII. cap. 14.*
() *Gruterus passim in suis Inscript. Antiq.*
(d) *Livius lib. I.*
(e) *Livius lib. I. & V. Cicero pro Rabirio. Plutarchus.*
(f) *Suetonius. Vita lib. XXXVII.*
(g) *Livius lib. X.*

Digitized by Google

CAP. XVIII.

VARII II-VIRI COLONIARUM, ET MUNICIPIORUM.

COloniarum, & Municiporum Reipublicæ, cum ad Romanæ formam componerentur, etiam suos II-Viros habebant, eorum tamen in similitudine nominis dissimile erat munus, nec in una consistebat functione II-Viralis honor, sed pluribus splendidior impendiis.

In Coloniis itaque, & Municipiis reverebantur II-Viri Ærarii, qui publicis nummis adscripti, nunc Quæstoribus Superiores, nunc ipsis persimiles, suprema quadam auctoritate Reipublicæ Ærarium administrabant. (a) De his Scriptores pauca tradunt, eorumdem proinde cognitio, ex antiquis marmoribus, inscriptionibus aliisque vetustatis monumentis eruenda. Tres lapides proferam, ut II-Viros eorumque munus adducam. Horum primus Titum Julium Cornelium Valerianum Coloniæ Patronum, & Duum-Virum Ærarii demonstrat. Ut rectum judicium, totam lapidis molem effiguratam, perstringere valeat, totam Sisto.

Grut.p.ccxviii.N.6.
1 Grut.colon.

T. IVL. T. FIL. COR. N. VALERIANO.
PATRON. COL. II. VIR. AER. III. VIR.
LOCOR. P. PERSEQUENDOR. TRIB. MILIT. LEG. VI. VICT. PRAEF. FABRV.
FLAM. AUG. PONTIFICI.
JULIA. T. F. VERA. PATRI. OPTIMO.

(b)

Secundus verò D. Julium D. Filium, Capitonum Flamivenum, & Tertius Q. Valerium Macedonium II-Viros Ærarii, cætera munia (quæ Lapides continent) transeo, extitisse confirmant.

1 Grut.p.ccccxxi.N.8.

T. IVL. D. FILI
CAPITONI
FLAMIVEN. III. VIR
LOC. PUBLIC. PER
II. VIR. AERAR. . . .
PRAEF. FABR. TRIB.
MIL. LEG. . . . DIV. .
GEN. . . . . .
FOEDERATAE
REMI. PVBLIC.
D. D. D.

(c)

Grut.p.ccccxxix.N.3.

Q. VAL. C. F. VOLT.
MACEDONI
FLAM. IWENT. Q.C.V.
II. VIR. AER. AVGVR
III. VIR. P.P. HVIC.
. . . COS. HADRIANVS.

(d)

His adjungo II-Viros Jure dicundo, seu Juris dicundi, quos in Coloniis, & Municipiis jus dixisse constat: nomen, & munus duo inscripta comprobare poterunt Lapides.

Grut.p.ccccxxviii.N.6.

C. LEPIDIO. C. F. PAP.
VICTORI.
II-VIRO. IVRE. DIC. CVR
PEC. PVBL. ET. OPERVM. PVBLICORVM. QVIBVS. EX FIDE
REFECTIS. OB. MERITA. EIVS.
DECVRIONES. ET. AVGVST.
ET. POPVLVS.
STATVAM. PONENDAM.
EX AERE. CONLATO. DECREVERVNT. QVI. HONORE
CONTENTVS. EX. SVO. POSVIT.
ET. CONLATIONEM. REDIDIT.

(e)

Grut.p.ccclxxv.N.2.

L. BELLICIO. L. F.
QVARTIONI
DECVRION. IVVAVENSIVM
II. VIRO. IVRISDICENDI
VIX. ANN. [illegible]
SAPLIAE. BELLATVMARAE
CONJVGI. AN. LXII.
BELLICIVS. SECCIO. ET.
BELLICIVS. ACHILLES.
CVM CONIVGIBVS.
EX. TESTAMENTO
FACIVNDVM. CVRAVERVNT.

(f)

Magna in Republica sua II-Viri prædicti gaudebant potestate, non solum in Civilibus, imò in Criminalibus, sed etiam in rebus sacris, adeò eminenti, ut in Dedicationibus templorum, & Ararum, (cum Diis Deabusque fierent) Legem dicerent. Præstantissimum desuper junctâ, ac rarissimum extat exemplum, in antiquo Marmore Saloniæ in Dalmatia Imperante Hadriano Principe A. U. C. DCCCLXXXIX. L. Ælio Hadriani Augusti F. Vero, Cæsare II. & P. Cælio Balbino Vibullio, Pio Coss. erectum, quod Cn. Domitium Valentem II-Virum J. D. hoc est Juris dicundi, prædictæ Cn. Julio Severo Pontifice, Dedicationis Aræ Jovi, Opt. Max. Sacræ, legem dixisse declarat his verbis:

L. AE-

(a) *Varia monumenta antiquitatis.*
(b) *Extat Genuæ extra Portam monetalem. P. Guilielmius, & Simeonius, & Broissandus, & Freherus in suis Monum. Antiquis.*
(c) *Viennæ Allobrogum in loco Fuissini, Scaliger.*
(d) *Habetur ad Oppidum Teis ad ripam Rhodani in Brevitorio. Scaliger.*
(e) *Sutrii Etruriæ, 14. ab Urbe Roma milliario in summo templo in basi Statuæ Smetius.*
(f) *In Burchhausen in Germania. Appianus, & Pighius.*

Digitized by Google

Grut.p.xxiii.N.12.

L. AELIO. CES. IMP. P. COELIO. P. F. BALBINO. VIBVLLIO. PIO. COSS.
VII IDVS. OCTOBRES.
CN.DOMITIVS.VALENS.II.VIR.I.D.PRAEEVNTE.C.JULIO SEVERO.PONTIF:
LEGEM. DIXIT. IN EA. VERBA. QVAE INFRA. SCRIPTA. SVNT.

JUPITER.OPTIME.MAXIME.QUANDOQUE.TIBI.HODIE.HANC.ARAM. DABO. DEDICABOQUE. OLLIS. LEGIB.OLLISQVE.REGIONIBUS.DABO.DEDICABOQ.QUAS.HIC.HODIE.PALAM. DIXERO.UT.INFIMUM. SOLUM.HUJUS.ARAE.EST.SI.QUIS. HIC. HOSTIA.SACRUM.FAXIT. QUOD.MAGMENTUM.NEC.PRO-TOLLAT.ITCIRCO.TAMEN.PROBE.FACTUM.ESTO.CAETERAE.LEGES.HUIC.ARAE. EAEDEM.SUNTO. QUAE.ARAE.DIANAE.SUNT. IN.AVENTINO.MONTE.DICTAE.HISCE.LEGIB.HISCE.REGIONIB. SICUTI. DIXI.HANC. TIBI.ARAM.JUPITER. OPT.MAX.DICO. DEDICOQVE.VTI. SIS.VOLENS.PROPITIVS.MIHI-COLLEGISQ. MEIS. DECVRIONIB. COLONIS.INCOLIS.COLONIAE.MARTIAE. JULIAE. SALONAE.CONJU-GIBUS. LIBERISQVE. NOSTRIS. (a)

Erant, & ibi II-Viri Libripendes, qui ponderibus eorumque juri præerant. Quid perdendum librandumque esset, & qua trutina examinabant, quod indè ex justo, & æquo Reipublicæ accedebat, solvi curabant. Nomen, ac munus plures lapides ostendunt, inter cæteros unum adduco, qui Polæ conspicitur, & T. Vedium, ac T. Vitorium II-Viros Libripendes exhibet.

Grut.p.mcxv.N.1.

T. VEDIVS T. F.

T. VITORIVS CN. F.

II. VIRI.

LIBRIPENDES.

EX. D.D. (b)

Coloniæ lapidem esse apparet per litteras EX.D.D. quæ significant ex Decreto Decurionum, (c) qui eundem in Nolana Colonia (ubi marmor inventum) erigi mandarunt.

His explicatis II-Viris, qui munere suo, in partibus sibi injunctis, defungebantur, & qui proindè in Coloniis, ac Municipiis suis specificam quandam gerebant dignitatem, aut functionem, tandem procedo ad propriè dictos II-Viros, qui primum, ac supremum in Republica obtinebant Magistratum. (d) *Magistratus Coloniarum, ac Municipiorum*, inquit Joannes Rosinus, *paciput erant Duum-Viri, Censores, Ædiles, Quæstores. Duum-Viratus Magistratus erat annuus propemodum potestate Consulari, aut saltem Prætoriæ apud Romanos æqualis.* Undè scitè illud in Agrariis Cicero de Capua Colonia dixit: (e) *Cum in cæteris Coloniis Duum-Viri appellentur, Capuæ se Prætores appellari volebant.*

Horum nomina in antiquis lapidibus, & Numismatibus extant, imò, & iterati Duum-Viratus, ut apud Romanos Consulatus, Notæ.

Coloniæ, & Municipii II-Viros sequentia Marmora exponunt.

Grut.p.cccexxv. N.4.

L. JVLIO L. F. STER-
CVLLIONI
II. VIRI.
COL. AUG. GEM.
D. D. (a)

Extra Grut.

M. ANTONIO M. F.
GAL. SIRIAC. II. VIRI
MVN. AVG. GAD.
(b)

Reiterati Duum-Viratus honor elucet in L. Calpurnio Galer. Silvino. Hunc adjunctum deprædicat documentum, quod D. S. P. D. D. de suo posuere Decuriones.

LI-

(a) *Erectus Lapis Salonia in Dalmatia, post Patavium translatus. Stephanus, & Pighius, & Ald. Manutius.*
(b) *Nolæ ex Schedis Sermondianis.*
(c) *Goltzius in nominibus contractis.*
(d) *in suis Antiq. Rom. Lib. x. cap. xxiv.*
(e) *in Agrariis.*

(a) *Ad Turrim Ximen prope Martos, quæ olim Colon. Augusta Gemell. in Hispaniis.*
(b) *Gadibus habetur. Antonius Augustini in suis adversariis.*

Digitized by Google

LIBERO
PATRI
AVG. SAGR.
Grut.p. IN HONOREM
lxvi. PONTIFICATVS
N.3. L. CALPVRN. L. F.
GAL. SILVIN.
II. VIR. BIS. FLAM.
SACR. PVB. MVNICIPAL.
PONT. DOM. AUG.
D. S. P. D. D.
(a)

Floruere sub Augusto Imperatore Romanorum Coloniæ, & Municipia. Hinc plures eorumdem II-Viri varios per id tempus nummos percussere, eosque nominibus suis insignitos Imperatori, & Consulibus inscripsere. Nonnullos Hubertus Goltzius (b) sub Augusto Cæsare conspiciendos exhibet, ego ne lectorem cognitionis cupidum suspensum retineam, nummum produco, qui recta facie Augusto (cujus nomen, & effigiem refert) dedicatus, & aversa D. Cellio Balbo Consuli per C. Sulpicium, & C. Celsum Coloniæ (quæ ex Bovis figura cognoscitur) anno Urb. Cond. DCCXLVII. quo Consulatum gessit, inscriptus apparet. Imperatorem, Consulem, Coloniam, II-Viros in uno numismate intuere. (*Hic nummus habetur Tab. I. fig. 6. pront ipsum Hubertus Goltzius exhibet in Fastis, ac Nummis Consularibus A.V.C. DCCXLVII.*)

Igitur cudendi nummos Coloniæ, ac Municipii II. Viri pollebant auctoritate, & eos Imperatoris effigie condecorare, ipsique dicare non verebantur. Hanc tamen potestatem ex S. C. Reipublicæ suæ passim recipiebant, dum novos nummos in novo triumpho, novaque acquisita dignitate, seu veteri innovata edebant, & nomen suum, ac Magistratus honorem apponebant: nec omittebant reiterati II. Viratus notam hoc modo: II. VIR. ITER. Si dignitatem denuò subiissent, quæ omnia subjectus nummus exactè demonstrat: Hunc enim TI. Sempronius TI. F. Graccus Coloniæ Iuliæ Augustæ II. Vir ITERUM, ex S. C. Reipublicæ suæ Imperatori Cæsari Augusto, Pontifici Maximo, Tribunitia potestate XVI. Consuli XI. Patri Patriæ, Imperatori XIV. ob innovatos denuò honores Kalendis Iuliis A. II. C. DCCXLV. gratitudinis, & felicitatis ergò dedicavit. Omnium veritatem ex Capitolino lapide, ipsoque nummo dignosces. (*Nummum vide Tab. I. fig. 7.*)

Apud Grut. in Tab. Capitul.

EX. K. IUL.)))))
IMP. CAESAR. DIVI. F. AUGUSTUS. PONT. MAX. R. P. C. POTEST. QUART. IN. DECENNIUM ACCEPIT.
IMP. CAESAR. DIVI. F. AUGUSTVS. PONT. MAXIM. TRIBVNIC. POTEST. XVI. XVII COS. XI. IMP. XIV. (c)

Cum autem Coloniarum II. Viri Urbis Consulibus passim æquiparentur, & hi subindè vel ad primum, vel ad ulteriorem Consulatum promovendi Consules designarentur, (d) quo modo Imperator Augustus in XI. suo Consulatu ad XII. fuit designatus, ut ex adjuncto constat marmore: (d)

Grut. in Tab. Capitol.

IMP. CAESAR. DIVI. F. AVGVSTVS. PONT. MAXIM. TR. POT. XVII. XVIII. COS. XI. DESIG. XII. IMP. XIV.

Sic etiam illi ad II. Viratum evehendi, antequam crearentur, aut magistratum inirent, II. Viri nonnunquam designabantur, hoc modo M. Veserius Jucundianus in Colonia sua II. Vir designatus fuit, lapis designationem indicat.

Grut. p. ccccLxxv. N.6.
D. M. S.
M. VESERIO. M. F. PAL.
IVCVNDIANO
PRAEF. FABRVM ADSCENSO.
VELATO. PROC. ALIM VIAE.
FLAM. II. VIR. DESIGN.
(f)

Veserius itaque ad II. Viratum sublimem in Colonia dignitatem elevandus, ante promotionem, Designati II. Viri honorem obtinuit, eumque exindè, cum tempore designationis moreretur, secum monumento intulit, ut supra positus lapis sepulchralis ostendit.

Non minorem honorem L. Calvidius Clemens anno ætatis suæ XX. Neapoli in Colonia sua II. Vir designatus sibi vindicavit, rarumque juventutis exemplum Pater Filio inscripsit, ne lectorem lateat, libens offero.

L. CAL-

(a) *Arionæ Hispan. eique simile Giennii. Ursinus, & Scottus in Schedis suis.*
(b) *In Fastis, ac Nummis Consularibus sub Imperio Octaviani Augusti.*
(c) *Onuphrius Panvinius in suis Fast. Consular.*
(d) *Hubert. Goltzius sub imperio Octaviani August. A.V.C. DCCXLV.*
(e) *Onuphrius Panvin. in suis Fast. Consular.*
(f) *Tiburi in Æde S. Magdalenæ.*

Digitized by Google

Grut. p. MXCII. N. 5.

L. CALVIDIO. L. F. CLEMENTI
ANN. XX. II. VIRO. DESIGNATO
L. CALVIDIO L. F. FELICI
AUGUSTALI. LOCUS. DATUS.
VTRIQUE DECVRION.
DECRETO. IN. FRONT. PED.
XXX. IN. AGR. PED. XXX.
QUOD. FILIVS. PATRI. FACERE
DEBVIT. PATER. FECIT
FILIO (a)

Premebat etiam aliquando populi favor, ac desiderium, quo virum de Republica, ob præstita beneficia, optimè meritum prosequebatur, qui proindè ex postulatione populi ad II. Viratum designabatur. Hujus postulationis, ac designationis luculentum præbet testimonium antiquum marmor Sexto Ligurio Marino, Viro quondam in Lugdunensi Colonia præstantissimo, inscriptum & hic adjunctum.

Grut. p. CCCCXXXI. N. 1.

SEX. LIGVRIVS. SEX. FIL.
GALERIA MARINVS.
SUMMUS. CURATOR. C. R.
PROVINC. LUG. Q. II. RALIB.
ORNAMENTIS. SUFFRAG.
SANCTI. ORDINIS. HONO
RATUS. II. VIR. DESIGNATUS
EX. POSTUL. POPULI. OB. HONO
REM. PERPETUI. PONTIF. DAT.
CUJUS. DONI. DEDICATIONE
CURIONES ⋈ . V. ORDINI. EQUES
STRIS. IIIII. VIRIS. AVG. NEGOTIATO
RIB. VINARIS ⋈ III. ET OMNIB. COR
PORIS. LUG. LICITE. COEUNTIBUS ⋈ . II.
ITEM. LUDOS. CIRCENSES. DEDIT. L. D. D. D.
(b)

Præfati quoque II. Viri subindè à Superioribus Juri dicundo præficiebantur, & sic eodem tempore Coloniæ, seu Municipii II. Viri, & una II. Viri Juris dicundi appellari poterant. Hujus documentum Cordubæ in Hispania (olim Coloniæ Patriciæ nominatæ) extat conspiciendum, quod L. Manlium Bocchium Coloniæ II. Virum Juri dicundo Præfectum insinuat, & declarat.

Grut. p. CCCCXXV. N. 1.

L. MANLIO. A. F.
AN. GAL. BOCCH
TRIB. MIL. LEG. XV.
II. VIR. PRAEFECT.
IVR. DIC. DD. C. P. (c)

Nec recusabant ipsi Decuriones (qui erant Reipublicæ suæ Senatores, & Senatum formabant) hanc nonnunquam Juris dicundi auctoritatem in ipsos Coloniæ, seu Municipii II. Viros transferre, qui propterea II. VIRI PRAEFECTI IURIDICUNDO A DECURIONIBUS CREATI, nominabantur, cujus testimonium Gadibus inveniri potest, his verbis.

Grut. p. CXCV. N. 4.

L. FABIVS. L. F.
GA. RVFINVS
II. VIR. PRAEF.
IVR. DIC. AB
DECVRIONIBVS
CREATVS. D. D. (b)

Ex quibus tandem patet Coloniarum, ac Municipiorum II. Viros I. D. fuisse appellatos, taleque munus obiisse; ex quo ipsis magna auctoritas, nec minor potestas accessit.

Ex his concludo II. Viratum in Coloniis, ac Municipiis primarium, ac præstantissimum fuisse Magistratum, hinc Pomponius asserit (c): *In Albo Lex præponi jubet, qui maximo honore in Municipio functus est, ut qui II. Viratum gessit*, Penes quem erat in regendis rebus publicis summa potestas. Quampropter Magistratum, Spartiano (d) teste, Hadrianus Imperator in Latinis oppidis suscipere non recusavit. *Hadrianus*, inquit Bulengerus (e), *in Etruria Præturam Imperator egit. Per Latina oppida Dictator, & Ædilis, & II. Vir fuit. Apud Neapolim in patria sua quinquennalis, & item in Hadria quinquennalis quasi in alieno Municipio*; quod II. Viratum susceperit sub Iulio Aciliano Patrono Coloniæ, testatur appositum marmor ex Scaligeri doctissimi viri Schedis productum.

Grut. p. CCCCXXI. N. 1.

(L. IVLIO. TROM. ACILIANO
(PRAEF. FAB. CONS. TAB. MIL.
(PROC. AVG. PATRON. COLON.
(QVI. ROGATVS. AB. ORDINE
(PARITER. AC. POPVLO. VT
(GLADIATORII. MVNERIS. PVBLICI
(CVRAM. SVSCIPERET. FECIT
Ggg (ET

(a) *Habetur Neapoli. Ex Sirmondi Autographo.*
(b) *Lugduni in Æde S. Petri. Paradinus, & Bertramius.*
(c) *Extat Cordubæ. Busbequius, & Lipsius.*
(b) *Extat apud Gades. Pighius in suis Decument. Antiquitat.*
(c) *De Albo scrib.*
(d) *in vita Hadriani Aug.*
(e) *Lib. VII. cap. 15.*

Digitized by Google

ET. EXPLICITO QVOD. PROMISERAT IMPENDIVM. BIGAE. QUAM POPVLVS. EX. COLLATIONE LEGATIVI. AC. DONATIVI EPVLI. OFFEREBAT. REMISIT. EO. ANNO. QVO. ET. OPTIMVS IMPER. HADRIANVS. ETIAM DVVM. VIRATVS. HONOREM SVSCEPIT. (a)

Sumuntur etiam aliquando Magistri Municipiorum pro II. Viris. Hinc Suetonius de Domitiano loquitur hoc modo (b): *Avus Municipalibus magisteriis contentus.* Ex quo, forte ducti magisterio fungerentur, de his ait Virgilius (c):

Rectores juvenum, & rerum dedit esse Magistros.

Hinc Magistri pagorum, vicorum.

Sic varium II. Virum nomen, quorum idem ubique munus enatum est (d). *Lanuvii DICTATORES fuerunt. Capuæ PRÆTORES erant, Alexandriæ ὑπομνηματογράφοι. Siquis Spontaneos Hypomnematographi munificos suis exhortationibus ad publicas nominaverunt functiones, jubemus non expectandum esse consensum pro tempore Viri spectabilis Augustalis, qui fit plerumque venalis. CONSVL. Tusculi fuit, alibi II. Viri. Cumis IV. VIRI. X. VIRI commemorantur alibi.* Hactenus Bulengerus.

Prædictis adjungo, neminem ad II. Viratum, qui inferioribus magistratibus non esset probatus, imò & ordine Decuriæ insignitus, aspirare potuisse, quamobrem Pomponius tradit; (e) *Is qui non sit Decurio, Duumviratu, vel aliis honoribus fungi non potest.*

Honoribus sanè fungebantur, & honoribus venerabantur, nam antiquitùs in Coloniis II. Viri Bacillorum honorem obtinebant, *In coloniis*, habet Bulengerus (f), *non fasces II. Viris, sed bacilli præferebantur.* Hinc Cicero (g): *nam primum cum cæteris in Coloniis II. Viri appellentur, hi* (Capuæ) *se Prætores appellari volebant. Dum anteibant Lictores non cum bacillis, sed ut hic Prætoribus anteiverunt cum fascibus duobus.* Putem autem bacillos fuisse fasces Virgarum sine securibus.

Varia etiam II. Viri pollebant auctoritate, in qua recensetur datio Tutorum. *Duumviri Tutores*, juxta legem, (a) *dare poterant, si pupilli facultates quingentos solidos non excedebant. Hadrianus ait*, ἄρχοντες quo anno cum imperio sunt, neque eorum, quorum tutelam, vel curam gerunt, causam in judicio, vel agendo, vel defendendo sustinento. (b)

(a) *Ex Schedis Scaligeri, & Inscript. Antiquit. Gruteri, Fol.421.N.1.*
(b) *In Domitiano Cap.14.*
(c) *Lib.IX.*
(d) *Bulengerus Lib.VII. cap.15.*
(e) *L.VII. D.de Decurion.*
(f) *Lib.VII.cap.15.*
(g) *in Rullum.*

CAP. XIX.

II-VIRI QUINQUENNALES TABULÆ CANUSINÆ.

Hactenus varios II. Viros, eorumque munia illustravi: Coloniarum autem, ac Municipiorum explicandis II. Viris constanter inhæsi, horum supra dixi Magistratum extitisse annuum, hic verò ad quinquennium aliquando fuisse productum demonstrandum occurrit (c).

Cum igitur in exordio suo Coloniarum, ac Municipiorum Respublicæ sub annuo regimine essent erectæ & institutæ, ac proinde earundem munia II. Virum, Decurionum, Censorum, Ædilium, & Quæstorum annis tempore circumscriberentur; exindè paulatim tractu temporis, contra primum, ac inveteratum morem introductum fuit, vel ob inopiam Virorum illustrium, vel ob eorum simultates, vel ob numerum candidatorum, vel ob instantias Superiorum, vel ob mandata Principum, accedente passim in omnibus aura quadam, ac favore populari, quibus nunc beneficia præstita, nunc præstanda ponderabantur, sic, ut præfati Magistratus nunc in annum secundum, nunc in tertium, nunc in quartum, imò tandem in quintum (uti infrà sub Quinquennaliciis Decurionibus ampliori modo enodabo) fuerint producti; non solum continuatione honoris, sed etiam creatione quinquennalis dignitatis. Quapropter ii, qui magistratum gerebant, II-Viri, Decuriones, Censores, Ædiles, ac Quæstores, Quinquennales dici cœperunt. Hic de II-Viris Quinquennalibus, cum hoc nomine II-Viri in Tabula ænea nuncupentur, aliqua subjicienda sunt. *Duum-Viri*, ait Bulengerus (d), *plerisque in civitatibus præcipuo honore erant, quorum annua ferè administratio, interdum & Quinquennales, hinc lustrum municipale.*

Hos II-Viros Quinquennales extitisse imperante Commodo Augusto docet marmor adjunctum.

Grut. p.^{ML}XXXV. N.7.

IMP. CÆS. M. AUREL. COMMODO ANTONINO AUG. PIO. P. P. II. VIR. QUINQUENN. FL. PHANEAS. MARMORARIUS. (e)

Hos

(a) *L.3. de Tutor. & Curat. L.48.de Judic.*
(b) *Buleng.ibid.cap.XIV.*
(c) *Joan.Rosinus lib.X. c.24.*
(d) *Lib.VII. Cap.IV.*
(e) *Neap. Sirmondus in suis Antiquit.*

Digitized by Google

Hos in Coloniis floruisse sub Nerva Trajano Cæsare exhibet Lapis Ariminensis his verbis :

Grut. p.MCII. N.5.

M. VETTIO. M. F.
AN. VALENTI.
CÆSARIS. NERV.
TRAJANI. OPT. AUG. GER.
DACICI. PART. II. VIR. QUINQ.
PRÆS. FLAMINI. AUGURI.
PATRONO. COLONIAE.
VICANI. VICI. AVENTIN.
OPTIMO. CIVI.
PATRONO. SUO. (a)

In Colonia & Municipio (successivè arbitror) II-Viratum Quinquennalem gessisse Alfium Rufum, unum idemque marmor demonstrat, quod hic habes.

Grut. p.CCCLI. N.1.

ALFIUS. C. F. LEM. RUF. II. VIR. QUIN.
COL. JVL. HISPELLI. ET II. VIR.
QVINQ. IN. MVNICIPIO. SVO. CASINI.
C. ALFIVS. C. F. LEM. QVADRATVS. VIV.
EQUO. PUBLICO. IN. HONORE AED. EST. MORTVVS
ALFIA. C. F. MIMISIA. VXOR. (b)

Reiteratum Duum-Viratum Quinquennalem C. Ofillius sustinuit.

Grut. p.CCCCXLV. N.5.

C. OFILLIO SEX. F. GAL. DUO. VIR. ITERUM QUINQUENNALI. (c)

Bis eundem quoque II-Viratum Quinquennalem adeptus est L. Octavius Rufus, sed eo digniorem peregit, quod illum ex S. C. & D. D. hoc est ex Senatus consulto, & Decreto Decurionum sui Municipii sibi asseruerit, ut dictis fidem adhibeas, adjunctum marmor omnimodam fidem facit.

Grut. p.CCCCXLIV. N.8.

L. OCTAVIO. L. F. CAM.
RVFO. TRIB. MIL. LEG. IIII.
SCYTHICAE. PRAEF. FABR.
BIS. DVOMVIRO. QVINQ. EX
S. C. ET. D. D. AVGVRI EX D. D.
CREATO.
QVI. LAVATIONEM. GRATVITAM
MVNICIPIB. INCOLEIS
HOSPITIB. ET. ADVENTORIB.
VXSORIB. SERVEIS. ANCILLEIS
QVE. EOR. IN PERPETVOM.
DEDIT. D. D. PVBL. PATRONO.
(d)

Iterati demum II-Viratus quinquennalis, iterata testimonia trado, Casini, vulgo *S. Germano*, in Campania rediviva, & in S. Maria *delle cinque torre* in basi marmorea conspicua, quæ denuo L. Luccejum, & *L. Luccium* lucere fecerunt.

Grut. p.CCCCXXXI. N.7.

L. LVCCEJO L. F. TER.
HIBERO
II. VIR. ITER. Q. Q. PATRONO.
SACERDOTI. SACROR. SALVADIOR.
CURR. R. INTERAMNAT. LIRIN.
EORUND. ET. PATRONO
JUDICI. CCCC. SELECTO.
CASINATES. PUBL. OB.
MERITA EJUS
D. D. (a)

Grut. p.CCCCXXXII. N.8.

L. LVCCIO. L. F. PAL.
UMMIDIO. SE.
CUNDO. DECUR.
L. LUCCI. L. F. TER.
HIBERNI. II. VIRI
ITER Q. Q. PATRON
COL. ALUMNO
COLLEGIUM FAB
RUM. QUIB. EX S. C.
COIR. LICET
L. D. D. D. (b)

Tertii perfuncti II-Viratus Quinquennalis præclarum documentum inveni Allifis in atrio Domus Episcopalis, quod M. Granium (quem alibi Marcellum probavi) Cordum fratrem, II. Virum ter Quinquennalem extitisse, sive tertio II-Viratum Quinquennalem peregisse testatur.

Grut. p.CCCCXVII. N.3.

M. GRANIO. M. F.
M. N. CORDO. FRAT.
TR. MIL. PRAEF. EQUIT
PRAEF. FABR. II. VIRO
TER. QUINQ. AED. Q. CUR.
AQUÆ. DUCENDÆ. ALLIFIS.
D. D.
OPPIDIAE
C. F. RUFAE
MATRI. (c)

(a) *Arimini prope portam S. Andreæ. Ex Schedis Pighianis, & Sirmondi Marcanovanis.*
(b) *Ex Fulvii Ursini Autographis.*
(c) *Juxta Neapolim alla Rocha. Gutenstenius.*
(d) *Suasæ, Senonum quondam civitate nobilissima. Ex Ursini Autographo.*

(a) *Casini ad S. Germanum ex M.S. Cod. Smetii Gutenstenius.*
(b) *Ibidem. Vidit Smetius.*
(c) *Allifis in atrio Aulæ Episcopalis. Smetius, & Manutius.*

Digitized by Google

Jam II-Viros Quinquennales dedi, & repetitas Magistratus vices exhibui, ad officium properandum est. Dixi, & scripsi suprà II-Viros Romanis Consulibus in multis, nec non Prætoribus in nonnullis, cæteris tamen paribus (hi enim in Romana Republica, illi verò in Coloniis, & Municipiis dominabantur) esse æquiparandos. Duum-Viri Quinquennales eò majore potiebantur auctoritate, quo longiori gaudebant potestate.

Eorum verò munus in eo præcipuè consistebat, quod Reipublicæ suæ ordini præessent, quod ea, quæ Decuriones, ac Populus Senatus consulta, ac Plebiscita constituissent, & omnia, quæ publica negotia concernebant, exsequerentur, & ad finem perducerent. Apud ipsos etiam erat jus gladii, id est summa potestas puniendi reos in vita & nece. Leges etiam aliquando promebant, potissimum cum Juri dicundo essent præfecti, paucis concludo, *Præeundo, judicando, consulendo* PRÆTORES, JUDICES, CONSULES *appellari poterant.*

CAP. XX.

DECVRIONES TABVLAE AERAE CANVSINAE.

VAriæ olim Curiæ, Variæ Decuriæ extiterunt, omnes fuere Sodalitia, Collegia, Corpora, Magistratus. Curiarum nomen latiùs quàm Decuriarum extendebatur, attamen unum sæpiùs pro alio sumebatur. Sic fuere Curiæ, aut Decuriæ Judicum, Equitum, Venereariæ, Ædilium, Plebis Cerealium, Ædilitiæ, Pompæ, Juliæ, Viatoriæ Consulares, Lictoriæ Consulares Præconum, Scribarum Ædilium Curulium, Scribarum ædilit. armentar. Scribarum librorum Quæstor. Fabrum, Dendrophor. & Centonarior. Sacerdotum Bidentalium, Cugurum, Carum Colusianorum, Pontificum, & aliorum plurium.

Quibus omnibus præteritis utpotè intentioni meæ parum adminiculantibus, solas Coloniarum, ac Municipiorum Decurias illustrandas assumo. Nomen Decuriæ, peperit nomen Decurionis, non dissimili modo, ut à Senatus nomine Senatoris appellativum procedit.

Decuriones ergò ex ducta Colonia decimati, Coloniæ Senatum componebant, hinc Suetonius de Decurionibus asserit: *Quæ de Magistratibus Urbicis Decuriones Colonici in suam quisque Coloniam ferrent.* Imo de Cugusto profert: *Corpus Decuriones Municipiorum, & Coloniarum à Nola Bovillas usque deportarunt.* (a)

Decuriones, ut alibi indicavi, annua pollebant auctoritate.

(a) *Suetonius in Augusto.*

Evoluto anno Kal. Martiis novi Decuriones, & Magistratus nominabantur, Curiâ à II-Viris solemniter per publicum nuntium convocata, duas Curiæ partes, & ipsum Præsidem Provinciæ oportuit: tum II-Viri, aut Censores nominabant, sed suffragiis nominatum comprobari oportuit (a), ut tradit Plinius, imò etiam à Præsidi approbari. Scribit insuper: (b) *Decuriones, qui suprà legitimum numerum Cæsaris indulgentia fuerant, singula millia denariorum, & quandoque bina millia pro introitu Curiæ intulisse*, quapropter consu[illegible] Trajanum Imperatorem, petitque an in omnibus civitatibus, ubi Decuriones leguntur, certam quantitatem dare debeant, hic, locorum consuetudini parendum, ait.

Decurionibus autem ætatis annus constitutus fuit Vigesimus quintus, hinc lex edicit: *Neque Senatores neque Decuriones ante 25. annum in ordinem allegi poterant.* (c) Scipio tamen Africanus post Agrigenti legem tulit, ne Senator ante trigesimum annum fieret. (d) Idem fecit Clodius Pulcher apud Halesinos, similemque legem Lucius Rupilius dedit Heracleanis, quæ passim in Decurionibus observata fuit.

Liberti interim Senatores, aut Decuriones effici non poterant, donec Justinianus jus aureorum annulorum libertis omnibus largitus est. (e)

Decurionis autem Coloniæ Lapidem Brixia submini[illegible]t hoc modo.

Grut. p. CCCCLXIV. N. 5.

P. RVFRIVS. P. F. BALBIN.
DECVR. IN. COLONIA.
SIBI. ET. C. RVFRIO. P. F. PEDON.
FRATRI
ET
RVFRIAE. P. L. AMOENAE
ET
SVIS
T. F. I.
ET. ROMANAE. M. F. TERTIAE
ET. P. ROMANAE. M. F. FRATRI
(f)

Plures verò Decuriones, ac ipse populus exprimuntur in marmore Prænestino. (*Vid. Tab. 1. fig. 8.*) (g)

His Decurionibus plura concessa fuere Privilegia, quorum præcipuum, ne ipsi, aut eorum filii, à Præsidibus Provinciarum plebejorum tormentis subjicerentur: Si publi-

(a) *L. 2. 28. 46. C. Theodos. de Decurionib.*
(b) *Lib. x. Ep. 78. & 80. ad Trajanum.*
(c) *L. Spurii. L. Non tantum D. Decurionib.*
(d) *Cicero IV. in Verrem.*
(e) *L. 9. C. de Dignitatib. L. 1. Si servus, aut libertus. ibid. Novell. 78.*
(f) *Brixiæ ad D. Nagarii. Manutius, & Appianus, & Scultetus.*
(g) *Prænestæ in Latio in Palatio Episcopi Prænestini habetur hæc Tabula marmorea. Smetius.*

Digitized by Google

blicam pecuniam intervertissent. plumbatarum ictibus vacabant. *Omnis Ordo Curialis*, inquit Lex *à tormentis his quæ debitis sunt, & ab ictibus plumbatarum habeantur immunes.* (a)

Decuriones qui Magistratum ineabant, vel Togam Virilem sumebant, vel nuptias celebrabant, alios consodales suos invitabant, & singulis binos denarios dabant.

Propria insignia Decuriones habebant, testimonium adfert lapis Veronensis, qui P. Falerium Trophimum ornamentis Decurionalibus exornatum exhibet.

Grut. p. xcvii. N. ii.

PARCIS AVG.

P. FALERIVS. TROPHIMVS
ORNAMENTIS. DECVRIONALIB.
RESTITVTOR. R. VER. (b)

In Urbe bigis usi sunt: hinc Bigæ Decurionum eorumque vehicula in legibus describuntur.

Vestis etiam Decurionum erat Prætexta, hinc Livius ait: (c) *Purpura viri utimur. Prætextati in magistratibus, in Sacerdotiis, liberi nostri prætextis purpura togis utuntur.* Exactius Plinius morem exprimit, dum scribit (d): *Magistratus in Coloniis Municipiisque Togæ Prætextæ habendæ jus est, nec id ut vivi secum habeant id insigne, sed etiam ut cum eo crementur mortui.*

Ex tot prærogativis civilis Nobilitas, aut nata, aut conservata. Quapropter ait S. Ambrosius (e): *Viri persona quæritur, qui etiam in Senatu, & reliquis Curiis generis dignitatem.* Nobilitas autem à patre petebatur, non à matre, nisi id à Principe concederetur ut Ilienſibus, Delphis, & Ponticis. Quod jus Antiocheni à Juliano, accepere. Ad rem Julianus in Misopogene: Βελευτικὸν τὸν κατάλογον διακοσίοις Βουλευταῖς αὔξησα. *Curiæ Catalogum ducentis Decurionibus auxi.* (f)

Tot Decurionum honores, onera dici poterant, hinc Theophylactus ait (g): *Decurio honor erat, aut potius civile onus, quo affecti fori annonam curabant, & sæpè periculum obibant, si annona gravior esset.* Inter onera etiam erat (posteriori maximè ætate) Circenses ludos, & spectacula curare. Quapropter ad eas populi voluptates instruendas excitabantur ea tempestate Primates Civium, his enim in Civitatibus, præcipuè magnis, opus erat, in istis quippè Decuriones divites legitimos istos sumptus suppeditare debebant.

Sed, & Tributa Decurionibus oneri fuere. De his Salmanus scribit (a): *Respublica Romana, vel jam mortua, vel certè extremum agens spiritum, ea in parte, qua vivere videtur, tributorum vinculis quasi prædonum manibus strangulata moritur. Omnes enim distributionum formæ à Decurionibus fiebant, itaut, si quid deesset, de suo supplerent.*

Hoc etiam onus ad Decurionum hæredes transibat, (b) nam filius Decurionis cogebatur esse Decurio. Ideo quidam nuptiis abstinebant. Justinianus edixit, ut tres uncias ex asse bonorum Decuriones Curiæ relinquerent.

Desinebant tandem esse Decuriones, (c) si deportarentur, vel relegarentur, vel si Patricii, aut ordinarii Consules fierent.

CAP. XXI.

DECURIONES PATRONI C. C. V. V.

VEtustissimum Patroni nomen, & ab [illegible]bis incunabulis cognitum, cum Romulus Populum in Patricios, & Plebem divisisset, natum est. *Illustres genere*, inquit Dionysius, (d) *& virtute celebres, opibusque, ut tum ferebant tempora, abundantes, quibus essent liberi, secrevit ab obscuris, egenis, & humilibus. Inferioris fortunæ homines Plebejos vocavit, Potiores verò, Patres; sive quod ætate anteirent alios, sive quod haberent liberos, sive propter nobilitatem generis, sive propter hæc omnia.*

A Patribus indè nati, Patricii vocabantur. Patricios, & Plebejos arcto vinculo colligavit, *commendavit*, ait Dionysius (e), *Patriciis Plebejos, optione cuique è vulgò data, ut quem vellet, Patronum sibi legeret.* Ut hoc modo divites, & opulenti pauperum, & humilium tutelam agerent, & hi vicissim protegerentur. Hinc Patroni, & Clientes dici cœperunt: quibus utrinque varia officia incumbebant.

Patronorum munus erat Clientes tam præsentes quam absentes in judicio, & extra judicium defendere, eamque curam adhibere, qualem filiis parentes præstare solent. Clientium verò, Patronis, dum opus haberent, nummis adesse, captivos ipsos, vel eorum filios, ex hostium potestate redimere, aliaque agere, quibus recepta beneficia, mutua gratia compensarent. Quapropter enitebant amborum officia ut quædam cognatæ necessitudines. Hinc *maxima laus erat*

No-

(a) *L. 8. C. Theodos. de Decur.*
(b) *In agro Veronensi in æde D. Georgii Vallis Policellæ. Ex Sayna, & Panvinio.*
(c) *Lib. xxxiv.*
(d) *Lib. x. Epist. 82.*
(e) *In Cap. iii. Lucæ.*
(f) *Zosimus lib. iii.*
(g) *in c. xv. Marci.*

(a) *Lib. iv.*
(b) *l. i. C. Theodosiano de Privilegiis Dom. August. Novell. 101.*
(c) *L. i. imo & l. ult. C. de Decurionib.*
(d) *Lib. ii.*
(e) *Ibidem.*

Digitized by Google

Nobilium habere clientes quam plurimos tam hæreditariarum Clientelarum, quam portarum virtute propria: ingensque certamen erat utrisque, ne vincerentur mutua gratia, & benevolentia, dum Clientes nullum Patronis negarent ministerium: vicissim Patroni nullo corrumpi possent pretio, ut Clientes molestari sinerent. Tanta illis erat in omni vita temperantia, & felicitatem virtute, non fortuna metiebantur. (a)

Roma igitur suos domi Patronos habuit, sed & Provinciæ, quæ sub Romana erant potestate redactæ, ex Urbis Optimatibus sibi Patronos delegerunt. Sic Sicilia Marcellos, & Lentulos Marcellinos in Patronos assumpsit. Imo ipsi *Syracusani*, inquit Goltzius, (b) *à Marcellorum Gente in Clientelam accepti, comiterque, & benignè semper habiti, in omnibus summo studio adjuti: MARCELLEA, Diem festum in honorem Patronorum instituerunt.*

Sociæ etiam Civitates ex Romanis civibus sibi Patronos comparárunt.

Sed & Coloniæ & Municipia sub defensione Patronorum vixere: *Ita Bononienses in Antoniorum Clientela fuisse, prodit Suetonius, Puteolanos in Cassiorum, Cicero testatur Antonium quoq; vexasse Puteolanos, quod Cassium, quod Brutos Patronos adoptassent.* (c) Imò ipse Cicero à Capuana Colonia in Patronum elec[tus] ipso prodit: (d) *Qua de caussa, & tu[i] ille Capuæ, qui propter salutem illius Urbis Consulatu conservatam meo, me unum Patronum adoptavit.*

T. etiam Avonius Marcellinus, qui A. V. C. MXXVI. sub Imperio L. Domitii Aureliani Consulatum gessit, Campaniæ Patronus extitit, ut lapis enuntiat.

Grut.p.cccl.xxi.N.i.

T. AVONIO. MARCELLINO.
V. C. CONS. CAMP. PATRONO. DIGNISSIMO. OB. INSIGNIA. BENEFICIA. QVIBVS. LONGA. POPULI. TAEDIA. SEDAVIT. VNIVERSA. PLEBS. BENEVENTANA CENSVIT. PONENDAM. (e)

Ob præstitam protectionem Beneventani statuam erexere, ut passim ea tempestate moris fuit. Imò etiam in Patronis Collegiorum, seù Corporum Arvalium, Fabrum, Centonariorum, Dendrophororum, aliorumque observatum.

Plurium etiam Civitatum Patrocinium in uno L. Nonio Vero constitisse apparet ex marmore Laudiciæ conjugi erecto, & Mutinæ conservato. Ne longiorem enarrationem adducam, ipsum marmor omnem indicabit.

Grut.p.mxcviii.N.i.

L. NONIVS. VERVS. V. C. BIS CORRECTOR APVLIAE. ET. CALAB. VENETIARVM ET. HISTRIAE. COMES. PATRONVS. MVTINENSIVM AQVILEGIEN. BRIXIANORVM. ET. VNIVERSARVM VRBIVM. APVLIAE. CALABRIAEQ. VINICIAE. C. FILIAE. CAECILIANI. P. V. BIS. RATION. VRBIS. ROMAE. AERICAE. PRAES. LVSITANIAE. CORR. APVL. ET. CALAB. VIC. PRAEF. PER. ITALIAM. LAVDICIAE. CONIVGI. SANCTISSIMAE. AC. BENIGNISSIMAE CVIVS VITA MORVM STVDIORVMQ. LAVDIBVS. ET. VNIVERSIS. VIRTVTIVM ANIMI. ET. CORP. TAM. CLARA. EXTITIT. VT. ADMIRABILIA. VETERIS. VETVSTATIS. EXEMPLA. SVPERARIT. QVO. MERITO. OMNIVMQ. IVDICIO. SINGVLARI. PRÆCONIO. MATRONARVM. DECVS. ORNAMENTVMQ. EST. HABITA. (f)

Sed hi Patroni Majores in Senatu, ac Urbe Roma, dum Clientium res urgebant, favorem, ac Patrocinium submini[s]trabant, imò ad se delatas dissensiones dijudicasiant: *Primum omnis Pompejanorum colonorumque dissensio delata ad Patronos est, cum jam inveteraſſet, ac multos annos esset exagitata, deindè ita à Patronis res cognita est, ut nulla in re à cæterorum sententiis Sylla dissenserit.* (a)

Inferioris notæ sed inter suos primarii, ac honorati in ipsis Coloniis, & Municipiis inveniebantur, qui publica onera sustinebant, & privata subindè munificentia Rempublicam suam exornabant. Præclarum exemplum in P. Fundanio P. F. (Papiria) Prisco, Civitatis Ausculanorum Patrono, Municipii exhibeo.

Grut.p.ccccxiv.N.i.

PELAGINIIA

P. FVNDANIO P. F. PAP. PRISCO. PATRON. MVNICIPI. OMNIBVS. HONORIB. ET. ONERIBVS. FVNCTO. PATRON. CIVIT. AVSCVL. QVI. CVM. MVLTA. ET. MAXIMA. IN. REMP. SAEPIVS. PRAESTITERIT. FONTEM. QVOQVE. NOVVM. CVM. GRANDI. SVMPTV. FABRICAE. SVA. PECVNIA. INDVXIT. ET. CIVES. PATRIAMQVAE. REFORMAVIT. M. CAP. LATORES PATRONO. PRAESTANTISSIMO. L. D. D. D. (b)

Grut. sic caplatores.

Non

(a) *Joan. Rosinus in Antiq. Roman. Lib. I. cap. 16.*
(b) *In Sicilia, seù Magna Græcia sub Syracusis.*
(c) *Joan. Rosinus Antiq. Roman. Lib. X. cap. 24.*
(d) *In Philippic.*
(e) *Beneventi in Vico Fabrum Ferrarior. in Bast. Pighius, & Metellus.*

(a) *Mutinæ conservatur. Sirmondus in Antiq. Monum. Marcanovan.*
(b) *Cicero in Oration. pro Sylla.*
(c) *Habetur Asculi in Suburbio. Aldus Manutius.*

Digitized by Google

Non minore honore elatus fuit A. Pompejus. A. F. Interamnæ Nahartium Municipii (quod vulgo *Terni* nuncupatur) Patronus, pro collato in Rempublicam suam Beneficio, quod ut ex æquo appareat, lapis Posthumus testimonium perhibet.

Grut.p.cccclv.

A. POMPEIO. A. F.
CLV. Q. PATRONO.
MVNICIPI. INTERAMNAT.
NAHARTIS. QVOD. EIVS.
OPERA. VNIVERSVM MV-
NICIPIVM. EX. SVMMIS PE-
RICVLEIS. ET. DIFFICVL-
TATIBVS. EXPEDITVM. ET
CONSERVATVM. EST. TE-
STAMENTO. L. LVCINI. T. F.
STATVA. STATVTA. EST. (a)

His positis ad Tabulam æneam procedo, in qua triginta, & unum Patronos (C. C. V. V. Clarissimos Viros nominatos) primo loco inter Decuriones locatos, invenio. Patronos hic, appellativum verò Clarissimi Viri, alibi illustrabo. Hi Patroni in Colonia Canusii erant primarii, Decuriones, & reliquos omnes (exceptis solum Duumviris) præcedebant, magna proindè in ordine, seù Senatu suo pollebant auctoritate, eo majori quod omnes Colonos horum quasi clientes censerentur. Maximam subindè alibi auctoritatem exercebant, præcipuè in urbe Roma, ad Consularem, Prætoriam, aut aliam dignitatem evocati. Nec hoc mirum videri debet, Coloni enim aliquando ad externum agrum possidendum ex Urbe destinabantur, & jus Civitatis Romanæ subindè retinebant, nec ipsis eaproptèr interdicebatur reditus ad Urbem, sed nova acquisiti agri cumulabantur possessione, sic ut remanerent iidem, qui anteà erant, & locum mutarent, non conditionem. Qui verò non procul disitum ab Urbe agrum colendum obtinebant, Romæ passim commorabantur. Quoad agrum erant coloni, quo ad habitationem erant indigenæ, & ubique remanebant Cives Romani.

Municipes verò indigitabantur, qui obtento jure Civitatis, Romanis civibus annumerabantur, & in meliorem semper admatam mutabant conditionem; translata quoque subindè ex municipio ad Urbem commoratione, ad Magistratus evehebantur Romanos.

His parumper sepositis, Cives Romani aliquando partem agri in Coloniis, maximè urbi vicinis, ex paterna hæreditate obventam (nam de patre in filium posteros sequebatur ager) possidebant: hinc & ipsi, respectu possessionis Coloni, respectu conditionis censebantur Romani. Hi cæteris Colonis præferebantur, in Ordinem Colonicum, & in Patronos eligebantur Coloniæ. Si verò Romanum gessisent Magistratum majorem, Clarissimi Viri, ut alibi demonstrabo, nominabantur, proindè hujus tituli denominatio oriebatur ex functione dignitatis Reipublicæ Romanæ, non verò ex honore Senatus Coloniæ, aut Municipii. Fundat intentionem meam Ap. Claudius Julianus(a), qui anno V.C.DCCCCLXXVII. post L. Marium Maximum, & L. Roscium Ælianum sub Alexandro Severo Augusto Consulatum gesit, & primus in Lamina Canusina hos inter Patronos legitur. L. Betitius Præsens Prætor, & indè Consul extitit. L. Didius Marinus Procuratorem Augustalem Variarum Provinciarum egit. L. Pontius Verus alibi inter Viros Clarissimos recensetur. C. Licinius Licinianus primariam obtinuit dignitatem, uti alibi latiùs explicabo. Sufficiat hic extremo digito indicasse, hos omnes Canusii Patronos non immeritò Clarissimi Viri nomen promeruisse.

Sed adest illicò solvendus nodus, cur ii Patroni (qui Clarissimi Viri nomine gaudent) inter Decuriones recensentur? Num contradicit Patroni dignitas Decurionis functioni? num una, & altera in eadem persona potest consistere? Potest sanè, & sæpiùs hæc unio in antiquis monumentis exhibetur considerandæ: sed ne absque fundamento procedere videar, unum pro pluribus aliis in P. Ælio Marcello solidatum exemplum adduco: is enim extitit non solum Patronus, & Decurio Coloniæ Apulesium, sed, & plurium Civitatum Patrocinio, ac vario Militiæ munere, necnon Sacerdotii honore insignitus vixit, vitam cognoscere potes, si lapidem legas:

Grut. p.cccxlvii. N.i.

P. AELIO. P. F. PAPIR.
MARCELLO. CENT.
FRVM. SVB. PRINCIPE.
PEREGRINORVM. ADSTATO.
BT. PRINCIPI. ET. PRIMIPILO.
LEG. VII. GEM. PIÆ. FEL. ADLEC
TO. AD. MVNERA. PRAEF.
LEGG. VII. CLAV. ET. PRIMÆ.
ADJVTRICIS * V. E. FLAMINI.
LVCVLARI. LAVREN. LAVINA.
PATRONO. ET. DECVRIONI. CO.
LONIAE. APVLESIVM. PATRONO.
CIVITAT. FORO. FLA. FVLGINIA.
ITEMQVE. IGVVINORVM. SPLEN
DIDISSIMVS. ORDO. FORO FLAMI.
CVJVS. DEDICAT. DECVRIONIBVS
ET. LIBERIS. EORVM. PANEM.
ET VINVM. * SS. XX. N. ITEM
MVNICIPIBVS. SS. IIII. N. DEDIT.
(b)

Probatus est Patronus, probatus est Decurio. Sed is qui Coloniæ Decurionem - Patro-

(a) *Interamnæ Nahartium in Umbria, in Foro ad officinam aromatariam hac basis exiſtit. Smetius.*

(a) *Panvinius, & Goltzius in Fastis Consularib.*

(b) *Extat Fulinguæ in Umbria, e regione horti olim Eusebii Heremitæ. Smetius, & Manutius. V. E. Viro Egregio.*

*SS. *sunt sestertii nomæ.*

Digitized by Google

tronum agebat, pro varietate functionis non uno titulo contentus, etiam Defensor vocabatur, qui aliquando ad quinquennium auctoritatem prorogabat, dicit proinde Lex: (a) *Quinquennales defensores exaudiendi sunt.*

Defensores igitur erant Curatores Civitatum ex ipsis II-Viralibus creati (b). Hos Arrianus in Epicteto illustrat hoc modo: (c) ὁ βουλευτὴς πόλεως πῶς ἂν καὶ βουλευτὴς γένοιτο. σπάνιος.

Defensores verò, ut Defensores, magistratus non sunt, sed ἀρχικῆς σημασίας μοῖραν ἔχουσι, ut ait Justinianus, *habent speciem dignitatis Magistratum, disciplinæ Vindices dicti, Plebis Tutores, & Decurionum Patroni.* (d)

Hi omnes eligebantur cum decreto publico (): Nominationes fiebant in legitimo ordinis conventus non sine duabus saltem Decurionum partibus. Præclarissimæ hujus Defensionis Ravenna subministrat Documentum. Lapidem lege & invenies.

Grut. p. MXCVI. N. 9.

C. MARIO. EVENTIO. C. V. FIDELISSIMO. IN. ANNIS. IUVENALIBUS. ADVOCATO. POSTEA. IVSSVS. AC. RO. PER. QVINQVENN..UM. HUJVS. CIVIT. SID. ET. VICIN. VRBIVM. PROBATISSIM. DEFENSORI. PRO INSIGNIBVS. EJUS. ERGA. ORDINEM. POSSESSORES. ET. CIVES. MERITIS. AB. EO. BENEFICIIS. PERPETVITATE. EJUS. NOMINIS. POSTERIS. RETINENDAM. STATUAM. QUÆ. ET. IPSI. RO. AC. N. D. SUIS. TESTIMONIVM. PERHIBEAT. ET. EXEMPLO. EJUS. AD. PROBATISSIMA. DEFENSIONEM. SVI; CETEROS. INCITARET. ORDO. ET. CIVES. F. ARESTI. SVMPTV. PROPRIO. CONLOCAVERUNT. (e)

Hi etiam Patroni aliquando Defensores Reipublicæ vocabantur, testimonium adferunt duo adjuncti lapides:

Grut. p. CCCLXXXVI. N. 4. sed plenius in Appendice, p. MXCII. N. 7.

L. CASURIO. L. F.
CLV. SPECULATORI.
AED. IIII. VIR. I. D. Q. ARC.
PUBL. ET PEC. ALIMENTAR.
DEFENSORI. R. P. CUR. ANN.
POPULO. PRAEBITAE
COSCONIUS. SECUNDINUS
ET SAFINIA. JUSTINA. ET COSCONI
GRATUS. SECUNDINUS ET. JVSTINUS. (g)

Grut. p. CCCCLV. N. 2.

M. POBLICIO
M. F. SAB. SEXTIO.
CALPURNIANO.
EQUO. PUBLICO
FLAM. DIVI. JULI.
PRAEF. AEDIL. POT.
QUAESTOR. AFRAR.
SACERD. JUVEN. BRIX.
DEFENSORI. REIP. BRIX.
COLLEGIA.
CENTON. ET. FABROR.
L. D. D. D. (h)

Cum autem hi Defensores, & Decuriones & Coloniam defenderent, iique & *Decurionum Patroni*, & *Coloniæ* (a) nominarentur, ex effectu enatus est duplex ille Patronatus, quem in Cn. Arrio Aximio expressum vides.

Grut. p. CCCXV. N. 2.

CN. ARRIO C. F. PUB. AXIMIO.
PATRON. ORDIN. ET. COLON.
(b)

Sic ut Patroni ordinis sint ii, qui Patroni Decurionum in legibus appellantur, & in Tabula Canusina primo loco inter Decuriones exhibentur, quibus & in Ordine, & in Colonia, & etiam alibi, Decuriones ordinemque defendendi incumbebat auctoritas, & potestas. Qui aliquando ad sublimes in Republica Romana ascendentes dignitates, V. C. *Viri Clarissimi* appellativum sibi vindicarunt.

Patroni Coloniæ subindè ex ipsa Colonia, eiusdemque Primoribus, pro rebus majoribus defendendis, eligebantur, & sic C. Juventius, AEdilis, & II-Vir munificentissimus, ob merita sua, in Patronum Patriæ, seu Coloniæ creatus fuit, ut sequens marmor exhibet.

(a) *l. 1. C. Theodos. de Medic. & Professor.*
(b) *l. 2. C. Theodos. de Decurionib.*
(c) *in Epictet. lib. II. c. 10.*
(d) *D. de Defensorib.*
(e) *l. 46. C. de Decurionib. l. 6. C. Theod. eod.*
(f) *Ravennæ extat. Pighius.*
(g) *Habetur ad primum lapidem ab AEmilia. Nicolaus Florentius.*
(h) *Cazagi in Sacello D. Mariæ Virg. Elias Cavrioli in sua Histor. Brixian.*

Grut.

(a) *D. de Defensorib.*
(b) *Zagaroli, quod oppidum Gabios fuisse creditur Panvinius.*

Digitized by Google

Grut. p. cccxxvii. N. 5.

C. IUVENTIO. C. F. QUIRI.
NA. AED. II. VIRO. MUNI.
FICENTISSIMO. CIVI. MV.
NICIPES. INC. OB. MERITA.
* Grut * PATRIÆ. PATRONO DEDE.
Pat. Patriæ. RVNT. (a)

Sic M. Baſſæus Axius, II-Vir Municipalis, altiſque honoribus inſignitus ad defenſionem Coloniæ, & Municipii Patronus, & Curator aſſumptus fuit, & rempublicam bene, ac fideliter geſſit, quapropter hanc meritorum ſuorum ab Hydruntinis adeptus eſt inſcriptionem.

Grut. p. cccl xxiv. N. 5.

M. BASSAEO. M. F.
PAL. AXIO.
PATR. COL. CVR. R. P.
II. VIR. MUNIC. PROC. AUG.
VIÆ. OST. ET. CAMP. TRIB. MIL. LEG.
XIII. GEM. PROC. REG. CALABR.
OMNIB. HONORIB. CAPVAE. FUNC.
PATR. COL. LUPIENSIUM. PATR.
MVNICIPI. HYDRENTINORUM.
VNIVERSVS. ORDO. MVNICIP. OB.
REM. PVBL. BENE. AC. FIDELITER. GESTAM.
HIC. PRIMVS. ET. SOLVS. VICTORES
CAMPANIAE PRECIS † ET. AESTIM.
PARIA GLADIAT. EDIDIT.
L. D. D. D. (b)

† Deeſt ea partic. Galateo.

Patroni etiam Coloniæ, aliquando in rebus maximis, ex Conſulibus Romanis (ut ſuprà indicavi) ad defenſionem eligebantur. Sic M. Valerius Homullo Coſ. Patronus Coloniæ renuntiatus fuit.

Grut. p. cccclxxviii. N. 10.

M. VALERIO.
HOMULLO
COS. PATRON.
COL. DD. (c)

Sic etiam Claudius Julius Pacatus Conſul ob æquitatem Judicii, & patrocinia delata Beneventanis, poſt depoſitos falces ſtatuam promeritus eſt. Hic inſcriptionem vides.

Grut. p. cccxxiv. N. 1.

CLAUDIO. JULIO.
PACATO. U. C. CONS. CAMP.
OB. AEQUITATEM. JUDICII.
ET PATROCINIA. JAM. PRIVATI.
ORDO. BENEVENTANUS.
PATRONO. POST. FASCES. DEPOSITOS
CENSUIT COLLOCANADAM. (d)

Grut. p. cccclix. N. 1.

POSTVMIO. LAMPADIO V. C.
ET. INLUSTRI. CONS. CAMPANIAE.
RESTITUTORI. PATRIAE. ET.
REDINTEGRATORI. OPERUM. PUBLICOR.
ORDINIS. PROVISORI. POPULI. SUBVENTORI
OB. INSIGNIA EJUS. BENEFICIA. PATRONO.
LONGE. A. MAJORIBUS. ORIGINALI.
ORDO. CAPUENSIS. VOTI. ET. OBSEQUI
SVI. PIGNUS. LOCAVIT. (a)

Sic Poſtumio Lampadio V. C. Conſuli ob inſignia Patrocinia inſigne encomium Capuenſes inſcripſere.

Tot tantoſque Patronorum lapides ex Romanæ Antiquitatis ruderibus redivivos, alio præſtantiſſimo marmore obſignandos eſſe judicavi, in hoc enim T. Fariontius T. F. Sabinus, ſupremam dignitatem adeptus eſt, dum *Pater pientiſſimus*, & *Patronus Patronorum* indigitari promeruit.

Grut. p. ccccix. N. 4.

D. M.
T. FARIONTIO. T. F.
SABINO.
PATRI. PIENTISS.
PATRONO.
PATRONORUM.
(b)

(a) *Tabula hæc olim reperta in Hiſpania, Loræ. Moralis, & Schottus.*
(b) *Inventa Tabula Hydrunti, poſteà Neapolim translata. Appianus, & Fabricius, & Galateus.*
(c) *Habetur in agro Capuano. Appianus.*
(d) *Ante ſummum templum Beneventi, in Baſi. Metellus, & Pighius, & Smetius.*

(a) *Romæ in ædibus Benzoniorum, traductum Capua ex ædibus D. Michaelis Perpignani. Horatius à Valle in Autograph. Gutenſtenius.*
(b) *Romæ olim in ædibus Ferdinandi Ponzetti. Mazochius.*

Digitized by Google

CAP. XXII.

APPELLATIO CLARISSIMI VIRI, PATRONIS INSCRIPTA.

IN Lamina indigitantur Patroni C. C. V. V. hoc est *Clarissimi Viri*. Qua appellatione permoti Viri graves, & alias Sapientes, ipsam Laminam post Gallieni Cæsaris ætatem, seu Romanæ Reipublicæ Sæculum infimum, tyrannide & barbarie oppressum, referre conati sunt, ac sæpius hujus, similiumque titulorum usum, quasi aculeum in me retorquere tentarunt, ut vel hac ratione æs Canusinum ad inferiora tempora, imò inferiorem æstimationem declinare valerent. Patienter illos audivi, & unico responso edito, quod longè superior ætas hæc epitheta dignitatum agnoverit, & usu habuerit familiaria, vix illis satisfeci. Quod tunc verbis defuit, nunc factis addo.

Optimè novi, ultimis Romanæ Reipublicæ temporibus, varios titulos Imperatoribus, Consulibus, Civitatum ordinibus, aliisque fuisse inscriptos, ut quadam honoris specie extollerentur, & à Barbarorum fæce segregarentur. De his ego non loquor, quamvis aliàs præstantissimus mihi Campus aperiatur, multa ac præclara edicendi, & probandi. Omitto itaque non solum inferiorem illam post Gallienum Romani Imperii ætatem, sed ne quidem illam tango, quæ à Gallieno usque ad Alexandrum Severum Principem, per plures Cæsares pertransiit intermedia, ne aliqua producere videar honoris insignia, quæ Tabulæ (utpote sub Alexandro Cæsare erectæ) posteriora accusentur. Igitur ad priora pergo, & tres honoris titulos adduco, Nobilissimi, Clarissimi, & Splendidissimi. Primus Cæsaribus, Secundus Consulibus, tertius Ordinibus inscribebantur: quos omnes si separatim explicavero, Patronos Clarissimos Viros rectè illustravero.

Primo itaque loco titulum *Splendidissimi* assumo, hoc, sub M. Aurelio Antonino Caracalla Imperatore (Alexandri Prædecessore) Ordo seu Senatus Caparitanorum in Hispania apparuit honoratus, ut veritatem agnoscas, incisum marmor lege.

Grut. p. CCLXVII. N. 1.

IULIÆ. AVG.
MATRI. CASTRORUM
CONJUGI. IMP. CÆS.
L. SEPT. SEVERI. PII.
PERTINACIS. AVG.
ET. MATRI.
M. AVRELII
ANTONINI. IMP.
ORDO. SPLENDIDISS.
CAPARITANORUM
DEVOTUS. NUMINI
MAJESTATIQUE EJUS

(a) *Habetur Caparæ Hispanicæ. Moralis.* (a)

Caparæ, Juliæ Augustæ Conjugi-Matri honor delatus, Vlienses ad erigendam filio Statuam incitavit. Splendidissimum Caparitanorum Ordinem nominatum allegavi, Splendidissimum quoque Uliæ Reipublicæ Senatum appellatum subjicio.

Grut. p. CCLXXI. N. 1.

IMP. CAES. DIVI. SEPTIMII. SEVERI. PII. PERTINACIS. AVG. ARABICI. ADJABENICI. PARTHICI. MAX. BRITANNICI. MAX. FIL. M. AVRELIO. DIVI. M. ANTONINI. PII. GERMANICI. SARMATICI. NEPOTI. DIVI. ANTONINI. PII. PRONEPOTI. DIVI. HADRIANI. ANTONINI. ABNEPOTI. DIVI. TRAJANI. ET. DIVI. NERVÆ. ADNEPOTI. ANTONINO. AVG. TRIB. POT. VIII. COS. VI. SPLENDIDISSIMVS. ORDO. REIP. VLIENSIVM. STATVAM. FACIENDAM. DEDICANDAMQUE. CENSVIT. DEDICANTE. MARCO. MANNIO. CORNELIANO. CVRATORE. ANNONAE. CIVILIS. DIVI. ANTONINI. (a)

Prætermitto ordinem Civium Ariminensium hac *Splendidissimi* appellatione paulò post fuisse insignitum, & sub Gallieno Augusto Segusiorum Senatum eodem prorsùs honoris titulo extitisse decoratum. (b)

Ad ipsos Cæsares venio, & Aurelium Commodum Antoninum *Nobilissimum* Principem (qui titulus post Gallienum passim in usu fuit) nominatum invenio in lapide Tusculano ad Bennacum lacum posito, ut rem securam statuam, ipsum honoris marmor ob oculos pono.

Grut. p. CCLXII. N. 4.

IMP. CAES. M. ANTONINI
PII. GERM. SAR. FIL. DIVI.
PII. NEP. DIVI. HADR. PRO.
NEP. DIVI. TRAJANI. PARTH.
ABNEP. DIVI. NER. ADNEP.
M. AVR. COMMODO.
ANTONINO. PIO. FEL. AUG.
SARM. GERM. MAX. BRIT.
P. M. TRIB. POT. XIV.
IMP. VIII. COS. V. P. P.
NOBILISSIMO. PRINCIPI.
BENACENSES. (c)

Idipsum *Nobilissimi* Epitheton ad altiora tempora productum video, & M. Aurelio An-

(a) *Habetur ad montem Majorem Uliæ, nunc Vilæ circa Cordubam. Moralis, & Augustini.*

(b) *Janus Gruterus Fol. 1005. n. 2. in Inscript. Antiq. & Fol. 275. n. 2.*

(c) *Habetur Tusculani super lacum Bennacum in Basi. Panvinius, & Verderius.*

Digitized by Google

Antonino inscriptum lego, hic Inscriptionem lapidis, Ossunæ in Hispania erecti, habes.

Grut. p.CCLIX. N.2.

M. AVRELIO. NOBILISS.... CV.
SOCERO. ET FORTISS.., IMPERATORI
RES. P. URSONENSIUM
D. D. (a)

Nec hoc sufficiat : sed ipsum Trajanum Imperatorem *Nobilissimum* Cæsarem suo tempore appellatum, infra demonstrabo.

Ab Imperatorum ad Consulum titulos descendo, ut autem illi *Nobilissimi* Principis, aut Cæsaris prærogativa gaudebant dignitatis, sic hi *Viri Clarissimi* nomine, tituloque honoris indigitabantur. Plura Consulum aliorumque Virorum illustrium, in medium proferre possem hujus tituli honoris monumenta, sed ne laminæ injuriam inferre videar, posterioribus Alexandri Cæsaris temporibus denuò præteritis, anteriora solum inquiram; & ecce illicò sub M. Aurelio Antonino famosa incisa, Tabula marmorea (adhuc Romæ in ædibus Colotianis ad aquam Virginem conservata) sese offert examinanda, in qua licet nomen Pontificis, & necessarii Augg. abrasum sit, is tamen *Nobilissimus* Pr. Pr. *Præfectus Prætorio* nuncupatur, & T. Statilius Calocærus, cum Statilio Dionysio, Statilio Myrone filiis, ac Statilio Dionysio nepote suo, C. C. V. V. *Clarissimi Viri* indigitati, Clarissimorum Virorum appellationem ea ætate promeruere. Lapidem lege, & observa.

Grut. p.CCLXX.N.6.

IMP. M. AVRELI. ANTONINI. AVG.
PII. FELICIS. PONTIFICIS. COS.
IMP. L. SEPTIMI. SEVERI. AVG. PII. FELICIS
PONTIFICIS. ET. PARTHICI. MAXIMI. COS. III. NURUI.
FILIÆ.

PONTIFICIS. NOBILISSIMI. PR. PR. NECESSARII.
AVGG. ET. COMITIS. PER. OMNES. EXPEDITIONES. EORUM
T. STATILIUS. CALOCAERUS. NOMENCL.
CUM. STATILIO. DIONYSIO. TRIB. LEG. XVI. FLAVIAE
ET. STATILIO. MYRONE. DISSIGNATORE. SCAENAR.
FILIIS. ET. STATILIO. DIONISIO. DISCIPULO. FICTORUM.
PONTIFICUM. C. C. V. V. NEPOTE. SUO.
AMPLA. BENEFICIA. DE. INDULGENTIA
AUGUSTORUM. SUFFRAGIO. PATRIS. EJUS.
CONSECUTUS. (b)

Sub Antonino Pio, Cæsare, *Clarissimi & Amplissimi Viri* denominationem, Fabius Severus Juris-Consultus, & Senator, in antiquissima inscriptione Tergestina sæpius obtinuit, quam eapropter hic de verbo ad verbum inserere volui, ut per illam ejusdem usus temporis innotescat, incipit autem hoc modo: (c)

KL. NOVEMBR.

HISPANIUS LENTULUS NEPOS II. VIR.

IUR. DIC. V. F.

FABIUM SEVERUM *Clarissimum Virum* multa jam pridem in Romp. nostram beneficia contulisse, ut qui à prima sua ætate id egerit, uti in tuenda Patria sua, & dignitate, & eloquentia cresseret *sic*: nam ita multas, & magnificas causas publ. aput *sic* optimum Principem ANTONINUM AUG. PIUM, adseruisse, egisse, vicisse, sine nullo ærarii nostri impendio, ut quamvis admodum adolescens, senilibus tamen, & perfectis operibus,

(a) *Extat Ossunæ in Hispan. Augustini in suis Antiq.*
(b) *Romæ olim in ædibus Colotianis ad aquam Virginem. Principio Tabulæ aliquid deest. Smetius.*
(c) *Antiquissima Inscriptio habetur in muro Tergestinæ Civitatis, ante portam S. Laurenti.*

Digitized by Google

ribus, ac factis Patriam suam, nosque insuper sibi universos obstrinxerit: nunc verò tam grandi beneficio, tam salubri ingenio, tam perpetua utilitate Remp. N. adseciſſe, ut omnia præcedentia facta sua, quanquam immensa, & eximia sint, facilè superarit. Nam in hoc quoque mirabilem esse C. V. Virtutem, quod cotidie benefaciendo, & in Patria sua tuenda ipse se vincat, & idcircò quamvis pro mensura beneficiorum ejus impares in referenda gratia simus, interim tamen pro tempore, vel facultate, ut adjuvet sæpè facturus rem venerandam esse C. V. benevolentiam, non ut illum proniorem habeamus, aliut sic enim vir ita natus non potest facere, sed ut nos, judicantibus gratos præbeamus, & dignos tali decore, talique præsidio, quod fieri placere, decere, * Q. F. P. D. E. R. I. C. Primo, censente Calsurnio certo spatio cum FABIUS SEVERUS *Vir amplissimus, adque* sic *Clarissimus* tanta pietate, tantaque adfectione, Remp. N. amplexus sit, itaque pro minimis maximisque commodis pius excubitor, atque omnem præstantiam auxerit, ut manifestum sit, id eum agere, ut non modo nobis, sed proximis quoque civitatibus declaratum velit esse, si non aliquam Patriæ suæ gratiam, & civilia studia, quæ in eo, quamvis admodum juvene, jam sint peracta, atque perfecta, ac Senatoriam dignitatem hac maximè ex causa, concupiviſſe, uti patriam suam cum ornatam, tum ab omnibus injuriis tutam defensamque servaret: Interim aput sic judices a Cæsare datos, interim aput sic ipsum Imperatorem causis publicis patrocinando, quas cum justitia Divini Principis, tum sua eximia, ac prudentissima Oratione semper ad nos cum victoria fi miores remisit. Ex proximo verò, ut manifestator carminibus literisque ANTONINI AUG. PII, tam feliciter desiderium publicum aput sic eum sit prosecutus impetrando, uti Carni Catalique adtributi à Divo AUG. PIO. Reip. nostræ, prout qui meruissent talia, absque censu per AEdilitatis gradum in curiam nostram admitterentur, ac per hoc civitatem Romanam adipiscerentur, & ærarium nostrum jam ditatum complevit, & universam R. P. N. cum eo mœnijs ampliavit, admittendo ad honorum communionem, & usurpationem Romanæ Civitatis, ut optimum, & locupletissimum quenque, ut scilicet, qui olim erat tantum in redditu pecuniario, nunc & in illo ipso duplici quidem per honorariæ numerationem reperiantur, ut & ipsi sint, cum quibus munera Decurionatus, ut paucis jam onerosa honestè compartiamur. Ad cujus quidem gratiam habendam, ut in Sæcula permansuram, ejusmodi beneficio oportuerat quidem, si fieri posset, ac si verecundia *Clarissimi Viri* permitteret universos Nos Nobilium ire, & gratis legitimas LL. juxta optimum Principem agere. Sed quoniam certum est, nobis onerosum ei futurum tale nostrum officium, illud certè proximè fieri oportuno triumpho Statuam ei auratam Equestrem primo quoque tempore in celeberrima nostræ Urbis parte poni, & in basi ejus hanc nostram consensionem, atque hoc Decretum inscribi, uti ad posteros nostros, tam voluntas *Amplissimi Viri*, quam facta permaneant, Petique à FABIO, viro egregio, patre SEVERI, ut quandoquidem, & commentum hoc ipsius sit providentiæ, qua Remp. no. infatigabili curæ gubernat, & in hoc prius publici beneficii, quod & Nobis, & Imperio civem procreavit, atque formavit, cujus opera studioque ut ornatiores indies nos magis, magisque sentiamus; uti ea placuisse in hanc rem additum suum legari mandarique permittat, sibi uti gratias publicè *Clarissimo Viro* mandatu sic nostro agat, & gaudium universorum singulorumque, ac voluntatem, ut magister talium rerum in notitiam ejus perferat, censuernnt.

His accedit Tabella ænea Romæ apud Fulvium Ursinum olim conservata, quæ sub Imperio Nervæ Trajani, L. Arruntio Stella, & L. Julio Marino Cos. XIV. Kal. Novemb. à Ferentino Municipio erecta, T. Pomponium Bassum prospiciendæ Italiæ constitutum, *Clarissimum Virum*, ejusque Domum *Amplissimam* nominat, ut rectum judicium Lector adferre valeat ipsam illam Tabulam produco.

Grut.

* *Quod fieri placeret, de ea re ita censuerunt.*

Digitized by Google

Glut.p.cccLVI.N.1.

L. ARRUNTIO STELLA
L. JULIO MARINO COS.
XIV. KAL. NOV.

M. ACILIUS. PLACIDUS. L. PETRONIUS. FRONTO. IV. VIR. I. D. S. C. FERENTIN. IN. CURIA. AEDIS. MERCVRI. SCRIBVNDO. ADFVERUNT. Q. SEGIARNVS. MAECIANVS. T. MVNNIVS. NOMANLINVS.
QUOD. UNIVERSI. V. F. T. POMPONIUM. BASSVM. CLARISSIMUM. VIRVM. DEMANDATAM. SIBI. CVRAM. AB INDVLGENTISSIMO. IMP. CAESARE. NERVA. TRAJANO. AVGVSTO. GERMANICO. QVA. AETERNITATI. ITALIÆ. SVÆ. PROSPEXIT. SECVNDVM. LIBERALITATEM. EJVS. ITA. ORDINARI. UT. OMNIS. AETAS. CURAE. EJUS. MERITO GRATIAS. AGERE. DEBEAT. FVTVRVMQVE. VT. TANTÆ
1 abeſt à Grut. VIRTVTIS. VIR. AVXILIO. SIT. FVTVRVS. MVNICIPIO. NOSTRO. (1) Q. D. E. R. F. P. D. E. R. I. C.
ON. PLACERE. CONSCRIPTIS. LEGATOS. EX. HOC. ORDINE.
2 abeſt à Grut. MITTI. AD. T. POMPONIVM. BASSVM. (2) CLARISSIMVM. VIRVM. QVI. AB. EO. IMPETRENT. IN. CLIENTELAM. † AMPLISSIMAE. DOMVS. SVAE. MVNICIPIVM. NOSTRVM. RECIPERE. DIGNETVR. PATRONVMQVE. SE. COOPTARI. TABVLA HOSPITALI. INCISA. IN. HOC. DECRETO. IN. DOMO. SVA. POSITA. PERMITTAT- CENSVERE.
EGERVNT. LEGATI.

A. CÆCILIVS. A. F. QVIRINALIS. ET. QVIRINALIS.

AD. AVGVST.
TEM. C. P.

AD. AVGVST.
TEM. C. P. (a)

Tandem præstantissimus marmor, quod utrumque titulum & *Nobilissimi Cæsaris*, & unà *Viri Clarissimi* legendum exhibet, sub eodem Trajano Augusto in Hispaniis erectum, & Terracone inventum; sisto admirandum; hoc enim (ut præcedens Tabula) centum, & viginti quatuor circiter annos Laminæ Canusinæ ætatem præcedit, quapropter & ego obstupui, dum hæc titulorum nomina appellativa, ad illa usque tempora perveniſſe conspexi.

Grut.p.ccxLVI.N.3.

PIO. ADQUE. † INVICTO DN. TRAJANO. NOBILISSIMO. AC. FORTISSIMO. ET. FELICISSIMO CÆSARI. SEPTIMIUS ACINDINUS. C. V. A. GENS. PER. HISPANIAS *V.C.P.T. VICE SACRA. COGNOSCENS NUMINI. MAJESTATIQUE. EJVS. SEMPER. DICATISSIMVS. (b)

His omnibus Criticorum argumento, ex æquo, satisfactum reor, dum sublato dubio, veritas elucet. Rectè itaque C. C. V. V. honoris appellativa, ad Alexandri Severi Augusti tempora, relata confiteantur, cum ad longè retroactam priorum Cæsarum ætatem ipsa illa producta videant. Stat igitur Canusina Tabula sub Alexandro Cæsare, etiam per hæc contracta verba, solidata, & affictam inferioris sæculi barbariem, superioris temporis puritate illudit.

(a) *Hæc Tabula ænea conservatur Romæ apud Hæredes Fulvii Ursini. Ex Vrsini append. ad LL. Ant. Augustini. Manutius.*

(b) *Tarracone ad D. Barbaræ. Verderius, & Schottus.*

* *INCLITO Verderius habet* **Viri consularis Provinciæ Terraconensis.*

CAP. XXIII.

DECURIONES PATRONI E. E. Q. Q. R. R.

SEcundum inter Decuriones Canusinæ Laminæ locum tenent Patroni, ab aliis segregati, qui denotantur E. E. Q. Q. R. R. *Equites Romanos*, interpretor. De quibus, antequam quid validè scribere queam, Equestris ordinis originem adducere debeo, ut posito fundamento, horum Patronorum dignitas inclarescat.

Constat primis Urbis temporibus, duos tantum Romæ Ordines fuisse *Patricium*, & Ple-

Digitized by Google

Plebejum. Quapropter L. Seneca (a) *Senatorum aut Equitum nomine, ambitione tantum nata* oblandit.

Constat etiam exactis Roma Regibus, Romanum Populum in tres ordines fuisse distributum, in *Senatorium*, nempè, *Equestrem & Popularem*. Quamobrem Livius scribit (b), *Consensum Senatus Equester Ordo est secutus, Equestris ordinis Plebs*, & appositè Ausonius:

Martia Roma triplex; Equitatu, Plebe, Senatu.

Senatores dicti sunt, qui à Regibus primùm, deindè à Consulibus, post à Censoribus in Senatum electi fuerunt. Horum verò filii, nondum in Senatum lecti, Equites sive ex Equestri ordine, ut statim clariùs apparebit, extitere. Secundus igitur ordo fuit Equester, in quo constituendi sunt omnes illi, quibus publicus equus, & annulus à Censoribus datus, quique ab iis in Equestrem ordinem lecti fuerunt, non tamen illi qui equo privato stipendia meruerunt. Hinc rectè Rosinus infert (c): *Duplices fuerunt Equites: alii oppositi Peditatui in exercitu, quales fuerunt omnes, qui equo privato meruerunt, & illi nihil ad equestrem ordinem pertinuerunt; alii verò oppositi Senatoribus, qui neque Senatores, neque de plebe fuerunt.*

Hi Equites Romani vocabantur, dum ipsis Census Equester esset, qui erat Sestertium quadringentorum millium, & à Censoribus eligerentur. Equi publici dono, ab equitibus privato equo militantibus distinguebantur; annulo aureo (quo fulgebant) à plebe, & angusto Clavo, (quo erant induti) a Senatoribus discriminabantur. Hunc Equestrem ordinem à Senatorio, seu Patribus. & populari, seu Plebe sejunctum in uno lapide, qui Senogalliæ in Piceno extat, exhibeo.

Extra Gruterum.

P. F. . . . . A. PRIMOPILO SPECTATAE. VIRTVTIS EQVESTRIS. ORDINIS. V. PATRIBVS. ET PLEBI GRATO OB GRATAM ADOLESCENTIS INDOLEM BENE. MERITAM. SAXVM. DEDIT. (d)

Ex hoc appatet Plebejos dicendos esse omnes illos, qui neque Senatores, neque Equites erant.

Senatorum autem filios Equites, quasi Equites Romanos natos in Cognitionem adducit lapis Sepulchralis, qnem M. Valerius M.F. Amerimnus, M. Valerio Amerimniano F. posuit: ex Marmore præclaram eruditionem percipe.

Grut.p.cccc.xxviii.N.1.

M. VALERIO M. F. PAL.
AMERIMNIANO.
VIXIT. ANNIS. XVII. MENSIB.
VIII. DIEBVS. DVOBVS. HOR. X.
M. VALERIVS M. F.
AMERIMNVS.
PATER. INFELICISSIMVS.
FILIO. SANCTISSIMO. ET. PIENTISSIMO.
FECIT.

NATVS. EQVES. ROMANVS
IN VICO. IVGARIO. (a)

Nec sufficit Equitem Romanum ex Antiquitatis monumentis produxisse, equum adjungere debeo: proinde P. Marium Equitem Romanum sisto, qui equum publicum adeptus est.

Grut.p.ccccxxxvi. N.5.

P. MARIO.
VOT.
LUPERCIANO.
EQ. R. EQ. PVBL. OMN.
HONOR. MVNICIPAL. ADEPT.
IDDICI. DE. SELECT. SACERD.
CAENINEN.
(b)

Hic multa adduntur apud Gruterum.

Huic forsan non absimile invenietur monumentum, quod Petronia M. F. Marcellina, T. Luccejo T. F. Stellæ Petroniano, Equiti Romano exstruxit.

Grut.p.ccccxxxi.N.8.

T. LVCCEIO
T. FIL. 1* STELLAE 1 abest hæc
PETRONIANO a Grut.
EQ. ROM. EQO. II 2 abest hæc
PETRONIA. M. F. a Grut.
MARCELLINA.
MATER.
2* T. F. I. (c)

Annulus aureus Equitem Romanum ornabat, & à plebe separabat. Igitur signum *Equestris Dignitatis* erat *Annulus* aureus: hinc Vetus Scholiastes Juvenalis ait: *Equitum de numero*, id est *Annulo*, & ipse Satyricus: (d)

Ille

(a) *Extat Romæ Via Flaminia extra Portam Flumentanam in Vinea olim Joan. Angeli Puzii.*

(b) *Habetur Bergomi in æde S. Alexandri non longè extra Vrbem. Appianus, & Joan. Chrysostom. Zanchius Lib. de Orig. Orobior.*

(c) *Augustæ Taurinorum in Domo Vagnoniæ. Pingonius.*

* 1. *Credo errorem Sculptor. loco* STELLAT. Stellatinæ Tribus.

* 2. Testamento fieri jussit.

(d) *Juvenalis Satyr. VII. Vers.* 89.

(c) *Epist. XXXI.*

(b) *Lib. XXVI.*

(c) *Joan. Rosinus in Antiq. Rom. Lib. I. cap. 17.*

(d) *Senegalliæ in Domo privata Sculterus, & Manutius.*

Digitized by Google

Ille & militiæ multis largitur honorem,
Semestri vatum digitos circumligat auro.

Nec ab his recedit, dum scribit: (a)

Talibus à Dominis post cuncta novissimus exit
Annulus, & Digito mendicat Pollio nudo.

De Equitum Romanorum habitu hæc superaddo: *Utebantur*, inquit Rosinus, (b) *angusto clavo, qui à Senatoribus, quorum insigne latus clavus erat, discernerentur.*

Ex his Romanis Equitibus in Tabula ærea octo nominantur, qui à Canusina Colonia in Patronos electi sunt.

Hoc verò discrimen inter Priores, & Posteriores Patronos intercedit, quod illi, *Viri Clarissimi* appellativum adepti fuerant, hi *Equitum Romanorum* Vocabulo gaudebant. Pro quo observandum *eos qui ex Equestri ordine in Senatorium lecti fuissent, vel magistratus gessissent, Equites esse desisse* (c), & exindè *Clarissimos* Viros fuisse nominatos: mutatis proindè statu, ac conditione Patronorum novus titulus enatus, & discrimen inter illos in *Tabula Canusina* inductum fuit.

Romanos autem Equites Coloniarum, seù Municipiorum Patronos extitisse, ex antiquis Marmorum Lapidumque monumentis passim innotescit. Ne longior sim pluribus adducendis, unum ad confirmandam Tabulam exhibeo, estque illud nominatissimum, quod Interamne ad maximùm Deiparæ Templum extat. T. Fl. T. F. Isidoro, Equiti Romano, duorum Equitum Romanorum, Equis Publicis honoratorum, Patri, Patrono Municipii Interamnatis Nartium, cæteros ejusdem honores prætereo, quod omnes monumentum exhibeat.

Grut.p.ccccxi. N.3.

T. FL. T. F. CLV. ISIDORO EQ
ROM. PATRI. DVORVM. EQ. PVB.
OMNIBVS. HONORIB. HONESTE.
FVNCTO. QVINQ. II. AVGVRI.
SACERD. PONT. PRAEF. SACROR.
PATRONO. MVNICIPI. INTERAM-
NAT. NART. CASVENTINORVM.
VINDENATIVM V. B. ET. QVID-
QVID. IN. EGREGIVM. HOMI-
NEM. LAVDIS DICI. POTEST. IN.
HOC. SIT. BENEFICIO. NATVRAE.
CONLATVM. POSSESSORES IN-
QVILINI. NEGOTIANTES. VIAE.
*(1)STRATAE. CVLTORES. HERCV-
LIS. *(2)KARISSIMO.
L. D. D. D. (d)

Cœtaneum hoc fermè marmor cum Canusii Tabula colligitur ex dedicatione ejusdem, quæ in lapidis latere sinistro invenitur hoc modo.

Grut. ibid.

DEDIC.
VIII. ID. SEPT.
SABINO II. ET VENUSTO
COS. (a)

Etenim (((*Vettius Sabinus II.* & (((((((((*Venustus* (sub quibus lapis dedicatus fuit, Romæ Consules extitere A.U.C. DCCCCXCII. Imperante Gordiano Cæsare, & Tabula anteà erecta fuit sub Alexandro Augusto A.U.C. DCCCCLXXVI. adeoque sexdecim tantum annorum tempus inter utrumque intercedit. Constat interim Equites Romanos, Coloniarum, & Municipiorum Patrocinium sibi vindicasse. Quod ut evidentiùs appareat, aliud marmor, priori non inferius hic adjungo, quod C. Clodienum, & Equitem Romanum, & Patronum Municipii effert.

Grut.p.cccxcii.N.1.

C. CLODIENO.
C. FIL. STEL. SERENO.
VESITIO. DEXTRO. E-
QVIT. ROMAN. PATRON.
MUNICIPI. ET. PLEBIS.
OMNIBVS. HONORIB.
PERFVNCT. PONTIF.
PLEBS. VRBANA. ET HO-
NORE. VSI. CVIVS DE-
DICATIONE. DECVRIO-
NIBVS. SPORTVLAS ET.
MVNICIBVS EPVLAS.
DIVISIT. LOCVS. PLEBEI.
DATVS. DECRET DECVR. (b)

Ipsos verò Equites Romanos Colonlarum extitisse Decuriones, docet Marmor Albæ Juliæ repertum, quod M. Antonius Valentinus Eques Romanus, Decurio Coloniæ Apulesium, Marti Aug. pro Salute Gordiani Cæsaris erigendum curavit. Hic inscriptionem lege.

Grut. p.cvii.N.5.
sed ibi auctior in fine.

MARTI AVG.
PRO. SALVTE. IMP. CAES.
M. ANTONINI.
GORDIANI. PII. FELICIS.
AVG.
M. ANTONIVS.
VALENTINVS.
EQ. R. DEC. COL. APUL.
SACERDOS. ARAE.
AVG. (c)

Eos-

(a) *Idem Satyr. XI. Vers. 43.*
(b) *Antiq. Roman. Lib. I. Cap. 17.*
(c) *Rosin. ibid.*
(d) *Interamne (vulgo Terni) ad maximum D. Virginis Templum Jacobinus, & Smetius.*
*(1) Grut. Strate.
*(2) Grut. habet Rarissimo.

(a) *Interamne ut sup.*
(b) *Urbini in Piceno in ædibus Episcopi litera elegantissima. Smetius.*
(c) *Albæ Juliæ. Roborellus de Vita, & Victu Pop. Rom.*

Digitized by Google

Eosdemque Equites in Municipiis Decurionis munus gessisse evidenter enunciat fragmentum inscriptionis, Augustæ Vindelicorum in ædibus Peutingerorum conservatum. Hoc ipsum educo legendum.

Grut.p.cxxix.N.4.

. . . . . .

MVNICIPI. AEL. AVG. NEGOTIATOR.
. . . . N. ET. . . . AEDEM.
CVM. SVIS. ORNAMENTIS. SIBI. ET.
ANTONIO. AELIANO. EQVITI. ROMANO.
DECVRIONI. MVNIC. AEL. AVG. IO.
(a)

Hisce accedit Plinius, (b) qui Equitem Romanum Decurioni jungit, dum scribit: *Esse autem tibi centum millium censum satis indicat, quod apud nos Decuriones. Igitur ut te non Decurione solum verum etiam Equite Romano perfruamur, offero tibi ad implendas Equestres facultates CCC. millia nummum.*

Hos tandem Tabulæ Canusinæ Decuriones-Patronos-Equites Romanos strictè fundavere, si tot tantisque vetustatis testimoniis unum adjunxero, quod T. Vennonium T. F. Aebutianum, *Patronum* Coloniæ. Aug. Laur. *Equitem Romanum* equo publico donatum, & *Decurionem* selectum exponit. Inscriptionem lege, & una admirare.

Grut.p.cccLxxxvi.N.2.

T. VENNONIO T. F. STELL.
AEBVTIANO. PATRONO. ET.
MVNICIPI. COL. AVG. LAVR.
EQ. REQ. P. IVD. EX. V. DEC.
SELECTO. CVR. R. P. ALB.
POMPEIANORVM. L. L.
PONTIF. EIVSDE. SACERD.
MVNIA. Q. F. GELERINA. UXOR.
MARITO. KARISSIMO.
(c)

CAP. XXIV.

DECVRIONES QVINQVENNALICII.

MYsticus numerus censetur QUINTVS, tùm quòd in sensibus ad vivendum, tum quod in digitis manus ad laborandum, reperiatur idoneus. Quod in Physicis occurrit, in Politicis Romani observaverunt. Quintum numerum passim amplexi sunt, & annò quinto pleraque dimetiebantur. Transeo Quinquennium à *Luendo* seù *Solvendo*, quod quinto anno vectigalia per Censores locata solverentur, quod populi census quinto anno haberetur, *Lustrum* fuisse vocatum, illudque in Græcorum Olympiadis locum successisse. Omitto famosum omni sæculo III-Viratum Reip. Constituend. causa, in Lepido, Antonio, & Octaviano constitutum, per Quinquennium fuisse solidatum. Reticeo plures in Urbe Magistratus Quinque-Virorum judicio stetisse munitos. Non loquor de Quinque-Viris Mensoriis, de Quinque-Viris Cis & Ultrà Tiberim, de Quinque-Viris Turribus Murisque reficiendis, de Quinque-Viris Coloniæ deducendæ. Silentio involvo Quinquennales ludos, Quinquennalia Neronis, & alia similia. Ad Personas venio, easque sæpiùs quinque annorum dignitate donatas, & quinquennii muneris honore sustultas, demonstrabo. Adsunt imprimis Pontifices, quos Quinquennales dictos invenio. Pro pluribus unum C. Meffium induco. Brixia olim Pontificem complexa, nunc Pontificis titulum honoris conservat.

Grut.p.ccccxxxvii.N.5.

C. MEFFIO. C. F.
CLA. SAXONI.
PRIMO PILO. PRAEF.
COH. ORTH. PRÆF. FABR.
PONTIF. QUINQVEN.
COHORS. CARIETVM. ET.
VENIAESVM.
(a)

Flamines etiam Quinquennales extitisse constat ex marmore, quod Faustinæ Augustæ plures Magistri Collegiorum inscripserunt, & infrà, ne posteros lateat, adducendum esse dijudicavi.

Nec his absimiles fuere IIIIII-Viri Quinquennales Sacris faciundis, & Flamines Augustales, quorum olim Roma oblata Sacrificia verita, nunc solum in Ara superstite antiquitatem agnoscit. Ut autem eorumdem & Religionis, & Antiquitatis appareat memoriale, hic aram produxi. In ara, aræ ministros quinquennales intuere.

Grut.p.xlv.N.8.

HERCVLI. COMITI. CVSTODI
M. CAESIVS. AVG. L. SOSTATVS.
PRAEFECTVS. FABRORVM.
COLLEG. DENDROPHORVM.
CENT. TIGNARIOR. ET. PATRONVS.
CORPORAT. FERRARIOR. OST.
ET IIIIII. VIR. QVINQVENN. SACR.
FAC. FLAMEN. AVGVSTAL. ET. VI.
VIR. CVRATOR. V.
(b)

Inter Sacerdotes etiam locum occupabant Quinquennales Decuriones Bidentales, qui Bidentium sacrificiis præerant, & hi reliquis annumerati, Quinquennalium numerum

(a) *Augustæ Vindelicorum. Velserus.*
(b) *Lib. 1. Epist.*
(c) *Ad XIIII. ab Vrbe Lapidem propè Flaminiam. Lipsius.*

(a) *Brixiæ apud Forum Piscarium Vetus. Manutius.*
(b) *Romæ, Via Gordiana, prope Tiberim, Ara qua Ostiam naves subducuntur. Jacobonius.*

Digitized by Google

rum augent. Romanum antiquum Marmor, nouvum eorumdem testimonium præbet.

Grut.p.xcvi.N.5.

SEMONI.
SANCO.
DEO. FIDIO.
SACRVM.
SEX. POMPEIVS. SP. F.
COL. MVSSIANVS.
QVINQVENNALIS.
DECVR.
BIDENTALIS.
DONVM. DEDIT. (a)

His proximè accedunt Augures, qui suos habebant Præfectos, sed & illos etiam subindè quinquennale munus obiisse probatur per insequentem lapidem, qui C. Valerium Marianum hac dignitate insignitum deprædicat. Lapidem lege, & Præfectum Quinquennalem agnosce.

Grut.p.cccLxxix.N.6.

C. VALERIO. C. F. PAP.
MARIANO.
HONORES. OMNES.
ADEPTO. TRIDENT.
FLAMINI. ROM. ET. AVG.
PRAEF. QVINQ. AVGVR.
ADLECTO. ANNON. LEG. III.
ITALIC. SODALI. SACROR.
TVSCVLANOR. IVDICI.
SELECTO. DECVR. TRID.
DECVRIONI. BRIXIAE.
CVRATORI. REIP. MANT.
EQVO. PVBL. PRAEF. FABR.
PATRONO. COLON.
PVBLICE. (b)

Explicatis Sacerdotibus, magnos multosque Viros prophanos (in quibus Quinquennalicia dignitas enituit) adducere possem, sed omnes, ac inter illos *Augustales Quinquennales*, *Magistros Juvenum Quinquennales*, aliosque plures, prætermitto, ut protinùs ad Quinquennalicios Tabulæ Canusinæ properare valeam.

Magistros tamen Quinquennales variorum Collegiorum, ac Corporum, quorum frequens in Marmoribus celebratur memoria, uni lapidi inscriptos (quos inter & Flamen Quinquennalicius reperitur) hic adferre teneor, ut utrumque munus etiam quinquennio aliquandò fuisse sepitum intelligas. Unus lapis in plurium cognitionem ducit.

Grut.p.cclxi.N.4.

FAVSTINAE AVGVSTAE.

MAGISTRI. QVINQVENNALES. COLLEGI. CORP. FABRVM. FERRAR. TIGNAR. DENDROPHOR. ET. CENTON. LVST. XXVII. T. OVINIVS. T.F. THERMVS. L. FVSCIVS. Q.F. SABINVS. FL. ANTIDIVS. SEX. F. EROS. C. FVLVIVS. C.F. NIGRVS. Q. CASSIVS. P. F. ALBINVS. MAGISTER. ET. FLAMEN. QVINQVEN. N. L. CHRISCIVS. L. F. VENVSTVS. SEX. MAETIVS. SEX. F. VERVS.

DD. KAL. IANVAR.
C. MANLIO. TORQVATO. ET. CORNELIO
MESSALINO. COS. (a)

Quinquennium etiam in subditarum Civitatum defensionem fuit institutum, & observatum, sic enim C. Marius Eventius, Vir Clarissimus, cum in juventute advocatum egisset Romæ, per quinquennium Ravennæ civitatis aliarumque vicinarum Urbium defensorem gerere jussus est (b). Probatissima quinquennalis defensio ipsi erectam statuam promeruit, cujus basis inscriptio (quàm suprà invenies) omnium notitiam pandit.

Cum ergò ipsa defensio Ravennæ Municipii, aliarumque Urbium Coloniarum ad Quinquennium injuncta, ad Quinquennium duraverit, mirum non est, si ipsos Coloniarum, & Municipiorum Magistratus majores aliquando quinquennio circumscriptos (adeoque Quinquennales, & indè Quinquenalicios dictos) extitisse, indicaverim. Ne attentum lectorem vacuum dimittam, omnes ex lapidibus ruderibusque erutas adducam.

Primum in Colonia Municipioque Magistratum (ut suprà innotuit) II-Viri constituebant, ac primas proindè sedes sibi vindicabant. Hos subindè quinquennio muneri suo præfuisse, ac II. Viros Quinquennales, ut Tabula Canusina declarat, floruisse nuncupatos, suprà demonstravi: Sed ne in copia personarum adsit inopia probationis, id ipsum insuper testatur insigne marmor in agro Formiano Ciceronis, vulgo *Ciceron* appellato, inventum, in quo L. Varronius Capito inter alia munia II-Viratum quinquennalem obiisse legitur.

Grut. p. cccc.xxxiii.N.3.

L. VARRONIO. L. F.
PAL. CAPITONI.
SCRIBAE. AEDILIC.
ACCENSO. VELATO.
II. VIRO. QUINQENN.
CURATORI. † AQUARUM.
PATRONO. COLONIAE
ORDO. REGALIUM.
QUORUM. HONORE.
CONTENTUS. SUA. PECUN.
POSUIT. L. D. D. D. (c)

(a) *Habetur Romæ in Insula Tiberina ad templum. Ciofanus, & Lipsius.*

(b) *Extat inter Bauzanam, & Tridentum. Panvinius, & Ant. Augustini.*

(a) *Romæ erutum Marmor in via sacra, redemptumque olim à Ligorio è malleis scalprisque sculptorum. Jacobonius.*

(b) *Suprà sub Decurionib. Patronis CC. VV.*

(c) *In agro Formiano Ciceronis, vulgo Ciceron appellato. Dionysius. Harduynus.*

† *VIARUM, Aldo, Manutio, & aliis. Suetius in suis Ant. Inscript.*

Digitized by Google

Duum-Viris succedunt Decuriones, quorum aliquos, cum de Sacerdotibus Bidentalibus, (qui & Decuriones appellabantur) egi, quinquennales extitisse probavi. Hic autem Decuriones Coloniæ, Claudius Augustus VI-Vir Augustalis, & iterùm Quinquennalis Decurio, Quinquennales nonnunquam fuisse probavit.

Grut. p. cccLxxxviii. N. 7.

II. I. CLAUDIUS.
AUCTUS. B
VI. VIR. AVG. ET ITER.
*Q. D. SIBI. ET.
CLAUDIÆ. ARRETINAE. (a)

Probabit quoque T. Testius, Libertinus, Patronus in Coloniis, & Municipiis Quinquennalicios extitisse.

Grut. p. ccccLxxiii. N. 8.

T. TESTIO. LIBERTINO. C
SEVIRO. AVG. IDEM. † Q. Q.
ITEM. PATRONO. ET. Q. Q.
CORPORIS. ET. REJECTUS.
MARMORIORUM.

AIIII. TESTI. HELPIDIANUS.
PRISCVS. PRISCIANUS.
ET. FELIX. FILI. ET. HEREDES.
PATRI. DULCISSIMO. (a)

Nec ab hac probandi forma recedet C. Avidius Clemens, qui IV. Ædilitate per Quinquennium functa, & ipsos Ædiles Quinquennalicios fuisse testatur.

Grut. p. cccLxix. N. 4.

C. AVIDIO.
CLEMENTI. AEDIL.
II. VIRO. NEPOTI.
SUO. ET. SIBI
L. FUFIDIUS L. F. OVF.
PROCULUS. TRIB. LEG. VII.
CLAUD. PRAEF. FABR.
II. VIR. *AED. Q. IIII.
(b)

Probabunt etiam C. Pupius Firminus, & C. Calpurnius Maximus Quinquennalicia Quæstura bis gesta, subinde Quæstores Quinquennalicium magistratum obiviisse.



Grut. p. cc lv. N. 3.

Romæ in Domo Maffeiorum ad Agrippinas Basis fragmentum. Smetius.

Tandem

(a) *Brixiæ, in ascensu Scalarum ad Castellum. Scultetus.*
* *Q. D. Quinquennalis Decurio. Gruter. in Abbreviatur. interp.*
† *Q. Q. Quinquennalicio. Idem.*
(a) *Salerni. Aldus, Manutius.*
(b) *Ponte curvo, Fragellanorum oppido in Angulo templi. Smetius.*
* *AED. Q. IIII. AEdilis Quinquennal. Gruter. & Goltzius in Abbrev. Interp.*

Digitized by Google

Tandem pro complemento omnium Quinquennaliciorum adduco perinsigne marmor, quod Romæ in Horto Pontificio, vulgò *Belvedere* nuncupato, conservatur hac forma:

Grut p.MLXXXIII.N.10.

SEMPRON. AMANDVS. QQ. PP. PATRONUS. ET. QQ. PP. IN. HON. COLLEG. SU. SPORT. DIVIS. ⋈ XXVI. ITEM. MAG. QUINQ. ⋈ XVI. C VRQ. ADM. ⋈ XII. PLEBI ⋈ VIII.
CL. MAXIMINUS. QQ PP. PAT. ET. QQ. PP. IN. HON. COLL. SVI. SPORT. DIVIS. ⋈ XXVI. ITEM. MAG. Q. ⋈ XVI. CURQ. ⋈ XII. PLEBI. ⋈ VIII.
CÆLIVS. APRILIS. QQ III. IN. HON. COLL. SUI. SPORTULAS. DIVIS. ⋈ . ∞.
MÆC. FLORINUS. QQ. II. PAT. QQ. PP. SPORT. D. ⋈. XVI M. Q. ⋈. CVRQ. ⋈. XII. PLEVI. ⋈. VIII. IN. HON. COLL. LICIN. SEPTIMIVS. QQ. II. IN. HON. COLL. SVI. PAT. ET. QQ. PP. ⋈. L. MAG. Q. ⋈. XXVI. CVRQ. ⋈. XVI. PL. ⋈. XII.
SOSS. FILOCTETA. IN. HONOR. COLLEG. SUI. QQ. II. SPORT. DIVISIT. ⋈. ∞. (a)

TABULAM MARMOREAM LEGO HOC MODO:

Sempronius Amandus, Quinquennalicius Perpetuus, Patronus & Quinquennalicius Perpetuus, in honorem collegii sui sportulas, Divis (nempè Imperatoribus) *Denarios viginti sex. Item Magistro Quinquennali Denarios sedecim. Curatori Quinquennali addidit* (ADM. est error in Scriptura) *Denarios duodecim, Plebi Denarios octo.*

Cl. Maximinus Quinquennalicius Perpetuus, Patronus, & Quinquennalicius Perpetuus in honorem collegii sui sportulas, Divis Denarios viginti sex. Item Magistro Quinquennali Denarios sedecim. Curatori Quinquennali Denarios duodecim. Plebi Denarios octo.

. . . . . *Cælius Aprilis* (est cognomen) *Quinquennalicius* III. (non enim erat Perpetuus) *in honorem collegii sui sportulas Divis Denarios quatuor mille.*

Mæc. Florinus Quinquennalicius II. *Patronus Quinquennalicius Perpetuus Sportulas Divis Denarios sedecim, Magistro Quinquennali Denarios sedecim, Curatori Quinquennali Denarios Duodecim, Plebi Denarios octo in honorem collegii sui.*

Licinus Septimius, Quinquennalicius II. *in honorem Collegii sui Patronis, & Quinquennaliciis Perpetuis Denarios quinquaginta. Magistro Quinquennali Denarios Viginti Sex. Curatori Quinquennali Denarios sedecim. Plebi Denarios Duodecim.*

Soss. Filocteta in honorem Collegii sui Quinquennalicius II. *Sportulas divisit denarios quatuor mille.*

Exactiùs hoc marmor explicare nolo, ne superflua explicatione detinear. Nec aliam ob causam illud adduxi, quam ut Lectorem in multiplicem Quinquennalium, ac Quinquennaliciorum cognitionem deducerem.

Cum igitur ex vetustis marmorum fragmentis, & præfatis antiquitatis documentis appareat, quod Quinquennalicii appellativum pluribus Magistratibus fuerit applicatum, & hoc nomen in Tabula Canusina inter Decuriones reperiatur, nudum tamen & absolutum, nec alteri Magistratui junctum, dubium oriri posset, quibus Quinquennaliciis sit inscribendum, & quinam illi Quinquennalicii sint dicendi, qui hoc vocabulo in Tabula indigitantur.

Decuriones viderentur sic nuncupandi, quod hi per Quinquennium functo munere, posteà Quinquennalicii indigitari potuerint. Sed hic Magistratus, utpotè annuus, rarissimè fuit prorogatus.

Forsan Patroni aliqui, ad aliorum præcedentium Patronorum distinctionem, hoc modo vocantur: cum enim primò *Patroni CC. VV. Clarissimi Viri*, Secundò *Patroni EE. QQ. RR. Equites Romani* legantur, videntur tertiò Patroni Quinquennalicii appellandi. Sed animadverte, quod in duobus prioribus locis jungatur nomen Patroni, in tertio non appareat, hinc dicendum est, quod neque Patroni hoc loco *Quinquennalicii* appellatione gaudere possint.

Nec Ædilicii, aut Quæstoricii, aut alii inferioris notæ Decuriones, hic Quinquennalicii dici queunt, quia Tabula observat ordinem functionum, & propterea cuncti Decuriones distincte, & secundum primarium magistratum (quo functi sunt) collocantur. Sic illi, qui Quinquennalicii vocantur, ante Ædilicios, & Ædilicii ante Quæstoricios, in ipsa Tabula sculpti conspiciuntur. Adeoque Ædilicii, Quæstoricii, Pedani, aut Prætextati ordine, & loco posteriores hoc appellativo vocari non possunt.

Quadrabit denique Quinquennalicii Vocabulum in II-Viros, qui II-Viratum per quinquennium obierunt, & sic II-Viri Quinquennales dicti sunt. Ratio elucet, quod illi post Patronos, in Republica sua primarii fuerint, & hinc immediatè post ipsos Patronos inter Decuriones ponantur.

Secundò hæc veritas apparet, quia M. An-

(a) *Romæ in Horto Pontificio, vulgò Belvedere nominato. Pighius.*
⋈ ⋈ ⋈ & ⋈ *signa Denariorum.*
∞ *signat quatuor millia. Gruterus in Abbrev.*

tonius Priscus ; & L. Annius Secundus (qui in principio Tabulæ II-Viri *Quinquennales* leguntur (inter Quinquennalicios reperiuntur. Quomodo autem factum, quod bis in lamina incidantur, alibi enodabo. Adjuvat intentionem meam, quod inter Quinquennalicios, & II-Viralicios differentia qualitatis constituatur : nam illi superiori, hi inferiori loco ponuntur ; pauciores etiam Quinquennalicii, quia munus rariùs, quàm II-Viralicii offenduntur.

Res tota parva quadam explicatione indiget, quam superadde. In Coloniis, & Municipiis II-Viratus fuit Magistratus ordinarius, & passim anni tempore terminabatur, illi verò, qui eum gesserant, II. Viralicii nomen obtinebant. Sed cum ex Privilegio, merito, favore Senatus, Populive, aut quacumque alia ex caussa hic magistratus ad Quinquennium (ut in Tabula Canusina videmus) esset prorogatus, qui eo fungebantur II-Viri, Quinquennales dicti sunt : deposito Magistratu, *Quinquennalicii* dicti, nomen honoremque sibi vindicabant. Cum autem posteà eveniret, quod utrique ad Decurionatum, seu Reipublicæ ordinem assumerentur, illi priorem, illi posteriorem locum occupabant. Igitur ut absolvam, *Quinquennalicii*, Tabulæ appellantur illi II. Viri, qui anteà Canusii per Quinquennium II. Viratu functi, & ex eo Quinquennales vocati, posteà illo finito *Quinquennalicii* vocabulo fuere indigitati, & tempore erectionis Tabulæ inter Canusii Reipublicæ Decuriones relati, Decuriones Quinquennalicii, seu simpliciter *Quinquennalicii* appellati sunt.

CAP. XXV.

DECURIONES ALLECTI INTER QUINQUENNALICIOS.

Allecti hic offeruntur, quorum varia nominis invenitur multiplicatio. *Legere*, & *Allegere*, ut idem significant, sic idem ipsum verbum pluribus applicari potuit. Potuit sanè, cum pluribus functionibus applicatum fuit. Quis omnes mihi enarrabit, qui hoc verbo *Lecti* seu *Allecti*, denominati fuere ? Sub Imperatoribus *Allecti* dicti sunt Susceptores ex Decurionum numero, nempè qui exigendis Tributis invigilabant (a). Hinc eorum munus dicebatur *Allegatio*.

Imo *Allecti* fuerunt, qui in ordinem susceptorum *Allecti* sunt : Qua de caussa Valentinianus, & Valens A. A. Rufino (b) : *Nulla debet esse caussatio, quin solidi, ex quocumque titulo congregati in massam obrisæ soliditatemque redintegrentur, ita fiat omnis illatio, ut Largitionum, & Projecturum, Allectorumque fraudibus aditus obstruatur.* Iidem indè Augusti rescripserunt (c). *Ne diutiùs, vel Allecti, vel Prosecutores, vel Largitionales adulterinos Solidos subrogando, &c.*

Imò etiam *Allectores*, & *Allectura*, in antiquis monumentis inveniuntur. L. Besius Superior, Allector Galliarum, ob Allecturam fideliter administratam, sequentem inscriptionem adeptus est.

Grut. p. ccc. xv. N. 3.

L. BESIO. SVPERIORI.
VIROMAND. EQ. R.
OMNIBVS. HONORIBVS.
APVD. SVOS. FVNCTO.
PATRONO NAVTARVM.
ARARICOR. ET. RHO
DANICOR. PATRONO.
CONDI. . . .
CONSISTENTIVM.
ALLECTORI. GALLIARVM.
OB ALLECTVRAM. FIDELI-
TER. ADMINISTRATAM.
TRES. PROVINCI. GALLIAR.
(a)

Allecti vocantur etiam, qui rationes publicas scribunt, quapropter lex habet (b) : *Debitores verò, & quos Allectos, & Suscceptores memorant. Ante eos, qui Fiscalibus Tributis suscipiendis Allecti sunt.* Indè Clerici ab his muneribus eximebantur (c). *De Clericis non exactores, non Allectos facere præsumat.*

Innumeri indè sese cognoscendos fiunt Allecti, nempè *Allecti in Theatralibus, Allecta Scæna, & Allecti Scænicorum. Allecti inter Juvenes. Allecti inter Immunes. Allecti inter Tribunicios. Allecti inter Patricios. Allecti inter Equites. Allecti ad munera.* Sed his omnibus, pluribusque aliis (quos ex antiquis Inscriptionibus deducere, & probare possem) præteritis.

Allecti, auctore Festo, *dicuntur, qui propter inopiam Senatorum ex Equestri ordine in Senatum assumantur. Allegere* enim *est in ordine cooptare.* Hinc Suetonius (d) : *Instanti Japiùs, ut civitate donatum, in Decurias Allegeret, negavit se allecturum.*

Alii sunt *Allecti* inter Prætores, aut Senatores, de quibus Lex habet : (e) *Qui Propositi laborum nostro judicio promoventur, Clarissimi sint inter Allectos.*

In scriniis Palatii militantes, profert lex alia (f) *consulari honore fulti inter Allectos habeantur.* Quos rectè Sidonius illustret hoc modo : (g) *Hi sunt, qui invident Tunicatis otia, stipendia Paludatis, viatica Veredariis, Mercatoribus nundinas, munuscula Legatis, portoria Quadruplatoribus, prædia Provincialibus, flamina Municipibus, Arcariis ponderа*

(a) *l. 5. C. de Exact. Tribut. l. 23. C. de Decurion.*
(b) *Valentinianus, & Valens A. A. Rufino P. P.*
(c) *Iidem Augusti ad Germanianum Comit. Sacr. Largition.*
(a) *Lugduni in pila Pontis Araris. Scaliger & Paradinus.*
(b) *l. 2. C. Theodosian. de Quæstorib.*
(c) *l. 2. C. Theodosian. de Episcop. Eccles. & Cleric.*
(d) *Lib. III.*
(e) *l. 1. C. de Præpositi. labor.*
(f) *l. 7. C. de Proxim. sacr. Scrinior.*
(g) *Lib. V. Epist. 7.*

Digitized by Google

ra, mensuræ Allectis, solatia Tabulariis, dispositiones Numerariis, Prætorianis sportulas, Civitatibus inducias, vectigalia Publicanis.

Allecti item fuere, qui Præturam non gessissent, sed Allectione accepissent. (a) *Commodus cum Allectionibus innumeris Prætorios miscuisset, Pertinax S. C. fecit, jussitque eos, qui Præturas non gessissent, sed Allectione accepissent, post eos esse, qui verè Prætores fuissent.* Plinius dixit (b): *inter Prætores adlegi.* Symmachus (c): *Beneficium adlectionis* vocat. *Sed adjicienda est ei*, inquit, *prærogativa militiæ, ut Beneficio Adlectionis utatur, id est Beneficio Imperatoris, quo quis post decursos in Comitatu Principis labores, adlegeretur in ordinem Senatorium, velutque ex Consularibus consequeretur Clarissimatus dignitatem.*

Hunc honorem Honorius, & Theodosius Imperatores ad Domesticos extenderunt: *Domestici atque Protectores &c.* Scribunt Epiphanio Præfecto urbis, *Senatoriam sibi vindicent dignitatem, sese cum Allectione Clarissimos nostro judicio gratulentur.* Idem etiam Monaxio P. P. *Domestici, cum ad Decem Primatus gradum pervenerint, inter Allectos velut ex-consulares habiti, Senatoria se præditos gaudeant dignitate.*

Comitibus etiam, & Tribunis à Valeriano, & Valente Augustis concessum Beneficium Allectionis, & Honoris, ac si Præfecti Romæ officium obtinuissent: *Comitibus* inquiunt (d), *& Tribunis ita demum profit Allectio, si sacra scripta ad Urbana Præfecturæ officium Romam pertulerint, quibus eorum vita laudetur.*

Sed necdum Canusini *Allecti* insinuantur, cum hi Decuriam *inter Quinquennalicios Allecti* intrarent, suffragii jure gauderent, & verè Decuriones essent; at illi omnes suprà citati, Imperatoria gratia *Allecti* quidem dicerentur, ac Senatoribus aliisque *Allectionis* beneficio, & honore æquipararentur, sed verè tales nec essent, nec plerumque Senatum, aliumque magistratum intrarent.

Auctum olim à Cæsare Senatum Romanum ad Nongentos Senatores, ait Rosinus, (e) *& post necem ejus à Trium-Viris Reip. constituend. caus. indignissima etiam turba repletum, & Dionis, & omnium propè loquuntur historiæ. Undè est & illud Suetonii*: Augustum, Senatorum affluentem numerum deformi, & incondita turba, erant enim super mille, & quidam indignissimi, & post necem Cæsaris per gratiam, & præmium *Allecti*, quos Orcinos Vulgus vocabat) ad modum, & Splendorem pristinum redegisse.

Hinc, *non unus omnium Senatorum honor, non una dignitas colligitur*, inquit Dempsterus (f) *nam nonnulli Allecti appellabantur, alii conscripti.*

Sufficiat dixisse utrosque fuisse Senatores, & Senatus Subsellia occupasse.

(a) *Capitolinus in Vit.*
(b) *in Ep.*
(c) *lib. VII. Ep. 95.*
(d) *AA. Ep. ad Pretextatum.*
(e) *Lib. VII. Cap. 5.*
(f) *in Joan. Rosinum, capite cit.*

Non absimili modo *Allecti inter Quinquennalicios*, Decuriones erant, & Decuriam intrabant, Vota sua, ac suffragia promebant, & agebant ea omnia, quæ reliquis Decurionibus incumbebant.

Vocabantur *Allecti*, quod allegerentur, sive eligerentur. *Allecti* verò *inter Quinquennalicios*, quod inter illos, sive in eorum ordinem intrarent, & locum tenerent, ac possiderent.

Sed dubium occurrit, ex quibus eligerentur hi *Allecti*, qui *inter Quinquennalicios* exindè recensebantur? Crederem ego ex II-Viraliciis. Et quamvis absque auctore loquor, non tamen sine fundamento credulitas mea procedit. Cum enim, testante Festo, Senatores Allecti dicerentur ii, qui propter inopiam Senatorum conscriptorum, ex equestri ordine in Senatum assumerentur. Et aliundè constet ex omnibus Romanæ Historiæ scriptoribus, Equestrem Ordinem immediatè Senatorium fuisse insecutum, non absque soliditate sermonis, & rationis inferri potest, *Allectos inter Quinquennalicios*, ex II. Viris, qui immediatè illos ordine, & honore insequebantur, fuisse assumptos.

Confirmat Sententiam meam, quod & *Quinquennalicii* (ut suprà scripsi) essent & ipsi II-Viralicii, utpote qui extrà Ordinem, & ultrà morem II. Viratus ad Quinquennium, speciali quodam favore, in ipso illo Magistratu prorogati, hoc *Quinquennalicio* appellativo, à tempore Quinquennii desumpto, nominarentur. Hinc minus videri non poterit, quod ii, qui II. *Viralicii* essent, *inter* II. *Viralicios Quinquennalicios* allegerentur, & sic Allecti dicerentur.

Nec aliud discrimen inter utrosque reperiebatur, quam unius anni, & quinque annorum Magistratus continuatio: Ex uno anno II. *Viralicii*, à Quinquennio II. *Viralicii*, *Quinquennalicii*, vel simpliciter *Quinquennalicii* (nam nomen II. *Viralicii* subintelligebatur) erant denominati. Et quamvis Quinquennalicii separatam à II. Viraliciis inter Decuriones Canusinos Classem ordinemque constituerent; hoc, porrò quinquennalis honor Magistratus sibi arrogabat prærogativæ, ut qui longiori tempore fuissent in onere, potiori loco ponerentur in decore, reverà tamen pares remanebant II. Viraliciis perfunctione dignitatis.

CAP. XXVI.

DECVRIONES II. VIRALICII.

A II. *Viro*, II. *Viralicii* nomen enatum est. II. Viros plures explicavi, hinc plures II. Viralicii erunt nuncupandi. Sed reliquis omnibus sepositis, hic tantum II. Viri Coloniarum, & Municipiorum veniunt considerandi, atque ii, qui hoc munere functi sunt, H. Viralicii nuncupandi, ad instar

Cor-

Consulum, qui, depositò Consulatu, Consularis nomen retinebant. II. *Viralicii*, absoluto II. Viratu, eligebant. in Decuriones, qui ordinem Senatumque Reipublicæ componebant: ut ipsis verò inter alios aliquid accresceret honoris, perfuncti II. Viratus non nomine, sed nominis Derivativo insigniti, *Decuriones* II. *Virales*, seu II. *Viralicii* indigitabantur, & alios Decuriones, pro functione gestæ dignitatis inferiores, præcedebant. Huius nominis, II. *Viralicii*, Decuriones viginti novem in Tabula Æneâ conspiciuntur inciſi, & proximum post Quinquennalicios Locum tenent. Nomina Tabula præfert, Familiæ, & actiones alibi, hic II. Viralis, & II. Viralicii appellativa illustranda.

Grut.p.ccccLXXVIII.N.9.

L. VAL. L. FIL.
GAL. FAVENTINO
II. VIRALI.
QVI. ANNONA.
FRVMENTARIA.
EMPTA. PLEBEM.
ADIVVIT. ET. OB.
ALIA. MERITA. EIVS.
COLLEGIA. KA.
LENDARIVM. ET. IDVARIA. DVO
CIVI. GRATISSIMO
POSVERVNT. (a)

II. *Virali* appellativo, ut præfiguratus lapis exhibet, insignitus vixit Exonæ in Hispaniis L. Valerius Faventinus, qui II. Viratu functus, Patriam Plebemque annonæ penuria laborantes, sua industria, & liberalitate adjuvit.

II. Viralicio verò appellativo, T. Ælius Lupus, & P. Ælius Julianus Equites Romani, Pontifices, & Coloniæ Apulensis olim II. Viri, fuere exindè honorati. Singulorum honores, singuli Lapides præseferunt.

Grut.p.cccxLVI.N.5.

I.

AVRELIAE.
APOLLONIAE.
T. AEL. LVPVS.
EQ. R. PONTIF.
ET. II. VIRAL.
COLONIAE.
APULENSIS.
MATRI. CA-
RISSIMÆ.
(1)

Grut. Apolensis.

(a) *Exonæ in Cathalaunia. Ant. Augustini.*

(1) *Albæ Juliæ inter lapides ante Gradus Palatii congestos. Siglerus, & Bongarsius, & Clusius.*

Grut.p.cccxLVI.N.2.

II.

PVBLIAE. AELI
AE. IVLIANAE.
MARCELLAE. S. P.
FIL. P. AEL. IVLIANI.
EQ. R. FLAM. ET. II. VI.
RAL. COL. APVL. ET. AD
OPTIVE. P. AEL. MAR.
CELLI. VET. EX. PR
AEF. LEGG. VII. CL.
ET. L. ADIVT. DADES.
ET. FILETVS ACTOR.

His accedit Cl. Pompejus Faustus, qui aliquando aquæ ducendæ Ædilitate functus Coloniæ Decurio II. Viralicius extitit.

Grut.p.xLI.N.8.

I. O. M.

PRO SALVTE.
CL. POMPEIVS
FAVSTVS. DE.
COL. AQ. AEDIL.
II. VIRAL. PRAEF.
COL. FABR. ITEM
QVE. PATRONVS.
DVXIT. COLL. SS.
IN AMBVLATI.
V. KAL. AVG.

Ex quibus constat, II. Viralicii nomen olim fuisse in usu, in Coloniis viguisse & Decuriones eodem extitisse decoratos, quæ omnia ad probandum ordinem, formamque Canusinæ Tabulæ allata dignoscantur.

Nec omittendum est, quod sicut II. Viri, cum iterum ad II. Viratum assumerentur, II. Viri II. fuere appellati, sic etiam (a) Decuriones facti, *Decuriones* II. *Viralicii* II. indigitati fuerunt. Ne in pluribus me dila-

(11) *Albæ Juliæ. Siglerus, & Clusius.*

(a) *Lapis hic olim ex Salvar Budam translatus, ibidem per id tempus in Ædibus Rmi. Dobocensis consistebat. Clusius.*

Digitized by Google

dilatem, Aulus Ceſellius Proculus II. L. Faenius Merops II. & Q. Junius Alexander II., qui hoc modo in Tabula inter II. Viralicios inciſi leguntur, exempla dabunt.

Cæterum mihi incumbebat hos II. Viralicios exactiùs illuſtrare: ſed cum ipſi à II. Viris deriventur, & hos ſuprà, cum varios Reipublicæ Romanæ II. Viros, & varios II. Viros Coloniarum, & Municipiorum omninò explicaverim, illic dicta, hic inſerenda judico, ne ſemel ſcripta repetantur.

CAP. XXVII.

DECVRIONES ÆDILICII.

NOvendecim in Canuſina Tabula Decuriones (qui *Ædilicii* nominantur) ſculpti reperiuntur. Facilis aderit eorundem illuſtratio, ſi hic præmittatur Ædilis dignitatis cognitio. In Romana Republica tres Ædilium ordines floruiſſe invenio, etenim fuere *Ædiles Plebis*, *Ædiles Curules*, & *Ædiles Cereales*, quorum omnium exacta explicatione tradita, ad Coloniarum, & Municipiorum Ædiles, & indè ad ipſos *Ædilicios* tranſeam.

Ædilis, ſi ipſum nomen cum Varrone (a) indagare volo, dictus fuit, *Qui Ædes ſacras, & privatas curaret.*

Ædiles autem Plebis, è Plebe creati, plebejum obtinuere Magiſtratum A. U. C. CCLX. Sp. Caſſio Viſcellino II. & A. Poſthumio Aurunco II. Cos. principium adepti ſunt. Dionyſius, ne aliis verbis utar, hiſtoriam tradet. (b) *Inita*, inquit, *inter Patres, & Plebem concordia, Plebs, quæ in montem ſacrum ſeceſſerat, cum in Urbem rediiſſet, & impetraſſet à Senatu, ut liceret ſibi quotannis è ſuo corpore creare Tribunos Plebis, petierunt etiam ſibi à Senatu permitti, ut quotannis duos è Plebe crearent ſubminiſtraturos Tribunis, quidquid opus eſſet, & lites nonnullas, eorum permiſſu, dijudicaturos. Ædiumque ſacrarum, locorum publicorum, atque annonæ curam habituros: quo per Senatum conceſſo, creaverunt, quos tum Miniſtros, & Socios Tribunorum, ac Judices appellabant, nunc verò ab officiorum uno, Ædiles vocant, poteſtatem habentes alterius magiſtratus miniſtram, ut antea. Curant autem res, ſuntque maxima ex parte Græcorum Agoranimis ſimiles &c.*

Hanc Ædilium Plebis Poteſtatem, plures Scriptores ad ampliora extendunt, quæ omnia ſuccinctè producam. Jam indicavi eos Tribunis Plebis, & miniſtrare, & de levioribus quibusdam cauſſis ex eorum facultate judicare. Officium inſuper erat: (c) *iis, qui plus quam lege diſſinitum erat, agri poſſiderent, diem dicere, matronas probri accuſare, feneratores coercere, popinas, & ganeata obſonia inhibere, in facta dictaque incivilia, atque improba animadvertere, atque mulctam indicere: ut ædificia publica privataque fierent, ut cloacæ publicæ, aquæ ductus, & cætera ædificia lauta, munda, integra, & expedita aſſervarentur, curare: iniqua pondera corrigere, menſuras minores frangere, & mulctare, de aleæ luſibus cognoſcere, convehere frumentum, & oleum, ne Urbs penuria annonæ, aut caritate laboraret, utque commeatus, quæque bello uſui forent, in caſtra deferrentur, ipſorum muneris erat: Plebiſcita ut in æde Cereris aſſervarentur, ad ipſorum curam ſpectabat.* Ἀγορανομος cum Græcis Dionyſius, à fori rerum Venalium cura, Ædiles rectè vocavit. *Eorum* enim *fuit*, ait Lex, (d) *menſuras iniquas, vaſa minora, injuſta frangere pondera, pretia rebus venalibus ponere, eſculenta, & poculenta corrupta proiicere, mulctare iniquos venditores.* Jus igitur de Menſuris dicebat Ædilis, & plura in Coloniis quam in Civitatibus, ut infrà patebit, peragebat.

Tandèm Ædilitatis dignitas ad tantum culmen honoris fuit evecta, ut aliquandò Urbe, peſte laborante, majeſtas conſularis ad Ædiles deciderit: ſed hæc nimium elata poteſtas per Claudium, (b) & Neronem Imperatores multa in parte imminuta fuit.

Proximè ſequuntur Ædiles Curules, qui hoc nomine gaudebant, à Sella Curuli, qua uti ſolebant (c). Hi ſcuti ex Patriciis creabantur, à Plutarcho *Ædiles Majores* nuncupantur. Annus U. Cond. CCXXCVI. L. Æmilio Mamercino, & L. Sextio Sextino Lateranenſe (qui primus è Plebe creatus) Conſulibus, ipſis initium dedit, & primi Ædiles Curules Cn. Quintius Capitolinus, & (c) P. Cornelius extitere. Horum munus fuit, ludos ſacros, & Solennes inſtituere, ac procurare. Sacrarum ædium, ac privatarum curam gerere: in teſtimonium adduco Ciceronem ſic de ſe, jam Ædilem deſignatum, eloquentem: *Nunc ſum*, ait (e) *deſignatus Ædilis, habeo rationem, quid à Populo Romano acceperim, mihi ludos Sanctiſſimos maxima cum Cura, & Cærimonia Cereri, Libero, Liberæque faciendos: mihi Floram matrem Populo Plebique Romanæ ludorum celebritate placandam: mihi ludos antiquiſſimos, qui primi Romani ſunt nominati, maxima cum dignitate, ac Religione Jovi, Junoni, Minervaque eſſe faciundos. Mihi Sacrarum Ædium procurationem, mihi totam Urbem tuendam eſſe commiſſam. Ob earum rerum laborem, & Sollicitudinem fructus illos datos antiquiorem in Senatu Sententiæ dicendæ locum, togam prætextam, Sellam Curulem, jus imaginis ad memoriam poſteritatemque prodendam.*

Hos autem ludos Ædiles ſuis ſumptibus, ut Populi Romani auram aucuparentur, & avaritiæ ſuſpicionem longiùs amandarent, cele-

(a) *Lib.* IV. *de Ling. Latina.*
(b) *Dionyſius Halicarnaſſ. Lib.* VI.
(c) *Joan. Roſinus. Lib.* VII. *Cap.* 24.
(a) *Jul. Cæſar. Bulenger. Lib.* VII. *Cap.* 15. *de Ædilib.*
(b) *Pomponius Jur. Conſultus ff. de Orig. Jur.*
(c) *Suetonius, Cornelius Tacitus, & Plutarchus.*
(d) *Livius Lib.* VII. *Initio.*
(e) *Lib.* VII. *in Verrem.*

Digitized by Google

celebrabant. (a) Hinc plures, ut ludorum expensas vitarent, Ædilitatem non petebant.

Priori muneris explicationi hæc superaddit Rosinus. (b) *Erat etiam*, inquit, *Ædilium Curulium officium, curare, ut Templa, Theatra, Stadia, Fora, Porticus, Curiæ, & Basilicæ, atque Mœnia, magnificis operibus reficerentur, & ornarentur.* Hac tamen non contenti auctoritate Ædiles Curules, insuper Annonæ pluriumque rerum curationem, imò & cognitionem sibi asseruerunt, & multa cum Ædilibus Plebis habuere communia. Præ cæteris autem ad ipsos spectabant caussa, & lites Redhibitionum (in quibus nimirum agebatur de rei corruptæ vitio, quam quis aut vendidisset, aut commutasset) dirimendæ.

Succedunt tertii ordinis Ædiles Cereales, qui à Cerere nomen mutuarunt. Hoc autem cum Dea indigitata, frumento præesset, & ipli frumento præerant. A. U. C. DCCIX. à C. Julio Cæsare instituti, & ex Patriciis electi, primum creati sunt. Suetonius (c) creationis testis accedit, dum scribit de Cæsare: *Prætorum, Ædilium, Quæstorum, minorum etiam Magistratuum numerum ampliavit.* Hæc Dio clariore explicationis lumine donavit, dum ait: (d) *Eodem anno primo sex Ædiles sunt constituti, duo Patricii, qui Cereris Ædiles vocarentur, quatuor Plebei: Isque mos ad nostram usque ætatem exindè perductus est.* Quibus Pomponius Juris-consultus tanquam auxiliaris confirmationis testis superaddi potest. (e)

His præmissis sciendum est, Romanos, cum coloniam in alienum agrum bello subactum destinarent, aut Urbem aliquam jure Municipii Civitateque donarent, utrisque formam quandam Romanæ Reipublicæ figuramque tradidisse, ut illæ quasi filiæ, communis Matris imitarentur dignitatem.

Coloniæ ergo, & Municipia suam habebant Rempublicam, in qua præcipui Magistratus enumerabantur II. *Viri Censores, Ædiles, & Quæstores.* De II. Viris alibi, Censores in Lamina non occurrunt. Ædilis hic, Quæstores infrà explicandi. Prædicta corroborantur per lapidem Puteolanum, qui in Colonia Ædiles extitisse insinuat.

Extra Gruterum.

AEDIL. COLON. PVTEOLANORVM. (f)

Huic non absimilis reperitur Nemausi, qui plures Coloniæ Ædiles profert.

Grut.p.cccLI.N.6.

SEX. ALLIVS. REPENTINVS.
AED. COL. SIBI. ET.
SEX. ALLIO. PATRI. ANNIAE. MATRI.
SEX. ALLIO. NVNDINO. FRATRI. AED.
COL. ALLIO. VEGETO. FRATRI.
MEMMIAE. VXORI. OPTIMAE. (a)
addit. Grut. V.F.

Quæ antiqua marmora demonstrant in Coloniis, & Municipiis Ædilitatis honorem floruisse, unum adjungo, ex quo apparet D. Ælium Dacianum, & Decurionis, & Ædilis munere in Colonia functum esse. Clausburgi Transylvaniæ extat lapis, hic inscriptionem lege.

Grut.p.cccXLVI. N.3.

D. M.
P. AEL. TRAIANO
VIXIT. ANN. XXVIII.
FIL. ET.
AEL. LIBERO
ALVMNO.
V. A. III.
D. AELIVS. DACIANVS
DEC. ET. AEDIL.
COL. F.C. (b)

Quod autem in Coloniis observatum fuit, id ipsum etiam in Municipiis passim observabatur: in his enim plures dignitates conspicuæ, quæ variis concedi poterant, in virum unum collatæ sunt. Sic olim, Imperante Commodo, C. Vesnius Populi Urvini, seu Urbini Patronus, Municipii Ædilis, & IIII. Vir viarum curandarum extitit, ut luculentum testimonium lapis exhibet.

Grut.p.ccccLXXXV.N.8.

C. VESNIO. C. F. STEL. VINDICI.
POPVLI. VRVINI. PATRONO. SVO.
ET. MVNICIP. I. AEDIL. IIII. VIR.
VIAR. CVRANDARVM. TRIB. MIL.
LEG. VII. AVG. (c)
Adduntur multa apud Gruterum.

Non minore auctoritate nitet marmor, quod Loræ in Hispaniis servatur, & C. Juventio ædilitatem, II. Viratum, & Patronatum Municipii inscribit. Lapidem suprà positum, hic non esse reponendum judicavi. (d)

Nec ab eo recedit inscriptio, quæ Ferenti in finibus Latii in Ss. Joannis, & Pauli Cathedrali templo, in Tabula marmorea exarata, conspicienda exhibetur, & hic apponitur.

C. Jul-

(a) *Cicero Lib. II. de Officiis.*
(b) *Joan. Rosinus Lib. VII. Cap. 25.*
(c) *In Jul. Cæsar.*
(d) *Lib. XLIII.*
(e) *J.C. ff. de Origine Jur.*
(f) *Puteolit. Ex Scipion. Mazzella antiq. Puteolanis.*

(a) *Nemausi. Scaliger in suis Antiq.*
(b) *Clausburgi in Transylvania. Lazius.*
(c) *Urbini ad S. Francisci in Marmore. Appianus.*
(d) *Supra sub. Decurionib. Patron. C. C. V. V.*

Digitized by Google

Grut.p.ccccxxiv. N.7.

C. IVLIO C. F. PVB. RVFO.
VETERANO. COH. VI. PR.
AQVILII. MAXIMI.
PRAETORI. AED. IIII. VIRO. I.D.
MVNICIPIO. ALETRI.
C. IVLIVS. C. F. RVFINVS. FRATRI.
BENE. MERENTI. ET. SIBI. POSTERISQ.
SVIS.

(a)

An autem Ædiles plura munia una cum Ædilitate obiverint, incertum est. Superiora cum inferioribus eodem tempore non obiisse arbitror; nam uti dominus, & servus respectu ejusdem eadem persona dici nequit, sic suprema, & infima munia in uno subjecto, eodem tempore concurrere non possunt. Inferiora pro tenuitate districtus Coloniæ, aut Municipii simul consistebant, ubi verò jurisdictio extendebatur, unum quodque munus, hominem suum requirebat.

Plura igitur munia uni viro inscripta, pro diversitate temporis, pro magnitudine loci, & qualitate functionis, vel simul, vel successivè peragebantur.

Ex præfatis tandem inclarescit, Ædilitatis dignitatem in Urbe, & extra eam floruisse. Romæ quidem in unitate nominis triplex erat discrimen functionis, foris verò in triplicitate functionis consistebat unitas dignitatis. Romæ cum loci vastitas, urbis splendor, ac alimentorum necessitas urgerent, plures Ædiles creati fuere.

Plebeij quidem Sacris, ac publicis Ædificiis, dijudicandis litibus minoris momenti, & annonæ incumbebant: cum verò Romanus luxus cresceret, & theatra magnis expensis erigerentur, Ædiles Curules ex Patriciis, plebe recusante sumptum, creati sunt: qui cum Sacrarum Ædium, aliorumque publicorum operum procurationem cum prioribus haberent communem, omnesque ferè ludos, ad pacandos Deos, fertilitatis Præsides, Cererem nempè, Liberum, seu Bacchum, Floram, aliosque, instituerent, sibi etiam annonæ curationem arrogabant, variisque litibus sese ingerebant. Cereales denique Ædiles ex Patriciis instituti Cereri, frumento, seu annonæ præerant. Sic fermè trium Ædilium differentia nominis, in annonæ procuratione, ac protectione concurrebat. Hæc de Urbanis Ædilibus (nec enim extra Urbem potestatem habebant) sufficiant.

In Coloniis verò, ac Municipiis, ubi Romanorum ædificiorum splendor, aut ludorum sumptus non premebant, sed solum colendi agri industria, ejusdemque emolumentum præfigebatur, unius nominis, ac functionis fulgebat dignitas Ædilitatis.

Hi tamen Ædiles Forenses, ad formam Romanorum inducti, in Coloniæ, ac Municipii Ædibus Sacris, & Publicis, in quibusdam ludis, aliisque, & maximè in annona (quæ ubique summo erat in pretio, non absimili (cæteris paribus) pollebant auctoritate, eademque in Republica sua defungebantur. Hinc etiam Jus de mensuris, dicebat Ædilis Forensis, vasa minora frangebat, virgis fontes cædebat pro imperio in Colonia, & Municipio, quæ Juvenalis illustrat hoc modo: (a)

An Fidenarum, Gabiorumque esse potestas,
Et de mensura jus dicere, Vasa minora
Frangere, pannosus vacuis Ædilis Ulubris?

Ædilatus proindè in Coloniis, & Municipiis Magistratus, & honor fuit, sicut, & Romæ. Utebantur Sella Consulari. Varia Edicta promulgabant, quæ dicebantur jus honorarium, in honorem Magistratus. Quare & Romæ & in Coloniis, ac Municipiis (b) Ædiles à tutela excusabantur.

Ex his facilè colligi poterit, quis ibidem Ædilicius dictus fuerit, nam uti Consul finito Consulatu, exindè Consularis appellabatur, sic etiam, & Romæ, & in Colonia ac Municipio, qui Ædilitatem gesserat, proximè Ædilicius vocabatur. Proindè novemdecim isti Decuriones, qui in Tabula Ædilicii indigitantur, fuere illi, qui in Colonia Canusii Ædilitatis honore depositò, ad Ordinem, seù Senatum Canusinum (qui in Decurionibus, ut alibi demonstratum, consistebat) fuere promoti, & sic Decuriones erant, & Ædilicii ad aliorum Decurionum distinctionem dicebantur. Nec potuit esse Ædilis, aut Ædilicius, nisi qui esset Decurio. (c)

Res non caret exemplo. ut exemplum exemplo firmem, L. Valentinum Coloniæ Sarmiz Decurionem, & Ædilicium (cætera transeo) adduco. Lapis ex ruinis Warhel excerptus, in Schedis Clusii repertus, & hic effiguratus, omnimodam præbet probationem.

Grut.p.ccccxiii.N.2.

LVC. FL. PAP.
VALENTINO. DEC.
COL. SARMIZ. METR.
AEDILIC. II. VIRALI.
ET. QQ. PRAET. COL.
LEG. FABR. ET. PATRO
NO. EORVMDEM.
AVRELIVS. THEOPHI
LVS. ET. CASTROR. DEC.
MVN. PO. ROL. AMICO.
FIDISSIMO. L. D. D. D.

(d)

(a) *Ferenti in Finibus Latii in S.S. Ioann. & Pauli Cathedrali templo. Smetius & Metellus.*

(a) *Juvenalis Satyr. X. v. 100.*
(b) *L. 6. D. de Excusation. Tutor.*
(c) *L. 7. C. De Decurionib.*
(d) *In ruinis Warhel. Clusius in suis Schedis antiq.*

Ii verò qui Ædilatum semel obierant, & Ædilicii vocabantur, quamvis ab ulteriori munere Ædilatus propter magnos sumptus sese excusare possent, aliquando secundum: imò & tertium libenter sustinere cupierunt non solum ut ex onere dignitatis ipsis accresceret honor functionis, sed maximè ut ipsorum splenderet in Patriam amor. Sic Mæcius Mæcianus natus ex Quirina Tribu, cognominatus Montanus, in Hispaniis in Insulari Colonia sua tertium Ædilatum obivit, & Ædilicius tertiò dictus est, ex functione maximum sibi nomen conciliavit, quod reticentibus peractarum rerum Scriptoribus, erectus ipsi lapis publicavit. Cujus hoc modo inscriptio legitur:

Grut.p.MXCVI.N.7.

MAECIVS. MAE
CIANVS. QVIRINA.
MONTANVS. AE-
DILICIVS. TER. II. VIRA-
TV. INSVLA. FVNC-
TVS. ETIAM FLAMINA-
TV. PROVINCIÆ. HISPA-
NIÆ. CITERIORIS. OB. AE-
TERNITATEM. HONORVM.
SVORVM. MEMORIAE.
CONLOC. (a)

Longior forsan ero; quam convenit, si Veratii Severiani, Equitis Romani, non minorem in patriam propensum amorem, (quem Ædilatu voluntariè assumpto, & administrato cum sese ob Sacerdotium, excusare posset) demonstravit, hic Coronidis loco, inserere velim; longior ne sim, marmor loquetur.

Grut.p.CCCCI.XXXIV.N.6.

VERATIO. A. F. PAL. SEVERIANO.
EQVITI. ROM. CVR. REIP. TEGIANENSIVM. ADLECTO. IN. ORDIN.

DECVRION. CIVI. AMANTISSIMO. QVI. CVM. PRIVILEGIO. SACER
DOTI. CAENINENSIS, MVNITVS. POTVISSET. AB. HONORIB. ET. MVNERIB.
FACILE. EXCVSARI. PRÆPOSITO. AMORE. PATRIAE. ET. HONOREM. AEDILITAT.
LAVDABILITER. ADMINISTRAVIT. ET. DIEM. FELICISSIM. III. ID. IAN. NATALIS.
DEI. PATRI. N. VENATIONE. PASS. DENIS. BESTIS. ET. IIII. FERIS. DENT. ET. IIII. PARIBVS.
FERRO. DIMICANTIB. CETEROQ. HONESTISSIM. APPARATV. LARGITER. EXIBVIT.
AD. HONOREM. QVOQVE. DVVMVIRATVS. AD. CVMVLANDA. MVNERA. PATRIAE.
SVAE. LIBENTER. ACCESSIT. HVIC. CVM. ET. POPVLUS. IN. SPECTACVLIS. ASSIDVE.
BIGAS. STATVI. POSTVLASSET. ET. SPLENDIDISSIM. ORDO. MERITO. DECREVISS.
PRO. INSITA. MODESTIA. SVA. VNIVS. BIGAE. HONORE. CONTENT. ALTERIVS.
SVMPTVS. REIP. REMISIT. L.D.D.D.C.I. (b)

CAP. XXVIII.

DECURIONES QUÆSTORICII.

VArro (c) Quæstores nominat à quærendo, utpotè *qui conquirerent publicas pecunias, & Maleficia, quæ III. Viri Capitales exindè quæsiverunt*. Ab eis postea, qui quæstionum judicia exercent, Quæstores dicti. Hinc tria eorum fuerunt distincta munia: (d) Alii enim *Quæstores Urbani*, propriè dicti *Quæstores, Ærario præerant*. Alii *Quæstores Paricidii*, qui etiam Quæsitores nominati, *res capitales, seu judicia Quæstionum exercebant*. Alii *Quæstores Provinciales, qui unà eum Pro-consule, aut Pro-Prætore in Provincias exibant* (e). Duobus posterioribus prætermissis, primos explicandos suscipio.

Quæstorum origo antiquissima, & proindè incerta videtur, Junius Gracchanus (a), *etiam ipsum Romulum, & Numam Pompilium, bonos Quæstores habuisse, quos ipsi non suâ voce, sed Populi suffragio crearent*, asserit. *Sed sicuti dubium est, an Romulo, & Numa Pompilio regnantibus, Quæstor fuerit: ita Tullo Hostilio Rege, Quæstores fuisse certum est.* (b) Imo invaluit Veterum Scriptorum sententia, Tullum Hostilium primos in Rempublicam Quæstores induxisse. (c)

Erat autem Quæstura primus pro juvenibus Magistratus Urbanus, qui petebatur, postquam quis decem annua stipendia fecisset, non ante annum ætatis XXVII. Primùm Quæstoris honor Patriciis adscriptus fuit, cum verò res Romanæ augerentur, & bello crescerent, duobus prioribus Quæstoribus, alii duo adjecti sunt, qui Consules ad bella properantes, sequerentur, eisque necessaria subministrarent; & ea tempestate à plebe obtentum fuit, ut partim ex Patriciis, partim ex plebe, crearentur. Hi omnes Quæstores Ærarii, sive ab Ærario dicebantur. Unum, & alterum duo insequentes lapides ostendunt.

Quæ-

(a) *Menoreæ in Hispaniis. Pighius in antiq.*
(b) *Litera pulcherrima, & florenti, sed non nihil tritæ. Neapoli in Sancto Joanne Majore extat hæc Tabula marmorea lata pedum VI. alta pal. IIIS. Morillonius, & Smetius.*
(c) *Varro Lib. IV. de Ling. Latin.*
(d) *Joan. Rosinus Antiq. Lib. VII. Cap. 37.*
(e) *Idem Lib. VII. Cap. 45.*

(a) *Lib. VII. de Potestatib.*
(b) *Joan. Rosinus Lib. VII. Cap. 22.*
(c) *Sigon. de antiquo Jure Civium Roman. Lib. II. Cap. 2.*

Digitized by Google

Quæstor Ærarii.

Grut. p. cccc. v. N. 2.

M. POBLICIO.
M. F. SAB. SEXTIO
CALPURNIANO
EQUO. PUBLICO
FLAM. DIVI. JULI.
PRAEF. AEDIL. POT.
QUAESTOR. AERAR.
SACERD. JUVEN. BRIX.
DEFENSORI. REIP. BRIX.
COLLEGIA.
CENTON. ET. FABROR.
L. D. D. D. (a)

Insequens Ara Quæstorem ab AErario nominat.

Quæstor ab AErario.

Grut. p. MXXVI. N. 9.

HAVE. MELETINA
SUAVISSIMA.

D. S. I.
JULIAE. MELETINAE
L. I. B.
VIX. A. N. XXI. M. VI. D. X.
H. III.
C. LUCRETIVS. Q. F. PAL.
QUAEST. AB. AERAR.
ARAM. HANC. DD. (b)

Hujus dignitatis viri Patricii, documentum, quod plura ejusdem perfuncta munia post Urbanam Quæsturam, nempè AEdilis Curulis, Prætoris, Curatoris viæ Aureliæ, Proconsulis Lyciæ, Pamphiliæ, & tandem Consulis, ex ordine numerat, extat Compsæ in Lucania in Palatio Archiepiscopi, hoc modo legitur: extant quidem munia dignitatum, sed qui illis functus est, alta oblivione sepultus jacet.

Grut. p. cccc. xci. N. 12.

. . . . . .
M. P. GAL. PRIMO. X. VIR. STL.
JUD. TRIB. LEG. VIII. GEM. FE
LICIS. HISPAN. CITERIORIS
Q. URBAN. AED. CVRVL.
PRAETORI. CVRAT. VIAE.
AVRELIAE. PROCONS. LY
CIAE, PAMPHILIAE. CONS.
POLYMUS. LIB.
(c)

Viri verò Plebei, qui post Urbanam Quæsturam, Tribunus Plebis, & Prætor Parthicarius extitit, conservatur Tarraconæ hac inscriptione:

Grut. p. ccc. i. N. 7.

P. ALFIO. P. F. GAL.
MAXIMO. NUMER
LICINIANO. X. VIRO.
STILITIBVS. JUDICAND.
QUAESTORI. URBANO.
TRIBUNO. PLEBEI.
CANDIDATO. PRAETORI.
PARTHICARIO.
P. ALFIVS. AVITVS. NVMER.
MATERNUS. FILIVS.
PATRI. DVLCISS. (a)

His positis, propero ad ipsum munus Quæstorum Urbanorum, sive AErarii explicandum. Varium illud fuit. Imprimis ad ipsos pertinebat cura AErarii, & Vectigalium Populi Romani, pecuniam publicè, & privatim erogabant, vel in AErarium reponebant, imò in tabulas accepti, & expensi referebant (b). Cum exercitus scriberetur, & in campum Legiones ducerentur, signa militaria ex ærario depromebant, atque ad Consules in expeditionem ituros, mittebant. Legatis, ex ultimis oris terrarum Romam profectis, publicum hospitium curabant, & munera, sæpè etiam commeatus largè, & hospitaliter, imò & Vestimenta publico nomine exhibebant, ac nequid ipsis, eorumque comitibus deesset, prospiciebant, AEgrotantium Legatorum peregrinorum curam suscipiebant, mortuosque sepeliebant, eisque funus publicis expensis erigebant. Ipsis etiam incumbebat, prædam ex hostibus captam vendere, nummosque ex ea redactos in ærarium referre. Denique in ipsos translata fuit cura conservandorum Senatus-Consultorum, cum primitùs Tribuni Plebis, & AEdiles eo munere uterentur. Nullum tamen Quæstores habebant imperium, nec sella curuli, ut alii Magistratus, nec lictoribus, nec Viatoribus utebantur, imo apud Prætorem ab homine privato in jus vocari poterant.

Hic habes Urbanorum, sive AErarii Quæstorum, munus illustratum. Per illud Forensium, sive Coloniæ, sive Municipii Quæstorum functio explanari potest: hi enim Quæstores in Republica sua subalterna, Romanæ imitabantur naturam, & in parvis magna sequebantur. Urbanorum Quæstorum dignitas, eorumdem erat figura functionis, Romanorum Quæstorum munus erat Prototypon actionis. Illi ærarium Romanum, hi Coloniæ, aut Municipii gubernabant. Illi Romanæ Reipublicæ Receptorum, & Expensorum rationem servabant, hi subditæ Reipublicæ computum nummorum in tabulas redigebant. Illi Romani insignia exercitus, (dum bellum instabat) penès ipsos conservata, Consulibus porrigebant, hi vel Legionibus, vel cohortibus, quorum milites, vel Coloni, vel Municipes, vel Præsidiarios ha-

(a) *Canagi in Sacello D. Virginis. AElius Cauvioli in sua Histor. Brixian.*

(b) *Ara marmorea Romæ extabat olim apud Marmorarium, tunc habitantem juxta AEdem D. Petri in Carcere Tulliano. Gutenstenius in suis antiqu. Monument. qui vidit & exscripsit.*

(c) *Compsæ in Lucania, in Palatio Archiepiscopi. Smetius, & Cittadinus.*

* *POLYLIMUS Cittadino.*

(a) *Habetur Tarraconæ in AEdibus Jani de Traves. Schottus.*

(b) *Livius lib. VII. Plutarchus Problem. 43.*

habebant ; & signa , [& arma subministra- A
bant. Illi Regum, ac Principum exterorum Legatos in publicum hospitium excipiebant, ipsisque & munera , & commeatus , & vestimenta procurabant , hi Romanæ Reipublicæ , ac Consulum Legatos , hi Scribas publicos , hi Apparitores , Accensos , Interpretes, Præcones , Lictores , ac Viatores , pro occurrente negotio , & injuncto mandato , expensis coloniæ , aut Municipii recipiebant , & fovebant . Illi ægrotantibus Legatis , hi infirmis Deputatis subveniebant . Illi mor- B
tuis funera majora , hi minora ex AErario erigebant . Verbo jungo, utrisque idem munus qualitatis , non quantitatis incumbebat .

Cum igitur Quæstores Forenses per omnes suas functiones Urbanis Quæstoribus Similes inveniantur , jungendum est utrosque Quæstores AErarii , & ab AErario fuisse nuncupatos .

Quæstores Urbanos hoc nomen obtinuisse, suprà indicavi : Quæstores Forenses eo nomine usos , hic demonstrabo . Prioris exemplum invenio in M. Minucio Quintiano Brixiæ Decurione . Aræ inscriptionem lege , & Quæstoris Ærarii nomen invenies . C

Grut.p.MXCVII. N.5.

M. MINUCIO.
M. F. FAB.
QUINTIANO.
DEC. BRIX.
Q. AER. MINVCIVS
MINICIANUS
AVUNCULUS. EX. TESTAME.
EJUS. FACIENDVM. D
CURAVIT. (a)

Posterioris exemplum trado in M. Senucio Servato , qui Coloniæ Quæstor ab AErario indigitatur . Nemausi lapis extat : hic inscriptio traditur .

Grut.p.CCCCLXVII. N.3.

M. SENUCII.
SERVATI. Q. COL.
AUG. NEM. AB. AER E
ET. JVL. HELPIDIS
UXORIS. OPTIMAE.
V. P.

Constat ex his antiquis documentis , Forenses Quæstores extitisse , eosque AErarii subditarum Rerumpublicarum , sive Coloniæ, sive Municipii , regimen obtinuisse .

Hos etiam aliquando ad AEdilitatum , & ex ea ad II. Viratum ascendisse , docet lapis, qui Martos in Hispaniis , conspicitur : in F
eo enim legitur Cl. Julius Rullio II. Vir. AEd. Quæst. Sic ut a Quæstura ad AEdilatum , ab AEdilatu ad II. Viratum pervenerit .

Grut. p.CCCXXIV. N.9.

CL. JULIO. M. F. RULLIONI.
II. VIR. AED. QVAEST.
COL. AVG. GEM. . . .
. . . . . A . . . Val

Quæstores etiam , Coloniæ & Municipii Decuriones fuisse , ex utroque subjuncto marmore dignosci potest . Primum , Tertium Sammium Rarum Nemausi Quæstorem , & Decurionem exhibet .

I. Grut. p. CCCLXV. N.9.

D. M.
TERTII. SAMMII. VOL.
KARI. Q. NEM. ET. DECUR.
ET. SAMMIAE. ATICAE.
VXOR. ET.
L. HORTENTII. KARI. FIL.
T. F. I. (c)

Alterum *P.* Metellium L. F. Augustæ Taurinorum Decurionem , & Quæstorem , reliqua transeo, adducit .

II. Grut. p.XVII. N.10.

P. METELLIVS.
L. F. DEC. TAVR.
ET. QVAESTOR.
ITEM. DECVRIO.
EPOREDIAE. ET. II. VIR.
IOVI. AVG.
EX. H. S. X.
TEST. PONI. CVR.
(c)

Tandem ad Quæstoricios , qui in Canusina Tabula leguntur , descendo . Hi verò hoc nomine gaudebant , quod Quæstoriam in Republica gesserant dignitatem . Hinc etiam Quæstorii (quod planè vocabulum cum Quæstoriciis convenit) dicebantur . Sic Flavius Martius Senior in Colonia Carvetiorum Quæstoris , munus, nomenque *Quæstoricii* promeritus est , ut ex Anglicano Marmore deduci cognoscique potest . Ne Angliam petas , hic marmor inscriptum vides .

Grut. p.CCCCXI. N.4.

D. M.

FIL. MARTIO. SEN. 1.Grut.
I. IN. C. CARVETIOR. inc.
sic
QVESTORIO
VIXIT. AN. XXXXV.
MARTIOLA. FILIA. ET 2.Grut.
HERES 2. PONENDVM.ponend.
CVRAVIT. (d)

Hi ergò *Quæstoricii* , sive *Quæstorii* de perfuncta Quæstura nomen sibi vindicabant , nam

(a) *Brixiæ exstat Ara. Rubens in suis Antiq.*
(b) *Nemausi extat . Scaliger in suis Antiq.*
(c) *Augustæ Taurinorum in ædibus Vagnoniis. Pingonius .*
(d) *Apud Vetus in Perith in Cumbria . Camdenus in suâ Anglia illustrata .*

Digitized by Google

nam ſicut, *qui Conſulatum geſſerant, Conſulares, ſic qui Prætoram, Prætorii, qui AEdilitatem, AEdilicii, qui Quæſturam, Quæſtoricii*, aſſerit in ſuis Romanis Antiquitatibus Joannes Roſinus, (a) *appellabantur*.

Quæſtoricii autem depoſita Quæſtura, vel ad AEdilitatem, vel ad Decurionatum aſpirare poterant, quod vel indè patet, quia in antiquis lapidibus aliqui Quæſtores, & AEdiles, aliqui Quæſtores, & Decuriones (ut ſuprà indicavi) citati reperiuntur. Novem illi *Quæſtoricii*, qui in Tabula ponuntur, proximè poſt defunctam Quæſturam ad Decurionatum promoti ſunt, & in Canuſina Republica Decuriones Quæſtoricii, ut Tabula præfert, nominati fuerunt.

CAP. XXIX.

DECURIONES PEDANI.

Pedani, in Tabula inveniuntur, numero triginta duo recenſentur, & omnes Decuriones appellantur. Omnimodam cum Senatoribus Pedariis Similitudinem nacti ſunt, quos proindè ſi illuſtravero, totam Pedanorum functionem explicavero.

Senatores olim, Vrbis Senatum conſtituebant: Equites Senatorum filii, à Cenſoribus eligebantur, & Senatum intrabant, & inter Senatores numerabantur. Inter hos Senatores, & Equites, Pedarii Senatores erant quaſi intermedii. Pedarii Senatores qui ſint, docet Gellius ex Varronis Satyra Mænippæa, nimirum: (a) *Quod Equites quidam Pedarii Senatores appellati ſint, qui nondum à Cenſoribus in Senatum lecti, & ità Senatores quidem propriè non fuerint, honoribus tamen Populi uſi ſint, & propterea in Senatum venerint, & Sententiæ jus habuerint: & quia in poſtremis ſcripti eſſent, ſententias non rogati fuerint, ſed in eas, quas Principes dixiſſent, deſcenderint.*

Vbi etiam diverſas ab hac ſententiâ aliorum opiniones citat (b), nempè quod quidam opinati ſint, Pedarios Senatores appellatos eſſe quod Sententiam *in Senatu non verbis dixerint, ſed in alienam ſententiam pedibus iverint* (c): quidam autem eos Pedarios dictos fuiſſe: *Quod cum Curulem Magiſtratum non geſſiſſent, pedibus in Curiam iverint, & curuli ſella vecti non fuerint, ſicut illi qui Curulem Magiſtratum geſſerant* (d). Quas duas poſteriores ſententias Sigonius Gellium explicans inducit his verbis (e): Gellius Pedarios Senatores dictos ab aliis ſubjicit: *Qui non ſententiam in Senatu dicerent, ſed ab aliis dictam moventes ſe loco approbarent; ab aliis qui curules Magiſtratus nondum geſſiſſent: undè in curiam non curru, ut cæteri verebantur, ſed pedibus irent.* Sed hæ duæ Sententiæ videntur omninò improbandæ. Prior quidem, quod indè ſequeretur, ſi quando Senatus-conſultum per diſceſſionem fieret, omnes Senatores eſſe Pedarios, quod tum univerſi ſententiam pedibus ferant. Poſterior verò ex Varrone, qui Scriptum reliquit: *etiam Curulibus Magiſtratibus functos, ſi nondum à Cenſoribus in Senatum lecti eſſent, Senatores non eſſe.*

His Feſtus accedit, & Pedarios Senatores fuiſſe appellatos ſcribit, qui taciti tranſeundo ad eos, quorum ſententiam probent, quid ſentiant, indicent. Feſtum autem de Pedariis Senatoribus edicere ſolere ait Sigonius (a): *Ut Senatores adſint, quibuſque in Senatu ſententiam dicere licet, quia ii, qui poſt inſtrum ex Junioribus magiſtratum ceperunt, & in Senatu ſententiam dicunt, & non vocantur Senatores antequam in Senioribus ſunt cenſi.* Quos etiam intelligit, ut arbitror, Cicero, cum ſcribit (b): *Cluentius Eques Romanus cauſſam dicit, qua lege Senatores, & ii, qui Magiſtratum habuerunt, ſoli tenentur.*

Decuriones in Coloniis, & Municipiis, Senatores Romanos paſſim imitati ſunt, ac ibidem ordinem, & Senatum conſtituerunt: in quem *Patroni, Quinquennalicii, Il-Viralicii, Ædilicii, Quæſtoricii*, aliique electi, ſententias ſuas rogati dixerunt.

(c) *Pedani* verò, Ordinis Populique favore in Decuriam admiſſi, Decurionis nomine gaudebant, Sententias ſuas dixerunt, ſed dictas, aliorum mentibus adæquarunt. Per hanc adæquationem, *Pedani* rectè dicti ſunt, *cum in hanc ſententiam*, Livio (d) teſte, *pedibus omnes iſſent*, hoc eſt approbaſſent, & confirmaſſent.

CAP. XXX.

DECURIONES PRÆTEXTATI.

Romanos Rerum Dominos, Gentemque togatam. (e)

Clamabat olim Auguſtus indignabundus, quod togam, (communem civium Romanorum habitum) ſuæ ætate ſpretam, & quaſi derelictam videret: hinc *Ædilibus injunxit, ne quem poſt hac paterentur in foro, aut circo, niſi*, poſitis pænulis, lacernis, & tunicis, *togatum conſiſtere*. Sed poſt Auguſti imperium, ut libertas, ita toga magis magiſque in deſuetudinem ivit. Sub Hadriano Principe, vix in Senatoribus, & Equitibus ap-

(a) *Lib.* VII. *Cap.* 3.
(b) *Gellius lib.* III. *cap.* 3.
(c) *Livius Lib.* XXIII.
(d) *Gellius ibid.*
(e) *de antiq. Jur. Civium Roman. Lib.* II. *Cap.* 2.

(a) *Sigonius de ant. Jur. Civ. Rom. Lib.* II. *Cap.* 2.
(b) *Cicero in Oratione pro Cluentio.*
(c) *Plinius Junior.*
(d) *Livius Lib.* XXII.
(e) *Suetonius in Auguſto.*
(f) *Idem loc. cit.*

Digitized by Google

apparuit, quapropter (a) *Senatores, & Equites Romanos semper in publico togatos esse jussit, nisi à cœna reverterentur.*

Cæterum toga, quæ olim Civibus erat necessaria, apud paucos, & non nisi honestiores, remanlit (b). Togæ verò plures erant species, nempe *Prætexta*, Candida, Pura, Pulla, Sordida, Picta, Purpurea, Palmata, quibus omnibus præteritis, unam *Prætextam* illustrare cupio, qua cognita, statim Prætextati apparebunt.

Igitur Toga Prætexta à prætexendo dicebatur; quia ei Purpura, ut ait Macrobius, prætexta erat, hoc est; quia Purpuram in ora habebat, quam ob causam Græci περιπορφυρον, eam vocabant, utpotè circumquaque Purpuram habentem. Vestimentum erat puerorum, quod usque ad annum decimum Septimum, qui tyrocinii dicebatur, gestabant. Consuetudinis plures causas Macrobius allegat, scribit enim (c): *Primis Reipublicæ Romanæ temporibus puerilem ætatem Prætextam non usurpasse, sed posteà Tarquinium Demarati exulis Corinthii filium, Priscum, cum de Sabinis triumphum ageret, filium suum, annos quatuordecim natum, quod hostem in eo bello manu percussisset, & pro concione laudasse, & bulla aurea Prætextaque donasse, eumque adhuc puerum ultra annos fortem præmiis virilitatis, & honoris insignivisse. Inde deductum morem, ut Prætexta, & bulla in usum puerorum Nobilium usurparentur, ad omen, & vota concilianda Virtutis ei similis, cui primis in annis, munera ista cessissent.*

Quibus exindè aliorum sententias subjicit, nempe: (d) *Tarquinium Priscum, cum ingenuorum puerorum cultum inter præcipua duceret, instituisse, ut Patricii, bulla aurea cum Toga, cui purpura prætexitur, uterentur, illi scilicet, quorum patres curulem gessissent Magistratum, cæteris autem, ut Prætexta tantum uterentur, indulsisse, sed usque ad eos, quorum parentes epistola stipendia justa meruissent. Aut quod rerum antiquarum peritissimi tradunt, Romulum cum ad consolandum raptas spopondisset, se ejus infanti, quæ prima sibi civem Romanum esset enixa, illustre munus daturum. Hostum Hostilium Hersyliæ filium, quod ea, prima ex omnibus Sabinis mulieribus raptis partum edidisset, bulla aurea, ac Prætexta insignibus honorasse. Aut, Togam Prætextam pueris datam, ut ex purpuræ rubore, ingenuitatis pudore tegerentur. Aut, quam Verrii Flaccii sententiam esse ait, Togæ Prætextæ usum, primum ei puero concessum, qui cum Circensium die de Cœnaculo pompam ludorum superne despexisset, & patri retulisset, quo ordine secreta sacrorum in arca Pisenti composita vidisset: ea re Oraculi, quo nunciatum erat, Populum Romanum propterea pestilentia laborare, quod Dii despicerentur, sententiam aperuisset.* Hactenùs Macrobius.

Non solum autem pueri, iique ingenui, verum etiam puellæ ingenuæ, Libertinorum (a) filii, Magistratus omnes, non modo Romæ, sed in Coloniis etiam, & Municipiis, Magistri vicorum, & Collegiorum, Sacerdotes, Senatores ludorum Romanorum diebus, & mulieres nonis Caprotinis togatebantur Prætexta, quæ omnia Aldus Manutius (b) post sedulam indagationem legenda collegit, & exposuit.

De pueris suprà plura documenta tradidi.

De puellis ingenuis prætextatis, Cicero asserit (c); *eripies pupillæ togam Prætextam.* Cui jungo Propertium, qui ad altiora properat, dum ait: (d)

Mox ubi jam facibus cessit Prætexta marito
Vinxit, & acceptas altera vitta comas.

Indicat Poeta tempus, quo puellæ assumptam prætextam deponebant, nam uti pueri ea induebantur, donec virilem togam assumerent, sic puellæ, donec viris sociarentur, eadem usas fuisse canit. Propertium explicat Festus his verbis: *Nubentibus*, inquit, *depositis Prætextis, à multitudine puerorum abscœna clamabantur.*

Libertinorum filii etiam Prætextæ honore fulgebant, causam tradit Macrobius (e), nimirum quod *cum bello secundo Punico ad lectisternium ex stirpe collata faciendum, libertinæ quoque pecuniam subministrassent, & aucta obsecratio esset, pueris ingenuis itemque libertinis carmen prænuntiantibus, concessum fuit, ut Libertinorum quoque filii, qui ex justa dumtaxat matre familias nati sunt, togam Prætextam, & lorum in collo pro bullæ decore gestarent.*

Romanorum magistratuum, ac Sacerdotum Prætexta multis testimoniis probatur, quæ apud Ciceronem, Plutarchum, Macrobium, Polybium, Livium, aliosque antiquitatis indagatores, & Scriptores extant insignia, quæ facilè legentibus occurrent. Ne tamen omnimodò huius Prætextæ notitia lectorem privare videar, Valerium Tribunum Plebis apud Livium (f) loquentem induco: *Purpura viri*, inquit, *utemur, Prætextati in Magistratibus, in Sacerdotiis: liberi nostri Prætextis, purpura, togis utentur: Magistratibus in Coloniis, municipiisque, hic Romæ infimo genere Magistris Vicorum, togæ Prætextæ habendæ jus permittimus: nec id ut vivi solum habeant tantum insigne, sed etiam ut cum eo crementur: fœminis dumtaxat usu purpuræ interdicimus &c.*

Ma-

(a) *Spartianus in Hadriano.*
(b) *Justus Lipsius Lib. I. Electorum Cap. 13. Aldus Manutius Lib. II. de Quæsitis per Epistolam Epist. I.*
(c) *Macrobius Lib. Saturnal. I. C. 6.*
(d) *Ibid.*

(a) *Ioan. Rosinus Lib. 5. Cap. 32.*
(b) *Lib. II. de Quæsitis per Epist. Epist. I.*
(c) *in Verrem.*
(d) *Propertius Lib. IV.*
(e) *Lib. I. Saturnal. Cap. 6.*
(f) *Lib. XXXIV.*

Digitized by Google

Magiſtris Collegiorum Aſconius (a) Pædianus concesſam Prætextam inſinuat.

Senatoribus in uſu fuiſſe ludorum diebus, Cicero (b) præclaro ſuo teſtimonio, comprobat.

Mulieres iviſſe Prætextatas Nonis Caprotinis, hoc eſt, Nonis Quintilibus, ſeu Juliis, docet Varro (c) dum ſcribit: *Nonis Caprotinis in Latio Junoni Caprotinæ mulieres ſacrificant, & ſub Caprifico faciunt, & è caprifico adhibent Virgam: ob hoc toga Prætexta data eſt.*

A Prætexta itaque Prætextati nomen ſuum hæreditarunt. (d) De variis Prætextatis egi, ut omnium cognitionem adducerem, qua adducta pleroſque tranſeo, & Coloniarum, ac Municipiorum Prætextatos propiùs explicaturus aggredior.

Jam dudum ex Livio conſtat, Magiſtratibus in Coloniis, Municipiiſque togæ Prætextæ habendæ jus fuiſſe permiſſum, non ſolum dum viverent, pro functionis honore, ſed etiam poſt obitum, dum crementur, pro memoria dignitatis. Hinc Duum-Viri, Decuriones, Ædiles, Quæſtores, aliique, cum Magiſtratum gererent, *Prætextati* dici potuerunt.

Sed inter Decuriones Tabulæ, viginti quinque, ultimo loco poſiti, ſolum Prætextati nuncupantur. Dubium proindè occurrere poſſet, an cæteri omnes Prætexta induerentur, an hi ſolum? ſi omnes; cur & ipſi à Prætextæ indumento non indigitentur *Prætextati*? Si hi tantum; cur Prætexta, veſtimento ordini Decurionum communi, & *Prætextati* appellativo, reliqui omnes priores, & potiores priventur? Dubium ſolvo. Omnes Decuriones Tabulæ inciſi Prætexta utebantur, & ab ea *Prætextati* nuncupari poterant, cum verò in Republica ſua, alia aliaque munia obiviſſent, ac tandem ad Decurionatus magiſtratum eſſent evecti, ſub nomine anterioris perfuncti muneris, exempli gratia II-Viratus, Ædilatus, aut Quæſtura, vocabantur Decuriones II-Viralicii, Ædilicii, Quæſtoricii, ultimi verò Decuriones cum nullo functionis honore inſigniti, ſolaque Prætexta eſſent decorati, ab eadem vocabantur *Prætextati*.

Hi proinde *Prætextati* juvenes erant, quod vel ex eo conſtat, quia inter illos quatuor aliorum Decurionum filii etiam *Junioris* vocabulo appellantur.

Hi etiam magis addiſcendi, quam docendi cauſa in Comitiis a populo eligebantur, Decuriones quidem erant, & vocabantur, habitumque geſtabant; ſententiam verò dicere, non rogabantur, ſed aliorum ſententias auſcultabant; erantque per omnia ſimiles Galliæ Conſiliariis auſcultantibus, qui Regni idiomate nominantur *Conſeilliers Eſcoutans*.

Hi forſan ad Prætextatorum Decurionum formam introducti, juvenes ſunt, & parum gerendis negotiis experti: Conſiliarii in Curiis dignitatem, aut nummis comparant, aut parentum favore ſibi vindicant. omnem Senatus conſeſſum frequentant, togam geſtant, Conſiliarii nomine, ac titulo gaudent, ad conſtitutos annos partium lites, ventilationes, ac perorationes auſcultant, donec creſcente ætate cæteris annumerentur, & in promendis Sententiis reddantur æquales.

(a) *Oration. in Piſonem.*
(b) *II. Philippica.*
(c) *Lib. V. de Ling. Latin.*
(d) *Vide Macrobium Lib. I. Saturnal. Cap. 2.*

FINIS.

HEN-

Digitized by Google

Digitized by Google

HENRICI BRENCMANNI,

J. C. & Academici Florentini,

GEMINA DISSERTATIO:

Altera

DE

REPUBLICA AMALPHITANA:

Altera

DE

AMALPHI

A

PISANIS DIREPTA.

Utraque nunc primum in luce mittitur.

Adjecta in calce TABULA CHRONOLOGICA;

Digitized by Google

Digitized by Google

LECTORI S.

CONSTANS fama est, AMALPHI repertos esse Pandectarum libros, qui hodie *Florentiæ* honorata & solenni custodia asservantur. Constat etiam apud omnes, eosdem in direptione illius urbis ablatos esse a *Pisanis*: sed de tempore non conveniunt, nec occasio ejus rei peræque omnibus nota est. Quum igitur in eo totus essem, ut accuratam exemplaris *Florentini* historiam componerem, indagandæ videbantur res *Amalphitanorum*, quas nemo hactenùs ex professo tradiderat. Inquirendum præterea erat in bellum & expeditiones, quas *Pisani* in illam civitatem susceperunt. Ea mihi conscribendæ utriusque Dissertationis ratio fuit. Hoc autem cum innotuisset solerti & celeberrimo typographo nostrati *Petro Vander Aa*, cui orbis eruditus ipsaque imprimis *Italia* ob tot præclara rarissimaque, & prope jam oblivione sepulta Clarissimorum virorum opera, quæ ad eam illustrandam pertinent, plurimum debet, rogavit ut has meas qualescunque curas ad adornandum amplissimum *Italicarum* historiarum Thesaurum vellem conferre. Ego vero, cur id negarem, causam non habui. Tenes quæ me ad scribendas communicandasque Dissertationes hasce impulere. Id tua, id mea indicasse intererat.

ARGUMENTUM DISSERTATIONIS PRIORIS DE REPUBLICA AMALPHITANA.

CAP. I. *Situs* Amalpheos, *confinia & latitudo.* Pag. 905.

II. *Confusio* Amalphis *cum* Melphi. 906.

III. *Varia horum nominum scriptura, eademque ad confusionem prona.* 907.

IV. *Fabulæ de origine & ortu hujus civitatis.* 908.

V. *Historia magis probabilis ex veteri Chronico* Amalphitano. 909.

VI. *Res gestæ* Amalphitanorum. *Per fraudem captivi ducuntur* Salernum, *seque ipsos liberant.* 910.

VII. *Bella cum* Saracenis. ibid.

VIII. *Institutio Ordinis equestris, qui nunc* Melitensis *dicitur.* 911.

IX. *Tributarii facti a* Salernitanis. *Proelium navale cum* Surrentinis. 912.

X. *Concilium* Amalphitanum. 913.

XI. *A* Salernitanis *deficientes recidunt sub potestatem* Roberti Guiscardi Normanni, Siciliæ & Calabriæ Apuliæque *Ducis, a quo per fraudem circumveniuntur.* 914.

XII. *Mox a* Guiscardo *desciscunt, & ab eodem armis subiguntur. Epistola decretalis* Gregorii VII. *de hac re. Postea cum* Surrentinis *jure successionis deveniunt ad* Guidonem, *inde autem ad* Rogerium Bossum, Apuliæ & Calabriæ *Ducem Principemque* Salerni. 915.

XIII. *Excidit ducatu* Rogerius, *ab* Amalphitanis *urae exclusus, quam frustra armis tentat, adjutus licet a principibus consanguineis. Deinde tamen iterum ducatu potitur.* 916.

XIV. *Subjugantur tandem penitus a* Rogerio, *primo* Siciliæ *Rege.* 917.

XV. *Difficultas hujus rei. Post triennium* Amalphim *feroci manu perdere voluit* Rogerius. 918.

XVI. *Diripitur a* Pisanis Amalphis, *in qua direptione asportata. sunt* Pandectarum *volumina* ibid.

XVII. *Biennio post tributaria est facta a* Pisanis *jussu & auspiciis* Lotharii II, *Imp. oppida autem hujus ducatus horrendum in modum vastata sunt.* 919.

Digitized by Google

XVIII. *Occupata mox iterum à* Rogerio Amalphis *manfit posteà sub regibus* Siculis, *emersit tamen aliquatenus commerciis maritimis. Privilegia à* Neapolitanis *indulta. Tabula* Amalphitana. 920.

XIX. *Diploma* Neapolitanum *in gratiam* Amalphitanorum. 921.

XX. *Explicata quædam verba hujus diplomatis: ut & alia in genus ad res* Amalphitanas *spectantia.* 922.

XXI. *Reliquiæ* S. Andreæ *Apostoli, patroni* Amalpheos, Constantinopoli *ex translatæ.* 923.

XXII. *Inventum pyxidis nauticæ per vivem* Amalphitanum; *hinc insigne civitatis.* 924.

XXIII. *Bellis exterorum principum, de* Sicilia & Neapoli *decertantium, implicita* Amalphis *ad extremum prorsus concidit.* 925.

XXIV. *Forma reipublicæ & genera magistratuum. Comites, Præfecti, Duces. Tituli Ducum* Amalphitanorum. 926.

XXV. *Liberam Rempublicam fuisse. Duces lecti & remoti à populo: leges latæ: nummi cusi.* 927.

XXVI. *Libertatis immunitio varia, eiusque tandem amissio. Regii vicarii, justiciarii, Stratici, Regii vices gerentes.* 929.

XXVII. *Imperiales patriarchæ, Reguli. Ducatus honorem non amisit* Amalphis; *In cujus posteà ditione fuerit, & adhuc sit.* ibid.

XXVIII. *Amplitudo & potentia* Amalphitanorum *in florentissimo Reipublicæ statu. Comparatur cum Republica* Veneta. 931.

XXIX. *Duplex causa interitus Reipublicæ* Amalphitanæ, *æmulatio vicinorum principum, & discordia civilis: exempla.* 932.

XXX. *Munimenta* Amalpheos, *à natura* 933.

XXXI. Amalphis *munimenta ab arte. Nunquam expugnatam legi hanc urbem.* ibid.

XXXII. *Oppida & Castella* Amalphitana, *tanquam metropoli, subjecta.* Scala, Ravellum, Scalecta *major & minor*, Fractis, Puginile. 934.

XXXIII. Atrani, Letteræ, [illegible] ventum, Ageruta, [illegible] *Præterea insulæ* [illegible], 9[illegible] *aliis* Gallorum, [illegible] *& Capreæ.*

XXXIV. *Possessiones* Amalphitanorum Sicilia, Constantinopoli, Ægypto, Syria, Arabia, India, Africa, *&c.* 937.

XXXV. *Sumptuosa domi ædificia, cum publica, tum privata. Templum* D. Andreæ. *Armamentarium navale. Portus & littora. Populus multitudo.* 938.

XXXVI. *In sacris Archiepiscopatus dignitas. Suffraganei. Concilium* Amalphitanum. S. Andreas *protector civitatis. Cœnobium* S. Laurentii de Amalfia. *Alia quædam templa & monasteria.* ibid.

XXXVII. *Familiæ* Amalphitanorum. *Fuere eruditi, præsertim vero in jure. Alii duo aliis rebus celebres.* 939.

XXXVIII. *Statura corporis, habitus, & indoles* Amalphitanorum. 941.

XXXIX. *Fertilitas felicitasque agri* Amalphitani. 942.

XL. *Opulentia, & celebritas hujus urbis variis scriptorum epithetis comprobata.* 943.

XLI. *Nulla tamen re magis inclyti* Amalphitani *quam mercatura.* ibi.

XLII. *Per eam ordo* Melitensis *institutus, inventus Codex* Pandectarum, *ut & usus* Pyxidis nauticæ. *hæc autem præ aliis præcipua habent.* 944.

ARGU-

Digitized by Google

ARGUMENTUM DISSERTATIONIS SECUNDÆ DE AMALPHI A PISANIS DIREPTA

CAP. I. Italia *à variis Barbaris occupata. Ad pellendos ex* Italia Saracenos Normanni à Gallis *arcessiti : in his* Tancredus *cum* XII. *filiis*. Pag. 945.

II. *Successio filiorum* Tancredi, *& fatum AMALPHEOS sub ipsum*. 946.

III. Rogerius, Tancredi *nepos*, *Comes* Siciliæ, *ejus indoles*. 947.

IV. *Quemadmodum* Rogerius Apuliam & Calabriam *cognato absenti ereptum abstulerit*. ibid.

V. Rogerius *se Regem* Siciliæ *facit*. 948.

VI. Rogerius *occupat ducatum AMALPHITANUM*. Neapolis *se* Rogerio *submittit*. 951.

VII. *Schisma creatis duobus Pontificibus* Innocentio II. & Anacleto II. Innocentius *ad PISANOS confugit*. 952.

VIII. *Pisis in* Galliam *proficiscitur*, *favente* Bernardo *Abbate* Claravallensi. *In itinere inducias pangit inter PISANOS &* Genuenses. 953.

IX. Anacletus Rogerium *sibi adjungit*, *confirmato ei* Siciliæ *regno*. *Prætera sollicitat* Lotharium Germaniæ & Ludovicum Crassum Franciæ *reges*, *aliosque Principes*. 954.

X. *Iter* Innocentii Gallicanum, *invenit ibi regem* Angliæ, *à quo frustrà opem postulat*. ibid.

XI. *In* Germaniam *deflectens fœdus init cum* Lothario, *submota per* Bernardum *difficultate de investituris Imperio restituendis*. Innocentii & Lotharii *in pari conditione dispar fortuna*. 955.

XII. *Historia* Lotharii, *Electio ejus*, & *grave dissidium cum* Conrado *de successione in Imperium*. *Prospera* Conradi *in* Italiam *expeditio*. 956.

XIII. *Reditus* Innocentii *in* Galliam, & *mora ut Regem in partes suas pertraheret : sed incassum*. *PISAS revertitur*. 957.

XIV. *Progressus* Rogerii, *perfidia illius adversus affinem* Rainulfum, Aversæ *comitem*, *prælio superatur*. 958.

XV. *Partes* Anacleti *superiores*. 959.

XVI. Innocentius *PISANOS*, & Genuenses *inter se conciliat*. *Tum Episcopos eorum ornat dignitate Archiepiscopali*, 960.

XVII. Conradus *ex* Italia *domum revocatur*. *Contra* Lotharius Romam *proficiscitur adscito PISIS* Innocentio. ibid.

XVIII. *Classis PISANA &* Genuensis *in* Lotharii, & Innocentii *auxilium venit*, *qui interim stratagemate* Romam *ingrediuntur*. Lotharium *in* Lateranensi *basilica coronat* Innocentius, Anacleto *Vaticanam obtinente*. Innocentius *PISAS*, Lotharius *in* Germaniam *redit*. 961.

XIX. *Cruenta* Rogerii *victoria adversus civitates rebelles*, *quin & in alias*. *Hanc calamitatem ægrè evadit AMALPHIS*, & *quod in ea erat Pandectarum exemplar*. *Viginti naves cum præda submersæ*. 963.

XX. Robertus Capuæ *Princeps Suo & fœderatorum nomine* PISAS *opem imploratum ivit adversus* Rogerium. Rogerii *ex contrario ad* PISANOS *legati de fœdere*. PISANI *verò cum* Genuensibus, *fortè & Venetis*, Roberto *classem C. navium pollicentur*. 964.

XXI. *Fœderati nihil valuerunt adversus* Rogerium, *fraudes & corruptelas in subsidium advocantem*. 965.

XXII. Roberto *PISAS abeunte ad auxilia acceleranda*, Rainulfus Rogerio *se submittit*. Rotolpo *comes stabuli* Beneventanus, *PISAS aufugiens*, *naufragio perit*. *Absentis* Roberti *principatus occupatur*. 966.

XXIII. *Falso mortis* Roberti *nuncio ab eo desciscit* Rainulfus. *inde* Aversæ *excidium*. Robertus *cum* XX. *navibus PISANIS* Neapolim *venit*. *deleta* Aversa Neapolim *obsidet* Rogerius : *mox* Aversam *recedit*, *eamque instaurat*. ibid.

XXIV. Robertus *alias* XX. *naves PISIS adducit*, & *protinùs PISANI cum* XLVI. *AMALPHIN ex improviso invadunt*. *inter cætera prædæ fuit exemplar Pandectarum cæsi à* Rogerio *PISANI cum classe* Neapolim *redeunt*. *indè domum tendentes* Ischiam *depopulantur*. 967.

Digitized by Google

XXV. *Vetus scriptoris æqualis de hac* PISANORUM *expeditione & præda.* 968.
XXVI. *De die, quo* AMALPHIS *direpta. Æra* PISANA. 969.
XXVII. *Continuatio. An* PISANI AMALPHIM *post direptionem inhabitarint. An testimonio antiqui scriptoris constet de Pandectis ibi repertis.* 971.
XXVIII. *A quibus* PISANIS *direptam fuisse* AMALPHIM, *& cur nullæ Genuensium partes.* ibid.
XXIX. Rogerius *filium* Apfusum Capuæ *principem constituit. Denuò* Neapolim *obsidet, sed iterùm brevi obsidionem solvere cogitur.* 972.
XXX. Robertus PISIS *ad* Lotharium *proficiscitur, ut cunctantem impellerent. Sed & Neapolis a* PISANIS *auxilium flagitat. Pax inter* PISANOS, *& Florentinos Concilium* PISANUM. 973.
XXXI. Conradus *Imperio renunciat in favorem* Lotharii, *conciliante* Bernardo. ibid.
XXXII. Neapolim *strictius obsidet* Rogerius *& ad inopiam redigit. Naves* PISANÆ *cum commeatu accedunt.* Innocentii *& Bernardi adhortationes ad* Lotharium. 974.
XXXIII. Bernardi *epistola ad eundem pro* PISANIS, *quibus infensas erat.* 975.
XXXIV. PISIS *denuò ad* Lotharium *proficiscitur* Robertus. *Secunda* Lotharii *in* Italiam *expeditio: deflectit priùs ad citeriorem ejus partem. Veneti cum eo fœdus ineunt.* 976.
XXXV. *Magnus apparatus adversus* Rogerium *tam mari quam terra. Terrestres copiæ duobus exercitibus proficiscuntur. Pontifex* PISIS *adscitus Romam reducitur.* Roberti *& Raimulfi restitutio.* 977.
XXXVI. *In* Apuliâ *magnum exercitus.* Rogerii *machinationes, qui tandem fugit in* Siciliam. *Gratulatio* Græci *Imp. eo nomine ad* Lotharium. ibid.
XXXVII. *Classis* PISANA *centum navium, altera* PISANORUM *in* AMALPHIM *expeditio. AMALPHIS direptionem redemit, non item alia ejus ducatus oppida.* 978.
XXXVIII. *Pax* AMALPHIM *Salernum aggredi jubentur* PISANI. *Offensa* Lotharii *cumque eo iterum conciliati, mox tamen paciscuntur cum* Rogerio. 979.
XXXIX. *Contentio inter* Lotharium *& Innocentium de creando duce Apuliæ: nec non alia ob* Casinenses. 980.
XL. *Recessus Imperatoris & mors in itinere. Succedit ei* Conradus. 981.
XLI. Capuam *& Aversam capit* Rogerius. Neapolis *& Beneventum ejus partes amplectuntur: a* Germanis *tamen prælio superatur.* ibid.
XLII. Anacleti *conamina. Communis legatio ad* Rogerium. *Opportuna* Anacleti *mors.* Victor IV. *Schisma tandem inter eventum* Bernardi *e medio tollitur.* 982.
XLIII. *Mortuo duce, quem* Lotharius *constituerat, omnia recuperat* Rogerius. *Captivitas* Innocentii *& pactio. Fata* Roberti Capuæ *principis.* 985.
XLIV. *Epilogus.* ibid.
TABULA CHRONOLOGICA.

Digitized by Google

HENRICI BRENCMANNI DE REPUBLICA AMALPHITANA DISSERTATIO.

CAPUT I.

Situs Amalpheos, *confinia & latitudo*.



Ita est *Amalphis* ad mare mediterraneum, ea *Italiæ* parte, quam *Tyrrhenum* æquor alluit [1], in loco quem olim *Picentini* inhabitarunt [2] (unde & *urbs Picentinorum* audit [3]) in veteris *Lucaniæ* finibus [4]. Sita est in planitie tractus maritimi, quem cingunt montes altiores: atque inde etiam hodie hic tractus littoris *la costa d' Amalfi* appellatur [5], quasi dicas, latus *Amalphitanum*. Ab oriente habet *Salernum*, a qua plus minus VII. miliaribus *Italicis* distat, ab occidente vero *Surrentum*, ut & *Neapolim*, XXX. miliaribus remotam [6]. A meridie porro *Siciliam* respicit, quæ interjecto mari *Tyrrheno* per ducenta circiter miliaria dissidet [7]. A parte autem *Surrenti* attingit *Minervæ* promontorium versus insulam *Capreas*, quod promontorium inter *Amalphin* & *Surrentum* interjacet [8]: imperitabantque *Amalphitani* ab *Athenæo* seu *Minervæ* promontorio *Salernum* usque [9]. Breviter auctor anonymus apud Mazzellam [10], *Est Amalphi civitas exterioris Italiæ, inter mare & montes eminentissimos sita, ab oriente habet Salernum, ab occidente Surrentum & Neapolim, ab austro Siciliam Tyrrheno mari sejunctam*. In latitudine autem his tractus sola viginti miliaria occupat [11]; & tamen plurima in eo oppida arcesque memorantur [12].

CAPUT II.

Confusio Amalphis *cum* Melphi.

EO autem diligentius hunc urbis *Amalphitanæ* situm designandum esse duximus, ne, quod multi magnique viri imprudenter fecerunt, *Amalphis* cum *Melphi* confundatur. *Melphi* enim civitas est in eodem *Italiæ* tractu, sed in medio illius posita, videlicet in confinio *Apuliæ* & *Lucaniæ*; & recte eam Leo Ostiensis *Januam Apuliæ* vocat [13]: adeoque fere æquo intervallo abest a mari *Hadriatico*, ac a mediterraneo mari, juxta quod *Amalphis* condita est. Possem complures recensere, qui hunc errorem errarunt, sed tantum unum alterumque adferam, & hoc testimonio aliorum, quod malim in re invidiosa. De *Martinio*, pyxidem nauticam describente (hanc enim *Amalphitani* invenerunt, ut suo loco dicetur) hæc notat Angelus de Nuce [14]: *Cui tamen parcendum, quod nominum proximitate seductus, & ab his regionibus longè dissitus MELPHIM cum AMALPHI confudit. Hæc enim urbs est littoralis post Minervæ promontorium; illa mediterranea in Lucanis Apulis finitima. In eodem errore fuit doctissimus Vossius, apud quem Antonius Panormitanus de hac pyxide.*

Prima dedit nautis usum magnetis Amalphis.

Similiter de *Gulielmo Gilberto Colchestrensi*, medico *Britanno*, observat Camillus Borellus

1. Giac. Bosio *Della sacra milit. Gierosolimit. lib.* I. init.
2. Scipione Mazzella *Descritt. del regno di Napoli. pag.* 38. *Principato citra, seconda provincia del Regno*.
3. Jo. Blau *Geographia Italiæ. Principatus citerior, olim Picentia*. Anto. Caraccioli *in Indice ante quatuor antiquos Chronologos*.
4. Ferdinand. Ughellus *Italia sacra tom.* IX. pag. 135.
5. Joh. Blau dicto loco.
6. Ferdin. Ughell. ibid.
7. Bosio detto *lib.* I. *num.* 1.
8. Camillus Borellus *De regis Catholici præsentid. cap.* 78. *num.* 22. Moreri *Dict. Histor. in verbo MALFIS*.
9. Nicol. Parthen. Giannettas. *Histor. Neapolis. decade* I. *lib.* IX.
10. Scipione Mazzella dicto loco.
11. Id. Mazzella *parte* II. *pag.* 62. ad fin.
12. Vide infra cap. XXXII. & XXXIII.
13. *Chron. Casinense lib.* II. *cap.* 167. auctore Leone Ostiensi.
14. Ang. de Nuce in notis ad idem *Chron. lib.* I. *cap.* 50.

jus[1] : *Licet ob incognitam sibi Italiam, dum voluit dicere* AMALPHIM, *dicit* MELPHIAM, *sub dominio Principis Doniæ : quia, etsi Melphia sit in regno Neapolis in Apulia prope Daunios, quæ est sub Doria, non fuit tamen in hac civitate, sed Amalphiæ, quæ est in regione inter Salernum & Surrentum, propè Minervæ promontorium*. Immo verò in ipsis *Italis* scriptoribus, in *Romana* curia versantibus, eandem incuriam notat, ac reprehendit Cardinalis de *Luca*, dum in *Germanis* eam benevolè excusat[2]. Plures possum laudare, sed hi sufficerint.

CAPVT III.

Varia horum nominum scriptura, eademque ad confusionem prona.

Quod autem illi adnotant de errore e nominum proximitate, quæ est inter *Amalphin & Melphin*, verissimè allegant: præsertim verò cum videamus *Amalphin* a nonnullis *Malfiam* dici, quæ cum *Melfia*, nam sic vulgo *Melphis* scribitur, confundi facillimè potuit : atque ità porro *Malfitani* cum *Melfitanis*[3]. Profecto *Malfitanos* dici pro *Amalphitanis*, sicut aliundè certum est, ita ex eo certissimum, quod *Leo Ostiensis* eandem historiam bis referens, uno loco dicat *Malfitanus quidam nobilis*, mox autem, *quidam Amalfitanæ civitatis nobilis*[4]. Præterea est etiam ubi *Malfa* legatur pro *Amalphi*, sicut *Melfa* pro *Melphi*[5] : quæ rursum valde sunt affinia quin & *Malfi di Puglia* Malphin Apuliæ, de *Melphi*, habet celebris scriptor historiæ *Neapolitanæ Franc. Capicius Latro*[6]. Denique etiam *Amalpha* inveni[7]. Maxime tamen usitatum hujus urbis nomen apud historicos est *Amalphia*. Nihil nunc dicam de v F. cum PH. permutatione, quæ passim in his fluctuat, & vel in aliis nullo discrimine adhibetur. Leve quoque illud, quod pro *Malfitanis* cum I. in media syllaba, etiam *Malfetanus* occurrat, sed & *Malfatanus*, cum A & E[8]. Verum ignorare non potest, qui historias aliqua cum cura evolvit, imprimis vero quæ sequioris ævi sunt, hujusmodi nominum confusionem tralatitiam esse. Interea tamen diligenter hæc attendenda sunt, quum cæteroqui densas rebus gestis nebulas offundant. Quare etiam in aliis hujus historiæ partibus idem usu venit, ut liquebit in discussione oppidorum & castrorum ; quæ sub *Amalphi* censebantur, cap. XXXII. & XXXIII.

CAPVT IV.

Fabulæ de origine & ortu hujus civitatis.

Unde autem nomen traxerit *Amalphis*, quæque sint ejus initia, quod in urbium descriptionibus fere pari passu ambulat, haud facile asseverari potest. Quibus volupe est ignorantiam suam fabularum involucris abscondere, hi statim Numen aliquod aut Heroum progeniem evocant, & si nemo ex antiquitate proferri potest, cui id satis speciose tribuant, ipsi personam confingunt. Hoc pertinet ad eos, qui *Amalphin* conditam volunt a nympha cognomine, quæ *Herculi* in deliciis fuerit[9] : ne scilicet inferior esset cæteris civitatibus, quæ celebres gentis suæ conditores jactitant. Simili, sed modestiore commento, credulis imponunt, qui ad virginem *Romanam* nobilem ejusdem quoque nominis exordia *Amalphitana* referunt ; &, ne veritatem hujusce traditionis in dubium revocemus, patrem ejus nominant *Marcum Marcellum Rufum*[10]. Alii rursus, velut indignum rati sexui sequiori acceptum ferri natales celeberrimæ civitatis, *Amalphum* quendam producunt, tribunum militum sub *Constantino*, cui eos debeamus : insuper ad majorem historiæ fidem, anno æræ Christianæ CCCXXXV. id contigisse tradunt[11]. Immo verò quidam non verentur ipsi *Constantino* condendæ *Amalpheos* curam injungere[12]. Sunt item, qui tam altè rem nolunt repetere, contenti notare, nobiles quosdam *Romanos*, circa annum DXX. ex urbe *Melphitana* discessisse, & mediterraneum mare petentes consedisse ad oram sinus *Salernitani*, atque ibi hanc urbem ædificasse[13]. Quo in primis videntur respicere, qui *Amalphin a Melphi* denominatam volunt[14] : atque hoc etiam conferre potuit ad turbanda utriusque urbis nomina. Sed hæc quidem spectant ad pleniorem quandam historiam ex antiquo Chronico hujus urbis, manu exarato, quod *Marinus Freccia* vetustissimo *Longobardo* historico videtur adscribere[15]. Ex eodem illa de *Constantino*, atque ejus tribuno deprompta sunt. Verum ipsam historiam ex Chronico *Amalphitano* subjiciamus.

CA-

1. Camill. Borell. d. *cap.* 78. *num.* 22. Adde medicum illum Londinensem in *Commentar. de magnete. lib.* I. *cap.* I.

2. Jo. Bapt. de Luca Cardinalis, in tract. *de servitut. prædial. discursu* I. *num.* 23.

3. Gaufredus Malaterra *lib.* III. *num.* 2.

4. Leo Ostiensis in *Chron. Casinens. lib.* III. *cap.* 53. *& cap.* 55.

5. Apud eund. Gaufred. *lib.* I. *cap.* 9.

6. Francesco Capecelatro *Historia del regno di Napoli lib.* I.

7. *Memorie diverse della Città di Pisa*, cavate da diverse historie e scritture, MS. della libreria Strozziana *num.* 194. in fol. *pag.* I.

8. Prius obvium est, alterum videas apud laud. Gaufred. Malaterr. d. *lib.* III. *num.* 2. in fin.

9. Il Regno di Napoli *in prospettiva* del Abbate Pacichelli, *par.* I. *pag.* 186. Ad hanc fabulam quoque respicit Scipio Mazzella in *Descriptione regni Neapolit. pag.* 38.

10. Scipione Mazzella *Descrittione del regno di Napoli, par.* 14. *Provincia di Principato citra.*

11. Idem in proxime antecedd. Vocat hunc Amalphum, *capitano di Costantino.*

12. Ferdin. Ughell. *Italia sac. tom.* IX. *pag.* 235.

13. Mazzella loco memorato.

14. Marinus Freccia *De feud. pag.* 80.

15. Idem *De feud. cap. De officio Admirati maris* §. 4. & seqq.

B. Ber-

CAPUT V.

Historia magis probabilis ex veteri Chronico Amalphitano.

TRadit nimirum ex eo Ughellus [1]; *Cum à Constantino nova Roma, Bizantium appellata, anno salutis* CCCXXXIX. *condita fuisset, Romanos proceres, urbis novitate & Imperatoris muneribus adlectos, compositis navibus cum uxoribus liberisque, ac supellectile eo profectos esse: sed tempestate coorta, ex naufragio duas tantum naves incolumes evasisse, Ragusiumque appuliſſe: permotos eorum calamitate, & squalore accolas concessisse eis agrum, quem incolerent, iisdemque uterentur legibus, Romano nomini se plurimum debere dictitantes, paucos post annos, Romanos, cum intelligerent se in Ragusianorum invidiam adductos; vel quod angustis finibus intercluſi latiùs eos patere desiderarent; vel quod Romanus animus, servitutis insolitus, dominandi cupiditate accendebatur; naves conscendisse* [1], *petiisse Italiam, in loco qui Melphes dicebatur, Palinuri consedisse, Melphim ædificasse, ac Romano nomine relicto, Melphitanos, vel Amalphitanos esse dictos: inde aliquorum Principum bella metuentes, Ebulum, post Scalam, & inde vallem juxta maritimum littus ad occidentem, incoluisse, ibique condidisse Amalphiam.* Hiſce & quæ porrò ex iisdem Chronicis repetituri sumus, haud malè subjicit Julius Cæsar Capacius [2]; *Aliqua in iis profectò apocrypha videntur, sed quemnam ea de re veriora scribentem legimus?* Videlicet in re planè obscura nihil habemus probabiliùs. Ea certè constans opinio est, *à Romanis* quibusdam nobilibus originem deducere hanc urbem: unde etiam *Colonia Romanorum* est dicta [3]. *Ea igitur civitas*, concludit Vghellus, *ab illis Romanis patriciis, qui primum apud Scalam consederunt, quos deinde Malphitanos nuncuparunt, condita circa annum Domini* DC, *ROMANORUM COLONIA censetur.*

CAPUT VI.

Res gestæ Amalphitanorum. *Per fraudem captivi ducuntur* Salernum, *seque ipsos liberant.*

REs quas *Amalphitani* primi temporibus gesserunt, nituntur itidem fide laudati Chronici. Videlicet industria & fortuna huic novo populo, ut fit, invidiam constasse videtur, & simul metum vicinis incussisse: præsertim verò accedente necessitudine cum *Longobardis* & *Neapolitanis* narratur enim ex eodem MS. [4] *mixtum eo temporis spatio fuisse Amalphitanorum genus cum Longobardis & Neapolitanis. Quapropter tantum crevit, ut Sicardo eorum vires timorem concitarent; egisse ideò Principem cum aliquibus ex ea civitate, ut occupatam Amalphiam diriperent, atque vastarent, multosque largitionibus corruptos per litteras affinibus illud persuadere conatos esse. Eos tamen, ne locorum delicias deserent; & ne impietatis in patriam accusarentur, recusasse interea Principem, constantes eorum animos animadvertentem, cum Longobardis & iis Amalphitanis, quos apud se alverat, in Amalphiam nocte quadam irruisse, & omnes ferè cives Salernum duxisse captivos; sed clàm inito consilio Amalphitanos, ut illatam injuriam ulciscerentur, Salernitanos fuisse adortos; vineas, domos incendisse; & Amalphiam summo cum honore esse reversos, anno Christi* DCCCXXIX. Addunt nonnulli, velut ex eodem Chronico, per quadriennium *Amalphitanos Salerni* captivos fuisse & post reditum, quod & admodum verisimile est, urbem suam diligentiùs muniviſſe [5].

CAPUT VII.

Bella cum Saracenis.

SAracenis in *Latium* trajicientibus sub *Lothario* I. Imperatore circa annum DCCCL, *Leonem* IV. Pontificem *Romanum* contra eos adjuverunt *Amalphitani. Romam* secundò depræ-daturi appropinquabant *Saraceni*, cum Pontifex tribus classibus *Neapolitana*, *Amalphitana*, *Cajetana*que feliciter eos repulit, ac navali ad *Ostiam* prælio insignem de iis victoriam reportavit. Refert hoc *Sigebertus* in Chronico [6]. Ex aliis præterea Annalibus aut Chronicis Historiisve, nescio quibus, adnotatur, cum Ecclesiæ præesset *Joannes* VIII, (pro quo vulgo Joanna Papissa in albo Pontificum recensetur) & imperium occidentis obtineret *Carolus Calvus*, nimirum anno æræ vulgaris DCCCLXXVI, *Saracenos Italiam* devastantes inducias fecisse cum *Neapolitanis*, *Gaetanis*, *Salernitanis* & *Amalphitanis* [7]. Posteà verò, circa annum DCCCXC, constat *Saracenos* ab *Amalphitanis*, *Neapolitanis* & *Casinensibus* in fugam versos fuisse. *Interea*, inquit Leo Ostiensis [8], *Præfatus Atenulphus una cum Gregorio* Neapolitano, *nec non & cum Amalphitanis, non parvo exercitu congregato, Gargilianum supra Saracenos venit* &c.

1. Ferdin. Ughell. *Italia sacra tom.* IX. d. *pag.* 235. Metropolis Amalphitana. Pro *in loco qui Melphes dicebatur Palinuri consedisse.* Capacius eadem describens habet *in loco, qui Melfetus dicebatur, consedisse.*
2. Capacius *Histor. Neapol. lib.* I. *cap.* 13.
3. Marinus Freccia *De feudis*, d. loco.
4. Vghell. loco memorato, ut & Capacius, adde Herempert. Langobard. in *Epitome apud Anton. Caracciolum pag.* 89.
5. Ottavio Beltrano *Descritt. del Regno di Napoli.*
6. Addesis Nicol. Parthen. Giannettas. *Histor. Neapol. Decade* I. *lib.* VII. init.
7. Giov. Anton. Summonte *Della Città, e Regno di Napoli. lib.* I. *pag.* 397.
8. Leo Ostiens. in *Chron. Casin. lib.* I. *cap.* 50.

I. Scip.

CAPUT VIII.

Institutio Ordinis Equestris, qui nunc Melitensis dicitur.

AD annum MXX, referri video prima initia nobilissimæ celeberrimæque rei, quæ *Amalphitanos* agnoscit auctores. Ea autem est institutio Ordinis, qui nunc *Melitensis* dicitur. occasionem dedit mercatura maritima, quam in præcipuas maris mediterranei plagas exercebant, maximè verò orientem versus, qua de se ità anonymus à *Mazzella* allatus [1]; *Anno* MXX. *interea Amalphitani, celebris ac pia gens Italiæ, varias merces, easque insolitas & Turcis gratissimas, in orientem navibus devexerunt. Ob has ergo novas merces Calyphæ Ægyptio cæterisque præfectis, ac incolis Syriæ erant acceptissimi, ità ut magistratuum licentia omnes regiones & urbes circumire, atque merces distrahere, omni metu sepositò, liberè poterant. Illi autem Christianæ religionis & paternarum religionum memores, quoties occasio dabatur, loca sancta visitabant. Quia vero Hierosolymis nullum haberent domicilium, ut in maritimis civitatibus, amicis collectis Calyphæm Ægyptium adeunt, ac per ejus proceres oblato scripto impetrant, ut Præsidii Hierosolymorum nunciaretur, quo Turcarum amicis in ea parte, qua Christiani habitant, locus amplissimus ad Ædes opportunas construendas designetur. Hac occasione oblata pecuniam passim à mercatoribus colligunt*, &c. Ædificant igitur propè sacrum sepulchrum Ecclesiam cum Cœnobio, dicatam *Sanctæ Mariæ Latinæ*: ita enim hanc differentiæ causâ appellabant, cum *Græci* & *Syri*, qui Christianissimum profitebantur, ibidem suas quoque ædes sacras haberent. Tum verò præter mercatores, multi etiam religionis causa in sanctam urbem confluxerunt. Quum autem longiore itinere & extrarii cœli intemperantia varii morbi contraherentur, *Nosocomium* erexerunt *Amalphitani*, seu, ut barbarè dici consuevit, *hospitale* cui pro more oratorium additum, commendatum patrocinio *Sancti Joannis Baptistæ*. Postremo quoniam religiosa pietas & reverentia erga ea loca etiam debiliorem sexum ad visenda ea excitabat, & hæ sacræ peregrinationes magis ac magis frequentabantur, tandem etiam ad curandas earundem ægrotationes *cœnobium muliebre* exstruxerunt, cum titulo *Sanctæ Mariæ Magdalenæ*, nimirum promiscua & incauta eadem loci utriusque sexus consuetudo scandalis aditum ac januam videtur patefecisse. Constitutis ea occasione tribus hisce ædificiis sacris, e nosocomio virili prodiere; qui occupationem urbis *Hierosolymitanæ*, à Christianis obsessæ, facta conspiratione mirum in modum promoverunt, atque inde ordinis equestris titulum & prærogativas reportarunt. Contigit hoc circa annum MC. Auctor hujus facinoris & antesignanus laudatur quidam *Gerardus*, nosocomii per plures annos præfectus, Rectorem vocant, qui ex eo tempore cum sodalibus, quibus præerat, & regula & vestitu à reliquis se cœpit distinguere. Sed plenioremillius instituti narrationem, & incrementa ordinis, ac insignia, privilegiaque & opes, non attinet hic latiùs exsequi: sufficit indicasse, impensis *Amalphitanorum* constructum fuisse & conservatum præter cætera duo ædificia sacra illud quoque nosocomium, cui originem debet ordo *Melitensis* [2], quantumvis nonnulli disputent, cujas fuerit *Gerardus* iste, nosocomii tunc temporis Rector, aliis eum è *Gallia* repetentibus, aliis asserentibus *Scalensem* fuisse, ex oppido ducatus *Amalphitani* [3]. Certe ex eo nosocomio sive hospitali *S. Joannis* denominati primum sunt hi equites, dictique *Hospitalarii* & *Joannitæ*, postea *equites Rhodii* appellati sunt: nam cum infideles denuo *Hierosolymam* occupasent, ab *Isaaco Angelo* Imp. Græco *Rhodum* obtinuere; tandem & ex ea insula pulsis, *Melita* assignata est à *Carolo V*, quo magis tuta foret *Sicilia* ab incursibus barbarorum ex *Africa*. Hinc ergo hodie *Melitenses* vocantur.

CAPUT IX.

Tributarii facti a Salernitanis. *Proelium navale cum* Surrentinis.

DUlm autem commerciis & mari felicitèr rem gerit *Amalphis*, terra infestatur à vicinis populis, fortunæ ejus invidentibus. In his præcipui erant *Salernitani* [4]. Vario autem atque ancipiti Marte bellatum fuit, ità tamen, ut plerumque victoria staret à parte *Amalphitanorum* [5]. Sed tandem circa annum MXL tributaria per eos facta est *Amalphis*. nam anno MXXXIX. indictione VII. mense Aprili *Gaimarus Salernitanorum* princeps creatus legitur dux *Amalphitanus* [6]. Res ità se habuit. *Guaimarius* hic, *Salerni & Beneventi* princeps, postquam principatui *Beneventano* in gratiam *Henrici II.* Imperatoris renunciasset, auxilio *Normannorum Surrentum* occupavit, & fratrem suum *Guidonem* ei ducem imposuit. Dein principatui *Salernitano Amalphin* adjecit, sibique vectigalem fecit. At vero tanta felicitate elatus

1. Scip. Mazzella *Descritt. del Regno di Napoli, parte* II. *Provincia di principato Citra*.

2. Scip. Mazzella ibid. Giacomo Bosio *Della sacra militia Gierosolimit. lib.* I. nel princ. & all'an. 1128. & 1130. Anto: Franc: Cirni del commentar. *De' Cavaglieri Gierosolimit.* citato da Gio: Anto: Summonte *Della Città, e Regno di Napoli lib.* I. *pag.* 397. Henr: Pantaleo *De rebus Joannitar. lib.* I. Cronica de la milicia y sagrada religion de San Juan Baptista de Jerusalem, por fray Don Juan Augustin Funes Cavalero &c. *lib.* I. *cap.* I. *Los Amalfitanos fundan un hospital en Jerusalem, y dan principio a la Religione*

3. Giaco: Bosio *lib.* I. sul fine & *lib.* II. vite di Gran maestri della sacra relig. di S. Giovanni Gierosolimit. del Comendatore fra Giron. Marilli, init. *Fra Gerardo*. ubi laudatur hunc in finem Historia, cui tit. *Gesta Dei per Francos*; item Petr: Boissat. Ferdin: Vghell. *Italia sacra tom.* IX. *pag.* 236.

4. Marinus Freccia *De feudis*. *pag.* 80. Ex Eremperto.

5. Scipione Mazzella *detta parte* II.

6. Jul. Cæs. Capacius *Histor. Neapolit. lib.* I. *cap.* 13. *De Ducib. Amalphitanis.*

I. Lo-

Digitized by Google

tus subjectos pessimè habere instituit. Quapropter unanimi *Amalphitanorum & Salernitanorum* conspiratione in littore *Salernitano* triginta sex vulneribus confossus est [1]. Neque tantum cum *Salernitanis*, sed & cum *Surrentinis* bella illis fuere; incertum tamen quo tempore. Videlicet inter duces *Amalphitanos Leo* quidam *Neapolitanus* numeratur, *Marini* filius, nepos *Leonis*, qui navali pugna captus fuerit à *Surrentinis* [2].

CAPUT X.

Concilium Amalphitanum.

ANno interea MLIX. *Nicolaus II.* Pontifex maximus *Concilium* habuit *Amalphi* contra eos qui fovebant schismata & Pseudo Pontifices, quippe quæ res, magno cum rei Christiane detrimento atque offensione, electionem Pontificum vehementer identidem turbabat hisce temporibus, & Ecclesiam, ac Principes studia in contraria scindebat [3]. Attamen tàm inveteratum ac longe serpens malum Concilio illo *Amalphitano* tolli minime potuit, cum seculo proximo ipse *Innocentius II.* sub quo Pandectarum volumina *Amalphi* inventa fuerunt, per ejusmodi dissidium annis compluribus in urbe *Pisana* exularit, & implorandæ opis causa contra potentem adversarium per varias *Europæ* plagas oberrare necesse habuerit, uti pleniissimè constabit è sequenti dissertatione *de Amalphi a Pisanis direpta*. Aliquanto magis schismatibus prospectum est centū & XX. annis post, imperante *Friderico Barbarossa*. Tunc nimirum *Alexander III.* legem sanxit, *ut Pontifex creatus ratus non esset, nisi minimum duas tertias suffragiorum tulisset partes* [4].

CAPUT XI.

Salernitanis deficientes recidunt sub potestatem Roberti Guiscardi, Normanni, Siciliæ & Calabriæ Apuliæque *Ducis, a quo per fraudem circumveniuntur.*

VErum revertamur ad bella cum *Salernitanis*. An post necem *Guaimarii* in plenam libertatem se asserverint *Amalphitani*, an vero tributarii manserint, haud tuto definiri posse, arbitror. Profectò si dominationi *Salernitanorum* tunc temporis se subtraxerint, mox denuò ab eisdem superatos oportet; nam sub *Gisulfo Salerni* principe circa annum Domini MLXX. *jam dudum* annua vectigalia *Salernitanis* pependisse dicuntur, ità sane refert *Gulielmus Apuliensis*, scriptor ejus sæculi [5]. *Amalphitani* autem sibi metuentes à *Gisulfo*, quod interfectores patris ipsius extitisset dum penitùs eos subjugare volebat, desciverunt ab eo, seque contulerunt ad affinem (a) ejus *Robertum Guiscardum, Apuliæ & Calabriæ* ducem, qui *Salernum* obsidebat. Lacessitus hic erat à *Gisulfo*, qui nimia ambitione fines proferre satagens, suis ipse exuitur, præsertim desciscentibus *Amalphitanis*. Sed nec ipsi *Amalphitani* hoc impunè tulerunt: nam à *Roberto* specie auxilii subacti sunt, idque satis callida ratione. Nimirum dum *Salernum* obsidebat, invitavit *Amalphitanos*, ut sibi cum navibus præsto esse vellent in obsidenda urbe. quum igitur ipsis hoc pacto odium *Gisulfi* concitasset planè internecinum, tandem illos adegit, ut, si adversus *Gisulfum* tuti esse vellent, se ipsi totos permitterent, sive, ut coævi scriptoris verba mutuer, *si contra Gisulfum tuerentur, tota Malfa illi subjugata hereditaliter fœderaretur*. Statim quoque parte exercitus ad obsidionem relicta, *Amalphim* proficiscitur, ut hac lege urbem à civibus acciperet: acceptam verò *castellis*, ut vocant, quatuor munivit, suosque in ea reliquit milites, atque ità cum multis *Amalphitanorum* copiis *Salernum* redit. Nec ità multo post urbem capit, *Gisulfo* in deditionem accepto. Atque hæc quidem acciderunt anno salutis MLXXV. Omnia illa habemus è duobus scriptoribus ejus ævi, qui singulari fortuna ad nostra usque tempora pervenerunt, & è quibus sequentia itidem magnam lucem fœnerantur. Alter est laudatus *Gulielmus Apulienſis*, qui ipsi *Roberto* historiam suam dedicavit [6]: alter monachus fuit *Normannæ* gentis sub *Rogerio*, hujus filio, cui nomen *Gaufredus Malaterra* [7]. Addit Chronicum *Amalphitanum*, antea sæpiùs laudatum, *Joannem Sergii* filium eo tempore *Amalphi* præfuisse, quem ducatu spoliaverit *Robertus*, atque simul proscripserit [8].

1. Leo Ostiensis in *Chron. Casinensi lib.* II. *cap.* 65. Giov: Anto: Summonte detto *lib.* I. *pag.* 397. vide etiam Camill. Peregrin. *Histor. princip. Longobard.* in stemmate principum Salerni & in Richario:

2. Jul. Cæs. Capacius eod. *lib.* I. *cap.* 13.

3. Lovis Moreri *Dict. Histor.* in voce MALFIS. citat ibi *tom.* IX. *Conciliorum*, Leonem Ostiensem *lib.* III. *cap.* 15. Sigon. *De Regno Ital.* & Baron. in *Annalib.* Nili tamen & hac in parte Melphis cum Amalphi confundatur. certe *Concilior. tom.* VII. Malphi in Apulia hoc concilium dicitur habitum fuisse.

4. Chron. Singonius *De Regno Ital. lib.* XIII.

5. Gul. Apulien. *De Normann. lib.* II.

(a) Nempe Gisulfus Salernitanus frater erat Sigelgutæ: hæc autem uxor Giscardi. Gaufredus Malaterra *lib.* III. *num.* 2. Ceterum Gisulfus natione Longobardus erat, Guiscardus vero Normannus. Idem *lib.* IV. *num.* 34.

6. Gul. Apulien. *De Normannis lib.* II. Historiam suam quinque libris complexus est, sermone usus ligato. in horum dedicatione habetur: (*Nostra, Roberte, tibi cognoscis carmina scribi.*) Estque inter scriptores rerum Brunsvicens. a Leibnizio editos.

7. Gaufred. Malaterra, *lib.* III. editus inter Hispaniæ illustr. scriptores. Tractat autem *de gestis Normannorum in Calabria, & Sicilia.*

8. Ferd. Ughell. *Italia sacra tom.* IX. *pag.* 235. & 99.

A

CAPUT. XII.

Mox à Guiscardo *desciscunt*, *& ab eodem armis subiguntur. Epistola decretalis Gregorii VII. de hac re. Postea cum* Surrentinis *jure successionis deveniunt ad* Guidonem, *inde autem ad* Rogerium Bossum, Apuliæ, *&* Calabriæ *Ducem Principemque* Salerni.

CÆterum quam hoc modo acquisierat di-B tionem, quiete retinere non potuit. Etenim ductu cujusdam *Gandalonis* à *Roberto Guiscardo* desciverunt *Amalphitani*. Sed tamen anno MLXX. [1], hoc est, quinquennio postquam *Amalphin* pacto in potestatem redegerat, armis eandem occupavit [a]. Memorabilis autem hoc loco est investitura, seu forma concedendi feudi, qua utitur *Gregorius VII.* disertè enim in ea excludit *Salernum* & *Amalphin*, ut *injustè* possessa. Epistola decretalis [2] ita incipit. *Ego Robertus Dei* C *gratia & S. Petri Apuliæ, Calabriæ & Siciliæ dux* &c. sequitur autem, *Ego Gregorius Papa investio te, Roberte dux, de terra quam tibi concesserunt antecessores mei sanctæ memoriæ Nicolaus & Alexander: de illa autem terra quam INJUSTE tenes, sicut est Salernus & Amalphia, & pars Marchiæ Firmianæ, nunc te patienter sustineo in confidentia Dei omnipotentis & tuæ bonitatis, ut tu postea* &c. 3. Moriens autem *Robertus Guiscardus* an. MLXXXVI. inter filios, quos tres superstites habebat, & fratrem suum *Rogerium Bossum*, regiones sibi subjectas distribuit, ac minimo quidem natu filio *Guidoni Amalphin & Surrentum* reliquit. At verò *Guidonem* brevi mortuum esse oportet; nimirum, ut ex Chronico *Amalphitano* colligere est, nondum vertente anno post obitum patris, ad eundem quippe annum MLXXXVI. refert *Rogerium* Comitem, qui tum dux *Amalpheos* sit factus. (b) Hic autem *Rogerius*, *Roberti Guiscardi* ex altera uxore, quæ *Gisulfi* illius *Salernitani* soror erat, secundus filius extitit, idemque defuncti *Guidonis* frater germanus, cui pater ducatum *Apuliæ* & *Calabriæ* cum principatu *Salerni* assignaverat [4].

CAPUT XIII.

Incidit ducem Rogerius, *ab* Amalphitanis *urbe exclusus, quam frustra armis tentat, adjutus licet à principibus consanguineis. Deinde tamen iterum ducatu potitur.*

ADditur in eodem Chronico, *Rogerium* hunc ducatum *Amalphitanum* amisisse, atque ejus loco ducem electum *Marinum Pensabustum*, anno MLXXXVI. Audiamus *Gaufredum Malaterram*, qui vixit hoc ipso tempore. *Porrò dux Rogerius adhuc juvenis, & nihil malæ suspicionis adversus aliquem habens . . . Longobardos aquè, ac Northmannos, quia ex parte matris ex eorum gente erat* (b), *sibi fideles credens . . . castra sua tuenda eis haud secus, ac Northmannis delegabat. Unde accidit, ut dum apud Malfam idem faciendo minus sibi prospiceret, Malfetani urbe & castris, quæ Guiscardus ad perfidiam eorum comprimendam ibidem fecerat, pro lubitu suo utens, liberam facultatem fraudis suæ exercendæ nacti, jugum gentis nostræ, & ducis, quia moris nostri exsecutor erat, à se excutere, nec tributum & servitium statutum persolvere, sed & ipsi duci ad eandem urbem accedendi, omnibus fidelibus suis exclusis, aditum denegarent.* Pergit narrare, quemadmodum cum avunculo (c) comite & fratre *Boemundo* (d) junctis viribus *Amalphim* obsederit terra marique. Sed in ipsa D obsidione *Boemundus* ex edicto *Urbani* Papæ ad expeditionem *Hierosolymitanam* avocatus, *sicque*, subdit, *urbe penè usque ad deditionem vexata, tali infortunio privantur* [5]. Hinc desinit scriptor ille *Normannus*, quem facilè agnoscerès, haudquaquam neutrarum partium fuisse, etsi disertis verbis non addidisset. Postea tamen urbe potitur *Rogerius*; armisne, an pacto, non additur. Habet enim simpliciter Chronicon *Amalphitanum* [6], *Marinum Pensabustum*, quem anno MLXXXVI. E ducem creatum diximus, eam dignitatem tenuisse usque ad annum MC, quo iterum ducatum obtinuit *Rogerius* (e), deposito *Pensabusto*.

CA-

1. Jul. Cæsar Capac. *Hist. Neap. lib. 1. cap. 13.*
2. Volumine III. Decretalium.
3. Ant. Summonte *Histor. di Napoli lib. 1. pag. 474.*

(a) Nisi tamen hoc referendum potius sit ad annum MLXXXVIII. cum instrumentum a Capacio *lib. 1. cap. 13.* allatum diserte habeat, *In nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi, anno ab incarnatione ejus millesimo nonagesimo, temporibus Domini Rogerii gloriosi Ducis, anno secundo Ducatus illius Amalfiæ, die 5. mensis Octobr. Ind. XIV. Amalfi. Certum est* &c.

4. Vide seq. dissertat. *cap. II. III. & IV.*

(b) Confer notata ad *cap. XI. lit. a.*

(c) Hic sine dubio est Rogerius Siciliæ comes, quem Bossum cognominant, frater Roberti Guiscardi, qui ei Siciliam cum parte Calabriæ dederat. Itaque *patruus* hujus Rogerii nominandus fuerat, non *avunculus*. Sed ostendit Du Cange, hoc sæculo nomen *avunculi* promiscuum usum habuisse. Vide Glossarium ejus, F voce Avunculus.

(d) Propriè Boemundus huic Rogerio frater consanguineus erat, utpotè natus ex prima Roberti Guiscardi conjuge. Abiit autem in sacram expeditionem cum cognato suo Tancredo, qui se in expugnatione Hierosolymitana tam inclytum, ac decantatum reddidit. Pandolfo Collenuccio Compendio *delle histor. del regno di Napoli lib. 1. ad an. 1094.*

5. Gaufred. Malaterra *lib. IV.* ad fin.

6. Chron. Amalphit. Apud Ughell. *Italia sacra tom. IX. pag. 235.* & seqq.

(e) Ni vehementer me fallo, parum accuratè hic agit Chronicon, dum hunc Rogerium vocat

CAPUT XIV.

Subjugantur tandem penitus à Rogerio, *primo* Siciliæ *Rege.*

SIc tandem devenimus ad tempora illius *Rogerii*, qui *Siciliam* regio titulo omnium primus tenuit, *Rogerii Bossi* filium, eundem scilicet qui proxima dissertatione de inventis *Amalphi* Pandectis utramque paginam faciet. Postquam autem hic *Rogerius*, *Siciliæ* adhuc comes, absentem cognatum *Gulielmum*, *Apuliæ & Calabriæ* ducem, tam impudenter violenterque omnibus spoliaverat, ut ibidem narrabitur, ac præterea, eodem *Salerni* exule mortuo, istius ducatus titulum assumpserat, quod factum anno MCXXVII. post hæc, inquam, *Salernitanos* coegit in verba sua jurare: ità nihilominus, ut iidem munitionem turris majoris suis militibus custodiendam paciscerentur. *Amalphitani* deindè, videntes *Salernitanos Rogerio* colla subdidisse, pariter & ipsi, retentis munitionibus, se ei submittunt [1]. Quo autem loco post annum MC. res *Amalphitanorum*, fuerint, nondum adhuc disertè memoriæ proditum inveni. Mihi sanè videntur, aut sensim in libertatem sese asseruisse, distracto aliis rebus *Rogerio* isthoc, *Apuliæ & Calabriæ* duce, huius *Rogerii* patruele, qui nec magnus bellator erat: aut saltem sui juris facti esse in nupera rerum mutatione, cum *Rogerius* hic noster ditionem invaderet cognati *Gulielmi*, laudati patruelis filii. Utut est, *Rogerius* anno Christi MCXXIX. Rex renunciatus coronatusque in *Sicilia*, protinùs animum adjecit ad expugnandam *Amalphin*. Hæc enim civitas, quæ commerciis nunc valdè vigebat, plus opibus, ac potentia pollere videbatur, quam è re esset novi Regis. Non aliundè hoc melius didicerimus, quam ex *Alexandro* Abbate *Celesino*, qui in comitatu fuit *Rogerii*, ac totum hoc bellum accuratissimè descripsit. *Cumque* inquit [2]; *peractis Regiæ coronationis celebritatibus ad propria singuli redissent, cæpit Rex sollicitus intra mentis suæ volvere arcanum, qualiter deindè Regnum suum, quod multum desiderabat, perpetua solidaretur pace, nullusque adversum se resistendi facultatem posset habere. Unde ab Amalfitanis vehementiùs instanterque cæpit exigere, quatenus cunctas suas dimittentes munitiones sibi eas custodiendas traderent: alioqui nullo modo . . . ulterius pateretur, ut ipsi eas sibi servandas tenerent: qui cum omnes uno id animo consentiendum contradixissent, atque in hoc ipso obstinatissimo persisterent corde, Rex indignatus illos à fidei suæ consortio dissociavit.* En justam, si Dis placet, belli causam.

CAPUT XV.

Difficultas huius rei. Post triennium Amalphim *feroci manu perdere voluit* Rogerius.

SCilicet quovis prætextu frangendæ erant *Amalphitanorum* vires, quæ ejusmodi fuerunt, ut omnium maximè eas metueret *Rogerius*. Patet hoc tum ex adductis, tum etiam ex sollicita anxiaque & prorsùs circumspecta *Amalpheos*, & oppidorum ipsi subjectorum aggressione, quam figillatim nobis exhibet laudatus Abbas *Celesinus*. Primum classe eam aggreditur, mox terra *singula oppida singulis exercitibus obsidet, ac terribiliter angustat*. Captis hinc inde arcibus oppidisque, tandem *Ravellum* atque ipsam *Amalphiam* ad deditionem compellit. *Quid plura?* concludit [3]. *Rex Rogerius pro vellà suo datis acceptisque dextris recepit Rabellum, Scalam, Gerulam, Pugerulam, cæteraque Amalphitanorum oppida*. Ità concidit libertas populi *Amalphitani*, oppressa à nimis potente principe. Immo verò post triennium, ut docet nos *Falco Beneventanus*, ejusdem sæculi, rerumque in proxima regione gestarum scriptor, *tractavit* Rogerius cum proceribus, *qualiter cives Salernitanos, & Amalphitanos, sicut Apuliæ, feroci manu perderet*. Nempe *Apuliæ* civitates, imprimis *Trojam* & *Melphim*, paulò ante horribilem in modum vastaverat, ac depopulatus fuerat. *Sed tamen*, addit auctor, *congruum tempus sibi non videbatur* [4]. distrahebatur enim debellandis qui ab eo desciverant. Verum pro malo, quod nunc *Amalphitanis* minitabatur *Rogerius*, biennio post aliud ipsis à *Pisanis* supervenit.

CAPUT XVI.

Diripitur à Pisanis Amalphis, *in qua direptione asportata sunt* Pandectarum *volumina.*

ITà nimirum historiæ filum secuti, deferimur ad articulum temporis, in quo præcipuus tàm hujus, quàm proximæ disquisitionis cardo vertitur, ad direptionem puta *Amalpheos* per classem *Pisanorum*, & Pan-

---

cat *Siciliæ comitem & Calabriæ ducem*. Is erat Rogerius Bossus, huius Rogerii patruus, cui frater Guiscardus Siciliam cum parte Calabriæ concesserat: de quo etiam actum *lit. c. pag. præc.* Nempe facile confundi potuerunt duo Rogerii, agnati inter se, & eodem tempore viventes.

1. Alexander Abbas Celesin. *De reb. gest. Rogerii Siciliæ regis. lib.* I.

2. Abbas Celesinus, *Rogerii regis Siciliæ rerum gestar. lib.* II. prope init. Est autem & hic in collectione scriptorum Hispaniæ illustratæ.

3. Idem ibid. Adde antiquum Chron. anonymi Casinensis apud Caracciolum, ad an. 1130. Item Falconem Benevent. apud eund.

4. Falco Beneventanus *in Chron. ad ann.* 1133. is a Caracciolo editus est cum tribus aliis Chronographis antiquis.

I. Dis-

Pandectarum per eos asportationem. Accidit hoc anno MCXXXV, per occasionem belli inter *Innocentium II.* & *Anacletum* antipapam. Ut autem *Innocentii* defensionem susceperat Imperator *Lotharius II.*, sic *Anacleti* partes tuebatur *Rogerius Siciliæ* rex. *Innocentio* insuper & *Pisani* adhærebant, apud quos ille diversabatur. Hi hoc anno *Neapolitanis* suppetias venientes adversus *Rogerium*, cum fortè fortuna intelligerent, *Amalphin*, quæ jam *Rogeriani* dominii erat, ut dictum, omni prorsùs præsidio destitutam esse, eam ex improviso adorti sunt cum XLVI. triremibus, & primo statim impetu cæperunt spoliaruntque, & cum cætera præda, Pandectas quoque abstulerunt. Aberant nimirum ipsi *Amalphitaniæ*, terrestrem militiam in exercitu secum abduxerat *Rogerius*. Maritima, jubente eodem, cum IV. navigiis prædas agebat, quin & residui cives domo aberant: nam simul ac *Pisanam* classem conspexissent, *Salernum* abiere, ut eam civitatem contra *Pisanos* defenderent, de sua, ut videtur, securi. Proindè expeditissimum fuit *Pisanis*, urbem omnibus civibus exhaustam, invadere. Direpta *Amalphi*, & spoliis ad classem deportatis, ad alia hujus ducatus oppida perrexerunt. Itaque eodem velut impetu occuparunt *Scalam* & *Ravellum*, easque urbes similiter depopulati sunt. Mox, suadentibus *Amalphitanis*, quos cæperant, munitionem obsederunt, quæ *Fracti* dicitur. Tum verò Rex *Siculus*, qui cum suis apud *Aversam* consistebat, tertio post invasionem die, obsidentes *Pisanos* aggressus est, cecidit, fugavit. Ex ea strage superstites ad classem confugere, & sic tandem *Pisas* reversi sunt. Sed cum in dissertatione, quæ sequitur, propria sedes sit huic, & proximæ *Pisanorum* expeditioni in *Amalphin*, istic omnia copiosiùs tractabuntur [1].

CAPUT XVII.

Biennio post tributaria est facta à Pisanis *jussu & auspiciis* Lotharii II. *Imp. oppida autem huius ducatus horrendum in modum vastata sunt.*

VIdelicet nondum penitùs elapso altero biennio, nova iterum in *Amalphitanos* calamitas ingruit, priori haud multum dissimilis & ab iisdem *Pisanis* illata. Anno MCXXXVII. ingenti cum exercitu in *Italiam* venerat *Lotharius* Imperator, ut *Innocentium*, pulso *Anacleto*, collocaret in solium Vaticanum, utque *Rogerium* debellaret. Dum hisce terra occupatur *Lotharius*, *Pisani* classem c. navium in *Amalphin* ceteraque civitates maritimas, quæ *Rogerio* parebant, jussu & auspiciis *Lotharii* immittunt. Tempestivè autem *Amalphitani*, præteritorum recordatione, urbis suæ direptionem redemerunt, non item aliæ hujus ducatus civitates: nam ad eas quod attinet, haud scio an minore prudentia usi sint, an vero paciscendi cum iis noluerint *Pisani*, ad eluendam cladis ibi acceptæ maculam. *Ravellum* certè, & *Scalam* vastatas direptasque incenderunt, abductis in captivitatem civibus qui necem evaserant. Occuparunt præterea *Scalectam*, *Atranos*, *Fractos*, *Pugetulam* cæteraque oppida & castella. Ut adeò totam *Amalphitanam* terram devicerint *Pisani*, &, *tributo* impositò, omnes *jurare* fecerint, ac *Domino Papæ Innocentio & Imperatori Lothario obedire*, *ut Dominis contra prædictum Rogerium*, verba sunt ex *Annalibus Pisanis* [2]. Ipse verò *Rogerius*, relicta *Italia*, in *Siciliam* profugere coactus: quanquam tamen paulo post omnia recuperavit, discedente *Lothario* [3]. Sed de his adeatur, quam laudavi, sequens dissertatio.

CAPUT XVIII.

Occupata mox iterum à Rogerio Amalphis. *mansit postea sub regibus* Siculis, *emersit tamen aliquatenùs commerciis maritimis. Privilegia à* Neapolitanis *indulta. Tabula* Amalphitana.

TOt tantisque malis, exiguo intervallo aliis alia insequentibus, attritæ sunt fractæque penitùs *Amalphitanorum* vires, neque unquam posteà ad pristinum splendorem vigoremque, aut potentiam assurgere potuerunt, præsertim sub regibus *Siculis* ac *Neapolitanis*, quibus deinceps subjecti mansere. Paulatim nihilo minùs per commercia, & mercaturam se erexit populus *Amalphitanus*, & à vicinis in honore est habitus. Singulare ejus rei testimonium perhibet nobilissimum diploma *Neapolitanum*, quod sub finem hujus seculi duodecimi, anno nimirum MCXC, datum est. Concessum illo *Amalphitanis*, *Scalensibus* & *Ravellensibus*, ut qui ex iis *Neapolim* habitatum concessissent, iisdem juribus ac privilegiis gauderent, quibus ipsi cives *Neapolitani*, usque adeò, ut vel ex suis civibus Consules eligerent, qui inter ipsos jus dicerent, & hoc quidem secundum suas & consuetudines domi receptas [4]. Alio autem privilegio paulo anteriore, si fides *Summonti*, idem *Neapolitani* concesserant, ut quicunque ex *Amalphitanis* per triduum commoratus esset in civitate *Neapolitana*, eo ipso pro cive haberetur [5]. Illud profectò perquam no-

1. Differt. II. *De Amalphi à Pisanis directa capp.* XXIV. XXV. XXVI. XXVII. & XXVIII. item *cap.* XXXVII.

2. *Annal. Rer. Pisan. ab ann. Ch.* 971. *ad ann.* 1176. apud Ughell. in *Ital. sacr. tom.* VIII. *pag.* 861. adde MS. Strozzianum in fol. num. 194. cui tit. *Memorie diverse della Città di Pisa.*

3. Jul. Cæs. Capac. *Histor. Neapolit. lib.* I. *Sergius dux* XXXIV. Franc. Capecelatro *Histor. del regno lib.* I. atque alii.

4. Idem Capacius dicto *lib.* I. Rogerius dux XXXV. Giov. Anto. Summonte *Della Città, e regno di Napoli lib.* I. *pag.* 122. & 138.

5. Summonte detto luogo.

I. Ma-

Digitized by Google

notabile est, quod de auctoritate Constitutionum *Amalphitanarum*, quæ commercia & res navales regebant, tradit *Marinus Freccia*, natione, ni fallor, *Neapolitanus*. *In regno*, inquit ita *Neapolitanum* per excellentiam vocare amant *Itali*) *non lege Rhodia maritima decernuntur, sed* TABULA, *quam* AMALPHITANAM *vocant, omnes controversiæ omnesque lites & omnia maris discrimina, ea lege, ea sanctione usque ad* HÆC *tempora finiuntur* [1]. Florebat autem Freccia circa annum MDLXX.

CAPVT XIX.

Diploma Neapolitanum *in gratiam* Amalphitanorum.

NOn displicebit, opinor, eruditis, ipsa verba laudati diplomatis *Neapolitani* hic à nobis exhiberi, quum & ætate conspicuum sit, & *Amalphitanis* quoque perquam honorificum. Igitur hunc in modum se habet. *In Nomine Dei æterni, anno Incarnationis Dominicæ millesimo centesimo nonagesimo, die* IX. *mensis Maji,* VIII. *Indict. Quia gloria & corona illustrium civitatum est diversorum officiorum concors populi multitudo, & quanto in diversis mercimoniis, & variis utilitatibus vivendi sibi invicem, & aliis hominibus, quorum frequentatur accessus, justiùs copiosiùsque ministratur, eo celebrioris nominis civitates ipsæ & majoris opinionis divulgatione clarescunt. Idcirco nos Aliernus Cutonus, Consules, Comestabuli, Milites, & universus Populus egregiæ civitatis Neapolis, provida, & salubri deliberatione Concilii attendentes, quid honoris, quid commodi nobilissimæ civitati vos, viri prudentissimi, Scalenses, Ravellenses, & cæteri negociatores & campsores de Ducatu AMALPHIÆ conferatis, vobis vestrisque hæredibus ac successoribus, in prædicta civitate Neapoli habitantibus, salvo in omnibus generali privilegio, quod est inter Nobiles, & Populum ejusdem civitatis, concedimus, auctorizamus, & in perpetuum hoc speciali privilegio confirmamus, ut, sicut ista civitas Neapolis privilegio libertatis præfulget, ita & vos negociatores, campsores sive apothecarii de præfato Ducatu AMALPHIÆ, ut negociationes exerceatis in hac eadem civitate, ad habitandum seu ad apothecas tenendum veneritis, eadem omninò libertate in perpetuum gaudeatis, ut nulla conditio de personis vel rebus vestris, sive hæredum, vel successorum vestrorum in Neapoli habitantium requiratur, sicut non requiritur de civibus Neapolitanis, salvo honore ipsius civitatis in libero & franco usu vestrorum negotiorum. Insuper hoc eodem privilegio concedimus, & confirmamus vobis vestrisque hæredibus, seu successoribus, negociatoribus, campsoribus, apothecariis de memorato Ducatu AMALPHIÆ in Neapoli habitantibus, vel habitaturis, ad negociationes exercendas, ut liceat vobis vel eis in perpetuum de gente vestra inter vos Consules statuere, & mutare in civitate Neapoli de illis, qui Neapoli manserint, sicut vobis vestrisque hæredibus, & successoribus in civitate ista negociationes exercentibus pariuris expedire, quorum arbitrio & judicio, secundum veteres bonos usus vestros, causas sive lites, quæ inter vos vel eos emerserint, terminantur, nec liceat civitati, vel alteri pro eo vos seu hæredes, vel successores vestros de prædicto Ducatu AMALPHIÆ in civitate ista manentes, seu negotia exercentes, de veteri & bono usu vestro, seu consuetudine trahere vel mutare: sed debeamus vos in omnibus bonis usibus vestris, & in Consulatu vestro in perpetuum conservare, & vos gubernatione, & judicio vestrorum Consulum tantum in perpetuum vivere debeatis. Et hoc privilegium nostræ concessionis omnimodo & perpetua firmitate signetur sigillo Civitatis & Consulum, & subscriptione plurium de nobis communi Concilio & voluntate civitatis Neapolis ita roboratum. Actum Neapoli per Maurum, Clericum Sanctæ Neapolitanæ Ecclesiæ, Notarium Domini Sergii Venerabilis Neapolitani Archiepiscopi, anno, die, mense & indictione superius prænotatis.* In subscriptione autem hujus privilegii septendecim adsunt nomina cum titulo Consulis.

CAPVT XX.

Explicata quædam verba hujus diplomatis; ut & alia id genus ad res Amalphitanas *spectantia.*

PRæ ceteris autem in illo diplomate observandum est (nam pluribus sigillatim inhærere, instituti ratio non patitur) distincti nominari *negociatores, campsores & apothecarios*. Horrea *Græci*, quibus ἀποθήκας recondere est, ἀποθήκας vocant: unde vel in ipsis Pandectis *apotheca* pro horreo: hinc jam *apothecarii* dicti videntur mercatores, qui apothecas sive horrea habent, in quibus merces condunt, ac servant, & hic quidem in specie designari eo nomine putaverim majores illos mercatores, qui in *Sicilia*, *Constantinopoli*, *Ægypto*, atque aliis regionibus exteris horrea merciùm habebant constituta, ut infrà de his ipsis *Amalphitanis* nostris videbimus [2]. Contra per *negociatores* hic intelligo minores mercatores, qui merces, aliunde advectas, in patria & vicinis urbibus distrahunt, atque ibi tabernas instructas habent. Per *Campsores* denique existimo designari mensarios, seu argentarios, qui continua pecuniæ permutatione fœnus exercent: unde hodie *cambium* pro versura, seu quæstu illo fœnebri; & *literæ cambiales* pro autographis, quibus ejusmodi pecunia versatilis, ut ita loquar, variis in locis, plus minus difficilis, jubetur persolvi: venit nimirum haud dubiè a *Græco* κάμπτω flecto, verto. Qua in re notari velim, hæc & alia id genus vocabula, a *Græco* sermone oriunda, in commerciis recepta esse; quasi quæ ortum ducant è civitati-

1. Marinus Freccia De feudis cap. *De officio Admirati maris*, §. 7.

2. Vide infra *cap.* XXXIV.

tatibus maritimis *magnæ Græciæ*, in quibus mercatura pridem floruit : in his autem & *Amalphis* aliquandiù insignem locum tenuit. Sed ut alio quoque exempto eandem rem illustremus, practici maritima tractantes jactum seu contributionem propter jactum mercium, qui navis levandæ causa fit, *avariam* vocant, proculdubio à *Græcorum* ἄβαρος, quasi *exonerationem* dicas : nam βάρος illis onus, pondus, gravitas est [1]. *Amalphitanos* autem in specie ex *Græco* nonnulla traxisse, vel inde constare potest, quod inter ducum *Amalphitanorum* titulos esset, quod *Vasti* dicerentur, quasi corrupto vocabulo a σεβαστοί *venerandi*, ut optimè observat *Julius Cæsar Capacius* [2]. Eo autem hoc probabilius est, quod *Neapolitani* duces *Protosebasti* vocabantur. Immo disertè *in Chronico Amalphitano ad annum* MXCVI. memoratur Marinus Pensabutus, *Sebastus & Dux Amolphitanus*. Nec tantùm *Vasti* dicebantur, verum etiam *Anzipati & Vasti*, ex ἀντὶ & ὕπατος consul, quasi *Proconsules*. Denique expeditionem navalem, cujusmodi duas *Pisanorum* adversus *Amalphim* retulimus, *stolum* appellant hujus ævi scriptores [3], sine dubio ἀπὸ τῆς στέλλειν a *mittendo*, quod certum quendam, ac peculiarem in finem paretur, ac *mittatur* : præterea & στόλος *Græcis* exercitus est & expeditio, sive terrestris, sive navalis. Sed è diverticulo in viam.

CAPUT XXI.

Reliquiæ S. Andreæ *Apostoli, patroni Amalpheos* Constantinopoli *eo translatæ*.

Historiæ, & temporis ratio ad sæculum nos deduxit à parta salute tertium & decimum. Videlicet anno MCCVIII. *Petrus Capuanus*, Cardinalis cum titulo *Sancti Marcelli*, *Amalphi* oriundus, è *Constantinopoli* in patriam transtulit Reliquias *Sancti Andreæ* Apostoli, quem sibi patronum, ac velut Genium tutelarem adsciverunt *Amalphitani*. Rem his verbis refert Ferdinandus Ughellus in *Italia Sacra* : *Princeps civitatis protector Sanctus Andreas Apostolus est, cujus nominis nobilissimæ architecturæ Cathedrale templum ab Amalphitanis dedicatum est pulcherrimum, a Petro Capuano, Presbytero Cardinali civeque Amalphitano, corpore ejusdem Apostoli exornatum, quod è Constantinopoli, dum illac Apostolicæ Sedis Legatus ageret, ab Ecclesia S. Andreæ Amalphitanorum Amalphim delatum, & summo cum honore conditum fuit* : postea : *Facta hujusmodi translatio die* VIII. *Maji* MCCVIII. 4. Hoc eo diligentiùs adnoto, quod alii ad anteriora tempora id referant, *Mazzella* autem ad annum MCCXXVIII. [5]. Cæterùm narrat ibidem *Mazzella*, reliquiis illis, seu ossibus *S. Andreæ* scaturire perpetuò limpidum quendam, & sacrum liquorem incolis *manna* dicitur) quem parvis vasculis distribuit sacerdos his, qui religionis ergo hæc λείψανα adeunt.

CAPUT XXII.

Inventum pyxidis nauticæ per civem Amalphitanum. *Hinc insigne civitatis.*

Initio autem sæculi quarti decimi, circa annum MCCCXX., rem pulcherrimam utilissimamque navigantibus invenit quidam *Flavius Gioja*, civis *Amalphitanus*; nempè usum *pyxidis nauticæ* chartæque ad navigandum. Hunc *Positani*, quod *Amalphitani* ducatus oppidum est, natum dicit *Guazzo*, sed *Flavium Gosium* vocat [6]. Inter scriptores complures, qui eam inventionem *Amalphitanis* certatim vindicant, testis omni exceptione major est *Antonius Panormitanus*, dum ita canit ;

Prima dedit nautis usum Magnetis Amalfis.

Angelus de Nuce, *de Amalphitanis* agens, *Quorum*, inquit, *gloriam illustravit ante annos fere trecentos Flavius civis, vel conterraneus (aliis Joannes Goja, sed perperam) mirabili illo unaque imprimis utili invento* NAUTICÆ PYXIDIS, *qua tot sulcantur maria, veteribus nec navigata, nec nota. Tunc ad Ursam majorem, & minorem cursum navigantes dirigebant : verum cum stellas illas humanis visibus interciperet caligo, ubi locorum essent nautæ, nesciebant*, &c. [7]. Addam quæ *Borellus è Bozio adducit. Neque vero*, verba sunt Bozii, *hic omittendus est incredibiles habens utilitates* MAGNETIS *usus, quod est inventum Flavii civis Amalphitani ..... Hoc igitur Italiæ invento, quo salus hominum plurimorum continetur, maximè gloriabitur per Amalphitanum civem*, & mox. *Non enim Christophorus Columbus Genuensis fuisset ausus tam vastos Oceani recessus adire aut experiri, committereque se ignotissimis itineribus, ac toties ire ac redire, cum detexit Indias novas, & remotissimos populos nobis aperuit, nisi adfuisset illi usus* MAGNETIS &c [8]. Subnectit præterea *Borellus* alias scriptorum auctoritates hanc in rem ac testi-

1. De his adi Du Cange in Apotheca & Apothecarii, cambiare, Averum.

2. Capacius *Histor. Neapolit. lib. 1. cap. 13.* Non multum abludit τὸ *Vesti*, quod itidem est inter titulos ducum Italiæ, sed quod aliunde deducit Du Cange confer infra *cap.* XXIV. versus finem.

3. Chronicon Pisan. incerti auctoris, quo utitur Ughell. in *Ital. Sacra tom.* III. *pag.* 858. *ad an.* 1136. *Annales rerum Pisan.* ibid. *ad ann.* 1138.

4. Ughell. in *Ital. Sacra tom.* IX. *pag.* 235. & seqq.

5. Scipione Mazzella *Descritt. del regno di Napoli parte* II.

6. Guazzo apud Ughell. *Ital. Sarra tom.* IX. *pag.* 235.

7. Angelus de Nuce in *notis ad Leonis Ostiensis Chronic. Casinense lib.* I. *cap.* 50.

8. Bozius *De statu Italiæ lib.* III. *cap.* 18. apud Camill. Borellum *De regis Catholici præstantia cap.* 78. *num.* 22.

Digitized by Google

stimonia : refutat etiam *Polydorum Virgilium*, dicentem verum *Pyxidis* auctorem ignorari (a). Sed vel diserte idem comprobat insigne civitatis *Amalphitanæ*, totiusque, ni fallor, ducatus, quod symbolicam *pyxidis nauticæ* delineationem exhibet. Dividitur hoc insigne in duas regiones, superiorem & inferiorem, cujus confinia ac velut medium-lium nautica pyxis occupat. huic porrò octo alæ in circuitu æquis spatiis sunt affixæ, quæ totidem ventos videntur designare (b). præterea regio superior, quæ alba sive argentea est, ad diurnum tempus alludit: inferior verò, quæ nigra est & stellam auream impositam habet, ad nocturnum: quæ res tanquam digito indicat, nostra ætate ac interdiu ope hujus inventi navigari posse.

CAPUT XXIII.

Bellis exterorum principum, de Sicilia & Neapoli decertantium, implicita Amalphis ad extremum prorsus concidit.

CÆterum dùm adhuc commercia sic satis feliciter exercet *Amalphis*, externis bellis tandem penitùs concidit, cum ruina etiam aliarum hujus tractus urbium. Evenit hoc potissimum post tempora *Johannæ I.* ac proindè post medium laudati sæculi XIV. *bellis inter Ludovicum Ladislaumque reges, iterumque inter Andegavenses Arragonenseſque principes de regno certantes: adeo ut in priore bello divisa, una pars, duce Antonio de Afflictis pro Ludovico, altera sub potestate Caroli de Judice pro Ladislao factiosè regeretur.* ità *Ughellus* 3. Præterea addit, quemadmodum paulatim cœperit deficere, civibus inde *Neapolim* alioquè transmigrantibus. *Nunc autem*, concludit, *quæ olim dives plenaque populo erat, vix ad mille in ea numerantur fidelium capita.* Immò parva admodum & malè culta, ut hodiè est, evasit 4. Sed & portu laborat, ac statione habet malefidam carinis; unde fit, ut naves ibidem in aperto mari ad littus altissimum anchoris suis hæræ cogantur 5. Nil mirum igitur, quod per tria sæcula posteriora, & quod excedit, nihil memoria dignum de *Amalphitanis* proditum reperiamus, idque in tanta historicorum copia, quibus proxima tempora abundant. Hinc quoque accidit, ut quidam hodiè sint, è *Transalpinis* saltem, qui nec nomine tenùs *Amalphin* noverint, aut de ea fando audiverint quicquam, nedum ut tot insignes res de *Amalphitanis* cognitas haberent, ac perspectas. Et sanè id ipsum egregiè me magis impulit, ut peculiarem hanc de *Amalphi* dissertationem è vetustis monumentis concinnarem. Verum pergamus ad reliqua. Videndum nunc porrò de forma regiminis, quæ maximam partem democratica fuit, & genere magistratuum.

CAPUT XXIV.

Forma regiminis & genera magistratuum. Comites, Præfecti, Duces. Tituli Ducum Amalphitanum.

Amalphitani primò COMITES sibi pro regimine utebant, ait Frecca 6. Hoc autem videntur fecisse, antequam à *Salernitanis*, fraude *Sicardi* in captivitatem ducerentur, quod contigit anno Christi DCCCXV. ex de re sic Capacius: *cum Salerno Amalfiam Amalfitani regressi sunt*, de novo *instituendæ urbis administrationem curarunt, PRÆFECTOS præficientes* 7. Initio quidem unum, mox binos quotannis constituerunt: post iterum ventum est ad unum Præfectum. Immò ve-

1. Camillus Porellus loco laud. adde præter eos quos ille magno numero adducit, Mazzellam d. loco. Ferrarium, citante Hofmanno in *Lexico univers.* voce *Amalphis*. Leandro Alberti *Descritt. di tutta l'Italia pag.* 195. Summonte *Dell'histor. di Napoli. lib.* I. *cap.* 13. *pag.* 467.

(a) Sunt qui hoc inventum Amalphitanis adjudicant: sed non videntur mihi probare quod intendunt. Jo: Lud: Gottfred in *Nova archontologia cosmica*, Germanicè conscripta *pag.* 202. radit, solidis argumentis refutatam esse *pyxidis nauticæ* ab *Amalphitanis* inventionem, & veteribus aliquot poetis probatum, usum magnetis in navigando antiquiorem esse. At Isac: Vossius *Variar. observ. cap.* 14. De artibus & scientiis Sinarum, a Seribus eam repetit. *Magnetis*, inquit, *usum, quatenus is Septentriones ostendit, & illum quoque a Seribus reliquæ gentes acceperunt, cum constet jam à bis mille & octingentis ferè annis illos exploratam habuisse istam hujus lapidis virtutem. Ante quingentos fere annos in navigationibus eo utebantur Saraceni, ut testatur Jac: de Vitriaco, edocti procul dubio a Sinis Taprobanam adeuntibus. Ab his ante tria ferè sæcula accepere Christiani. Quod autem nonnulli existimant, antiquo huic invento plurimum accessisse, Seribus ignota, id quo fundamento affirmant, nec dum constat, cum certum sit, declinationes magneticas Sinicas notas fuisse, & usum ipsum magnetis in navigationibus usu Christianis fuisse traditas*, hactenùs è *Vossio*. Nempè in rebus majoris momenti vulgo inventionis palma anceps redditur æmulatione vicinarum gentium. Guidus Pancirol. *Rerum memorabil. lib.* II. *tit.* II. & ibi *Salmut* solenni errore *Amalphin* cum *Melphi* confundunt, & illa quidem; ut de *Polydoro Virgilio* jam est relatum, auctorem latere existimat.

(b) Plesique veteres octos ventos distinxerunt, medio uno inter quatuor cardinales interjecto. vide Cellar. *Geograph. vet. pag.* 21.

2. Scipione Mazzella *Descritt. del regno di Napoli pag.* 46. Octavio Beltrano *Descritt. del Regno di Napoli, pag.* 156.

3. Ferdin: Ughell. *Italia sacra tom.* IX. *pag.* 235. & seqq.

4. Baudrand. in *Geographia.*

5. *Atlantis majoris pars* V, continens orbem maritimum, *pag.* 205.

6. Marin: Frecca De feudis, cap. *De offic. Admirati maris, cap.* 4. & seqq.

7. Jul: Cæs. Capacius *Histor. Neapol. lib.* I. *cap.* 13. *De Ducibus Amalphitanis*, S. Gio.

verginii redire; quibus demùm relictis, tandem uni videntur adhæsisse. *Præfecti* autem hosce annos ad finem memorati sæculi nonni cum DUCE perpetuo commutasse traduntur, ad Exemplum Ducis Veneti[1]. Catalogum seu indicem *Ducum Amalphitanorum* nobis exhibet Julius Cæsar Capacius in *Historia Neapolitana*[2]. In his ad annum DCCCCVIII. refertur Mastalus Mansonis Fusuli filius, cum titulo *Excellentissimi Imperialis*: & ad annum DCCCXLII. Sergius, dictus *Imperialis Patricius*, anno autem DCCCCLIX. Manso *Imperialis Patricius & Antipatus*. idem verò *Gloriosus & Perfectissimus Dux* appellatus est, & XIV. annis præfuit. Anno MI. successit Joannes Perella, *Mansonis* filius, in quem Imperator *patriciatum* contulit. Anno deindè MXXV. fuit *Manso Sergii* filius cum matre *Maria*, quam *Ducissam & Patriciam* in diplomatibus dictam reperi. Sed & alias patres cum filiis in Ducatu fuerunt: est enim in instrumento quodam, teste Capacio, *temporibus Domini Johannis gloriosi Ducis & Imperialis Patricii, Antipati & Vestis, & Domini Sergii gloriosi Ducis filii ejus anno* VII. *post eorum recuperationem*. Observandum interea quomodonam hi tituli sensum creverint. De *Antipati* autem & *Vestis* appellatione, seu *Vesti*, ut in aliis est diplomatibus, supra jam egimus[3]. Rursum è quamplurimis veteribus monumentis chartisque ad *Amalphin* spectantibus *Freccia* profert *Patricios Imperiales* & *Straticogos*[4], quos alibi *Stratigotos* appellat[5]. Sed hoc sequentia tempora respicere arbitror, ut videbimus. Illud quoque notatu inprimis dignum est, quod non è suis solum Ducem sibi eligerent *Amalphitani*, verum etiam è vicinis *Græcis*, hoc est, è *Neapolitanis*, nam *Neapolis* eo tempore adhuc in *Græci* Imperatoris ditione erat. Ita vel inter primos Duces fuit *Sergius, Gregorii* Magistri militum (qui titulus erat Ducum Neapolitanorum) filius[6]. Videlicet cum *Græcis* hisce *Neapolitanis* jam olim amicitatem cœteraque necessitudinis jura libenter inierunt *Amalphitani*[7]. A B C D E

CAPVT XXV.

Liberam Rempublicam fuisse. Duces lecti & remoti à populo: leges latæ: nummi cusi.

Quod autem *Marinus Freccia* asserit, non tantùm *Amalfiam unà Græcorum sedem constituisse*, verùm etiam *Amalphitanos Græci fuisse subditos*, ut eo magis mirari subit, quod ipse paulò antè agnoscat civitatem extitisse *suis legibus & consuetudine constantem*[8]. Videlicet hæc cautè accipienda sunt. Et quidem *Amalphis* simul cum *Surrento* aliaque in his oris loca sub Duce *Neapolis* aliquando fuerunt, sed antiquissimo, ut opinor, tempore. Ita enim habet capitulare principis *Sichardi* (a) in initio. *Mihi Johanni Electo S. Ecclesiæ Neapolitanæ, & Andreæ Magistro militum, vel populo vobis subjecto Ducatus Neapolitani & Surrenti & Amalfi & cæteris castellis vel locis, in quibus dominium tenetis terra marique & reliqua*[9]. Cæterum sanctè *Amalphis LIBERÆ REIPUBLICÆ* beneficio gestam, cum alia declarant, tum illud vel maximè, quod *Duces* suos ipsa *elegerit*: electosque pro lubitu *removerit*, ejecerit, punierit, etiam eos, quos è *Neapolitanis* sibi adsciverat. Sæculo nono electus fuerat *Marinus, Luciani Pulcharii* filii filius, quem Seniorem dixere, regnavitque cum *Sergio* filio annos XIV. tunc autem exœcavit eum populus *Amalphitanus*, & de magistratu dejectum *Neapolim* extrusit. Sic refert laudatus aliquoties *Capacius*. At subjicit tandem: *Habes adhuc eorum* (Neapolitanos designat) *Ducum æmulatos, habes præsentia populi potentiam, qui facilè coactus, ut se magistratu abdicarent*[10]. Cum plura ejus rei exempla addit. Hæc inter memorabile est, quod narrat de *Mastulo* minore, ad annum DCCCXXXIII. quum pater ejus quadraginta annos *Amalphitanis* præfuisset, ipse post quatuor administrationis cum *Andrefa* matre occisus est. Quod autem de *αυτονομία Amalphitanorum* dicit *Freccia*, hoc est, quod *Legibus suis* ac *statutis* regerentur, adeò verum est, ut vel qui bello eos vicerant, tributum imposuisse contenti, suo juri ipsos suisque legibus permitterent, ac Duces se eorum appellari paterentur, ita nempè *Guaimarus Salernitanorum* princeps, *Robertus Guiscardus Siciliæ* comes & dux *Calabriæ*, itemque *Rogerius Siciliæ* rex, inter cœteros Duces enumerantur[11]. Immo vero *Guiscardus*, quum anno MLXXV. *Amalphin* pacto obtinuisset, eademque post quinquennium à se desciscentem occupasset, *Landolfum*, præcedentis Ducis nepotem, captum oculis, perduellionis accusavit: tanquam scilicet potiùs contra Duces quam ipsam rempublicam bellum gereretur[12]. Tertium denique argumentum absolutæ potestatis est, quod ipsi suam *monetam* formarent: hoc cu- F de-

1. Gio: Anto: Summonte *Della Città, e Regno di Napoli lib.* I. *pag.* 397. Ottavio Beltrano *Descritt. del Regno di Napoli*, adde Scip. Mazell. *Descritt. del Regno, par.* II.
2. Capacius Io. laud.
3. cap. XX.
4. Marin: Freccia De feudis, cap. *De offic. Admirati maris*, §. 7.
5. Id. cap. *De provinciis & civitatib. Regni*, *pag.* 80.
6. Jul. Cæs. Capacius loc. laud.
7. Vide supra *cap.* VI.
8. Freccia locis allegatis.
(a) Hunc Salernitanorum principem fuisse autumo, eundem nimirum, de quo *d. Cap.* VI. Accidisse autem aliquandiù antequam Amalphim invaderet.
9. Angel. de Nuce in *notis ad Chronic. Casinense lib.* I. *cap.* 56. *lit. c.*
10. Jul. Cæs. Capacius eodem loco.
11. Capacius *Histor. Neapolit. lib.* I. *cap.* 15. Chronicon Amalphitan. apud Ughell. in *Italia sacra tom.* IX. *pag.* 235. & seqq.
12. Capacius Io. laud.

I. Fer-

Digitized by Google

derent : quippè *Chronicum Casinense* non uno loco *denarios Amalphitanos* memorat. Quarè etiam triplici hoc argumento utitur Ughellius. *Suis*, inquit, *RESPUBLICA regebatur Legibus, Pecuniæ cudebantur propriæ, quas Amalphitanas appellabant, & ex viris patriciis Duces eligebantur* [1].

CAPUT XXVI.

Libertatis imminutio varia, ejusque tandem amissio. Regii vicarii, Justiciarii, Stratici, Regii vices-gerentes.

QUum autem dico, suis legibus permissam à victoribus *Amalphitanam* rempublicam; de libertate nihilo minùs & potentia eorum multum detractum esse, quilibet ultrò intelligit. Quarè antecedentibus subjungit Vghellius. *Hac libertate usi sunt Amalphitani summa eorum fama ad annum usque* MLXXV, *quo Robertus Guiscardus, debellato Salerno, Amalphitanum ducatum suæ subjecit potestati.* Liquet etiam ex bello, quod sub *Rogerio Siciliæ* rege adversus *Innocentium & Lotharium Pisanosque* gerere debuerunt. *Spirantis tamen reipublicæ dignitatem*, pergit *Ughellius* in referenda breviter & concinnè reliqua *Amalphitanorum* fortuna, *subsistinuerunt ad Joannæ primæ tempora*. h. e. ad an. MCCCL. *dum Regiis Vicariis sub Nortmannis, regnantibus verò Suevis per Justiciarios, Straticosque, & sub Gallis Arragoneisque regibus per Regios Vices-gerentes, peculiaribus quodammodo statutis ac legibus regerentur; quas Nobilium Amalphiæ, Scalarum, Ravellique consuetudines vocitabant.* Etenim, ut ex eodem observavimus, corruit tandem penitùs hæc respublica forensibus bellis inter *Ludovicum & Ladislaum*, itèm inter *Andegavenses & Arragonenses*, de Regno decertantes: Vnum illustrandi causa addendum, *Straticos* illos, quos nominat, eosdem videri atque hos, quos *Freccia* corruptis vocabulis *Stratigocos & Stratigotos* appellat. Στρατηγος autem propriè belli dux est; & ità *Græci* Prætores *Romanorum* appellarunt, ut notum.

CAPUT XXVII.

Imperiales Patriarchæ, Reguli. Ducatus honorem non amisit Amalphis. *In cujus postea ditione fuerit, & adhuc sit.*

PRoxima nostris tempora porrò persequitur *Julius Cæsar Capacius*, verba ejus hæc sunt. *Ducatus Amalphitanus ab Imperiali Patriarchatu ad Regulos deductos est, siquidem Alphonsi regis* an. MCCCCXXXVII. *adventus in hoc regnum* (Neapolitanum intelligit) *abdicata libertate, oppida Regulis subjugavit. DUCATUS tamèn honorem Amalfia non amisit. Raimondo Ursino Salernitanorum Principi in feudum concessit. Ferdinandus* autem *Alphonsi filius in Antonium Picolomineum, Pii II. nepotem, anno* MCCCCLVII. *contulit, quod Regi in Sicilia contra ducem Joannem fuit auxilio, eidemque in matrimonium dedit Mariam ejus naturalem filiam, ex quibus* &c. recensèt nempè familiam *Picolomineorum*, quæ ex hoc matrimonio discendit [2]. Posteri ejus adhuc ibi subsistunt, & vocantur Principes *Vallæ* & Comites *Celani* [3]. Tandèm pervenit *Amalphis* ad *Octavium Picolomineum*, quem Imp. *Ferdinandus III.* anno Christi MDCLIV. cum in conventu *Norimbergensi* exsecutioni pacis *Westphalicæ* præfuisset vice sacra, Imperii Principem creavit. Quemadmodum autem is acceperit hunc Ducatum, & testamento reliquerit, declarat Cardinalis de Luca verbis seqq. *Cum eximius imperialis exercitus supremus Dux Octavius Piccolomineus, restituendo suæ familiæ antiquam dignitatem, à Rege Catholico ob ejus ingentia merita Ducatum Amalphitanum obtinuisset, moriens in testamento hæredem rerum Italicarum in proprietate præsertim dicti Ducatus Amalphitani instituit ex fratre prædefuncto nepotem, in pupillari ætate constitutum, usumfructuarium verò universalem Archiepiscopum Senensem, ejus germanum fratrem, quem etiam dicti nepotis tutorem seu balium reliquit* : de hac nimirum facti specie ibidem ex professo disquirit [4]. Sunt qui velint *Amalphim* circa an. MCCC. ad familiam *Sanseverinam* pertinuisse [5]. Alii eo ampliùs tradunt, quando jam post *Sanseverinos & Picolomineos* sub potestatem regiam *Hispanorum* venisset, in gratiam illius *Octavii Picolominei*, Imperatoris suo ævo præstantissimi, in Ducatum denuò conversam esse [6]: quum tamen *Capacius* statuat, *Ducatus honorem non amisisse*. Hodiè rursus ad regem *Hispaniarum* pertinet, quatenùs videlicet partem facit regni *Neapolitani* [7]. Atque hæc quidem fata sunt præcipuæ quondam civitatis, maximèque celebris.

1. Ferdinandus Ughellius *Italia sacra tom.* IX.

2. Jul. Cæs. Capacius *Histor. Neapol. d. lib.* I. *cap.* 13. adde Tomaso Costo, Opuscoli appartenenti alla *historia di Napoli in principato citra. AMALFI.*

3. Joan. Hubner. in *Tabul. genealogic. num.* 273.

4. Jo. Bapt. de Luca *De feudis. discursu* 18.

5. Tomaso Costo Opuscoli appartenenti alla *histor. di Napoli. In principato citra. AMALFI.* Moreri *Dict. Histor.* in voce *Malfi.*

6. A. P. de la Croix. *Geographie universelle parte I. chap.* 13.

7. Tom. Costo detto luogo. Ottavio Beltrano *Breve descritt. del Regno di Napoli pag.* 156. *& seqq.*

(a) Re-

CAPUT XXVIII.

Amplitudo, & potentia Amalphitanorum *in florentissimo Reipublicæ statu. Comparatur cum Republica* Veneta.

AT verò videamus insuper, id quod vel maximè ad institutum facit, quemadmodum sese habuerint res *Amalphitanorum* in florentissimo reipublicæ statu, hoc est sæculo præsertim undecimo. Potentia eorum & celebritas tanta eo ævo exstitit, ut *Franciscus Antonius Purpura*, JCtus *Neapolitanus*, cum ipsa *Venetorum* republica hanc nostram conferre non dubitet: ait ille in vita *Jacobi Galli*, civis *Amalphitani*, & Jus civile in variis *Italiæ* academiis publicè, dum viveret, professi. *Gallorum familia è Picentinorum celebri, ac nobilissima urbe Amalphiæ, beatissimi Apostoli Andreæ Sacri Corporis cultu illustri, ac Neapolitanæ, ne dicam Regni universi ferè, nobilitatis seminario initium ducit, licet, si primam illius originem spectes, Romanam urbem parentem agnoscat* (a). *Etenim constat inter omnes, AMALPHITANAM REMPUBLICAM olim clarissimis viris, opibus variisque commerciis cum remotissimis, ac longè dissitis nationibus, & gentibus in primis nobilem, classe florentem eodem ferè tempore cum præclarissima VENETA REPUBLICA, non iisdem tamen post urbem à Barbaris captam, parentibus natam, ac rerum felicitate ac successu disparem. Etenim illa, non amplis circumscripta finibus, proximorum Principum armis vexata, nequiit imperium latiùs proferre, & intestinis demùm acta discordiis, de potentia, qua plurimum anteà pollebat, non parum dejecta est, &, ubi à suis sibi legebat moderatores, & Duces, exteros pati post annum* MLXXV. *coacta est. Sed hæc optimis usa institutis & legibus, omni procul dissidio, concordibus animis, ac studiis res domi, & belli strenuè prudentèrque administrans, finitimorum eludens insidias, in tantam potentiam excrevit, ut qua mari, qua terra latè dominetur, & in dies magis, ac magis, sese efferat, & floreſcat, & antiquæ Italicæ libertatis specimen, & vestigia summa cum dignitate servet una, & retineat. Amalphitana ergo urbs*, pergit, *ex iis Romanis nobilibus coaluit, qui Gothorum, & Vandalorum experti barbariem, & rapinas post quadringentesimum annum iterùm barbararum gentium timentes excursiones, in illam regionem, ipsa loci natura munitissimam, ac ab hujusmodi invasimibus tutam, Cœli præterea clementia, & salubritate, & perennium gelidarumque aquarum saluberrima scaturigine amœnam se contulere*, hactenùs è *Purpura* 1. Consultò autem plura descripsi, quoniam mirè ad rem faciunt, & multa de *Amalphi* prædicatione dignissima comprehendunt.

(a) Respicit historiam *de ortu Amalpheos* relatam supra cap. v.

1. Franc. Anto. Purpura *in vita Jacobi Galli*, antecessoris Neapolitani.

2. Capacius *Historiæ Neapolit. lib.* 1. *cap.* 13. *De ducibus Amalphitanis.*

3. Supra *cap.* IX.

4. Vide *cap.* XI. ubi traditum, qua arte Amalphitanos subegerit.

CAPUT XXIX.

Duplex causa interitus Reipublicæ Amalphitanæ, *æmulatio vicinorum principum, & discordia civilis, exempla.*

DUlas igitur potissimùm adfert rationes, cur *Amalphitana* respublica non æquè se diù tueri, & ad tantum potentiæ gloriæque fastigium adscendere potuerit, turbas nimirum in ipso reipublicæ regimine, & ambitionem vicinorum Principum, primò *Salernitanorum*, mox autem & *Siciliæ*. Sic enim, interno externoque malo afflicta, præcipiti gradu in interitum ruit. Non possum illius rei illustriora exempla exhibere, quam quæ nobis suppeditat ipsa series Ducum *Amalphitanorum* apud *Julium Cæsarem Capacium* 2. Nonnulli istic referuntur, qui ejecti atque excœcati, & post tamen denuò in pristinam dignitatem evecti fuere. Vnum tantum alterumve exemplum in medium adducam, idque ferè ex posterioribus. Anno æræ Christianæ DCCCCLIX. electus est *Manso*, imperialis Patricius, & Antipatus, idem ille qui glorioſus, & perfectissimus Dux appellatus est: postquam verò quatuor, & viginti annos clavum reipublicæ moderatus esset, eo per *Alfenum* fratrem dejectus est, & in carcerem detrusus, ubi supremum diem miserè infortunatèque obiit: alter autem *Manso*, qui & ipse anteà depositus fuerat, dignitate recuperata, adhuc sexdecim annis magistratu potitus est. Rursus ad annum MXXXV. invenio *Manſonem Sergii* filium, qui cum matre *Maria* regnavit annos quatuor cum tribus mensibus, eo rempublicam gubernante, *Joannes* frater ejus *Neapoli*, quò ejectus confugerat, *Amalphim* rediit, receptoque Ducatu *Manſonem* fratrem ad *Sirenusas* insulas (*Gallos* vocant) duxit, atque oculis privavit, & *Constantinopolim* ipse profectus est: nimirum interea *Salernitanorum* Princeps *Guaimarus*, arrepta ex hisce turbis occasione, *Amalphim* occupavit, sibique tributariam fecit. *Guaimarum* autem hunc, ut retuli 3, sexto Ducatus anno in littore trucidarunt, conspirantibus ipsis *Salernitanis*. Tum rursùs idem *Manso* Ducatum obtinuit, atque cœcus licet, alios decem annos rerum potitus est. Sed anno MLIV. cum *Joannes Constantinopoli* rediisset; *Amalphitani* & *Atranenſes* armis *Manſonem* expulere, & *Joannes* pristinæ dignitati restitutus regnavit sexdecim annos. Mortuo *Joanne* anno MLXX., ejus filius *Sergius* electus est, & cum quinque annos remp. esset moderatus, decessit. Excepit eum filius *Joannes*; verùm antequam magistratum auspicaretur, eo spoliatus fuit; transiit enim Ducatus in *Robertum Guiscardum*, *Normannum*, *Amalphitanos* anno MLXXV. subigentem 4. Postquam verò deinceps per *Rogerium* sub *Siculis* regibus esse cœperunt, tantæ poten-

3. Supra *cap.* IX.

4. Vide *cap.* XI. ubi traditum, qua arte Amalphitanos subegerit.

Digitized by Google

tentiæ viribus oppressi, nunquam emergere potuerunt.

CAPUT XXX.

Munimenta Amalpheos *à natura.*

SEd juvat nunc porrò, præcipua quædam, quæ ad amplitudinem *Amalphitanam* pertinent, sigillatim excutere. *Amalphis* loci ingenio, atque ipsius naturæ solertia, ut audivimus [1], tutissima est: nam à continente præruptis celsisque montibus præcingitur hic tractus [2], ab oppositа autem parte ipso maris fluctuumque præsidio munitur. Exiguo quidem ambitu, sed oppidis pleno concluditur [3]. Præterea tùm temporis civibus abundabat, cum ad quinquaginta hominum millia in eo censerentur [4]. Ut adeò facilè adversus Principem sic satis petentem consisterent *Amalphitani*, quotiès concordibus animis se vallarent atque defenderent. Apparet hoc in primis ex cauta, & valida metusque & periculi plena aggressione, qua *Rogerius*, jam *Siciliæ* rex coronatus, summaque in potentia constitutus, *Amalphitanam* ditionem invadere statuit. Quantum quippe sibi ab *Amalphitanis*, metueret, supra declaratum est, idque verbis scriptoris, æqualis non tantùm, sed & qui in partibus *Rogerii* erat, eidemque subditus [5]. Præterea *Rogerii* machinationes, & totam belli molem, ac lentum progressum pluribus declarat idem auctor. Quod si ipsam urbem *Amalphitanam* expugnare debuisset, multum ei laboris temporisque ea in re fuisset insumendum: at *Ravellenses ipsique Amalphitani* ob proximorum oppidorum, atque arcium expugnationem *continuo corde soluti, de pace cum Rege habenda consulunt*. ita Scriptor laudatus [6].

CAPUT XXXI.

Amalpheos *munimenta ab arte. Nunquam expugnatam legi hanc urbem.*

PRoximè igitur firmamenta, munitionem ipsius urbis, & fortitudinem indagemus. Nullum ejus rei, aut sinceriùs, aut evidentiùs argumentum adduci potest, quam quod nobis exhibet *Gaufredus Malaterra*, scriptor συγχρονος, in tradenda *Amalphis* obsidione per *Rogerium Apuliæ*, & *Calabriæ* Ducem, qui filius erat *Guiscardi*, anno circiter MLXXXX. Narrat ille, quemadmodum hic *Rogerius* cum patruo, *Siciliæ* comite, & fidelibus suis *consilium cœperit subjugandi Amalphitanos*, adscito fratre *Boemundo*. *Amalphim* autem aggressurus, pactum init cum patruo, ut *si sibi attentissimè succurrat*; atque ità junctis viribus *urbem subjugare possent*, *medietatem urbis* ipsi *concederet*: moxque *ab omni Apulia & Calabria, navali & aquestri exercitu admoto, peditum etiam copiis certatim accelerat* [7]. Attamen cum jam aliquamdiù *Amalphim* obsessam tenuissent, solo *Boemundi*, in sacram expeditionem proficiscentis, discessu frustrati sunt, atque irrito conatu recesserunt: at nèc *Boemundus* multas copias ad eam obsidionem videtur contulisse, cum in pacto de urbe dividenda nulla ejus mentio fiat. Cœterum jam olim perquam munita videtur hæc civitas fuisse, dum anteà *Sicardus*, *Salerni* Princeps, per dolum, & fraudem noctu eam invadere constituit, & cives inde captivos deducere. Probabile autem est, post reditum ipsos diligentiùs sibi prospexisse, & firmioribus præsidiis munimentisque circumvallasse [8]. Illud sanè constat, postquam *Robertus Guiscardus* callidis pactionibus in urbem *Amalphitanam* fuit admissus, in ea ipsum quatuor castella ædificasse [9]. Denique non memini me legere, unquam expugnatam, aut justa obsidione ad deditionem compulsam fuisse.

CAPUT XXXII.

Oppida & Castella Amalphi, *tanquam metropoli, subjecta*. Scalæ, Ravellum, Scalecta *major, & minor*, Fracti, Pugionile.

UT autem natura simul, atque arte munita erat *Amalphis*, ità etiam circumdata, ac velut stipata fuit compluribus oppidis, atque arcibus, quæ adventantem hostem morari diù poterant. Liquet hoc inter alia ex bello, & expeditionibus, quibus *Siciliæ* Rex *Rogerius* non sine gravi difficultate *Amalphitanos* sibi subjecit [10]. Quænam autem fuerint hæc oppida arcesque, & quot numero fuerint, haud tuto quisquam definierit; si non alia de causa, saltem propterea, quod nomina propria in mediæ historiæ scriptoribus diversissimè confusissimèque exhibeantur. Dicam tamen, quod mihi videtur, & singula ut potero, distinguam. Præcipua in his, & de quibus nullo modo dubitari potest, nominantur *Scalæ*, ac *Ravellum* [11], quod, & *Rabellum* [12], alibi verò *Rivellum*

1. *Cap.* I.
2. Scip. Mazzella *Descritt. del regno di Napoli part. II. pag.* 62. sub fine
3. Boccaccio in *Decamerone Novella* IV. *giorn.* 2.
4. Ughell. *Italia sacra tom.* IX. *pag.* 235. & seqq.
5. Vide in præcedd. sub *cap.* XIV. & XV.
6. Alexander Abbas Celesinus *Rogerii Siciliæ Regis rerum gestar. lib.* II.
7. Gaufredus Malaterra, monachus, *lib.* IV. *num.* 24. Agit autem ex professo *de rebus gestis Normannorum in Calabria & Sicilia.*
8. Historiam vide in præced. VI. *capite.*
9. Gaufredus Malaterra *lib.* III. *num.* 3. *Il regno di Napoli* in prospettiva del Paicchelli parte I. *pag.* 176.
10. Alexander Abbas Celesinus *De rebus gestis Rogerii lib.* II. adde *cap.* XIV. & XV.
11. *Annales rer. Pisan. ad an.* 1136. apud Ughell. in *Ital. sacra tom.* III. *pag.* 868. & passim apud alios.
12. Abbas Celesinus laud. *lib.* II.

tum[1] dici comperio. *Scalarum* porrò & *Ravelli* urbes ab *Amalphitanis* conditas esse, disertè scribit *Freccia*[2]: & *Scala* quidem, seù *Scala*, nam etiam in singulari occurrit[3], originationem videtur trahere à proximo ejus nominis monte, quem *Amalphitani*, in hunc tractum venientes, dicuntur transcendisse[4]. Post *Scalam* video recenseri *Scalettam*[5], velut diminutiva forma, quæ & *Scatella* quibusdam audit, & in *majorem* ac *minorem* distinguitur[6]: eandemque esse reor cum loco qui aliis *Scabelli* dicitur[7]. Proprie autem, ut opinor, has potiùs arces fuisse ad *Scalas* pertinentes, quam diversa oppida: quemadmodum *Fracti*, in quorum obsidione *Pisani* post direptam *Amalphim* à *Rogerio* repulsi cæsique fuerunt[8], *castrum Ravelli* appellantur[9]. Ut proindè minus accurati habendi sint, qui recensent inter oppida *Amalphitana Scalam*, *Minori* &c.[10]: seu *Minuriam* & *Majuriam*, & has speciatim in vallibus ad mare ædificatas dicunt[11]. *Fractos* autem quod attinet, in *Italis* scriptoribus pro iis est *Fratta*[12], *le Fratte*[13], & pleniùs *Fratte-rocche*[14], quasi dicas, Arces præruptæ. Denique in eadem regione versus *Ravellum* videtur & alia arx fuisse, quæ dicitur *Rocca di Pugionile*; jungitur enim cum laudata *Fratta*[15]. Verum ad urbes & oppida revertamur.

CAPUT XXXIII.

Atrani, Letteræ, Atturina, Triventum, Agerula, Epugerula. *Præterea insulæ* Sirenusæ, *quæ aliis* Gallorum *insulæ dicuntur*, & Capreæ.

PRæter *Scalas* ergo & *Ravellum* est & aliud oppidum quod *Trani* appellatur[16], seu veriùs *Atrani*[17]: quo pertinet Episcopus *Atranensis*, qui throno depositus legitur in concilio *Amalphitano*[18], est etiam ubi corruptè *Ascani*[19] habetur pro *Atrani*; item *Vetrani*[20]. Insuper inter oppida *Amalpheos* referri video aliud quod *Litteræ* appellatur[21]. Interim omittenda non erat *Atturina*, quæ *Amalphi*, *Ravello* & *Scalis* jungitur: atque hæ ut opulentissimæ, munitissimæ ac velut inexpugnabiles civitates celebrantur[22]. *Triventum* porrò à scriptore sæculi duodecimi expressis verbis dicitur *Amalphiæ oppidum*, & quidem duobus in locis[23], at ibidem tamen & *castrum fortissimum* appellatur, quemadmodum etiam à *Capycio Latrone*, haud contemnendæ auctoritatis historico proximorum temporum, simpliciter nuncupatur *validum castellum*[24], ut meritò dubites, oppidumne fuerit, an castellum, sive arx. Ego autem puto, arcem haberi posse cum oppido conjunctam. Restant *Gerula* & *Pugerula*, quæ aliis *Agerula*, & *Epugerula* audiunt[25], item *Pugetula*[26], hæc nominat scriptor ille antiquissimus, cum *Rogerium* recepisse dicit *Rabellum*, *Scalam*, *Gerulam*, *Pugerulam*, *cæteraque Amalphitanorum oppida*[27]. Quid autem dicendum sit de *Pasetano* & *Prajano*, quæ eidem tractui assignantur, nondum mihi certum deliberatumque est. Videtur *Pasetanum* idem esse cum *Positano*, unde *Flavium* illum nauticæ pyxidis inventorem natum testatur *Guazzo*[28]. Sed & alia proculdubio illic fuere minoris momenti, quorum memoria intercidit. In his eminebat *Amalphis* tanquam metropolis, cum titulo Ducatus. Cæterum præter ea, quæ in continente possidebant *Amalphitani*, habebant quoque *Serenusas* insulas[29], (*Galli* aliàs dicuntur[30]) & *Capreas*[31], nefariis *Tiberii* libidinibus famosas. *Gallorum* autem duæ insulæ sunt[32], de quarum altera loqui puto *Alexandrum* Abbatem *Celesinum*, verbis sequentibus; *Qui* (Ammiratum sive Præpositum classis *Siculæ* sub *Rogerio* designat) *dum sic marinas excubaret semitas, contigit ut oppidulum Amalphitanorum, quod Guallum nominatur, infra mare po-*

1. *Chronicum Pisan. ad an.* 1136. apud Ughell. d. *tom.* III. *pag.* 858.
2. Marinus Freccia de feudis, cap. *De officio Admirati maris*. §. 4. & seqq.
3. Laudatum Chron. Pisan. *d. loc.*
4. Marin: Freccia De feudis, cap. *De provinciis & civitatib. Regni*, *pag.* 80.
5. Chronicum Pisanum loc. laud.
6. *Annales rer. Pisan. ad d. an.* 1136.
7. *Memorie diverse della città di Pisa*, cavate da diverse istorie, e scritture, MS. ex *bibliotheca Stroziana n.* 194. in fol. in extremo, *ad an.* 1138.
8. Vide Dissertationem, quæ sequitur *c.* XXIV.
9. *Annales rer. Pisan.* apud Ughell. d. loco.
10. Lov. Moreri *Dict. Histor.* in voce *MALFI*.
11. Nicol. Parthen. Giannettasius *Histor. Neapolit. Decade* II. *lib.* XI.
12. *Memorie diverse della Città di Pisa*, nel luogo sopra accennato.
13. Laudatum *Chron. Pisanum* eodem loci.
14. *Annales Pisani*, loc. sæpius laud.
15. *Memorie di Pisa*, vide paulò ante.
16. *Annales Pisani ad an.* 1138. Scip. Mazzella *Descritt. del regno di Napoli parte* II. *pag.* 62.
17. Iidem *Annales ad an.* 1136. Jul. Cæs. Capacius *Histor. Neapolit. lib.* I. *cap.* 13.
18. *Conciliorum tom.* IX.
19. *Chronicon. Pisan.* apud Ughell. *tom.* III. *pag.* 858.
20. *Memorie diverse di Pisa*, luogo allegato.
21. Lov. Moreri *Diction. Histor.* in voce *MALFI*.
22. D. Bernardi *epist.* 140. scripta in favorem Pisanorum ad Imp. Lotharium II. Paolo Tronci *Memorie istoriche di Pisa all'anno* 1135.
23. Alexander Abbas Celesinus *Rogerii rerum gestar. lib.* II.
24. Francesco Capecelatro *Istorie di Napoli*, *pag.* 70.
25. Capecelatr. *ibid.*
26. *Annales Pisani* apud Ughell. ad an. 1138.
27. Abbas Celesinus d. *lib.* II.
28. Guazzo apud Ughell. *Italia sacra tom.* IX. *pag.* 235.
29. Jul. Cæs. Capacius *Histor. Neap.* I. 13.
30. Ferdin. Ughell. in *Ital. sacra tom.* IX. *pag.* 235. & seq.
31. Franc. Capecelat. *Istor. di Napol. pag.* 70.
32. Vghellius loc. laud.

postmodum violenta caperet manus. Hinde addit, oppidum aliud, quod Capris dicitur, similiter infrà mare situm. Nimirum & hæ insulæ *Amalphitanum* ditionem tuebantur à parte maris (a).

CAPVT XXXIV.

Possessiones Amalphitanorum in Sicilia, Constantinopoli, Ægypto, Syria, Arabia, India, Africa, &c.

AD potentiam præterea & magnitudinem gloriamque *Amalphitani* nominis faciebat, quod etiam in dissitis regionibus quædam propria erant *Amalphitanorum*. Sic per commercia, quæ quaquaversum exercebant in mari mediterraneo, domicilia habebant & horrea mercium in plerisque civitatibus maritimis [1]. De *Sicilia* hoc modo Blondus: *Amalphitanos quondam magnos fuisse negotiatores, testantur multa Siciliæ loca, in quibus suas habuerunt ædes, propriasque apothecas & mercium promptuaria* [2]. Immò verò præcipuum *Panormi* suburbium, teste *Fazello*, *Amalphitanorum* fuit, cum æde parochiali, *Sancto Andreæ* sacra [3]. De *Syracusis Messana* aliisque *Siciliæ* civitatibus testatur similiter *Razzanus*, etiamnum suo tempore illic ostensa fuisse horrea mercium, quæ ad *Amalphitanos* pertinuerant, item *textrinas pannorum*, quas vel tunc *Amalphitanas* vocitabant [4]. Porrò quum & *Constantinopoli* ædem *S. Andreæ* haberent, ex qua ipsius Apostoli ossa *Amalphim* translata feruntur [5], haud dubiè etiam loca illic ad habitandum merceque condendas possederunt, quemadmodum in *Sicilia*: eo magis videlicet quod & *Pisani* prætèr Ecclesiam, integrum vicum istic obtinerent [6]. Deindè ad confirmandum *Amalphitanorum* cum *Constantinopolitanis* commercium spectat historia nobilis *Amalphitani*, qui in conjuratione adversus *Michaelem Ducam* anno MLXXVIII. partem salutiferæ Crucis non exiguam abtuliſſe, & beato *Benedicto* ad montem *Casinum* obtuliſſe fertur [7]. In insulis autem propè *Samum*, quas *Simias* vocant, disertè invenio *portum Malphetanum* [8], sine dubio ab *Amalphitanis* nostris. Cæterum in *Oriente* etiam sedes suas horreaque, & domicilia eos habuisse perquam probabile est, propter frequentes navigationes, quas commercii gratia in illas regiones instituebant, maximè in *Ægyptum*. In specie vero *Antiochiæ*, & *Alexandriæ* meminit *Gulielmus Apuliensis* illustri testimonio, quod paulò commodiùs infra recitabitur [9]. Cùm *Hierosolymis* Ecclesias, cœnobia & nosocomium, ex quo Equites *Melitenses* orti, extruxerunt [10]. Quin immò pro causam commerciorum in *Syria*, *Arabia*, *India* & *Africa* degebant *Amalphitani* cives [11].

CAPUT XXXV.

Sumptuosa domi ædificia, cum publica, tum privata. Templum D. Andreæ. *Armamentarium navale. Portus & littora. Navium multitudo.*

HÆc foris. Ædes domi erant amplitudinis atque opulentiæ celebritatisque argumenta. Sumptuosa (quis dubitet?) fuerunt & magnifica magnoque numero ædificia, cum publica, tum etiam privata. Iudicio sunt ruinæ, & vestigia eorum, quæ ad hæc usque sæcula perdurarunt [12]. Inter ædes Sacras longè eminebat *templum Divi Andreæ Apostoli* [13], quod Vghellius vocat *pulcherrimum nobilissimaque architecturæ Cathedrale Templum* [14]. Præterea suo adhuc tempore, hoc est, ad finem seculi sexti decimi in littore *Amalphitano* extare dicebat *Scipio Mazella* bonam partem *navalium*: *Arzenale* appellant *Itali*, splendidissimam autem, ac planè egregiam fabricam fuisse, è ruderibus judicabat [15]. *Portus* insuper securos & pulcherrima *littora Amalphis* habuit, quod idem testatur *Mazella* [16]: quemadmodùm etiam de magno *navium* numero testimonium perhibet [17], & antè eum *Leander Albertus* [18].

CAPUT XXXVI.

In sacris Archiepiscopatus dignitas. Suffraganei. Concilium Amalphitanum. S. Andreas *protector civitatis. Cœnobium* S. Laurentii de Amalfia. *Alia quædam templa & monasteria.*

UT autem *Ducatus* dignitate gaudet *Amalphis*, ità in Sacris præfulget titulo ARCHIEPISCOPATUS [19]. *Suffraganeos* habet Ca-

---

(a) De oppidis ad Amalphim spectantibus, vide & Giov. Ant. Summonte *Memorie istoriche post tom.* I. *Delle Istorie di Napoli pag.* 41. ubi de Capreis & Ebulo *pag.* 44. de Lettere & Ravello *pag.* 46. de Scala. de Avellino, & Lavelli *pag.* 49. de Melfi. *pag.* 50. de Trani *pag.* 67.

1. Auctor. anonym. apud Scip. Mazellam *Descript. regni Neapolit. parte* II.
2. Flavius Blondus *Historiar. lib.* XV.
3. Fazellus *De reb. Siculis lib.* VIII.
4. Razzano appo F. Leandro Alberti nella *Descritt. di tutta l'Italia pag.* 195.
5. Vide supra *cap.* XXI.
6. Paolo Tronci *Annali Pisani an.* 1060.
7. Leo Ostiensis in *Chron. Casinens. lib.* III. *cap.* 54.
8. Dapper van d'Archipel. *beschryvinge van het Eiland Samos, pag.* 73.
9. *Cap. penult.* Summonte *Istoria di Nap. lib.* I. *cap.* 13.
10. Adi supra *cap.* VIII.
11. Guliel. Apulien. *lib.* III. vide d. *cap. pen.* addatur & Summonte loc. laud.
12. F. Leandro Alberti *Descritt. di tutta l'Italia pag.* 195.
13. Idem ibid. Scip. Mazzella *Descritt. del regno di Napoli, parte* II. *pag.* 60. *Il regno di Napoli* in prospettiva dell'Abate Pacichelli, *parte* I. *pag.* 176.
14. Ferdin. Vghell. *Italia sacra tom.* IX. *pag.* 235. &c.
15. Scipione Mazzella d. *parte* II. *pag.* 62.
16. Idem ibid. *pag.* 38.
17. Scip. Mazz. *pag.* 62. & seqq.
18. F. Leandro Alberti *Descritt. di tutta l'Italia* detta *pag.* 95.
19. Joan. Blau. in *Atlante*, eo tomo quo Italiam delineat; & in specie ubi agit *de Principatu citeriore*, olim *Picentia*. Baudrand. in *Lexico Geograph.*

1. Pau-

Caprearum Episcopum, item *Scalensem*, *Tra-*
nensem, *Letterarum* & *Ravellensem*: sed hunc
cum *Scalensi* conjunxit *Clemens* VIII.[1]. *Protectorem* civitatis, ac *patronum* invocat *Sanctum Andream* Apostolum[2]. De *Concilio Amalphitano* actum suo loco[3]. Præter *Cathedrale S. Andreæ*, alia quoque templa, & cœnobia erexerunt *Amalphitani*. In his insigne erat *cœnobium* quoddam Virginum, quod *S. Laurentii de Amalfia* dicitur: memoriam illius è vetustis monumentis eruit *Capacius*, præsertim ex instrumento, facto temporibus *Rogerii*, cujus subscriptio habet; *In Monasterio puellarum Beati Laurentii, quod constructum est, & dedicatum in præfata Civitate Amalphiæ*: additque ea occasione *Capacius*, Duces *Amalphitanos* mirum in modum delectatos fuisse exstruendis Monasteriis virginum[4]. Prætereunda verò minimè erat Ecclesia *Beatæ Virginis MARIÆ*, in quam anno partæ salutis DCCCC XXV. Corpus Virginis, & Martyris *Tryphomenes*, quæ fuit Religionis *Minorum*, ex insula *Lipara* translatum legitur. sed illud *Beneventum* deduxerunt *Longobardi*, quando nimirum *Sicardo* Principe *Amalphim* cœperunt, & depopulati sunt[5]. Præterea ad ædes Sacras hujus urbis referri debere existimo, quas in testamento suo enumerat, ac legatis honoravit Dux *Sergius*, *Amalphitanus*, *Pardi* filius: sunt autem, Monasterium *S. Mariæ de Donna Romata*, Monasterium, & Cœnobium *S. Gregorii Majoris* (*a*), Monasterium *S. Sumonæ*, Monasterium *S. Martini*, Ecclesia Major S. Joannis Catholicæ Majoris, & Ecclesia S. *Mariæ à Præsepe*[6]. Factum est hoc testamentum circa annum MXX. Fortè tamen ex his quædam ad *Neapolitanos* pertinent, dum *Neapoli* testamentum condidit, à suis, ut opinor, ejectus.

CAPUT XXXVII.

Familiæ Amalphitanorum. *Viri eruditi, præsertim vero in jure. Alii duo aliis rebus celebres.*

AD Familias *Amalphitanorum* quod attinet, *in omni ferè memoria*, inquit Ughellius, *Amalphitanus ducatus illustribus viris gravis & fœtus fuit*[7]. Addit Freccia, libenter eos de *nobilitate* contendere, utpotè cum originem referant ad patres *Romanorum*[8]. scilicet respicit historiam illam nauffragii, quod civitati condendæ occasionem narratur dedisse[9]. Ulteriùs pergit *Franc. Anto.* Purpura, cum *Amalphim* celebrat, ut *Neapolitanæ*, *nè dicam Regni universi ferè*, *Nobilitatis seminarium*[10]. Semper autem inter *Neapolitanos* & *Amalphitanos* jura necessitudinis intercessisse observat *Capacius*, idemque conjicere licere ex gestis Ducum ipsorum[11]. Ipsas verò familias, tam extinctas quam hodiernas, recenset *Tomas Costus*[12]. Nobilissima profectò inter cæteras fuit *Maramaurorum* familia. ex hac oriundus *Landulfus Maramaurus* sub *Bonifacio IX.* Cardinalis & Archiepiscopus *Barensis*: item *Andreas Maramaurus* tempore *Caroli I.* dux & præfectus classis[13]. Sed his missis, addamus eos qui non tantùm natalibus, verùm etiam eruditione claruerunt, & imprimis quidem Juris periti, quales, quod omninò observari velim, vel maximè edidit *Amalphis*[14]. Iis ante omnes accensendus est (nam anteriorum notitiam temporis injuria nobis invidit) *Petrus Capuanus*, vir nobilis, qui ex Archidiacono & Capellano *Clementis VI.* (hodiè Auditorem Rotæ dicerent) patriæ suæ Archiepiscopus factus est: idem videlicet, qui anno MCCVIII, quum in aula *Constantinopolitana* Apostolicæ sedis Legationem obiret, corpus *S. Andreæ* indè *Amalphim* transportasse perhibetur[15]. Haud multò post fuit & *Joannes Augustaricius*, qui Consuetudines civitatis, ac ducatus *Amalphitani* compilasse dicitur, in quibus etiam illius mentio fit. Epitaphium ejus hujusmodi exstat in claustro antiquo *S. Andreæ*. *Anno Domini* MCCLXXXII. *die* &c. *obiit Judex Johannes Augustaricius, vir polens sapientia naturali, peritus in arte medicinali, & in Canonico & Civili.* sic in eo epitaphio. Circa an. MCCCLXXX. floruit *Marinus Godicius* (*a*) Canonicus, & civis *Amalphitanus*, Doctor juris canonici celeberrimus, Capellanus Pontificis, & Auditor palatii Apostolici, Episcopus *Castelli* ad mare, & posteà Cardinalis sub *Urbano VI.* Hunc velut excepisse videtur *Bertrandus Alagnius*, nobilis *Amalphitanus*, qui vixit anno MCCCC, & per summam Juris cognitionem Auditor Rotæ, Episcopus *Famagustæ*, & *Eugubii*, ac tandem patriæ Archiepiscopus evasit. In epitaphio quod est in templo majori, habetur inter alia, quod fuerit Doctor juris civilis, & Sacri palatii Auditor: & ad finem superadditur, fuisse eum *amplo san-*

1. Paulus Jovius *Historiar. lib.* XXV. *in fin.* Morerl *Diction. Histor.* in voce *MALFI.*
2. Vide præcedd. *cap.* XXI.
3. Supra *cap.* X.
4. Jul. Cæs. Capacius *Histor. Neapolit. lib.* 1. *cap.* 13.
5. Sæpiùs laudatum *Chron. Amalphit.* apud Capacium d. loc. Heremperti Longobardi *Epitome*, edente Caracciolo *pag.* 88. & 89. adde Frecciam *De subfeudis*, *cap. De civitatibus regni* adde & Cap. VI.
(*a*) An non potiùs S. *Georgii Majoris*, ut Venetiis.
6. Capacius laud. *lib.* 1. *cap.* 13.
7. Ferdin. Ughellus in *Ital. sacra tom.* IX. *pag.* 235. &c.
8. Marin. Freccia de feudis. cap. *De officii Admirati maris* §. 4. & seqq.
9. Vide supra ex *Chronico. Amalphit. cap.* V.
10. Fr. Ant. Purpura *in vit. Jac. Galli*, initio.
11. Capacius *Histor. Neapolit. lib.* 1. *Rogerius Dux* XXXIV.
12. Tomaso Costo *Opuscoli appartenenti alla istoria di Napoli* in Principato citra.
13. *Marinus Freccia De feudis pag.* 80.
14. Indicantur fere omnes, quos hic subjicimus, in *Bibliotheca Neapolitana* Nicolai Toppi, JCti.
15. Vide *cap.* XXI.
(*a*) Nomen Italicum est, *Marino del Giudice*. De morte ejus confusi possunt Panvinius, & Ciacconius, citati a Nicol. Toppi.

Digitized by Google

sanguine, & antiquo genitum. Eodem sæculo viguit *Joannes à Comite*, Secretarius, & Regi Catholico à consiliis, anno MCCCCLXXXVI. Postremo sub finem sequentis sæculi exstitit *Jacobus Gallus*, Doctor celeberrimus, & Antecessor primarius in præcipuis *Italiæ* Academiis, in *Neapolitana* videlicet, in *Messanensi*, & *Patavina*, ubi docuit anno MDCII. Honoratus est titulo *Comitis Palatini* atque Equitis. In lucem dedit *Clariores juris Cæsarei apices*, & *Consilia*, seù *Juris responsa*. Vitam eius conscripsit *Franc. Anto. Purpura*, ipsius Auditor, posteaque Episcopus *Montis Marani* [1], qui ab antiqua apud *Romanos Gallorum* gente eundem deducit [2]. Hisce pro coronide duos alios diversi generis adjungamus, *Amalphi* similiter oriundos, alterum ob inventi nobilitatem, alterum verò propter celebritatem facinoris. Prior est *Flavius Gioia*, qui usum pyxidis nauticæ invenit, uti latiùs supra expositum fuit [3]. Alter *Thomas Agnellus* (vulgi sermone, quo notior est, *Masaniello*) qui famosam illam seditionem *Neapolitanam* concitavit, & hoc pacto ex infimæ conditionis fæce ad tantæ urbis Principatum adscendit [4].

CAPUT XXXVIII.

Statura corporis, habitus, & indoles Amalphitanorum.

EXcellentem verò hanc, & ad magna natam *Amalphitanorum* indolem fœlicissimo cœli solique genio attribuit *Ughellius*. postquam enim singularem soli fertilitatem, summa cum amœnitate conjunctam, ad vivum expressit, subjicit quæ sequuntur; *Jam cœlum ubique saluberrimum, ac clementissimum. Unde Viris, ac Mulieribus corporis animique habitus egregius, vividus oris color, & robur corporis animique præstans, denique mite ingenium, grata hospitalitas, & quibuscunque artibus felix progressus: ut non immeritò Leander Albertus Amalphitanam costam omnium amœnissimam, ac velut jucundissimum paradisum deprædicet* [5]. Præterea, & *Scipio Mazella* homines esse ait justæ staturæ, facie candidiore quam solent *Itali*, ingenii acutissimi, adspectu alacres & qui libentèr se tradant, aut armis tractandis, aut ediscendis literis, aut mercaturæ exercendæ: & quidem inter alia in Legibus eos dicit æmulari veteres Jurisconsultos *Romanos* [6]. Erat porrò tractus *Amalphitanus* frequens, & populo abundans exiguoque spatio complura oppida continebat, ut vidimus [7].

CAPUT XXXIX.

Fertilitas felicitasque agri Amalphitani.

DE fertilitate autem huius regionis audiamus laudatum *Ughellium* in verbis quæ proximè antecedunt. *Ager*, inquit, *illius cum ipsa Amalphitana costa, licet angustis finibus sit conclusus, omnes tamen amœnitatis laudes retinet, nam colles plurimi sunt promiferis arboribus consiti, & valles floribus cujuscunque generis, gelidis limpidisque fontibus irriguæ, & quidem pomorum, malorum Massilicorum, citrorum, aureorum, punicorum, aliorumque fructuum, ac florum hoc in tractu mira est suavitas, marinis auris nescio quid salsi irrorantibus in ipsa poma floresque, quod saporem odoremque mirificè gratum faciat: eorum verò tanta cum suavitate copia est, ut ex his multa aureorum millia indigenæ lucrari plerumque soleant. Jam cœlum ubique saluberrimum, ac clementissimum* [8]. &c. Addit *Mazella*, quod vineæ istic suavia, & delicata vina producant, & agri magna regionis parte frumentum, oleum & herbas, & frutices omnis generis. Ut adeo hic *Ceres*, & *Flora*, *Bacchus*que amico certamine congredi videantur, & pulcherrimum tapetem mirabili textura adornare, quo præter os oculi, & nares suavissimè se pascant. Ubi autem solum minus fertile est, poma in primis, & serica, & bombycina, & crocum gignere observat. Hunc porrò locum in tota *Italia* quam maximè amabilem adspectu, & quibusvis naturæ illecebris deliciisque affluentem, à multis *omnium gratiarum condimentum* appellari asserit, ab aliis autem *perfectam naturæ operam*. Deniquè *Deam* facit *Julius Cæsar Scaliger*, dum laudes illius ità celebrat [10].

Quæ Boreæ gelidas furias contemnit ovantis:
Torva procellosi despicit arma Noti.
Medorum è sylvis fœcundas provocat auras,
Fundit & à biferis Indica dona jugis.
Protinus autumnus veris cum tempore certat:
Et ver cum autumni tempore certat idem.
Huc accessit hyems venerantibus nda capillis,
Et peperit miranus, & sibi poma legit.

F

1. Ottavio Beltrano *del regno di Napoli, ove tratta d'Amalfi.*
2. Fr: Ant: Purpura in *vita Jacobi Galli.*
3. *Cap.* XXII.
4. Jo: Lud: Gottfried in *Chron. Histor.* Germanicè conscript. *Tom.* IV. *pag.* 190.
5. Ferdin. Vghell. *Italia sacra tom.* IX. *pag.* 234. & seqq.
6. Scip. Mazzella *Descritt. del regno di Napoli, par.* I. *pag.* 45.
7. Adi *cap.* I, in extremo, item *cap.* XXII. & XXIII.
8. Ferdin. Vghell. loco paulò ante laudato.
9. Scip. Mazzella detto libro, *parte* II. *pag.* 58. e poi *parte* I. *pag.* 40.
10. Julii Cæs. Scaligeri Vrbes; & in his *Salernum*, citatur hanc in rem ab eodem Mazzella *Descriptionis Neapolitanæ parte* II. Nimirum loca hæc contermina Salernum & Amalphis, æquis naturæ dotibus ornantur.

Digitized by Google

Tuta mari fruitur: terræ dominatur amatæ:
Et cœli mutat jura. Quid ergo? Dea.

Possemus, & aliis testimoniis hoc firmare, sed hæc, opinor, sufficerit [1].

CAPUT XL.

Opulentia, & celebritas huius urbis variis scriptorum epithetis comprobata.

AD fœlicitatem regionis accedit opulentia, & celebritas inhabitantium, qua olim fruebantur. *Hæc*, inquit *Ughellius*, *Amalphim* indicans. *Aere saluberrimo, populorum frequentia, mercium etiam multitudine inter Regni* (Neapolitani) *urbes nulli habebatur secunda, atque oppurtunitate loci civiumque nobilitate clara, & nobilis fuit, oppidorum urbiumque, quæ in ora Picentinorum maritima censebantur, veluti caput, ac cæterarum princeps habebatur.* Ita *Ughellius*, compendio præcipua huius urbis decora, & encomia eleganter referens [2]. Hinc igitur *metropolis Picentinorum* audit, & pleniùs ab eodem Ughellio, *Picentinorum* ducatusque *Amalphitani* metropolis [3]: item à Freccia, *metropolis antistes agri Picentini oppidorumque quæ in ora consistunt maritima* [4]. Ab aeris autem, & soli clementia *Delicioſa* appellatur [5]: ab opulentia, & divitiis, *Dives opum* [6], nec non, *urbs Lautissima* [7]: ab egregiis ædificiis, *valde Pulchra*, seù *Bella* [8]: à civium frequentia, *Populosa* [9]: à mercatura, & commerciis *Celebris*, ut & *Clara, ac Nobilis* [10]: à religione, maximè ob institutionem ordinis *Joannitarum*, hoc est *Melitensis, Celebris, ac Pia Gens* [11]. Denique ab origine, & natalibus Romanis *Nobilissima* [12]: immò verò passim, quasi proprio epitheto, *Nobilis* prædicatur.

CAPUT XLI.

Nulla tamen re magis inclyti Amalphitani *quam mercatura.*

UT autem jam dicta invidendam reddant *Amalphitani* ducatus fœlicitatem, nulla tamen alia re magis excellere, atque inclarescere visi sunt, quam mercatura. Hanc longè latèque per totum mare mediterraneum, & regiones adjacentes exercebant. Testis est *Sicilia*, testis est *Africa*, testes sunt *Syria*, *Arabia* ipsaque *India*, quas mercando peragrarunt, & in quibus sedes fixerunt, habueruntque institores suos, & horrea, atque alia mercium conditoria [13].

ALtrumque splendido testimonio confirmat gravissimus hac in parte scriptor, & qui, ex vicino tractu ortus, æmulationis potiùs, ac simultatis, quam adulationis suspectus esse poterat. canit nimirùm *Gulielmus Apuliensis* de *Amalphi* [14]:

Urbs hæc dives opum, populoque referta videtur.
Nulla magis locuples argento, vestibus, auro:
Partibus (a) *innumeris: Hac plurimus urbe moratur*
Nauta, maris cælique vias aperire peritus.
Huc, & Alexandri diversa feruntur ab urbe
Regis, & Antiochi. Gens hæc freta plurima transit.
His Arabes, Indi, Siculi nascuntur, & Afri.
Hæc gens est totum propè nobilitata per orbem:
Et mercando ferens, & amans mercata referre.

Ad hæc Tabula *Amalphitana* ipsi *Neapoli*, antiquissimæ celeberrimæque civitati, in rebus maritimis erat vice legum *Rhodiarum* [15]. Eodem denique pertinet honorificentissimum diploma *Neapolitanum* in gratiam *Amalphitanorum* per occasionem mercaturæ [16].

CAPVT XLII.

Per eam ordo Melitensis *institutus, inventus Codex* Pandectarum, *ut & usus* Pyxidis nauticæ. *hæc autem præ aliis præcipua habent.*

TAndem mercaturæ maritimæ, & navigationi *Amalphitanorum* accepta, ni fallor, ferenda sunt tria prorsùs illustria, & magnifica, de quibus jure meritò cum *Veneta* aliisque clarissimis rebuspublicis, quin & ipsis cum regnis contendit *Amalphis*, institutio puta Ordinis Melitensis, conservatio præcipuæ partis Jurisprudentiæ Romanæ, & inventio Pyxidis nauticæ. Per commercia in *Ægypto* fundamenta jecerunt antiquissimi nobilissimique Ordinis militaris. Commerciorum procul dubio, & navigationis occasione. *Constantinopoli* reportaverunt, ut constans est opinio, pretiosum illud Justitiæ κειμήλιον, quo nunc propemodum tota quam latè patet Europa pro fundamento Juris utitur, archetypum, dico Pandectarum, quod hodiè Florentinum appellari mos est. Denique peritia navigandi, quam sibi incredibilem jugi aliquot sæculorum exercitatione paraverant, & ingenio quo pollebant singulari, invenerunt usum Magnetis ad dirigendum cursum per incerta maris. Quis ergo inficiabitur, quin in his supra varios populos sine invidia sese efferat, exsultet ac glorietur *Amalphitana* respublica?

HEN-

1. Sic v. gr. Paul. Jovius *Histor. lib.* XXV. in fin. urbem hanc *citriorum & medicorum odoratis nemoribus* æquè peramœnam dicit, addi quoque possunt Boccaccio in *Decamer. IV. giorn.* 2. & Fr. Ant. Purpura *in vita Jacobi Galli Amalphitani.*
2. Vghellius loco jam sæpius allato.
3. Idem ibidem.
4. Marinus Freccia *De feudis pag.* 80.
5. Scip. Mazzella *Descritt. del regno di Napoli, parte* II. *pag.* 63. ad fin.
6. Guliel. Apuliensis *de Normannis lib.* II.
7. Joan. Blau *Geographiæ Italiæ. Principatus citerior olim Picentia.*
8. F. Leandro Alberti *Descritt. d'Italia pag.* 195.
9. Gulielm. Apulien. d. *lib.* II.
10. Ferdin. Vghellius loco laud.
11. Henr. Pantaleo *De reb. gestis Joannit. lib.* I.
12. Marinus Freccia *De feudis, d. pag.* 80.
13. Vide *cap.* XXXIV.
14. Guliel. Apulien. *lib.* III. *Rer. Normannic.* vide & Scip. Mazzel. *Descript. Neap. par.* II. *pag.* 63.
(a) Forte legendum, *Portulus.*
15. Supra *cap.* XVIII.
16. Adi *cap. seq.* XIX.

Digitized by Google

HENRICI BRENCMANNI DE AMALPHI A PISANIS DIREPTA DISSERTATIO.

CAPVT I.

Italia *à variis Barbaris occupata. Ad pellendos ex* Italia Saracenos Normanni *à* Græcis *arcessiti : in his* Tancredus *cum* XII. *filiis*.

IMperio *Byzantium* translato *Italia*, aliæque occidentales regiones sensim incursionibus occupationibusque barbararum gentium expositæ fuere. Ità *Italiam Gothi*, *Hunni*, *Vandali*, *Longobardi*, *Saraceni*, *Normanni*, qui & ipsi origine *Gothi*, invaserunt. *Gothorum* terribile nomen sub *Justiniano* in *Italia* extinctum est. *Carolus* autem *Magnus* regnum *Longobardorum* cum per CC, & amplius annos stetisset, evertit. Tandem circa annum M. ad pellendos *Saracenos* arcessiti à *Græcis* ex *Gallia Normanni*. In his eminebat *Tancredus* Comes *Altavillæ* in *Normannia*, ex genere natus *Rollonis*, piratæ fortissimi, qui *Nortmannos*, hoc est, Boreales viros, in *Galliam* duxerat tempore *Ludovici II.* [1]. Porrò *Tancredus* duodecim filiorum proventu felix extitit, qui omnes militari scientia insignes fuere : hi autem stipendia facientes sub *Græcis*, juncto cum iisdem exercitu, *Saracenos Sicilia* expulerunt : at mox *Græco* Imperatori, pactam priùs insulæ partem neganti, *Apuliam*, *Calabriam*, *Siciliamque* eripiunt. Tenuerunt autem *Normanni* fratres eorumque posteri, Comitatus primò, subinde Ducatus, ac demum Regni titulo per annos CLXXXIV.

CAPUT II.

Successio filiorum Tancredi, *& fatum* AMALPHEOS *sub iisdem*.

EX his fratribus *Gulielmo* natu maximo ob res strenuè gestas *Ferrei brachii* cognomen adhæsit, primusque *Apuliæ* Dux fuit. *Hunefridus* post duos fratres ordine tertius Dux erat. Huic verò *Robertus*, *Tancredi* ex altera uxore primus filius, qui ob versutiam *Guiscardus* à suis appellatus est, cum ejus filium dejecisset, successit idem ille, qui *Amalphitanos* specie auxilii ferendi adversus *Gisulfum Salernitanorum* principem, affinem suum, fraudulentèr sibi subjecit. Quare etiam paulò post à *Guiscardo* descriverunt *Amalphitani* : sed tandem armis ejus succubuere. Sic igitur *Amalphis*, una cum *Surrento* devenit ad *Roberti Guiscardi* filium *Guidonem*, eoque brevi mortuo, ad *Rogerium* fratrem *Guidonis*, *Apuliæ*, ac *Calabriæ* Ducem, eundemque *Salerni* Principem : a quo tamen se subtraxit ; sed & armis, ut antè, subjecta fuit. Latiùs ea exsequti sumus Dissertatione præcedente. *Rogerius* interea, cognomine *Bossus*, ut supremus è *Tancredi* filius erat, ità etiam ultimus in *Apuliam* venit, & ope fratris sui *Roberti Guiscardi Calabriam* primùm, cujus ab eo partem obtinuit, dein *Siciliam*, devictis *Saracenis* subjugavit [2]. Idem porrò à *Guiscardo Siciliam*, quam simul acquisierant, solus accepit possidendam. Primus ergo hic post expulsos *Saracenos Siciliæ* Comes evasit. Ex *Roberto* autem *Guiscardo*, & *Rogerio Bosso* fratribus stirps Principum *Normannorum* in *Italia* propagata est [3]. Cæterum à *Rogerio Bosso* proximè descendit *Rogerius* alter, primus deindè *Siciliæ* Rex.

1. Camillus Pellegrinus, *Histor. princip. Longobard. part.* I.
2. Camillus Pellegrinus loco laud.
3. Leibnizius ad *Gulielmi Apulienſ. Normannic. lib.* I.

I. Hu-

Digitized by Google

CAPUT III.

Rogerius, Tancredi *nepos*, *Comes* Siciliæ, *ejus indoles*.

HIc nempe *Rogerius*, *Rogerii Bossi* è secunda uxore filius, *Tancredi* nepos, initio *Siciliam*, ac partem *Calabriæ* jure successionis obtinuit [1]: deindè verò, prima quaque occasione arrepta, totam *Calabriam* & *Apuliam* vicinasque ditiones, qua fraude, qua virtute & armis sibi subjecit. Quum autem præcipuam, & frequentem in hac historia personam sustinebit, non abs re erit, eum aliquanto propiùs cognovisse. Erat ille homo fortis, & animosus, cujus infinita dominandi cupido omnia miscebat, &, vel ipsa consanguinitatis jura violabat regnandi causa. Nihil non agebat vi, clàm, precario, ut desideratis potiretur. Quæ armis non valebat, pecunia, fraude, dissensione tentabat, & quovis pacto socios dividere conabatur, quo singulis faciliùs imperaret. Neque verò solum magni animi, & consilii erat, callidusque bellandi artifex, verùm etiam velox, & promptus, qui noverat uti victoria. Subindè etiam crudelis, ferro & igne, cæde, ac vastatione terrorem quaquaversum incutiebat: maximè inexorabilis, si qui ab eo defeciissent. Sed quibus artibus jam statim ad potentiam grassatus fuerit, patefaciet historia, quæ ad rem præsentem facit.

CAPUT IV.

Quemadmodum Rogerius Apuliam & Calabriam *cognato absenti per vim abstulerit.*

RObertus Guiscardus, de quo dixi, *Rogerii* illius patruus, plures habebat filios, inque his *Boemundum*, qui antea *Macedoniæ*, mox primus *Tarentinorum* Princeps fuit [2], & ex eltera uxore *Rogerium*. *Rogerius* conventionem iniit cum fratre *Boemundo*, quando is nomen dabat sacræ expeditioni in *Hierosolymam*, in qua & *Antiochiæ* principatum deinceps adeptus est: hoc pacto convento *Apuliæ* & *Calabriæ* ducatum principatumque *Salerni* testamento sibi à patre assignatos retinuit, & fidelitate *Urbano* II. præstita, confirmationem paternæ successionis ab eo impetravit [3]. Idem *Rogerius* ex *Hara*, filia *Roberti Frisonis*, Comitis *Flandriæ*, suscepit *Guilielmum* [4], qui patre mortuo, eidem *Apuliæ* Dux fuit, ut & *Calabriæ*, quam cum agnato, *Rogerio* nostro *Siciliæ* comite, velut communem habebat. Desponsa erat *Guilelmo Græci* Imperatoris *Alexii Comneni* filia: eam ut duceret *Byzantium* profecturus, cum satis perspectam haberet indolem, & rapacem cognati indolem, ut primo ducatum suum summo Pontifici *Calixto* II. in clientelam, & fidem commendat. Sed postquam ille *Constantinopolim* navigasset, *Rogerius Calabriam*, & *Apuliam* armis sibi vindicare aggreditur: quo belli prætextu, incertum: fortè ei suspecta fuit affinitas isthæc cum Imperatore: aut potiùs arripere voluit hanc aliena invadendi occasionem. *Calixtus* autem *Beneventum* profectus, misit ad *Rogerium*, uti bello abstineret. At *Rogerius* neque Pontificis auctoritatem reveritus, neque absentis arctam necessitudinem, ferociùs quam antèa instituit. Parabat jam Pontifex arma in *Rogerium*, sed gravi morbo implicitus *Romam* deferri se curat: restituta valetudine non multò tamen post moritur, anno æræ Christianæ MCXXIV. ad finem. Suffectus ei *Honorius* II. non minùs quàm decessor odio in *Rogerium* exarsit. Sed bellum *Apulum* suarum non esse virium ratus, & ab *Apuliæ* proceribus, qui eum excitarant destitutus, pacem cum *Rogerio* pepigit. Præterea etiam metuebat, ne absente *Romani* motus aliquos excitarent. Sic nullo adversante *Calabria*, & *Apulia* brevi potitur *Rogerius*. Quamobrem noluit Imperator filiam dare fortunis orbato, & egeno Principi. Ità miser, & infelix *Guilelmus* affinitate frustratus, spoliatusque rebus omnibus *Salernum* se confert ad Principem affinem, ubi intra breve spatium mœrore confectus obiit: in eoque exstincta est familia *Roberti Guiscardi* [5]. Itaque ab anno MCXXVII. quo decessit *Guilelmus*, Ducis *Apuliæ* & *Calabriæ* titulum adsciv̀it *Rogerius* [6].

CAPUT V.

Rogerius *se Regem* Siciliæ *facit*.

EX quo tempore elatior *Rogerii* animus ad regiam dignitatem adspirare cœpit. Notanda autem hac de re sunt verba *Hugonis Falcandi*, scriptoris propè æqualis, *Postmodum vero consanguinei sui Guilielmi Ducis Apu-*

1. Hugo Falcandus *De Siciliæ calamitatib. init.* Petri Diacon. in *continuat. Chronici Casinens. lib.* IV. *cap.* 98.

2. Joh. Juvenis *De varia Tarentinor. fortuna lib.* VII. *cap.* 3. De filiis Roberti Guiscardi, & eorum successione distinctè agit Nic. Parthen. Giannettas. *Histor. Neapol. dec.* I. *lib.* X. *pag.* 228.

3. Pandolfo Collennuccio *Compendio delle historie del regno di Napoli lib.* III. Confer Dissertationis præced. Cap. XII. versus fin. & seq.

4. Collennuccio ibid.

5. Alexander Abbas Celesin. *De reb. gest. Rogerii Siciliæ reg. lib.* I. Falco Beneventanus in *Chron. ad an.* 1127. in fin. & 1128. Anonymi Casinens. *Chron. ad an.* 1127. Petr. Diacon. *in continuat. Chronici Casin.* quod Leonem Ostiens. auctorem habet *lib.* IV. *cap.* 96. Bapt. Platina *De vitis Pontif. in Calisto* II. Ptolem. *Lucensis Genealogiæ ad an.* 1126. Blondus Flavius *Historiar. Dec.* II. *lib.* V. Thomas Fazellus *De reb. Sicul. dec. poster. lib.* VII. *cap.* 3. M. Anto. Coccius Sabell. *Enneade* IX. *lib.* IV. Cronica del Guazzo, *Guillelmo, e Ruggiero Normanni pag.* 206. Felinus Sandeus *Epitome regum Sicil. & Apul. cap.* 8.

6. Camill. Pellegrinus *Histor. princip. Longobard. parte* I.

I. Hugo

Apuliæ morte cognita transiens in Apuliam, postquam, universis Civitatibus, ac Principibus, qui ei resistendum putaverant expugnatis, ad suum cuncta redegit imperium, tandem ducatum suscepit Apuliæ, minusque ratus idoneum tantam, ac tam latè diffusam potentiam indignitate nominis coarctari, Regem se maluit appellari quam Ducem, exindeque Siciliam regnum esse constituit. Itaque idib. Maji anni MCXXIX. perquam solemniter *Panormi* in Regem *Siciliæ* (a) ungitur & coronatur. Coronationi interfuerunt non solùm *Siciliæ*, sed

1. Hugo Falcand. *De Sicilia calamitatib.* initio. Vixit autem circa ann. MCC.

(a) An simpliciter, an verò utriusque Siciliæ? præterea, an & Italiæ? Valde hæc incerta sunt ob diversa auctorum testimonia, quin etiam ob diplomatum ipsorum discrimen. Nonnulli distinguunt inter hoc tempus, quo ipse sibi regium titulum imposuit, & illud, quo ab Anacleto in regia dignitate confirmatus est, quod accidit anno sequenti. Flavius Blondus *Historiar. decade* II. *lib.* V. refert, Rogerium ex Comite Siciliæ se *regem Italiæ* appellavisse. Consentit Chronicon Pisanum, quod desinit in ann. MCXXXVI. eâque apud Ughellum *in Italia sacra tom.* III. *pag.* 858. At Summonte *dell'istorie di Napoli lib.* II. Blondum refutat ex Hugone Falcando, qui tradit eum *Siciliæ regnum* constituisse. Sed & Sigonius narrat, ipsum se *Regem Siciliæ* nuncupasse, *De regno Italiæ lib.* XI. Fazellus autem *De reb. Siculis lib.* VII. *cap.* 3. vult Rogerium à suis *Regem tum Italiæ tum Siciliæ* salutatum. Regum Neapolitanorum vitæ & effigies ab anonymo conscriptæ sunt: de Rogerio Normanno ait is auctor. *Victoriarum successibus elatus* REGEM *se* ITALIÆ *nominavit: quo tamen titulo ultra* VIII. *Kal. Augusti anni* MCXXXI. *ei gaudere non licuit, quod ab Anacleto Pontifice* UTRIUSQUE SICILIÆ, *cis & ultra fretum*, REX *appellaretur*. Platina quoque *De vitis Pontificum in Innocentio* II. UTRIUSQUE SICILIÆ REGEM ab Anacleto creatum dicit. Neque aliter Blondus, quem supra adduxi: *Sicque*, inquit, *factum est* (per Anacletum), *ut Rogerius omnium Normannorum primus absurdo* VTRIVSQUE SICILIÆ REGNI *titulo sit abusus, qui omnem terram de Italia complecteretur, quam nunc quoque* REGNVM SICILIÆ *appellamus*. Præterea apud Onuphr. Panvinum est laterculus inscriptus, *Utriusque Siciliæ Reges*: atque ibi agmen ducit *Rogerius Rogerii F. Tancredi N. ab Anacleto* II. *creatus, regnavit annos* XXII. *menses* V. Atqui hic rursus dissentit Summonte *lib.* I. opponens Blondo auctoritatem memorati Falcandi, ut & Petri Diaconi, ac si nimirum simpliciter *Siciliæ* titulum Rogerio concessisset Anacletus, advocato in probationem privilegio anni MCXXX. literis Longobardicis conscripto, ubi legitur, ROGERIVS D. G. SICILIÆ REX. CHRISTIANORVM ADJVTOR, ET CLYPEVS. ROGERII PRIMI COMITIS HERES, ET FILIVS. Sanè solius *Siciliæ* meminerunt etiam Falco Beneventanus in *Chron. ad ann.* MCXXX. apud Caraccìolum, Ordericus Vitalis *Eccles. hist. lib.* XIII. apud Andr. du Chesne inter Historiæ Normannorum scriptores antiquos, Francesco Capecelatro *Historia del regno di Napoli lib.* I. plures alii. Immò verò Anto. Pagius in *Criticis ad Baronii Annales an.* MCXXX. profert diplomata ab Ughello in Archiepiscopis Salernitanis, Brundusinis & Beneventanis relata, & data annis MCXXXIII. & & MCXXXVII. hoc initio, EGO ROGERIVS D. G. SICILIÆ, ET ITALIÆ REX. CHRISTIANORVM ADJVTOR ET CLYPEVS. ROGERII I. COMITIS FILIVS. Sed & ipse Falco Beneventanus in *Chron. ad an.* MCXXXVII. privilegium Beneventanis concessum exhibet, quod ab his verbis incipit: EGO ROGERIVS DEI GRATIA SICILIÆ ITALIÆ REX CHRISTIANORVM &c. Verùm non videtur in his Rogerius perpetua, & constanti formula usus. Mabillon. in *Itinerar. Italiæ pag.* 118. fixit bullam auream pendentem è diplomate Rogerii Siciliæ Regis, cum inscriptione Græca, Ρογέριος ἐν χῶ τῶ Θῶ ἐυσεβὴς χριστιανὸς Ρὴξ καὶ τῶν χριστιανῶν βοηθὸς. Rursus in *Cronica de la milicia y sagrada religiòn* de San. Ivan Bautista de Jerusalem por fray Don Ivan Augustin Funes, *lib.* I. *ad an.* MCXXXI. laudatur *un privilegio de Rugiero Rey de Sicilia Duque de Pulla, y Principe de Capua, dado en Palermo anno* MCXXXVII. posteà enim, & Capuam sibi subjecit. Octavius Beltranus in brevi *descrizione regni Neapolitani pag.* 71. ait Rogerium se ab initio nominasse *Regem Siciliæ, Apuliæ & Calabriæ*, ejulque tituli investituram ab Anacleto habuisse. Probabiliùs tamen Paul. Æmilius Veronensis in *Historia rer. Franciæ lib.* V. ait, *Et il Conte de Sicilia --- s'accostò con Anacleto, e ne fu creato Re di Sicilia, al qual titolo fe anche soggetti terra di Brutii, Basilicata, Puglia, e Calavria*. Plenissimè verò Petrus Diaconus in continuatione *Chronici Casinens. lib.* IV. *cap.* 97. *Petrus autem Cardinalis*, h. e. Anacletus, *Rogerio Apuliæ coronam tribuens, & per privilegium Capuanum principatum, & Ducatum Neapolitanum cum Apulia, & Calabria, & Sicilia illi confirmans, Regemque constituens, ad se attraxit per privilegium* inquit: videlicet in futurum: nam quod de Capoa dicit, ac Neapoli eo tempore præmaturum erat. Quare minùs accuratè Sigonius *loco laud.* refert, Rogerium ab Anacleto renunciatum esse *Siciliæ Regem, Apuliæ, Calabriæque Ducem, Capuæque Principem*. Posteà nimirum Capuanorum Princeps evalit, longèque post magister militum Neapolitanus sive Dux, & omnem terram usque penè fines Anconitanæ urbis sibi subdidit, crâdente Camillo Pellegrino in Histor. princip. Longobardor. qui tandem addit: *Idem, cum sibi subegisset Ducatum Amalfiæ, Neapolis, & Cajetæ, Principatumque Barii, & depulso Principe Roberto* II. *anno* MCXXXV. *Principatum Capuæ, in quo instituit filium Anfusum, dici in publicis tabulis voluit*, REX SICILIÆ, DVCATVS APVLIÆ, ET PRINCIPATVS CAPVÆ: *quod etiam successores ejus diù servarunt*. A Regno autem Siciliæ separati deindè sunt Ducatus Apuliæ, & Calabriæ, qui Regni Neapolitani nomine venire cœperunt. Denique cum posteà Tuneti Regem in Africa ve-

sed etiam *Neapolitani* proceres ac præsules, aliique Principes vicini [1]. Coronam imposuit *Robertus*, *Capuæ* Princeps [2], qui paulò antè *Rogerio*, *Apuliam* occupanti, *hominium fecisse* dicitur [3], hoc est, vasalli fidem, & obsequium præstitisse. Erat ille itidem *Normannus*, sed diverso stemmate genitus [4], quin, & is conspicuam hujus dissertationis partem facturus est.

CAPUT VI.

Rogerius *occupat ducatum AMALPHITANUM*. Neapolis *se* Rogerio *submittit*.

Rogerius porrò, arridentis fortunæ ludibrio insolens, victrices copias statim à coronatione *Amalphim* versus movebat. Mortuo *Gulielmo* ad exemplum *Salernitanorum* *Rogerio* sese subjecerant *Amalphitani*, retentis munitionibus. At verò nimis adhuc potentes erant, & *Rogerio* imprimis metuendi, si fortè quandoque adversariis ejus se jungerent. Quare nihil ei priùs, aut antiquiùs erat, quam ut hoc se metu liberaret. Belli causam accipe. Rogabat impensè *Rogerius*, ut *Amalphitani* omnes suas munitiones sibi custodiendas traderent: neque enim permissurum sese, ut ulteriùs ipsi eas custodirent. *Amalphitani* verò vehementèr repugnabant: hinc igitor bellum à *Rogerio* indicitur. Tradit hoc ipsum *Alexander* Abbas *Celesinus* scriptor συγχρόνος, & qui eo ampliùs erat partium *Rogerianarum* [5]. Mox itaque totis viribus terra marique *Amalphitanorum* agros aggreditur *Rogerius*: nam incepti difficultatem satis animo præcipiens circumspectè omnia, & summo nisu studioque peragebat. Tandem captis undique arcibus & oppidis, ipsam *Amalphin* obsidione cingit, & ad deditionem adigit, mense Januario, aut Februario anni MCXXX. [6] Ità integro ducatu potitur. Sed actum non agemus, cum plenè hæc, & ex professo tradita sint dissertatione præced. cap. XIV. & XV. Subjecta *Amalphi Salernum* victor revertitur. Tunc autem perterritus *Sergius* civitatem *Neapolitanam*, cujus Magister militum, sive Dux erat, *Rogerio* submisit [7]. Paruerat ea hucusque *Græco* Imperatori [8]: sed *Græci* intestinis dissensionibus digladiantes, parum curabant hanc remotiorem imperii portionem.

CAPUT VII.

Schisma creatis duobus Pontificibus Innocentio II. & Anacleto II. Innocentius *ad PISANOS confugit*.

Cæterum si, quæ hactenus retuli tempora, *Rogerio*, perquam favorabilia fuerunt, non habuit sanè, de quo insecutis quæreretur: etenim ambitiosis ejus conatibus plurimum favit schisma, quod hoc tempore natum fuit, & per integros septem annos Ecclesiam miserè quassavit. Postridiè mortis *Honorii* II. quæ incidit in XIII. Kal. Martias anni MCXXX., pro uno gemini Pontifices subjecti: alter *Gregorius*, *Joannis Vidonis* filius, qui nomen *Innocentii* II. adscivit, alter autem *Petrus*, filius *Petri Leonis*, isque *Anacletus* dictus est, ejus nominis itidem II. 9. Uterque civis *Romanus* erat, sed *Anacletus* quidem ex nobilissima stirpe, quæ affinitate, atque opibus pollebat, *Innocentius* verò ex familia *Transtiberina*, cui nulla generis claritudo. Ad hæc *Anacletus* plurimos largitione corrupisse fertur, & venalem plebem in *Innocentium* rivalem suum armasse, coacta eam in rem è spoliis Ecclesiarum ingenti pecunia. Quapropter cum *Innocentius* plerisque contemptui esset, seque viribus imparem animadverteret, tota civitate *Anacleto* adhærente, tandem sibi urbe cedendum deprehendit Populus enim probris, quin & manu telisque, eum ejusque fautores incessabat [10]. Proindè orat *Pisanos*, ut paratis occultè navigiis ipsum vellent arcessere. *Innocen-*

Regalem fecisset Rogerius, suo in ense hunc titulum incidi curavit,

APVLVS ET CALABER, SICVLVS MIHI SERVIT ET AFER.

Sic post alios tradit Nico: Parthenius Giannettasius *Histor. Neapol. lib.* XI. in fine. Hæc mihi digna sunt visa, quæ paulò explicatiùs indicarentur.

1. Thomas Fazellus *De reb. Sicul. decade poster. lib.* VII. *cap.* 3. Gio. Anto. Summonte *Della Città, e Regno di Napoli lib.* 4.

2. Franc. Capecelatro *Histor. del Regno di Napoli lib.* I. Refert idem Falco Beneventan. ad *an.* 1130. sed hanc cum proxime insecuta inauguratione per Anacletum confundit.

3. Anonymi Casinens. *Chron. ad an.* 1128 Abbas Celesinus *De reb. gest. Rogerii regis Sicil. lib.* I. in fine.

4. Camill. Pellegrinus *Histor. princip. Longobard. post partem* I. ubi habet duo stemmata Principum Normannor.

5. Abbas Celesin. *De reb. gest. Rogerii lib.* II. initio. Adde Franc. Capecelatro *Historia del Regno di Napoli lib.* I.

6. Camill. Pellegrini *castigationes in anonymi Casinensis Chron. num.* 4. editæ post *Histor. princip. Longobard. parte* II.

7. Abbas Celesin. *De gestis Rogerii. lib.* II.

8. Thomas Fazellus *De reb. Siculis lib.* VII. *cap.* 3.

9. *De schismate orto post* Honorium II. peculiarem tractatum conscripsit Arnulphus Sagiensis archidiac. & mox Episc. Luxoviensis, qui tunc floruit: adde Otton. Friling. *lib.* VII. *cap.* 18. Petr. Diacon. in *contin. Chron. Casinens. lib.* IV. *cap.* 97. *Annal. Bojor. lib.* VI. *pag.* 494. Vincent. Burgund. *specul. Historiale lib.* XXVIII. *cap.* 6. Sigon. *De regno Ital. lib.* XI. & quos porrò laudat Franc. Pagius in *Breviar. Pontif. Roman. tom.* II. in *Innocent.* & *Anacl.*

10. Otto Friling. & Sigon. *loc. laud.* Martinus Polonus in *Chron.* Ordericus Vitalis *Eccles. hist. lib.* XIII. Platina *De vitis Pontif. in Innoc.* II. aliique.

1. Ra-

Digitized by Google

centium Pisanis commendaverat Divus *Bernardus*, Abbas *Claravallensis*, cujus magna apud eos auctoritas erat, quique *Innocentii* partes jam statim erat amplexus. *Bernardo* intercedente, *Pisani*, qui vel sic admodum humani, & hospitales fuere in Pontifices [1], *Innocentii* precibus obtemperant [2]. Itaque cum exiguo comitatu *Roma* se clanculum subducit *Innocentius*, & duabus *Pisanorum* triremibus *Pisas* deducitur [3]. Hoc pacto *Pisani* partibus *Innocentii* impliciti sunt.

CAPUT VIII.

Pisis in Galliam *proficiscitur, favente* Bernardo *Abbate* Claravallensi. *In itinere injurias pangit inter* PISANOS *&* Genuenses.

POstquam *Innocentius Pisas* appulit, confestim legatos misit in *Franciam*, qui Regem (is tum erat *Ludovicus Grassus*) sibi conciliarent. Nulla ætas vidit tot Pontifices exterorum fidei sese commendantes, maximè *Gallorum*, uni huic *Ludovico* tutandos se commisere *Urbanus*, *Paschalis*, *Gelasius*, *Calixtus* (qui natione *Gallus* erat, & ibi Papa factus) tandemque & noster *Innocentius*. *Ludovicus* autem & Episcopi *Stampis* concilium habuere, in quo utriusque Pontificis causa discussa est. *Bernardo* verò, maximæ tùm propter creditam sanctitatem auctoritatis homine, pro *Innocentio* gravitèr & copiosè dicente, haud ægrè omnes *Innocentio* subscripsere, quæ cum intellexisset Innocentius, profectionem in *Gallias* parat [4]. Interea autem *Anacletum* cum suis sacra detestatione percusserat [5]. Ex itinere cum *Genuam* attigisset, *Syrum*, urbis episcopum recens factum, consecravit, seque tantopere in *Genuenses* insinuavit amicitiam, ut inter eos & *Pisanos*, ex aliquo tempore belligerantes, inducias pangeret usque ad suam reversionem [6], nisi enim hos componeret à neutris magnum rebus suis subsidium sperare poterat. Quo ipso & *Pisanos* majorem in modum demerebatur, quippè qui hoc bello inferiores erant, acceptæ præterito anno insigni clade. Sic porrò *Genua* in *Galliam* perrexit.

CAPUT IX.

Anacletus Rogerium *sibi adiungit, confirmato ei* Siciliæ *regno. Præterea sollicitat* Lotharium Germaniæ *&* Ludovicum Grassum Franciæ *reges, aliosque Principes.*

ANacletus interim, per fugam adversarii solus in Vrbe, ad nutum omnia gubernabat. Et primò quidem in *Innocentium*, à quo ipse cum suis jam diris carminibus devotus erat, vicissim anathemata vibrare instituit. Tum verò ad suam quoque causam amicos, quamplurimos potuit, allicere [7]. Verum ante omnia ad *Rogerium* sese applicuit, quem nundinatione Regiæ dignitatis sibi devinxit, à decessore ei denegatæ. Hanc ergo optatissimam occasionem arripiens, ipse *Beneventum* proficiscitur, & *Rogerium* v. kal. Octobr. hujus ejusdem anni MCXXX. *Siciliæ* regem, *Apuliæ Calabriæque* ducem, *Capuæque* in futurum (*a*) principem renunciat [8]. Ope autem *Rogerii* magnam *Italiæ* partem secum sociavit [9]. Præterea epistolam miserat ad *Lotharium* regem *Germaniæ*; cumque responsum nullum tulisset, novam scripsit, itemque aliam ad reginam ejus uxorem. Nec prætermisit alios Principes boreales non literis solùm, sed & legationibus ad auxilium invitare. Quin & *Galliæ* regem sollicitavit, misso legato cum literis perquam officiosis [10]. Sed relicto aliquantùm *Anacleto*, peregrinantem in *Gallis* & *Germania* *Innocentium* comitemur.

CAPUT X.

Iter Innocentii Gallicanum, *invenit ibi regem* Angliæ, *à quo frustrà opem postulat.*

IS ubi in *Franciam* venit, ab *Arelatensibus* primùm, deindè etiam ab occiduis principibus & episcopis ipsoque rege comitèr & honorificè receptus est [11], nisi tamen quod episcopus *Engolismensis*, & illius instinctu *Aquitaniæ* quoque dux, alieniore in eum animo essent, ac proindè *Anacleto* addicti [12]. Ad *Ber-*

nar-

---

1. Raphael Volaterran. *lib.* v. *Geograph.*

2. *Istorietta di Pisa* dal suo princ. fino ad *an.* 1341. MS. bibliothecæ Strozzianæ, quæ Florentiæ est, in *fol. num.* 193. *Historia di Pisa* di Rinieri Sardo fino *all' an.* 1422. MS. ejusd. biblioth. itidem in *fol. num.* 199. Paolo Tronci *Memorie istoriche di Pisa, an.* 1130.

3. Petr. Diacon. *Chronici Casin. d. lib.* IV. *cap.* 97. Flav. Blond. *Historiar. decade II. lib.* V. Sigon. *d. lib.* XI.

4. Paolo Emilio Veronese *Histor. delle cose di Francia lib.* V. Stor. di Giov. Villani *lib.* IV. *cap.* 33. Sigon. eodem loco.

5. Nicol. Patthen. Giannattas. *Histor. Neapolit. lib.* XI.

6. Sigon. *De regno Ital. lib.* XI. Tristanus Calchus *Histor. Mediolan. lib.* VII.

7. Sigonius loco memorato.

(*a*) Quid hoc sibi velit, dictum supra ad Cap. V. lit. A. versus fin.

8. Leo Ostiens. in *Chron. Casinens. lib.* III. *cap.* 15. Angelus de Nuce *in not. ad Petri Diaconi continuat. Chronici Casin. lib.* IV. *cap.* 97. Sigon. *ibid.*

9. Ordericus Vitalis *Histor. Ecclesiast. lib.* XIII. Andr. du Fresne inter Historiæ Normannor. scriptores antiquos.

10. Baronius in *Annalib. ad an.* 1130. ubi ex MSS. Casinensibus exhibet Anacleti recens creati epistolam ad Lotharium.

11. Order. Vitalis d. lo. Joan. Iperii *Chronic. S. Bertini cap.* 41. *parte* 5.

12. Occasionem refert Paul. Æmil. Veronens. *Rer. Franciæ lib.* V. addantur Pagii Critica in *Baron. an.* 1130. *num.* 43.

1. Wer-

nardum verò *Clarevallensem* quod attinet, is certè flagrantissima cupiditate *Innocentium* complectabatur [1]. Celebratum protinùs in *Claromonte* concilium, in quo *Innocentius Rogerium Siculum & Petrum Leonem*, pontificium munus sub *Anacleti* nomine *Romæ* usurpantem, hostes Ecclesiæ declaravit, & palàm Christianis sacris interdixit [2]. Hujusmodi autem solennes detestationes, quod compendio dictum sit, omnibus sequentibus conciliis gnavitèr repetiit. *Claromonte* profecti *Innocentius & Bernardus*, qui individuus ei comes extitit, per *Burgundiam Aurelianum* venere. Ibi verò à Rege & episcopis, obviam progressis, exceptus est Pontifex, & prorsus benignè habitus [3]. Indè ab episcopo *Carnotensi Carnotum* adductus, ubi tum fortè fortuna aderat *Henricus* I. *Angliæ* rex, ab eo similitèr opem imploravit: at incassum [4], quin immò præmissus Abbas *Bernardus* vix regi persuasit, ut *Innocentium* reciperet, dissuadentibus *Angliæ* episcopis [5]. Memorabilis autem hic fuit *Bernardi* [illegible] qua Regem cunctantem ad colendum *Innocentium* coram episcopis *Anglis* impulit. *Quid hæsitas? inquit, an, ne Deo displiceas, & piaculum contrahas? cogita de aliis peccatis tuis quid ei respondeas, illud verò fac mihi relinquas*, ita refert *Sigonius*. Sed, ut dixi, congressio irrita fuit.

CAPVT XI.

In Germaniam *deflectens fœdus init cum* Lothario, *submota per* Bernardum *difficultate de investituris Imperio restituendis*. Innocentii *&* Lotharii *in pari conditione dispar fortuna*.

MAgis benevolè cum *Innocentio* agebat *Franciæ* rex, sed tamen nihil concludebat, statuebatve. Vt autem & *Lotharium* rebus suis faventem haberet, legatum interea in *Germaniam* miserat. Reversus legatus jubet *Innocentium* bono animo esse: regem *Germaniæ* propitium præstoque illi ad *Leodium* fore [6]. Itaque per *Lotharingiam* deflectit *Innocentius* & XI. kal. April. anni MCXXXI. eo venit [7]. Eodem quoque *Lotharius* cum proceribus suis tàm sacris quàm profanis ad constitutum occurrit. Habitus itaque ibi est conventus celeberrimus, in quo *Lotharius*, à potentiore *Germaniæ* parte pridem Rex declaratus, cum conjuge sua solennitèr diademare cinctus est. Tum verò *Innocentius*, percussis anathemate tam suis quam *Lotharii* adversariis, cum ad Ecclesiæ majorum exemplo tuendam dignitatem vehementèr exhortatus est. *Lotharius* se ipsi minimi defuturum respondit, modo ademptum nuper investituræ jus, quod magno Imperii dispendio remittere debuerat *Henricus*, restitueret. Qua voce gravitèr consternati sunt Pontificis & qui cum eo erant animi. At Bernardus *petitionem ejus iniquam atque alienam esse docere: neque ipsum petisse, sed extorsisse, tempore iniquioris fortunæ captato, judicaturos homines esse: oportere eum, ut genere, sic studio à Gebellinis differre* &c. Et hac oratione moderatum ac pium generosumque Principem à sententia dimovit [8]. In præmium autem navandæ operæ *Lothario* donata est terra, quam *Mathildis*, *Tusciæ* comitissa, sedi *Romanæ* reliquerat [9]. Promisit ergo *Lotharius*, *Innocentium* se cum exercitu *Romam* reducturum pulso *Anacleto*, ut tamen ille vicissim Augustalem coronam ipsi sponderet, istic de more imponendam [10]. Videlicet quemadmodum *Innocentius* de Pontificatu, ità *Lotharius* de Imperio decertabat. Ad geminam hanc contentionem respicit *Gothofredus Viterbiensis*, cum ait.

Schisma fuit regno, sunt & nova schismata Romæ. Par adeò hactenùs *Lotharii* & *Innocentii* conditio erat, sed impari fortuna, hic enim profugus, extorris, vagabundus, nullo præsidio nullaque potentia munitus: ille valido exercitu & insigni procerum caterva stipatus, adversarium habebat viribus & rerum successu longè inferiorem. Sed necesse omnium est, *Lotharii* quoque historiam hic brevitèr intexere.

CAPVT XII.

Historia Lotharii, *Electio ejus, & grave dissidium cum* Conrado *de successione in Imperium. Prospera* Conradi *in* Italiam *expeditio*.

IMperator *Henricus V*, factionis *Gibellinæ* mense Majo anni MCXXV. sine prole decesserat. Ad regnum adspiraruut quatuor *Germaniæ* optimates, *Fridericus* dux *Sueviæ*, *Conradus* fratre adjuvante, *Lotharius* dux *Saxonum*, *Leopoldus* marchio Orientalis, & *Carolus* comes *Flandriæ*. *Fridericus* & *Conradus* sanguinis jure proximi erant, sorôris quippe *Henrici V.* filii. Major tamen principum [1]

1. Wernerus Rolevvink in *Fasciculo tempor.*

2. Blond. *Historiar. dec. II. lib.* V. Tristanus Calchus *Histor. Mediolan.* d. *lib.* VII. Jov. Anto. Summonte *Delle città, e regno di Napoli lib.* I.

3. Car. Sigon. *De regno Ital. laud. lib.* XI.

4. Order. Vital. *lib.* XIII. Polidorus Virgilius *Histor. Angliæ lib.* XI. ad fin. Paul. Æmilius eod. *lib.* V. item Blond.

5. Sigonius in laud. *lib.* XI. Baron. *ad an.* 1130. *pag.* 211.

6. Chronicon Alberici monachi *Trium fontium*, *an.* 1130. Sigon. *lib.* aliquotiès *citato*.

7. Albericus d. lo. Christophori Brovveri *Annales Trevirenses lib.* XII.

8. Ottonis Frising. *Chronicon lib.* VII. *cap.* 18. Abbas Urspergens. *in Lothario*. Albericus *Trium fontium*, ibid. Ægidius monachus Cisterciens. in *Histor. Pontif.* Leodiens. *apud Pagium ad an.* 1131. Sigonius *lib.* XI. Brovverus d. lo.

9. Petr. Diaconus *in continuat. Chron. Casinens. lib.* IV. *cap.* 97. & ibi Ang. de Nuce.

10. Chronographus Mauriniacensis *ad ann.* 1131. Blondus & Sigonius locis citat.

1. Otto

gipum numerus in *Lotharium Saxonem* animos convertit. Is ergo menſe Auguſto inſequentis anni MCXXVI. Rex *Germaniæ* electus conſtituetuſque eſt. Animadvertens autem, maximè ſibi metuendum eſſe à genere & aſſeclis *Henrici*, per omnia eos deprimere inſtitit. Hinc gravis diſſenſio orta eſt, quæ *Lotharium* multos annos moleſtiſſimè habuit. *Fridericus* enim & *Conradus* fratres, *Sueviæ*, & *Franconiæ* duces, plurima adverſus eum machinati ſunt, varioſque ad defectionem induxerunt. *Lotharius* ex adverſo, auxilio *Saxonum* & neceſſitudine *Guelforum* ſe firmavit. Præter cæteros autem ſibi devinxit *Henricum*, *Bovariæ* ducem, data ei in matrimonium filia unica, ipſoque inſuper *Saxoniæ* ducatu in beneficium conceſſo. Præterea ad frangendos fratrum *Suevorum* impetus, Vaticani quoque fulmina adhibuit, effecit enim apud *Honorium*, ut anathemate percellerentur. Qua re illi magis irritati, copias quas poſſunt, contrahunt. Ad hæc *Conradus*, cedente *Friderico* fratre, contra *Lotharium* ſeſe Regem aſſerit. Exindè ab *Italis* invitatus *Mediolanum* penetrat, & *Modoetiæ*, ſede *Italici* regni, a *Mediolanenſium* archiepiſcopo in Regem ungitur. Quamobrem & ille antiſtes à ſummo Pontifice depoſitus eſt, & alius in ejus locum ſurrogatus. Tum autem novus rex *Conradus*, poſtquam *Lombardiæ* civitates ad ſe pleraſque traduxit, ſigna vertit *Romam* verſus, in itinere omnia ſibi ſubjiciens [1]. Interea moritur *Honorius*, atque ipſe tandem domum avocatur, ut infrà videbimus.

CAPUT XIII.

Reditus Innocentii *in* Galliam, *& mora ut Regem in partes ſuas pertraheret: ſed incaſſum. PISAS revertitur.*

INnocentius, ut ad eum redeamus, nondum exacto ſpatio bimeſtri, *Leodio* in *Franciam* regreditur. nunc ſaltem *Ludovicum* in ſuas partes pertracturus. Hoc ut efficeret, totum hunc annum impendit peragrandis *Galforum* regionibus, & hac ſpecie moras nectebat. Poſtquam igitur aliquamdiu *Pariſiis* ſubſtiterat, *Rotomagum* proficiſcitur, *Rotomago Bellovacum* & inde *Noviomum*. Qua tam diuturna commoratione ſua clero valde gravis fuit, adeo ut *Ordericus Vitalis*, monachus *Uticenſis*, conquœratur, Papam cum comitatu *immenſam gravedinem eccleſiis Galliarum ingeſſiſſe*. Inter hæc & monaſterium *Clarevallis* luſtravit. Deinde *Remis* frequentiſſimum concilium præſente Rege habitum eſt. Ibi verò inter alia VII. kal. Novembris *Ludovicum* juvenem, Regis filium, coronavit *Innocentius* [2]. Et ſanè cum ipſe, tum abbas *Claravallenſis* nihil reliqui fecere ad demerendam *Ludovici* gratiam & favorem. Fruſtrà tamen. Tam parum valuit *Bernardi* apud ſuum Regem auctoritas & facundia: de quo cæteroquin ſatis magnificè prædicat *Wernerus Rolevvink*, quod *omnes Reges & principes in manibus ſuis haberet, eoſque provocaret, ut reducerent dominum Papam ad ſedem ſuam* [3]. Videlicet pontificalium rixarum, ut reor, pertæſus (*a*) *Ludovicus*, neutrarum eſſe partium maluit, ut ſpectator eſſet, non actor fabulæ. Quapropter *Innocentius*, quando jam ſatis perſpectum habebat, regem *Franciæ* præter verba, ut hactenus dederat, nihil daturum, ſpe lactatus inani, diſceſſit. *Italiam* repetens, *Cluniacum* pervenit kal. Februar. anni MCXXXII. Porrò navibus *Genuenſium Genuam* reductus [4], de convertendis in pacem induciis egit. *Genua* terreſtri itinere *Placentiam* tetendit, atque ibi quoque adverſus rivalem ſynodum convocavit [5]. Ita tandem ad *Piſanos* reverſus eſt, præſtolaturus *Lotharium* cum exercitu, quamprimum ipſi commodum foret, interimque de pace inter *Piſanos* & *Genuenſes* ſedulò acturus [6]. Sed dum hiſce intentus *Innocentius* eſt, videamus quid rerum geratur à *Rogerio*, quidque interea actum fuerit.

CAPUT XIV.

Progreſſus Rogerii, *perfidia illius adverſus affinem* Rainulfum, Averſæ *comitem*, *prælio ſuperatur.*

FOvit imprimis *Rogerii* audaciam conſpiratio *Anacleti*, regium faſtigium eidem, ut dixi, confirmantis. Poſtquam autem *Anacletus Benevento Romam* receſſerat, ipſeque in *Siciliam* reverſus, proditione *Beneventum* ſui juris fecit. Dein *Brunduſium* obſeſſum ivit, expugnavitque. Eandem ſortem experta eſt proxima civitas *Barenſis*. Porrò, ut ſemper erat proferendi regni appetentiſſimus, conſilium iniit potiundi terris *Rainulfi*, affinis ſui, *Averſæ* & *Abellini* comitis. Hoc quo faciliùs ſimul & totius perficeret, comitem illum, ut & *Robertum Capuæ* principem, ſpecie legationis & auxilii *Anacleto* ferendi cum copiis ipſorum *Romam* amandat, atque ita *Abellinum* cum vicinis oppidulis invadit, præterea jactis diſcordiæ ſeminibus,

1. Otto Friſingenſ. *lib.* VII. *cap.* 17. Sigiberti *Chron.* Abbas Urſpergenſ. *in Lothario Saxone*. Gotfridi Viterbienſ. *Chron.* in eod. *Chronicoh* Alberti abbatis Stadenſis *ad an.* 1126. Dodechinus *in appendice ad Mariani Scoti Chron. ad an.* 1126. & 1127. Helmoldi *Chron. Slavor. lib.* I. *cap.* 55. *Aventini Annal. Bojor. lib.* VI. Æneas Sylvius *in Hiſtor. Friderici* III. Huldericus Muthius *in Chron. German. lib.* XVII. Conr. Sam. Schurzfleiſch *in oper. Hiſtorico polit. tract.* IXXII. adde Sigon. *De regno Italiæ lib.* XI. init.

2. Order. Vital. *Eccleſiaſt. hiſtor. lib.* XIII. *Chron.* S. Bertini d. *cap.* 41. *parte* 5. Sigon. laud. *lib.* XI. Pagii Critica in *Annal. Baronii ad an.* 1121. & 1132.

3. Rolevvink in *Faſcic. tempor.*

(*a*) Vide ſupra *cap.* VIII.

4. Ubert. Folieta *Hiſtor. Genuenſ. lib.* XI.

5. Blond. & Sigon. locis ſæpe laud. item Platina *in Innoc.*

6. Paolo Tronci *Memorie Iſtoriche di Piſa all an.* 1132. Folieta *d. lib.* I.

1. Fal-

sororem suam *Mahildam* à marito *Rainulfo* alienat, eique persuadet, ut cum filio in *Siciliam* secedat. Rediens & sua repetens *Rainulfus*, non est auditus, intercessit ipse *Anacletus*, at nequicquam. Quocirca *Rainulfus* præter *Robertum Capuanum*, *Sergium* quoque, magistrum militum *Neapolitanorum*, & alios in *Rogerium* instigat. Nec mora. Utrimque parant arma & propè *Beneventum* castramentantur. Ibi verò copiæ *Beneventanæ* à *Rogerio* discedunt, ac domum abeunt, nolentes eam litem suam facere. Hac re perculsus *Rogerius*, sua interesse credidit, pugnæ se subducere. Quare noctu clam recessit, trans *Sarnum* flumen, &, abrupto ponte, *Nuceriam*, quæ *Capuani* territorii erat, obsedit; seque istic valle obducto munivit. Sed insecutus brevi adversariorum exercitus renitentem ad conferendum manus compulit. Aliquandiù ancipiti Marte pugnatum est, non sine insigni strage utrorumque, donèc tandem *Rogerii* acies ad fugam inclinaret, ipse autem, suis palantibus, *Salernum* fugit. At non ita diù post, accidit autem id prælium VIII. kal. Augusti anno MCXXXII, collectis copiis *Benevento* supervenit *Rogerius*, defectionemque ultus est. Tum, *Beneventana* arce idoneo præsidio communita, *Salernum* redit, atque inde mense Decembri solvit in *Siciliam*, ut vires repararet augeretque. Rebellarunt quidem nonnullæ civitates, ea clade stimulatæ, sed irrito conatu: nam proximo anno omnes in ordinem coegit rex *Siculus*, & universam ditionem pacavit, quin & novas adjecit [1].

CAPVT XV.

Partes Anacleti *superiores*.

ANacleto autem prosperè cuncta procedebant, & nunc omnis res in vado esse videbatur. Potentissimum & quotidiè invalescentem fœderatum ad manum habebat, per quem universam *Italiam* à *Roma Barium* usque in ecclesiasticis sibi subjectam suoque à nutu pendentem tenebat, & vel antiquissimum ditissimumque *Casinense* monasterium in partibus erat *Anacleti*. Adversarius verò *Europam* oberrans apud *Galliarum* & *Angliæ* reges repulsam tulerat. Quin eo ipso, quod is fœdus cum *Lotbario* inierat, *Anacletus* ultrò, nulla sua opera, defensorem nactus erat *Conradum*, *Lotharii* inimicum, qui etiam hoc tempore *Italiæ* cum multis copiis inhærebat, & in cujus verba jam pleræque civitates juraverant, per hunc votis suis subscribere videbat *Mediolanum*, *Conrado* addictissimam civitatem, & cum ea omnem *Lombardiam*, eadem de causa faventes habebat *Bononienses* ac *Æmilienses*, sed & *Ancona* ac *Spoletum* ipsum agnoscebant Pontificem. At *Innocentius* ægrè *Pisanorum* & *Genuensium*, eorundemque dissentientium populorum, favorem impetraret, nec in tota *Italia* præter eos quenquam habebat, qui conatibus suis annueret. Adde quod *Innocentii* adjutor in remotissima regione bellis civilibus distrahebatur.

CAPUT XVI.

Innocentius *PISANOS* & Genuenses *inter se conciliat. Tum Episcopos eorum ornat dignitate Archiepiscopali.*

DIligentèr interim pacificatoris munia *Pisis* obibat *Innocentius*, eo nimirum oratores, quos *Genua* discedens rogaverat, convenere. Sic tandem pax inter *Genuenses* & *Pisanos* sedula ipsius opera conciliata est, cum res magni ac diuturni moliminis fuisset. Præterea, quod palmarium erat, omni utraque republica fœdus pepigit, quo præsidia rebus Ecclesiæ spoponderunt. Tum vero in grati animi testimonium, ac velut auctoramentum opis ferendæ, utriusque præsulem Archiepiscopatus titulo condecoravit. Videlicet *Genuensis* ecclesia, à *Mediolanensi* subtracta, ex eo tempore metropolis facta est; quemadmodum & *Pisana* paritèr in archiepiscopalem fuit erecta, datis unicuique tribus suffraganeis, partitaque *Corsica*: in speciè verò *Pisanum* antistitem Primatem fecit totius *Sardiniæ*, contraria, quia & ipsi probabilitati [2]. Hoc negotio transactus ab Innocentio est annus MCXXII.

CAPUT XVII.

Conradus *ex* Italia *domum revocatur. Contra* Lotharius Romam *proficiscitur adscito* PISIS Innocentio.

QUod ad Imperii competitores, *Conradi* res cessim ire cœperunt. *Multa in Italos* liberalitate usus, omnia se recepturum sperabat cum *Italiam* sibi subjecisset. Postquam igitur impensis (nam ingentem exercitum alebat) & largitionibus, quam facultates ferebant, majoribus exhaustus totus esset, & simul intelligeret, *Lotharium Franconiam* suam, & *Sveviam* hostiliter vastare, in *Germaniam* rediit, ut se cum fratre *Friderico* conjungeret [3]. *Lotharius*, promissi *Innocentio* facti memor, quum hoc pacto sibi in *Italiam* iter pateret, profectionem x. Kal. Decembres anni MCXXXII. ingreditur [4]. Quia autem *Germania* ab intestinis

1. Falco Benevent. auctor hujus temporis, in *Chron. ad ann.* 1132. is autem prolixè hæc exsequitur. Anonym. Casinens. *ad an.* 1131. itidem scriptor antiquissimus. Franc. Capecelatro *Historie di Napoli*, *lib.* 1. Baron. in *Annal. eccles. ast. ad an.* 1132. & Pagius in *Criticis* ibid.

2. Martini Poloni *Chron. sub Innoc. II.* Platina *De vitis potif.* in eod Flav. Blond. *Historiar. dec.* II. *lib.* V. Lud. Cavitelli *Annal. Cremonens. ad an.* 1133. Scip. Ammirato *Istorie Fiorent. lib.* 1. Uber. Folieta *Histor. Genuens. lib.* 1.

3. Huldericus Mutius *Germaniæ chronico lib.* XVII.

4. Dodechinus in *continuat. ad chron. Mariani Scoti ad an.* 1132. Chronographus Saxo *ad an.* 1132. *Chronicon Australe antiquum an.* 1132. & 1133.

1. Ot-

finis diffidiis nondum quieta erat, multosque adhuc causæ suæ studiosos habebant *Conradus*, & *Fridericus*, non nisi duo militum millia secum adducere potuit. Itaque *plus monte quam milite fiduciam gerens*, ut loquitur *Frisingensis*, per vallem *Tridentinam* in *Italiam* descendit. *Bononiensibus* autem, ac *Æmilienſibus* aliisque, tum *Conradi* studio, tum copiarum paucitate, ludibrio, & despicatui cum esset, rectà *Apenninum* accessit, *Pisasque* ad assumendum *Innocentium* properavit. *Lothario*, summis votis expetito, in *Tuscia* obviam factus est *Innocentius* ad *Calcinariam*, in territorio *Pisano*, atque illinc, post congressum de re communi habitum, diversis itineribus *Viterbium*, indè autem conjunctim *Romam* contenderunt, cæterum castra posuerunt ad pontem *Mammeum* [1].

CAPUT XVIII.

Classis PISANA & Genuensis *in* Lotharii, & Innocentii *auxilium venit, qui interim stratagemate* Romam *ingrediuntur*. Lotharium *in* Lateranensi *basilica coronat* Innocentius, Anacleto *Vaticanam obtinente*. Innocentius *PISAS*, Lotharius *in* Germaniam *redit*.

Lotharie, & *Innocentio Romam* tendentibus, *Pisani*, & *Genuenses* continuò classem junctis viribus deduxere. Eam mox littoribus *Romanis* admoventes omnem oram maritimam infestam habebant: quin & Civitatem veterem *Innocentio* occupant: quæ res multum pavoris *Anacleto* injecit [2]. Ille autem cum præfecto Urbis cæterisque suæ factionis ad invadenda castra inimica procedit. Interea verò *Lotharius* Innocentiusque per regionem *Transtiberinam*, unde huic origo erat, Urbem ingrediuntur [3], quod accidit Kalendis Maji [4]. Hoc stratagemate incruenta ipsis ingressio fuit. Lateranensi tamen Basilica contentus esse debuit *Innocentius*, *Anacleto* Vaticanam insidente, quam operibus, ac valido præsidio munitam tenebat [5]. Qua de causa nec *Lotharius* in Ecclesia S. *Petri* coronari potuit, uti mos erat: verum in S. Salvatoris, quæ *Constantiniana* dicitur, pridiè idus Junias imperiali diademate redimitus est 6 (*a*). Simul ac verò *Lotharii* cum *Innocentio* adventus *Romam* percrebuisset, *Robertus* Princeps *Capuanus*, & *Rainulfus Averſæ* Comes, nec non legatus *Beneventi*, atque alii optimates oppressarum *Apuliæ* civitatum eò convolarunt, auxilia adversus *Rogerium* implorantes: is autem jamjam cum potente exercitu ex *Sicilia* erat rediturus [7]. Sed novum Imperatorem sua domum revocabant; præterea nec iis instructus erat copiis, ut vel *Anacletum* munitionibus suis exturbare posset: quin potiùs verebatur, ne diutiùs hærenti cum valida manu superveniret Princeps *Siculus*, & cum dedecore ipsum abigeret. Aliæ quæ vulgò adferuntur, redeundi rationes, frigidæ sunt [8]. Certè Imperatoris, & Augusti nomen adeptus recessit [9], cum pene solas sex septemve hebdomadas *Romæ* subsitisset [10]. Recedente autem Imperatore, denuò *Pisas* se recepit *Innocentius* [11], quippè cui cæteroquin evidens in mora periculum erat.

1. Otto Frising. *lib.* VII. *cap.* 18. Falco Benevent. *ad an.* 1133. Blondus *dec.* II. *lib.* V. Sigonius d. *lib.* XI. Baron. *ad an.* 1133. Tronci *Memorie istor. di Pisa an.* 1133. Capecelatro *Histor. di Napoli lib.* I.

2. Blond. Sigon. Baron. Tronci locis laud. Storia di Giov. Villani *lib.* IV. *cap.* 33. Foliet. *Histor. Genuens. lib.* I.

3. Blondus *d. lib.* V. *decadis* 2.

4. Chronographus Saxo *ad an.* 1133.

5. Robertus de Monte S. Michaelis in *complemento ad Chronogr. Sigeberti an.* 1133. Broweri *Annal. Trevir. lib.* XIV.

6. Otto Frising. d. *lib.* VII. *cap.* 18. Chronogr. Saxo loco laud. Gotfrid. Viterbiens. *Chron. in Lothar.* Martini Poloni *Chron. in eod.* Dodechin. *ad an.* 1133. Aventini *Annales Bojor. lib.* VI. Sigon. *De regno Ital. lib.* XI.

(*a*) Narrat ibid. Sigonius, quod Innocentius ad prodendam rei novo exemplo actæ memoriam, hujus facti seriem *protinùs* regiæ in pariete pingi, atque hos versus subscribi mandaverit.

Rex venit ante fores, jurans prius Urbis honores;
Post homo fit Papæ, sumit quo dante coronam.

homo, i. e. vasallus. Certè pictura vulgata fuit, in qua Pontifex procumbenti ad suos pedes Lothario coronam imponebat, cum ea inscriptione. At verò hoc ipso tempore id alienum, ac nimis importunum fuisset: non enim tunc eo loco erant res Innocentii, ut Lotharium tàm protervè insolentèrque lacessere eique insultare ausus fuisset. Factum hoc fortè fuerit post simultates, quæ deinceps inter eos natæ sunt.

7. Falco Beneventanus & Pagius ad annum 1133. Abbas Celestinus *Rerum gestar. Rogerii*. Addatur Franciscus Capycius Latro *Histor. Neapol. lib.* I.

8. Car. Sigon. d. *lib.* XI. item Baron. in *Annal. ad an.* 1133. Minùs absurdè Pagius in *Breviar. Pontif. Rom. tom.* II. in *vita Innoc.* II. *num.* 40.

9. Otto Frisingens. *lib.* VII. *cap.* 19. Anonym. Casin. in *Chron. ad an.* 1132. Petr. Diacon. in *contin. Chron. Casin.* quod Leonem Ostiens. auctorem habet, *lib.* IV. *cap.* 97.

10. Chronographus Saxo *ad an.* 1133.

11. Flav. Blondus *Histor. dec.* II. *lib.* V. Gio. Ant. Summonte *Della Città, e Regno di Napoli lib.* I.

CAPUT XIX.

Cruenta Rogerii *victoria adversus civitates rebelles, quin & in alias. Hanc calamitatem agrè evadit* AMALPHIS, *& quod in ea erat Pandectarum exemplar. Viginti naves cum præda submersæ.*

VIX, ac nè vix quidem illi Urbe excesserant, quin ecce reducem *Rogerium*, funesta incontinente vestigia ponentem. Statim autem incitato cursu in Apuliam accelerat, & arma vindictam minantia in urbes convertit, quas illius nupera clades ad defectionem erexerat, erat enim *Rogerio* iræ impatiens animus, & ultionis cupidissimus. Mittuntur ergo quantocyùs legati ad *Robertum Capuanum*, & *Rainulfum*; Ut reditum maturarent, ac socios è faucibus immanis tyranni, ac prædonis eriperent, utque ipsos sunque vindicatum venirent adversus hunc vicinarum ditionum helluonem. Sed non erant illis, tàm sanguinolenta victoria labefactatis, ex vires, ut facilè emergere, seque tantæ potentiæ objicere possent. Primos furibundi ultoris impetus sustinuit *Venusia*: hanc obsidet, capit, diripit: trucidantur mares, fœminæ, parvuli: & quidem vario mortis genere tolluntur: usque adeò, ut quosdam comburi fecerit: ipsa insuper civitas flammis ultricibus expiatur. Deleta *Venusia*, idem aut subpar fatum manebat *Materam*, *Tranum*, *Montempilosum*, aliasque urbes. Quid multa? omnia longè, ac latè vastantur ferro, & incendiis: ac nefaria crudelitate ipsos barbaros superasse noker dicitur. Hæc inter rapido illo, ac turbolento vastationum vortice *Ansa* involvitur, quæ nunquam ipsi subjecta fuerat, sed opulenta cum esset, in transitu occupatur. Imprimis verò memoranda est *Trojæ* calamitas. Dum *Venusino* obsidio detinetur *Rogerius*, deliberabat ea civitas de recipiendo cum copiis *Rainulfo*, qui circa *Trojanos* fines consistens, defensioni ejus se offerebat. Re intellecta *Rogerius* ad ipsos mittit; Abstineant res novas moliri: nullum illis à se periculum imminere. At verò subactis, quas dixi, urbibus, *Trojam* infensus properat. *Trojani*, promissorum securi, occurrunt, Episcopo illum panegyri excipiente. Sed in urbem intromissus divina humanaque miscet, cives captivos ducit, domos & bona igne consumit. Postremò *Melphin* adoritur, quæ & ipsa belluinæ illius ferociæ victima fuit. Quin pacata in hunc modum *Apulia*, *Salernitanos* itidem & *Amalphitanos*, quasi defectionis suspectos, feroci manu perdere meditabatur, sed cum nondum ei congruum videretur, aut opportunum, in præsens abstinendum duxit [1]. Sic igitur *Rogerii* furorem fælicitèr evasit celeberrimum Pandectarum exemplar, quod ceteroquì fortasse, inter cetera igne fuisset absumptum. *Salernò* autem hoc anno in *Siciliam* remeavit XII. Kalend. Novemb. cum navigiis præda onustis, ut & multis captivis, at oborta tempestate, tria & viginti horum submersa sunt [2].

CAPUT XX.

Robertus Capuæ *Princeps suo, & fœderatorum nomine* PISAS *opem implorat adversus* Rogerium. *Rogerii ex contrario ad* PISANOS *legati de fœdere.* PISANI *vel cum* Genuensibus, *fortè &* Venetis, Roberto *classem C. navium pollicentur.*

DUm hoc pacto *Apuliam* cæde, vastatione, terrore implet homo sanguinarius, *Capuæ* Princeps *Robertus* de sua suorumque salute sollicitus esse cœpit: nec immeritò. Tractat itaque cum *Rainulfo Averſæ* comite, cumque *Sergio* magistro militum *Neapolitanorum* de petendis à *Pisana* republica, *Innocentii* intercessione, auxiliis. Quamobrem communi nomine *Pisas* proficiscitur initio mentis Octobris. *Pisani* absque *Genuensibus* se bello adversus *Rogerium* miscere noluerunt. Immò verò dum is eam rem agitari compererit, è *Sicilia* legatos mittit, qui *Pisanos* à fœdere cum hostibus suis ineundo dimoveant, invitentque magnis promissis, ut sè potiùs cum ipso velint consociare. Erat revera cur hoc speraret *Rogerius*: nam cum anno MCXXIX. *Genuenses* classem *Pisanorum* in fugam vertissent, *Messanam* usque persecuti, mox, *Rogerio* interveniente, omnia *Pisanis* restituerant. Attamen, spreta *Rogerii* legatione, ipsi & *Genuenses* coram *Innocentio* pacti sunt, ut proximo Mense Martio fœderatis adessent cum centum navibus, militia, & milite instructis, ea lege, ut illi vicissim tria millia librarum argenti conferrent. Adeo videlicet *Pisanos* delinire, & ineſcare sciverant *Innocentius* & *Bernardus*, ut sollicitationibus *Rogerii* aures penitùs obturarent. Quænam autem *Bernardi* partes in eo negotio, fuerint, satis indicat Epistola illius hac occasione ad *Pisanos* conscripta, quæ incipit: *Benefaciat vobis Deus* &c. [3]. Neque illud omittendum, quod addit Falco: *Audivimus quoque ducem Venetiarum ad ejus* (Robertum designat) *auxilium manus dedisse* [4]. Sed in viam.

CA-

1. Vide omninò Falconem Beneventan. in *Chron. ad an.* 1133. quem sequitur Capycius Latro *d. lib.* 1. *Hist. Neapolit.* adde Baron.
2. Falco eodem loci.
3. D. Bernard. *Epistolarum* 130.
4. Beneventanus Falco ad eund. *an.* 1133. *Memorie diverse della Città di Pisa all' an.* 1134. MS. Strozianum. Paolo Tronci *Memor. istor. di Pisa an.* 1133. Fr. Capecelatro *Histor. del Regno di Napoli lib.* 1. Sigon. *De regno Ital. d. lib.* 11. *ad ann.* 1129. Baron. *ad an.* 1133.

CAPUT XXI.

Foederati nihil valuerunt adversus Rogerium, *fraudes & corruptelas in subsidium advocantem.*

DEmum IV. Kalend. Martias anni insequentis MCXXXIV. cum duobus consulibus, & aliis ferè mille *Pisanis* ad principatum suum revertitur *Robertus*, nunciatque *Rainulfo* comiti, & *Sergio* magistro militum, quæ *Pisis* à se acta transactaque essent. Confecta autem protinùs est summa, quam Princeps jurato promiserat, ex Ecclesiis *Neapolitanis & Capuanis* redacta, & extemplo *Pisas* missa, rogatique *Pisani*, ut cum classe quamprimùm adventarent. Una eo profectus est legatus *Beneventanus*, ut *civitatis* suæ *afflictionem Domino Papæ & Pisanis intimaret*. Hoc interim spatio *Rogerius* è *Sicilia* denuo *Salernum* appellit cum triremibus fermè LX. quas statim mittit ad debellandam Civitatem *Neapolitanam*. Sed illæ viriliter repulsæ, brevi ad Regem rediere, cum solum castella quædam adjacentia deprædatæ essent. Tum *Rogerius* cum exercitu *Siculorum* atque *Apulorum Abellinum* se confert, & inde pergit ad Territorium *Capuanum*. Arces autem obvias, eorum etiam qui extra partes erant, depopulatur. Ob eam truculentiam *Beneventum & Capuam* timor invasit: quin occupat actutum castella Principatus *Capuani*. Accurrunt tandem *Robertus*, *Rainulfus & Sergius*, collecto ingenti, sed magnam partem tumultuario exercitu: addit his suas copias *Rotolpo* Comes-stabuli *Beneventanus*. Prohibere tamen nequiverunt, quo minùs *Siciliæ* Rex, transgresso *Sarno*, *Nuceriam* oppugnaret. Est ea civitas, cujus in præcedentibus jam mentio est habita, & quæ, ut ab aliis *Nuceriis* secernatur, *Alfaternæ* cognomen adepta est. Fluminis transitum ità prælidiis, custodiis vigiliisque munivit *Rogerius*, ut non facilè fœderati obsidionem possent disturbare. Quum autem videret, non satcitò civitatem expugnatum, aut ad deditionem adactum iri, ad solitum remedium confugit: corrupit enim quosdam ex obsessis, & sic urbe potitus est. Deindè castra *Sarni*, & *Lauri* aliaque oppida subjugavit. Quum verò fœderati castrum *Lauri* obsidentem aggredi statuissent, ipsos *Roberti* ac *Raiuulfi* proceres pecunia abduxit, ne ad constitutum venirent cum copiis sibi commissis [1].

CAPUT XXII.

Roberto *PISAS abeunte ad auxilia accelerauda*, Rainulfus Rogerio *se submittit*. Rotolpo *comes-stabuli* Beneventanus, *PISAS aufugiens, naufragio perit. Absentis* Roberti *principatus occupatur.*

HIsce tàm inopinatis *Rogerii* successibus animo consternatus *Robertus Neapolim* abit, & inde *Pisas*, ut sera auxilia præsens incitaret. *Aversæ* comes *Rainulfus*, dum à suis se prodi deprehendit, ac à *Roberto* deseri suspicatur, impar tanto Regi, eidem se submittit: at ægrè, & sub duris conditionibus in fidem, & obsequium recipitur, reddita tamen ipsi *Mathilde* conjuge cum filio. Tum verò comes-stabuli *Beneventanorum*, pavore plenus, continuo *Neapolim* aufugit, ipsis Kalend. Juliis. Quin nec ibi se tutum fore confidens, fracto animo, ac perterritus navem conscendit cum duobus filiis, & exiguo comitantium cœtu, ut *Pisas* perveniret. Verùm in itinere, procella ingruente, calamitosè naufragio periit cum altero filiorum, & binis fidelibus. Interea (& quid mirum?) toto principatu suo absens spoliatur *Robertus*. *Capua* enim confestim se dedit, & post metropolim cætera quoque oppida arcesque. Ità quoquoversus victor *Rogerius Salerno* pro consuetudine in *Siciliam* transfretavit [2]. *Robertus* autèm amisso principatu, & anni tempestate præterlapsa *Pisis* remansit, proximo verè sua, & sociorum dominia auxiliis *Pisanorum*, ut sperabat, recepturus.

CAPUT XXIII.

Falso mortis Rogerii *nuncio ab eo desciscit* Rainulfus. *inde* Aversæ *excidium.* Robertus *cum* XX. *navibus PISANIS* Neapolim venit. *deleta* Aversa Neapolim *obsidet* Rogerius: *mox* Aversam *recedit, eamque instaurat.*

SIc ad annum MCXXXV. nos deduxit historiæ series, qui, & ipse fatalis illuxit fœderatis. Superiore, postquam in *Siciliam* advenit *Rogerius*, in morbum gravissimum inciderat. Mox, & *Alberica* regina ægrotavit: & hæc quidem morbo extincta est. Adeo autem reginæ obitus maritum afflixit, ut, in conclavi aliquandiù abditus, nulli suorum conveniendi aditum daret. Hinc fama, ipsum quoque regem fato concessisse. Ea verò *Rainulfum Aversæ* comitem expergefecit, ut sese, recuperata ditione, in libertatem assereret: præsertim quoniam *Robertus Capuanus* cum valida *Pisanorum* manu imminebat. Venit quoque ille *Neapolim* VII. kalend. Aprilis, sed cum solis viginti navibus. *Rainulfus*

1. Falco Beneventan. in *Chron. ad an.* 1134. Franc. Capecelatro *dicto lib.* 1. *della Histor. Napolet.*

2. Falco & Capecelatro locis laud. Anonymi Casinens. *Chronic. ad an.* 1133. & 1135. adde Pellegrini in eum *Castigation. post Histor. princip. Longobard.* Alexander abbas Celesin. *Rogerii Sicil. reg. rer. gestar. lib.* II. versus fin. Jul. Cæs. Capacius *Histor. Neapolit. sub Sergio duce* XXXIV. Giov. Ant. Summon. *d. lib.* 1.

1. Ab-

fus tamen, nam jacta erat alea, *Aversanos* suos ad defectionem pellexit, quæ ipsos sanè pessundedit. Perrexerunt *Robertus Rainulfus*, & *Sergius Capuam* versus, sed propediem ipsis redeundum erat, deficiente commeatu. Itaque *Rainulfo* cum octo *Pisanorum* millibus *Aversa* relicto, reliqui duo *Neapolim* sunt reversi. *Rogerius* cum tandem pristinæ valetudini restitutus esset, nonis Junii *Salernum* venit, insigni instructus classe, & multo milite. Primo autem *Robertum Capuanum*, disrupto fœdere, à *Rainulfo*, & *Sergio* tentavit avellere, sed nihil egit. Inde exercitum in *Aversam* direxit. Adeo autem ipsius adventu conturbati fuerunt *Aversani*, ut major pars cum comite *Neapolim* effugeret: desertaque eum in modum civitas in cineres redacta est [1]. *Aversa* excisa *Neapolitanis* quoque exitium minitabatur rex *Siculus*. Itaque infesto agmine in eam urbem irruit: ac quo magis in angustias, & penuriam adduceret, *Neapolitanum* agrum incendit. Fœderati cum se impares cernerent, copias intra muros continuerunt. *Robertus* autem iterùm *Pisas* profectus est, ut fidem *Pisanorum*, & majora auxilia imploraret. Sed cum *Rogerius* per solos novem dies obsedisset *Neapolim*, subito recessit, quoniam æstivi aeris intemperies contagioso morbo exercitum infecerat. Dein *Aversæ* instaurandæ operam impendit, haud dubiè locum maximè opportunum existimans ad præsidia, & stativa adversus *Neapolitanos*: copiasque in vicinis pagis collocat [2]. Sed interim improviso casu aliò avocatur. Is autem ante omnia nobis memorandus venit, quum idem ille fit, qui huic dissertationi conscribendæ unicè causam dedit.

A B C D

CAPUT XXIV.

Robertus *alias* xx. *naves* PISIS *adducit, & protinùs* PISANI *cum* XLVI. *AMALPHIN ex improviso invadunt. inter cætera prædæ fuit exemplar Pandectarum cæsi à* Rogerio PISANI *cum classe* Neapolim *redeunt. indè domum tendentes* Ischiam *depopulantur.*

E

PRætèr xx. naves seù triremes, cum militia *Pisana*, quas initio anni *Robertus Pisis* arcessitum iverat, nunc alias xx. secum adduxit. Hæ simulac appulere, certiores evadunt fœderati, *Amalphin* milite vacuam esse: terrestres copias omnes sub *Rogerio* merere; maritimas autem, quatuor triremibus impositas, prædationi incumbere; quin, & paucos qui domi remanserant *Amalphitanos Salernum* concessisse, ut eam urbem defenderent adversus *Pisanos*, à quibus illi invasionem imminere putabant, de sua, ut liquet, nihil tale suspicantes. Quare *Pisani*, adscitis navigiis suis prioribus, mutuatisque aliis sex, nàm VI. & XXXX. feruntur fuisse, classem adornarunt, magna hominum multitudine instructam, eaque summo manè *Amalphin* invasere, ac deprædati sunt. In ea præda inter cætera, pretiosissimum nostrum *Pandectarum* exemplar fuisse, constans omnium sæculorum cunctisque recepta opinio est. Deindè ad alia *Amalphitanæ* regionis oppida progressi, ea itidem occuparunt; in his *Scalæ*, & *Ravellum* fuere. Sed tertio post exscensionem die arcem *Fractos* de consilio captivorum *Amalphitanorum* obsidentibus supervenit *Rogerius*, & magnam cladem intulit. Dicitur autem, *Aversa* priùs *Salernum* profectus, curaviſſe ut XXXX. navigia contra *Pisanos* instruerentur (XL. quidam ferunt) tùm verò ipse cum septem millibus in eos, obsidendo castello occupatos, ex improviso ingruisse, & fugasse usque ad mare. Certè fusi palentesque ad naves suas pervenere, cædis & captis ad CIↃ IↃ. (*a*). horum in numero consules *Pisani* tres, quorum unus occisus. Fuga elapsi *Pisani*, cum his qui in navibus remanserant ad prædam servandam, confestim *Neapolim* rediere. Quum istic per viginti plus minus dies mansissent, nec esset probabile, quicquam amplius hoc anno adversus *Neapolim* tentaturum *Rogerium*, nonnullos ad custodiam urbis reliquerunt, cæteri verò cum insigni, quam fecerant, præda ad suos *Pisas* reversi sunt. In reditu autem *Ischiam* majorem insulam quæ olim *Ænaria* dicebatur, devastarunt, tertio, & vigesimo post acceptam in ducatu *Amalphitano* cladem. Sic tandèm VI. idus Septembris domum venere. Cæterum præfuisse huic expeditioni videtur *Robertus Capuæ* antea princeps. Ipse profecto classem *Pisanam*, ut *Neapolim* duxerat, ita *Pisas* reduxit, denuò cum ea *Neapolim* rediturus verè insequenti. Discedente *Pisas Roberto*, mansit *Neapoli* apud *Sergium* comes *Rainulfus* cum filio suo. Verum de celebri illo *Pisanorum* facinore, & præda *Amalphitana* audiamus scriptorem huius temporis, ad præcipua saltèm quod attinet.

F

CAPUT XXV.

Verba scriptoris æqualis de hac PISANORUM *expeditione & præda.*

REfert nempè *Alexander* Abbas *Celesinus*, qui in *Siculi* regis comitatu erat (*b*), & rogante *Mathilde*, Regis sorore, ipsius res gestas literis consignavit: „Cum ergo „ immensa acies ab eis (*Pisanos designat*) di-

„ re-

1. Abbas Celesin. *de reb. gest. Rogerii lib.* III. Falco Benevent. *ad an.* 1135. Anon. *Casin. Chron. ad an.* 1134. & ibi Camill. Pellegrin. Capecelatro, & Capacius locis supra citatis.

2. Abbas Celesinus, & Falco ibid. Giov. Vincenzo Ciarlanti *Memorie histor. del Sannio lib.* IV. Jul. Cæs. Capacius lo. laud. Parthen. Giannetta

Histor. Neapolit. lib. XI.

(*a*) In *Annalib. Pisan. ab an.* 971. *ad* 1177. apud Ughell. Rogerius cœpisse dicitur decies nonaginta quatuor, hoc est, nongentos quadraginta, proindè quingentos sexaginta interemptos fuisse oportet.

(*b*) Anto. Caracciolus, qui Chronographos qua-

Digitized by Google

„ recta cum ratibus æquora sulcando Nea-
„ polim tendissent, istiusmodi præfirmantur
„ consilio, ut urbem Amalphiam, inchoan-
„ te auroræ ortu aggredientes, aut præda-
„ rentur, aut Regi, si fortuna siniſtra eis
„ impedimentum non faceret, eriperent.
„ Erat autem tunc Amalphia pænè omnibus
„ evacuata belligeris viris, quorum jam
„ pars, jubente Rege, cum liburnis qua-
„ tuor, armatorum refertis copia, per ma-
„ ritimas prædaturi aquas recesserant: pars
„ verò cum Rege euntes in hostem aderant:
„ alii autem Pisanorum tunc navigia in-
„ tuentes, quoniam eos putarunt Salernum
„ aggressuros, citò illic præeuntes eam tui-
„ turi, ibi remanserunt. Venientes itaquè
„ ipsi Pisani subitò, inchoante auroræ luce
„ invaserunt urbem: nulloque resistente,
„ eam funditùs impièque depopulantur.
„ Cumque urbe tota depopulata universa
„ ad classem spolia deportata fuissent, mox
„ Scalæ oppido cæteriſque Amalphiæ muni-
„ tionibus invasis, novissimè quoddam mu-
„ nimentum, quod dicitur Fracta, oppu-
„ gnare nituntur. Dum ergò Rex Rogerius
„ ad reparandam Aversam intenderet, in-
„ timatum est *&c*, *& deinceps*, Regius
„ exercitus ex improviso irrumpens partem
„ cæde prosternunt, partem verò captionis
„ violentia subdunt. *deniquè paulo post*, *de*
„ Pisanis *ad naves suas reversis*, reversi in-
„ numeris quibus onusti fuerant spoliis fu-
„ gam arripiendo evaserunt Liburnarum
„ autem numerum quidam asserunt fuisse
„ XXXXIII. alii verò plures [1].

CAPUT XXVI.

De die, quo AMALPHIS *direpta. Æra* PISANA.

NArrat *Sigonius*, Pisanos *pridie nonas Augusti* Amalphin aggressos esse. Hoc autem fide ejus esse jubeo: nam undè habeat, ignoro. In eo certè errat, quod historiam hancce refert ad annum MCXXXVII. Sed errat errorem communem, confundens expeditionem *Pisanam* priorem, cum ea quæ biennio post evenit, in qua eadem urbs directa fuit. Hunc autèm porrò profligavimus in ipsa Historia *Pandectarum* lib. I. cap.... prætereà eum redarguit epistola Divi *Bernardi* quam suo loco exhibebimus [2]. Cæterùm ejusdem diei mense Augusto meminerunt quidem etiam Annales *Pisani*, è quibus quæ huc pertinere sunt visa descripsit *Ludovicus Bologninus* [3], sed in eo excerpto plura occurrunt rerum veritati. Quis enim sibi persuadeat fieri potuisse, ut, quod ibi narratur, uno eodemque prid. non. Augusti, & Pontifex jusserit classem parari, & *Pisani* illa *Amalphin* occuparint? Eo minus, quod ita res refertur, ac si hoc tempore *Romæ* constiterit *Innocentius*, habito istic paulo ante solenni concilio. Quarè putem, quod tanto magis fidem hisce Annalibus derogat, auctorem eorum utramque *Pisanorum* expeditionem cum cæteris confundere. Tertius in eadem facti specie error est, quod annum notat MCXXXVI, in quem neutra cadit expeditio. Quamvis tamen hoc ipsum minus vitio verti posset, cum unius anni discrimen in antiquissimis quibusdam chronicis interdùm deprehendatur. Ita fragmentum illud Chronici *Pisani*, quod refert Ughellus *in Italia sacra* [4], sub eodem anno MCXXXVI. *Amalphcos* à *Pisanis* direptionem collocat, ita nihilominùs, ut rectissimè distinguat à secunda eorum invasione. Immò verò in cæteris quoque *Pisanæ* historiæ vetustis monumentis idem deprehendi. Sed quid si ob eam in istis Annalibus constantiam dicamus, æram *Pisanam* uno anno communem præcessisse? perdifficile enim est, ut in eundem numeri errorem præfractè omnes conspirent (c).

CA-

---

quatuor antiquos, Herempertum Longobardum, Lupum Protospatam, Anonymum Casinens. & Falconem Beneventanum, e bibliothecis in lucem produxit, præmisso Nomenclatore nominum proprior. ibi in voce *Rogerius junior*, hunc Alexandrum Celesinum vocat Rogerii aulicum, atque adeò parasitum. Nimirum cautè accipiendus est in his quæ ad laudem Rogerii, aut vituperium pertinent.

1. Abbas Celesinus *Rogerii Sicil. regis rer. gestar. lib.* III. adde *Chronicon Pisanum*, seù *fragment. auctoris incerti ab anno* 680. *ad* 1136. in Ughelli *Italia sacra tom.* III. *pag.* 858. & *Annales rerum Pisanarum ab anno* 971. *ad* 1176. apud eund. Ughell. *pag.* 861. ut & *Memorie diverse delle città di Pisa, cavate da diverse historie, e scritture*, MS. bibliothecæ Strozianæ, quæ Florentiæ est, *num.* 194. in fol. *pag.* 1. *Historia Pisana*, auctore Barthol. de S. Concordia, ordinis Prædicatorum, ejusd. biblioth. MS. in 4. *num.* 478. Falco Beneventan. in *Chron. ad an.* 1135. & post eum Franc. Capycius Latro *d. lib.* I. item Sigonius laud. *lib.* XI. Jul. Cæs. Capacius *Histor. Neapol. lib.* I. Giov. Vincenzo Ciarlanti *Histor. del Sannio lib.* IV. Nic. Parthen. Giannettas. *Histor. Neapolit. lib.* II.

2. Infra *Cap.* XXIII.

3. Inter testimonia de Pand. Flor.

4. Vide pag. præc. in his notis num. 1. ubi & reliqui Annales Pisani, ad quos proximè respicimus.

(c) In ea opinione mirè me confirmat Franc. Pagius in *Brevior. Pontif. Roman. sub Innoc.* II. *num.* 42. *in fin.* ibi enim expressè annum Pisanum à Dionysiano, seù communi hoc pacto discernit. Videndus omninò Covarruvias *Variar. resolution. lib.* I. *cap.* 12. *num.* 2. Prætereà quod hac occasione obiter notatum velim, à Falcone Beneventano annum inchoari à mense Martio, idem Pagius observat, *num.* 61. Hæc parum animadversa vehementer turbant.

1. Se-

Digitized by Google

CAPUT XXVII.

Continuatio. An PISANI AMALPHIM *post direptionem incenderint. An testimonio antiqui scriptoris constet de Pandectis ibi repertis.*

UT ad diem regrediamur, quamvis de illa non satis constet, tamèn licet statuere, invasionem *Amalphis* evenisse ante medium mensis Augusti. Certè à nonis Juniis, quibus è *Sicilia Salernum* advenerat *Rogerius*, usque ad idus Augusti, h. e. bimestri spatio, & quod excurrit, accidere potuerunt, quæ de ipso narravimus. Nimirùm, quod *Robertum Capuanum* spe, & prætio sollicitavit, ut fœderatos desereret; quod *Aversam* præsidio destitutam occupavit, & evertit; quod *Neapolim* per novem dies obsedit; quodque inde *Aversam* recessit ad eam denuò ædificandam: hæc, inquam, eo spatio præcedere potuerunt: debuit verò ante idus illas contingere, ut *Pisani* triduo in ditione *Amalphitana* morari; ab ea *Neapolim* reverti, *Ischiam* vigesima tertia post acceptam cladem die invadere; ac tandem VI. idus Septembris domum reverti potuerint. At quod in eo Annalium *Pisanorum* excerpto, quod profert *Bologninus*, præterea dicitur, *Pisanos Amalphin*, post direptionem incendisse, quo etiam alludit *Sebastianus Sanleoninus* [1], ab omni veri specie alienum est. Nemo veterum, nemo recentium historicorum id tradit: profecto non siluisset Abbas *Celesinus*, qui eam *Pisanorum* invasionem adeò exaggerat, ut propterea *Pisanos piratas* appellet. Nihil ergo deferendum est huic scriptori. Ceteroquin sanè permagni momenti esset, quod præter alia refert inter spolia *Amalphitana* fuisse exemplar Pandectarum *Justiniani* Imperatoris. esset hoc singulare, & unicum testimonium antiqui scriptoris, quem hi Annales præferunt. At vel hoc ipsum auctoritatem ejus elevat, cum ea res initio non esset tanti, ut à quoquam ejus temporis memoraretur.

CAPUT XXVIII.

A solis PISANIS *direptam fuisse* AMALPHIM, *& cur nullæ* Genuesium *partes.*

RESTAT videre, qui fiat ut nec *Genuenses*, nec *Veneti*, quorum illi saltem communem cum *Pisanis* operam *Roberto* cæterisque fœderatis navare polliciti erant, ut retuli, hujus expeditionis participes fuerint. nihil quippè ipsos ad eam contulisse, triplex mihi argumentum est; ex mora mittendarum navium; ex numero missarum; & ex silentio de *Genuensibus*, & *Venetis*. Addo etiam quartum, ex præda solis *Pisanis* permissa. Indicavimus quemadmodùm *Robertus* sub finem anni MCXXXIII. aut verius sub initium sequentis, fœderatorum nomine *Pisis* centum naves armatas pactus fuerit, mense Martio *Neapolim* mittendas, quodque promissam ea conventione pecuniam statim persolverint fœderati, & tamen toto illo anno nullam earum navium impetrare potuerint. Patefecimus insuper, quam ægrè ipse *Robertus Pisas* idcircò profectus, initio huius anni MCXXXV. solas viginti naves, velut extorserit *Pisanis*; ac dein repetita profectione totidem alias. Ad hæc in tota illa expeditione, clade, reditu non nisi *Pisanorum* mentionem fieri deprehendimus. Denique ex præda præter *Pisanos*, neminem sibi quicquam vindicasse comperimus. Unde collegerim, *Genuenses*, & *Venetos*, orta fortè dissensione, aut alia quavis de causa resiluisse: atque ideò ipsos *Pisanos*, qui jam statim ab initio sine *Genuensibus* fœdus inire detrectaverant, iis recedentibus tantoperè tergiversatos esse, donec tandèm, urgente Pontifice, & *Roberto*, bis viginti navigia volentes nolentes concesserint. Hanc autem portionem ipsorum in centum illis triremibus excitisse probabile mihi fit, itaùt *Genuenses* similitèr quadraginta conferre debuissent, *Veneti* residuas viginti. Hoc sanè pacto percommodè totius promissæ classis ratio iniri posset. Verumenimverò ad *Rogerium* reverti convenit, & reliquam variæ, ac multiplicis huius historiæ telam pertexere.

CAPUT XXIX.

Rogerius *filium* Anfusum Capuæ *principem constituit. Denuò* Neapolim *obsidet, sed iterùm brevi obsidionem solvere cogitur.*

POstridiè quam ille finibus *Amalphitanis* *Pisanos* expulerat, filium suum *Anfusum*, adhuc puerum, *Capuæ* principem declaravit, ac tradidit ei vexillum, insigne dignitatis. Videlicèt *Rogerium*, propter repulsam oblatæ *Roberto Capuano* amicitiæ irritatum, expeditio illa in *Amalphin*, duce eodem, magis exacerbaverat. Ubi vero deinde intellexit, *Pisanos* cum classe *Neapoli* domum abiisse, iterùm eam civitatem obsedit, adeoque & mari illam includeret, iterumque agrum circumjacentem cum proximis oppidis horribilem in modum vastavit. Sed magna tempestas V. idus Septembris navigia *Rogerii* disperdit, coegitque ad portum *Puteolanum* reverti. Tum autem rex denuò obsidionem solvit, ac, restituta *Aversa*, relictisque copiis, quæ civitatem ex longinquo inclusam tenerent, *Salernum* recessit, indeque in *Siciliam* [2].

CA-

1. Sebast. Sanleonin. *Cosmianar. action. lib.* II. inter Testimonia *num.*

2. Abbas Celesinus *d. lib.* III. *De gestis regis Rogerii.* Falco, & anonym. Casinens. *ad an.* 1135. Capycius Latro eodem loci quo supra.

CAPUT XXX.

Robertus *PISIS ad* Lotharium *proficiscitur, ut cunctantem impelleret. Sed & Neapolis à PISANIS auxilium flagitat. Pax inter* PISANOS *& Florentinos. Concilium* PISANUM.

Robertus interea *Pisis* cum *Innocentio* egit de legatione ad Imperatorem *Lotharium*, quæ cunctantem impelleret. Profectus autem ipse est cum *Girardo* Cardinali, & fratre comitis *Rainulfi Riccardo*. Ad Imperatorem cum veniſſent, ordine expoſuerunt, quemadmodum *Rogerius Robertum*, & *Rainulfum* fortunis omnibus exuiſſet, quæque ipſi feciſſent pro communi cauſa: veniret tandem ſecundo in *Italiam*, ut ſpoliatos ſedibus reſtitueret. Hoc Pontificem, hoc ipſos ſummis votis, præcibuſque ardentiſſimis flagitare atque obteſtari. Subveniret etiam *Neapoli*, quæ velut anchora ſacra erat, & unicum afflictis rebus præſidium. Hiſce comiter annuit Imperator, pollicitus ſeſe hoc anno cum ingenti exercitu in *Italia* adfuturum, venturumque circa feſtum *S. Jacobi*. Erat nimirùm jam annus MCXXXVI. inchoatus. Cum hac ſpe, muneribus, & promiſſis cumulati, *Piſas* ad *Innocentium* redeunt. Eoquoquè, dum *Robertus* cum cæteris in legatione erat, opem imploratum venerat *Sergius*, dux, ſeu magiſter militum *Neapolitanus*. Promiſerunt quidem auxilium *Piſani*, ab *Innocentio* ſtimulati, ſed effecerunt mox alii, ut promiſſa dilaberentur. Quocirca non parum turbatus *Sergius Neapolim* rediit, defenſurus civitatem qua poſſet, optima ratione [1]. Eodem anno MCXXXV. reſtituta erat amicitia inter *Piſanos & Florentinos* [2], conciliantibus haud dubiè *Innocentio & Bernardo*. Præcedenti autem generale concilium *Piſis* habuerat *Innocentius* III. kal. Junii, advocato è *Galliis Bernardo* [3].

CAPUT XXXI.

Conradus *Imperio renunciat in favorem* Lotharii, *conciliante* Bernardo.

SEd tempus eſt inquirere, quomodò jam ſeſe res imperii habuerint. *Conradus* tandem omnibus exhauſtus regno renunciarat, & cum fratre *Frederico*, interventu *Bernardi*, à *Lothario* in gratiam receptus fuerat, x. kal. Apriles MCXXXV. Effecit præterea *Bernardus*, ut tam fratres illi *Conradus*, ac *Conradi* ſtudioſiſſimi *Me*[illegible] ionibus ſolverentur. Di[illegible] conciliationi tanto acriùs [illegible] quando, pacata *Italia*, [illegible] contra *Turcarum Sar*[illegible] pro liberatione terræ ſanctæ in[illegible] ſcilicèt de eadem fidelia duos, ut ajunt, [illegible] dealbare [illegible]. Competitore in [illegible] coacto, adversarias easdemque nimiùm diſſitas imperii partes componendas ſuſcepit. *Lotharius*, ut omnia domi quieta & tranquilla haberet, antequam iterùm in *Italiam* contenderet. Inſuper aliquandiù occupatus erat parandis, quæ ad tantam expeditionem neceſſaria videbantur. Hiſce curis integrum annum MCXXXV. inſumpſit cum magna portione ſequentis. 4.

CAPUT XXXII.

Neapolim *tertium obſidet* Rogerius; *& ad incitas redigit. Naves* PISANÆ *cum commeatu accedunt. Innocentii & Bernardi adhortationes ad* Lotharium.

POſtquam legati, quos dixi, bonis auſpicibus *Piſas* reverſi fuerunt continuò Pontifex, gaudii ſpeique plenus, *Neapolim* miſit, qui *Sergium* hujus tam exoptati nunciî certiorem facerent. Interea veris tempore in *Italiam* rediit *Siciliæ* Rex cum immenſis copiis, omnemque armorum vim in *Neapolim* convertit, ut eam nunc ſaltem expugnaret. Fortitèr verò *Sergius* ei reſiſtit. Deindè cum Princeps *Capuanus*, qui *Piſis* conſiſtebat, reſciviſſet, obſeſſam civitatem famis periculo urgeri, cum quinque navigiis commeatum advexit: ſed brevi denuò *Piſas* reverſus eſt. Periclitantibus hoc modo *Neapolitanis*, non deſtitit *Innocentius* pro ſua, atque illorum cæterorumque ſoclorum ſalute *Lotharium* obſecrare, ut quantocyùs properaret, & crebris nunciis literiſque admonere, ut tandem aliquando *Romanum* imperium ab hoſtium jugo defenderet, Eccleſiamque concuſſam, & laceratam ad unitatem, & concordiam revocaret *Cæſar* clementiſſimus; tyranni *Siculi* vires quotidiè incrementa capere: *Neapolim* ferventiſſima obſidione ad incitas redigi; patrimonium S. *Petri* aſſiduis atteri infeſtationibus; multa in vulgus de Cæſare mendacia ſpargi, tanquam videlicet nihil in eo præſidii reliquum, *Germanorum*que auxilia longè eſſent: & reliqua id genus [5]. Imprimis autem memorabilis eſt

1. Falco Benevent. loco laud. & *ad an.* 1176. Abbas Celeſin. *lib.* IV. ad fin.

2. Scipione Ammirato *Iſtorie Fiorentine lib.* I.

3. Robertus Sigeberti continuator. *Annales rerum Piſanor.* apud Ughell. in *Ital. ſacra tom.* III. *pag.* 861. Blond. & Sigon. *Vita S. Bernardi lib.* II.

4. Otto Friſingenſ. *lib.* VII. *cap.* 19. Abbas Urſpergenſ. in hoc Imp. Gotfr. Viterbienſ. in epd. Chronograph. Saxo *ad an.* 1135. Albericus Monach. trium font. *ad eund. an.* 1135. ut & *Chron. Auſtrale antiquum.* Æneas Sylv. in *Hiſtor. Fred.* III. Mutii *Chron. Germaniæ lib.* XVII. Sigon. d. *lib.* XI. *ad an.* 1134. & 1136.

5. Beneventanus Falco *ad ann.* 1136. Abbas Celeſinus laudato ſuperiùs *lib.* III. Petr. Diac. in *continuat. Chron. Caſinenſ. lib.* IV. *cap.* 79. Blondus *Hiſtoriar. deca.* II. *lib.* V. Hulder. Mutius loc. memor. Chriſtoph. Brower. in *Annal. Trevirenſ. lib.* XIV.

Bernardi exhortatio in Ecclesia, cujus inter alia hæc sunt: „ Ipsius [illegible] nuper opus, „ & virga fuit, (*Dei magni*) quod iter satis laboriosum, & magnificum pro pace „ Regni, & Ecclesiæ ibi [illegible]one susceptum „ [illegible] in tanta prosperitate peregistis. Romanæ siquidem Imperialis culminis plenitudinem gloriosissimè affectus, quod „ majus fuit, in manu non magna, ut animi fidique magnitudo clarius emineret, „ Quod si ante tantillum exercitum terra „ tremuit, aut quievit, quantus putamus „ horror hostium corda invadere habeat, „ cum cæperit Rex procedere in magnitudine brachii sui? —— Non est meum, „ hortari ad pugnam: est tamen (securus dico) advocati Ecclesiæ, arcere ab Ecclesiæ infestatione schismaticorum rabiem, et „ Cæsaris proprium vindicare coronam ab „ usurpatore Siculo, &c. [1]

CAPUT XXXIII.

Bernardi *Epistola ad eundem pro* PISANIS, *quibus infensus erat.*

SCripsit, & alteram pro *Pisanis*, quos nonnulli calumniis oneraverant, atque eos cum Imperatore in gratiam reduxit. Verba ejus non minus memorabilia, & ad rem qua de agimus apprimè facientia, huc transcribere visum est. Mirot, *ingnit*, cujus instinctu, vel consilio vigilantiæ vestræ subripi potuerit, ut homines, digni certè „ duplici honore, & gratia, contraria à vobis audirent: Pisanos dico, qui primi & „ soli hactenus adhuc erexere vexillum adversus invasores imperii. Quàm justiùs in „ eos regia exarduisset indignatio, qui populum strenuum, & devotum quacunque „ occasione offendere ausi sunt: eo præcipuè „ tempore, quo accincti in multis milibus „ suis exierant oppugnare tyrannum, ulcisci injuriam Domini sui, & imperialem „ defensare coronam? Ut enim congruentissimè assignem huic genti, quod olim de „ S. David dicebatur: Quænam, quæso, in „ omnibus civitatibus sicut Pisa, fidelis egrediens, & regrediens, & pergens ad imperium Regis? Nonne hi sunt qui nuper „ regni illum unicum, ac potentissimum „ hostem ab obsidione Neapolis fugaverunt? „ Nonnè hi sunt, qui etiam, quod penè „ incredibile dictu est, in uno impetu suo „ expugnaverunt AMALPHIAM, & Rabellum, & Scalam, atque Atturinam, civitates utique opulentissimas, & munitissimas, omnibusque, qui antehac tentaverunt, usque ad hoc tempus, ut ajunt, „ expugnabiles? Quàm dignum, quàm æquum, quàm plenum ratione, & justitia „ fuerat, ut fidelium terra interim saltem, „ dùm hæc agitarent, ab omni hoste secura „ consisteret, tùm pro præsentia summi Pontificis, quem jam dudum exulem Pisani apud [illegible] humano honore servabant, & letter[illegible]tum pro servitio Imperatoris, pro „ quo & ipsi tunc temporis exulabant? Factum est autem per contrarium, ut gratiam, qui offenderunt, & qui servierunt, iram mererentur. Sed vos fortasse adhuc ista nesciebatis. Oportet ergo nunc, quando res est nota vobis, imò & decet, & expedit, mutare vos, & verbum, animum, ut viri regiis magis favoribus, & minoribus honorandi, & vestra [illegible] de cætero audiant, & recipiant, prout meriti sunt. O quantum meruere Pisani, quantum adhuc mereri possunt. Sat est dictum sapienti [2].

CAPUT XXXIV.

PISIS *denuò ad* Lotharium *proficiscitur* Robertus. *Secunda* Lotharii *in* Italiam *expeditio, deflectit priùs ad* Cumerorem *ejus partem. Veneti cum eo fœdus ineunt.*

RObertus Capuanus, a ducendis quinquaginta illis navibus *Pisas* reversus, statim ad Imperatorem festinavit, eumque in itinere obviam habuit, quippè qui de montibus jam descenderat, & supra *Cremonam* castra sua posuerat. Per adventum autem *Lotharii* in *Italiam Neapolitanis*, quamquam brevi majore, quam antea fame pressis, animus crevit, & ad altercius resistendum extremaque perpetienda obduruit, decrescente tantundem *Rogerii* fiducia. Nimirum Imperator, tot precibus sollicitationibusque fatigatus, ineunte autumno viam ingressus erat, quam, ut olim, instituerat per vallem *Tridentinam*. Ducebat autem exercitum valdè copiosum, & lectissimum, comite ipsa Augusta. Inter belli duces aderant Imperatori *Henricus* gener, *Bavariæ & Saxoniæ* Dux, cui ex moribus *Superbi* cognomen inditum, & *Conradus Suevus*, ipsius quondam æmulus. Priùs verò citeriorem *Italiam* adire, & omnes earum regiones civitates compescere voluit, quàm *Apuliam*, *Calabriam* ceteraque *Italiæ Rogerio* adimere. Ibi autem *Cremonenses*, cum *Mediolanensibus* diuturno bello dissidentes, audita utriusque causa proscripsit, atque armis subegit. Indè *Papiam* veniens, cives pactione pecuniæ in gratiam recepit. *Bononienses* quoque & *Æmilienses*, qui priore expeditione eum despexerant, supplices ultrò cum muneribus occurrerunt: quum autem vehementèr iis infensus esset, tamen *Henrici* gratia ignovit. Post usque ad *Taurinum* progrediens, totam citeriorem *Italiam* in provinciam redegit [3]. Inter hæc VII. idus Novembris conventum egit in campis *Roncaliis* (planities est circa *Pa-*

1. Divi Bernardi *ep.* 139. scripta Lothario Imp.
2. Idem Bernardus *epist. seq.* 140.
3. Falco Benevent. ad *d. an.* 1136. Otto Frising. eod. *lib.* VII. *cap.* 19. Abbas Urspergens. *in Lothario.* Petr. Diaconus loc. laud. Saxo Chronogr. *ad an.* 1136. Anselmus apud *Alberich. monach.* III. *font.* Andreæ Ratisbonens. *Chron. Bavariæ.* Sigon. *d. lib.* XI. Cavitelli *Annal. Cremonens. ad an.* 1136.

(a) De-

Digitized by Google

Padum, *Cremonam* inter & *Placentiam*) atque ibi inter alia legem condidit De feudo non allenando (*a*) [1]. *Parmæ* cum esset, fœdus percusit cum *Venetis*, legatis eorum illuc venientibus. Dein *Apenninum* transiens, *Anconam*, *Spoletum* cum aliis urbibus interioris *Italiæ* in deditionem accepit [2].

CAPUT XXXV.

Magnus apparatus adversus Rogerium, *tàm mari, quàm terra. Terrestres copiæ duobus exercitibus procedunt. Pontifex* PISIS *adscitus* Romam *deducitur*. Roberti, & Rainulfi *restitutio*.

ANno ineunte, qui fuit MCXXXVII. exercitum in hiberna reduxit, ac *Ravennæ* ipse hiemavit. Ibi autem consiliis *Rogeriani* belli cum *Henrico* genero *Conrado*que tractatis, ingentem contra eum expeditionem terra, ac mari adornat: etenim *Pisani* se centum naves instructuros polliciti sunt, & cum ea imperata facturos. Verè jam adultò copias ita distribuit Imperator, ut, una sibi parte relicta, alteram *Henrico* committeret ad suscipiendum *Pisis* Pontificem. Itaque *Henricus* per *Tusciam* exercitum ducens, quam, & à socero in beneficio obtinuit, *Innocentium* adscivit, & *Romam* incolumem adduxit. Tum verò Pontifex III. nonas Maji concilium *Romæ* coegit, & ut erat anathematum minimè parens, iteratas totiès exsecrationes adversus *Anacletum* & *Rogerium* eorumque asseclas jam octavum repetiit. Mox exercitu in *Campaniam* immisso, non magno molimine ea regio ad officium revocata est: atque ita *Robertus* Princeps, & Comes *Rainulfus* terris suis restituti. Post hæc, subacta etiam *S. Germani* civitate, *Beneventum* cœpit *Henricus*, & Papæ, qui eum comitabatur, reddidit [3].

CAPUT XXXVI.

In Apulia *junguntur exercitus*. Rogerii *machinationes, qui tandem fugit in* Siciliam. *Gratulatio* Græci *Imp. eo nomine ad* Lotharium.

MEdio tempore *Lotharius* suo cum exercitu *Flaminiam*, *Picenum* & *Umbriam* peragravit, domuitque malè quietos; atque ita etiam ipse mense Majo in *Apuliam* pervenit & vires cum genero conjunxit. *Rogerius* autem, cum *Lotharium* multo auri & argenti pondere frustrà flectere tentasset, copias suas omnes in aciem educit. Postquam vero Cæsarianos interrito gradu in occursum procedere conspicit, animum despondens ad montana *Calabriæ* se confert, & tandem rebus desperatis continentem derelinquit. Videlicet nimis periculosum sibi fore animadvertebat, de summa rerum uno certamine decernere, ne fortè victus, quia per interjectum pelagus à *Sicilia* disjungebatur, in manus hostium deveniret. Sic ferè omnia sponte in *Lotharii* potestatem concessere, qui *Barium* usque progressus, arcem ejus vi subegit, reluctantibus aliquantisper *Rogerianis* qui eam tenebant. Pontifex interea, jure-jurando fidelitatis à *Beneventanis* accepto, VIII. kalend. junias ad Imperatorem contendit, eique occurrens una *Barium* progressus erat, ubi uterque Pentecosten celebravit. Regressus indè cum Pontifice *Lotharius Melphim* quoque armis occupat [4]. Erat tum orientis Imperator *Joannes Porphyrogenitus*, qui & *Calojoannes* appellatur, is ad *Lotharium* gratulatum misit, quod *Rogerium Italia* expulisset [5], Adeo videlicet ob insatiabilem dominandi cupiditatem omnibus invisus erat simulque formidabilis rex *Siculus*.

CAPUT XXXVII.

Classis PISANA centum navium, altera PISANORUM in Amalphim expeditio. AMALPHIS direptionem redemit, non item alia ejus ducatus oppida.

PIsani interea promissis steterunt, deducta in tempore copiosissima atque instructissima classe c. navim. Vixdum Cæsaris copiæ *Apuliam* attigerant, cum hanc in urbes maritimas *Rogerio* subjectas immisere. Infelix *Amalphitanorum* ducatus denuò *Pisanæ* armaturæ impetum sustinuit: primum quippe *Amalphim* adorti sunt. Verùm illa perpessæ calamitatis plus nimio memor, imminentem providè redemit: non item cætera hujus ducatus oppida. Disertis verbis hoc refert *Falco Beneventanus* auctor coætaneus. *Hæc inter*, inquit, *Pisanorum exercitus, sicut juraverat, centum navigiis armatis ad civitatem pervenit Napolitanam. Nec mora. Jussu prædicti Imperatoris super civitatem Amalfitanam festinat, excogitans igne ferroque eam depopulari. Cives autem Amalfitani, consilio salutis invento, multa pecunia data, ad Imperatoris & Pisanorum permansit fidelitatem. Inde super Ribellum & Scalam properantes eas invadunt, & uni-*

(*a*) Descriptam *lib.* II. *Feudor. tit.* 52. nec non, sub alio tamen tit. *lib.* III. *Legum Longobard. tit. ult.*

1. Camilli Pellegrini castigat. ad anonymi *Casinens. Chronicon. an.* 1136. Sigonius loc. laud.

2. Frisingensis laud. *lib.* & *cap.* Ludov. Cavitell. *Annales Cremonens. ad an.* 1137.

3. *Chronic. Casinense* continuatum *lib.* IV. *cap.* 105. Otto Friling. loc. jam totiès cit. Falco ad *an.* 1137. Urspergens. in *Lothar.* Aventini *Annal. Bojor. lib.* VI. Sigon. *de lib.* XI. Jul. Cæs. Capacius *Histor. Neapol. lib.* I. *sub Duce* XXXIV. Giov. Ant. Summonte *Della Città e Regno di Napoli lib.* I.

4. Petr. Diacon. in *Chronico Casin. lib.* IV. *cap.* 107. Falco ad *an.* 1137. Otto Friling. *de lib.* VII. *cap.* 19. & 20. Anony. *Casin. ad an.* 1136. Chronograph. Saxo *an.* 1137. Blond. *Historiar. decad.* II. *lib.* V. Sigon. *De regno Ital. de lib.* XI.

5. *Chron. Casinense lib.* IV. *cap.* 115. ad fin. Platina in *Innocentio*. Capacius loc. laud.

1. Fal-

& universa eorum bona diripientes, in ore A *ignis & gladii eos consumunt. Viros quoque & mulieres cum eorum parvulis captivos perducunt, sicque super tali vindicta gavisi, ultra quam credi potest, insultant.* Videlicet ad delendam cladis eo loci acceptæ memoriam. Indistinctè vero & promiscuè *Annales Pisani* perveteres, —— *deviterunt, sibique tributarias fecerunt civitates Amalfi, Trani, Scale, & Scatelle & Fracte-rocche, & Pugetule; & totum Amalfitanum ducatum, ipsosque jurare fecerunt.* Jurarunt nimirum in verba *Innocentii & Lotharii*, ut sequitur. Immò *Chronicon Pisanum*, itidem satis antiquum habet; *Ceperunt easdem civitates, Amalfiam, Rabellum, Ascani, Scalam & Scalectam, & multo magis expoliaverunt eas quam primum* [1]. Unde non est mirum, vacillare hac in parte recentiares historicos, quorum *Carolus Sigonius* & Jo. *Anto. Summonte* utramque *Pisanorum* expeditionem manifestissimè confundunt [2]. Sed nullus dubito quin hic omninò sequendus sit *Falco*, hujus ipsius temporis ac finitimæ regionis scriptor, erat ille *Beneventi* notarius & scriba sacri palatii, & ab ipso nostro *Innocentio* II. judex patriæ suæ declaratus est. Hunc certè sequuntur *Julius Cæsar Capacius*, civitatis *Neapolitanæ* à secretis, & *Franciscus Capycius Latro* J. C. *Neapolitanus*. uterque auctor gravis, & in historia patriæ suæ cum laude versatus [3].

CAPUT XXXVIII.

Post AMALPHIM Salernum *aggredi jubentur PISANI. Offensi à* Lothario *cumque eo iterum conciliati, mox tamen pacisciuntur cum* Rogerio.

POst hæc *Salernum Pisanos* obsidere jubet *Lotharius*. Præcepit quoque *Roberto* principi *Capuæ*, & *Sergio* magistro militum *Neapolitanorum*, ut unà totis viribus in eam obsidionem incumberent: quod factum est xv. kalend. Augusti. Præterea eo misit *Rainulfum* comitem cum mille *Germanis*. Impigrè vero & præclarè constanterque civitatem defendebat *Rogerii* miles, usque adeo ut & Imperator ac Pontifex, circa *Melphim* castrametantes, cum exercitu accurrerent. Tum vero obsessi, pactis interventoribus, urbem Imperatori submiserunt, quintodecimo postquam circundata fuerat, die. Sed ægrè tulerunt *Pisani*, se insciis & inconsultis pactionem à *Lothario* initam esse cum *Salernitanis*, ac proin offensi iratique suas ipsimet machinas ligneas prægrandes & excelsas, quas muris contendis fabricaverant, combusserunt, & jam jam *Pisas* regressuri vela parabant. Sed tamen *Innocentii* precibus & promissis exorari se passi sunt, & cum Imperatore denuò reconciliari. Hac vero dissensione effectum est, ne arx *Salernitana* caperetur, sola, ni fallor, in tota *Italia Rogerio* superstes possessio. Cæterum sedatus utcunque fuerit *Pisanorum* stomachus, hic tamen contemptus præteritæ indignationis imperatoriæ injuriam ipsis refricuit. Unde non ita multo post, icto cum rege *Sicu*lo fœdere, domum reversi sunt, nimirum B xiii. kalend. Octobres [4].

CAPUT XXXIX.

Contentio inter Lotharium *&* Innocentium *de creando duce* Apuliæ, *nec non alia ob* Casinenses.

SUbindè vero etiam inter *Lotharium & Innocentium* contentiones sunt ortæ. In sesto apostolorum *Petri & Pauli* curiam apud *Melphim* indixerat, & earum regionum magnates eò convocarat Imperator ad constituendum *Apuliæ* ducem, qui bello parta tueretur, ac restitutos suis sedibus principes adversus *Rogerium* defenderet. *Innocentius* ducem suo nomine ordinare satagebat: nam eo munere aliquem ex fautoribus ornatum voluit. Contra vero Imperator, illud sui juris esse contendebat, creavitque ex proceribus *Germanis Reginaldum*, virum strenuum ac nobilem. Verum reluctari non desistebat Pontifex. Occupato *Salerno Abellinum* abeunt, & inde *Beneventum*, ubi denuò graviter agitata est quæstio de duce *Apuliæ* constituendo. Crescente altercatione Pontifex secessit in urbem *Beneventanam*, & *Lotharium* in castris reliquit. Gravis hæc discordia ferè integrum mensem protracta est. Tandem lis hoc pacto finita, ut Imperator & Pontifex ducis *Reginaldo* vexillum, in inauguratione tradi solitum, admota utrimque manu simul E traderent. Hanc scilicet gratiam reportavit Imperator pro restituto *Innocentio* suis sumptibus, suaque ipsius, jam admodum senis, opera. Cæterum dum adhuc in confinio *Melpheos* morabantur, etiam alia his animos exacerbarat, in *Casinenses*, quoniam *Anacleto* & *Rogerio* summa fide adhæserant, Vatinianum odium susceperat *Innocentius*. Hi autem ut diris eximerentur, quibus inter cæteros *Anacleti* sectatores devoti fuerant, Imperatorem supplices adierunt, rogantes ut sua F apud *Innocentium* intercessione hoc perficeret. Difficillimè sese exorari passus est Pontifex

1. Falco in *Chronico ad an.* 1137. *Annales rerum Pisan. ad an.* 1138. apud Ughell. in *Italia sacra tom.* III. *pag.* 861. *Chron. Pisan. ad eund. an.* 1138. ibid. *pag.* 858. In quibus ist transitu observa idem rursus unius anni discrimen, de quo supra.

2. Flav. Blond, *dec.* II. *lib.* V. Car. Sigon. *De regno Ital. lib.* XI. Gio. Ant. Summonte *Della Città e regno Napol. lib.* I. Cronica del Guazzo, *Gulielmo & Ruggiero Normanni*.

3. Capacius *Histor. Napolit. lib.* I. *Duce* XXXVI. Capecelatro *Histor. del regno di Napoli, lib.* I.

4. Falco Beneventanus ad *an.* 1137. *Chronicon Pisan.* ut & *Annales rer. Pisan.* locis laud. *Memorie diverse della città di Pisa*. MS. bibliothecæ Strozzianæ in fol *num.* 194. Franc. Capecelatro detto *lib.* I.

Digitized by Google

tifex, nec nisi sub conditione, ut sibi obsequium jurarent. Illi vero allegarunt, jurejurando sibi à Divo conditore interdictum esse, atque adeo supplicarunt ut ejus necessitate liberarentur. Perstitit tamen *Innocentius*. Ad extremum perfecit Imperator ut in gratiam reciperentur, sed invito & vehementer obstrepente *Innocentio* 1.

CAPVT XL.

Recessus Imperatoris & mors in itinere. Succedit ei Conradus.

TAndem igitur constitutis omnibus, & parte exercitus *Reginaldo* relicta, reditum in patriam suscepit Imperator, nec enim erat quod ipsum magnopere ad longiorem in his tractibus moram invitaret. Præterea ipsi milites *Germani*, hinc aeris *Italici* intemperie languentes ac debilitati, illinc conjugum liberorumque & patriæ dulci desiderio, ac longionquæ militiæ tædio victi, redire volentem vehementèr etiam atque etiam incitabant. Quamobrem mense Octobri cum Pontifice *Capuam*, atque indè recta *Romam* adiit. Octobri exspirante, *Roma* per *Etruriam* in *Lombardiam* contendit, ubi levia aliquot cum *Cremonensibus* prælia iniit, atmox cum victore exercitu iter in *Germaniam* convertit. Verum posteaquam in vallem *Tridentinam* se dimisit, lento eoque exitiali morbo corripitur, atque ibi prid. nonas Decembres in vilissima casa spiritum posuit, plenus dierum (nonagenario quippe major) & tot fortunæ casibus jactatus. De fide & pietate *Lotharii* nihil dicam, de virtute autem bellica non possum quin adferam gloriosum *Ottonis Frisingensis* testimonium. *Augustus*, inquit, *tam fortia in Apulia & Campania gessit, ut nullus ex Francorum regibus, à Carolo Magno usque ad id temporis, tanta ibi fecisse inveniatur*. Successit illi in imperio *Conradus* II, *Henrici IV.* sororis filius: idem ille, qui imperium antea affectaverat: repudiato nimirùm *Henrico Superbo*, *Lotharii* genero 2.

CAPVT XLI.

Capuam & Aversam *capit* Rogerius. Neapolis & Beneventum *ejus partes amplectuntur*, à Germanis *tamen prælio superatur*.

CÆterum *Lotharii* discessus *Rogerium* in Italiam pellexerat, protinùs enim contracto exercitu *Salernum* descendit, atque uno velut armorum cursu absorbuit omnem *Roberti* principis comitisque *Rainulfi* regionem, occupatis *Nuceria*, *Capua*, *Abellino*, cæteraque terra usque ad *Beneventi* confinia, ex his maximè in *Capuam* sævit, quam & solo æquavit. Tum ipse magister militum *Sergius* civitatem *Neapolitanam* in illius fidem adducit. Accessit præterea *Beneventum*, neglecto *Innocentio*. Hæc autem acta sunt medio mense Octobri, hoc est, eo tempore, quo adhuc *Romæ* consistebat *Lotharius*. Insuper & alias civitates inundavit ille victoriarum torrens, antequam à *Reginaldo* sisteretur. Is, abeunte Cæsare, *Barium* erat profectus, ut extrema sui Ducatus ordinaret ac stabiliret. Audita igitur *Rogerii* irruptione, copias omnes congregavit, & auxilia adscivit ex *Barensi*, *Tranensi*, *Trojano*, & *Melphensi* populo. Intervenit *Bernardus*, conciliatoris vices obiturus: sed nequicquam. Quapropter explicata utrimque acie in pugnam ruunt. prosternuntur à *Germanis Siculi*, & in fugam se conjiciunt. Occubuit eo prælio *Sergius*, qui nunc, ut diximus, stabat à parte *Rogerii*. Cæsa autem sunt ad tria *Rogerianorum* millia. Ipse rex *Salerno* se abdidit, & inde *Siciliam* remeavit, uno eodemque anno bis *Italia* pulsus 3.

CAPVT XLII.

Anacleti *conamina*. *Communis legatio ad* Rogerium. *Opportuna* Anacleti *mors*. Victor IV. *Schisma tandem interventu* Bernardi *à medio tollitur*.

INtereà temporis, per discessum *Lotharii* & *Rogerii* in *Campania* progressus, *Anacletus* quoque *Romæ* novas turbas ciebat, occupata arce *Crescentii*, quæ hodiè S. *Angeli* dicitur. *Innocentius* denuò in patrocinium sibi adscivit *Bernardum Claravallensem*, qui populum eloquio suo à factione retraxit. Ad hæc dissidii componendi gratia ab utroque Pontifice solemnis legatio instituta est ad *Rogerium*, etiàmnum *Salerno* sese continentem, & coram utriusque causa retractata est, hujus legationis pro *Innocentio* pars maxima ipse *Bernardus*. Verum neque hoc negotium ex voto successit. *Peropportuno vero*, Blondum audis, *Innocentii Pontificis felicitati accessit Petri harsiarchæ mors*. Obiit ille VII. idus Januarias anni insequentis MCXXXVIII. *Anacleto* mortuo (tanta ei adhærescebat tamque potens factio, à *Rogerio* suffulta) medio mensis Martii subjectus est alius antipapa, qui

Vi-

1. *Chronicon Casinense* Petri Diaconi *lib.* IV. *cap.* 108. & seqq. Falco ad memoratum *an.* 1137. Wernerus Rolewink in *Fascic. tempor.* Sigonius Capecelatro, Summonte, Browerus locis sæpè allegatis.

2. Otto Frising. d. *cap.* 120. & *cap.* 119. *libri* VII. Abbas Urpergens. in *Lothario*. Chronographus Saxo *ad an.* 1137. Benvenuti de Rambaldis *liber Augustalis*. Blondus *dec.* II. *lib.* V, Sigon. *d. lib.* XI. Capecelatro & Summonte *dd. libb.* I. Broweri *Annales Trevirens.* laud. *lib.* XIV.

3. *Chron. Casinens.* à Pet. Diacono continuatum *lib.* IV. *cap.* 126. & 127. Falco Beneventan. *ad d. an.* 1137. Otto Frising. *lib.* VII. *cap.* 22. in fin. Hulder. Mutius in *Chron. Germaniæ*, *lib.* XVII.

1. Fal-

Victor IV. dicebatur. *Innocentius* autem ingenti pecunia præcipuos nonnullos, qui *Anacleto* addicti fuerant, ad se traſtuxiſſe, atque eo modo novi æmuli factionem vehementèr debilitaſſe traditur. *Bernardus* porrò noctu *Victorem* adiit, tandemque ad inſignia Pontificatus deponenda adduxit, agnito *Innocentio*. Ingens inde in Urbe gratulatio & concurſus. Ipſe *Bernardus* pro tam eximio beneficio *pater patriæ* ſalutatus eſt, orbiſque terrarum pacificator. Ad hæc paulò poſt diſcedentem tota civitas honoris ergo proſecuta eſt. Sic igitur *Galliam* ſuam repetiit cum gloria extincti ſchiſmatis, cui abolendo per ſeptem annos omnes ingenii & eloquentiæ nervos intenderat [1]. Poſteà vero, ut notum, Sanctorum albo adſcriptus fuit.

CAPUT XLIII.

Mortuo duce, quem Lotharius *conſtituerat, omnia recuperat* Rogerius. *Captivitas* Innocentii *& pactio. Fata* Roberti Capuæ *principis.*

ROgerium quod attinet, proximo poſt eadem anno, qui erat MCXXVIII. è *Sicilia* rediit, ubi vires redintegrarat. Declinavit tamen quaqua ratione manum cum hoſte conſerere. Interim eadem crudelitatis & omnia vaſtandi rabie percitus, horrenda ubique execrabilis ſævitiæ argumenta dabat. Quum autem totò eo anno *Reginaldum* confligere volentem eluſiſſet, ſub finem ejus denuò in *Siciliam* eſt reverſus. At ſequenti *Reginaldus* prid. id. Majas apud *Trojam* naturæ debitum reddidit. Sic tandem omnia *Rogerio* ceſſerunt, quæ illa in poſterum, non interrupta poſſeſſione, retinuit. Monaſterium autem *Caſinenſe* immanitèr ſpoliavit, quod illud ad *Lotharium* deſciviſſet. Poſteà ipſe *Innocentius* Urbe cum copiis egreſſus, ad civitatem *S. Germani* pervenit, & de pace cum *Rogerio* pangenda legatos præmiſit. *Rogerius* ſtatim cum exercitu ad *Innocentium* feſtinat, continuoque actum de conditionibus. Quum autem Pontifex *Capuanum* principatum *Roberto* repeteret, & rex præfactè negaret, re infecta diſceſſit. Recedente *Rogerio*, cum aliquanto longiùs progreſſus eſſet, eo confidentiæ devenit Pontifex, ut caſtrum propinquum, *Galluzzum* nomine, aggredi præciperet, ac devaſtari. Citiſſimè, hoc accepto nuncio, *Rogerius* cum ſuis revertitur, & filius ejus *Apuliæ* dux, fugientem Pontificem inſecutus, captivum eum cum Cardinalibus ad patrem perduxit (*a*). Verum brevi pax facta eſt, hac lege, ut Poniifex *Rogerio Siciliæ* regnum, & filiorum alteri *Apuliæ* ducatum, alteri vero principatum *Capuanum* confirmaret [2]. Calamitoſus interea & infortunatus *Robertus*, totiès reſtitutus, totièſque ejectus, privatam apud exteros vitam egit, uſque ad an. MCLV. hoc eſt. ad mortem *Rogerii*. Verum eo anno principatum recuperans, proximo cum filio & filia per proditionem traditur *Gulielmo I. Rogerii* filio & ſucceſſori, à quo oculis orbatus

1. Falco *ad an.* 1137. & 1138. Petr. Diaconus *in contin. Chron. Caſin. lib.* IV. *cap. ult.* D. Antonini, Archiep. Florentini *Chronica*, *parte* II. *tit.* 17. §. 7. Pauli Langii *Chron. Citizenſe ad an.* 1130. Blond. & Sigon. iiſd. *loc.* quibus antea. Summonte *Della città & regno di Napoli lib.* I. Paolo Tronchi *Memor. Iſtor. di Piſa ann.* 1138. Giannattaſ *Hiſtor. Neapolit. lib.* XI.

(*a*) Luxavit hanc hiſtoriæ partem Blondus, Platinam ſecutus, & ſpeciosa narratione captivitatem Innocentii ad anteriora tempora tranſtulit, nempe ad annum MCXXX. ſive ad id tempus, quo primum creatus fuit Pontifex. Ita enim rem proponit, acſi ſtatim à creatione factum Rogerii, ſponte ſeſe Regem appellantis, & nimios armorum progreſſus, punire voluiſſet atque coercere, narrat porrò, tanta celeritate eum moviſſe in Rogerium, pontificios illos apparatus ignorantem, ut eum ad S. Germani oppidum repulerit, & in caſtra Gallutia, quo ſe receperat, obſederit, tum vero Gulielmum Rogerii filium, ducem Calabriæ, cum exercitu ſuperveniſſe, obſidionem caſtri commiſſo prælio ſolviſſe, ipſumque Pontificem cum Cardinalibus in poteſtatem redegiſſe. Rogerium vero, ut erat homo vafer & aſtutus rebuſque ſuis intentus, captivum pontificem comitèr habuiſſe, & pactione inita, qua quicquid voluit, obtinebat, præterquam tamen Regium titulum, perofficiosè illum cum ſuis Cardinalibus dimiſiſſe. Romanos interea ad famam captivitatis Innocentii, quam haud dubiè perpetuam fore credebant, conſilium cœpiſſe creandi novi Pontificis, præterea tam infelici rerum ſucceſſu in initio pontificatus, eviluiſſe Innocentii auctoritatem, qui vel ſic non erat claris ortus parentibus. Itaque Romam reverſum Innocentium iſtic inveniſſe adulterinum pontificem Anacletum, &c. vide Blondum *Hiſtoriar. lib.* V. Platinam vero *in vitis Pontific. in Innocent.* II. Perhos in errorem inducti Paolo Emilio da Verona *Hiſtor. de le coſe di Francia lib.* V. Thomas Fazellus *De reb. Siculis dec. poſter. lib.* VII. *cap.* 3. Pandolfo Collenuccio *Compend. dell hiſtor. del regno lib.* III. Giov. Ant. Summonte *Della città e regno di Napoli*, *lib.* I. Giov. Tarcagnotta *Del ſito e lodi di Napoli pag.* 55. His addantur. *Hiſtoria di Ciprian.* Manente d'Orvieto *al anno* 1130. & *Cronica* del Guazzo *pag.* 206. verſa.

2. Falco Beneventanus *ad an.* 1139. Anonymi *Caſinenſ. Chronic. ad an.* 1138. Otto Friſingenſis *lib.* VII. *cap.* 23. *Chronicon* Alberici monachi *trium font. ad an.* 1139. Gotfr. Viterbienſ. *Chron. de Lothario Imp.* Robert. de monte S. Michaelis *complem. ad Chron. Sigeb. an.* 1141. Concilior. *tom.* XXVII. *pag.* 89. Sigon. *De regno Ital. lib.* XI. *ad an.* 1139. Baron. in *Annalib. Eccleſ. ad eund. an.* Parthen. Giannetaſ. *Hiſtor. Neapolit. lib.* XI. *pag.* 258. Illud prorsùs ſingulare eſt, quod inter primam & ſecundam Lotharii profectionem Italicam collocat Aventinus *Annal. Bojor. lib.* VI. *pag.* 496.

I. Ca-

Digitized by Google

tus perpetuæque captivitati traditus non ita multo post expiravit[1].

CAPUT XLIV.

Epilogus.

HOs rerum eventus & præcipuorum virorum casus annectere visum est, ne quædam hiulca remanerent & imperfecta, quæ individuo nexu cum superioribus cohærent.

TABULA CRONOLOGICA

Ad posteriorem Dissertationem.

Anni à nato Servatore.

MCXXV. MEnse Augusto in locum *Henrici V.* Imp., improlis mortui, Rex *Germaniæ* renunciatur *Lotharius Saxo*, cui sese opponit *Conradus*, *Franconiæ* dux, *Henrici V.* sororis filius, cap. 12.

MCXXVII. Mortuus in exilio est *Gulielmus Nortmannus*, *Rogerii* F. *Roberti Guiscardi* N. *Tancredi* Abn. Dux *Apuliæ* & *Calabriæ*, cujus absentis ditionem invaserat cognatus *Rogerius*, *Bossi* F. *Tancredi* N., comes *Siciliæ*, cap. 4.

MCXXIX. idib. Maji *Rogerius Siciliæ* Comes se Regem *Siciliæ* coronari curavit, cap. 5.

——— PISANA classis à *Genuensium* classe victa *Massanam* confugit, cap. 20.

MCXXX. sub initium, *Rogerius* bello potitur ducatu AMALPHITANO, cap. 6.

——— XIII. kal. Martias; mortuo *Honorio II.* Pontifice Max. surrogantur *Innocentius II.* & *Anacletus II.* unde grave & diuturnum schisma natum fuit, cap. 7.

——— *Innocentius* cum exiguo comitatu PISAS aufugit: inde autem *Genuam* proficiscitur, & *Genua* in *Franciam*, cap. 8. & 10.

——— V. kal. Octobr. *Anacletus Rogerio Siciliæ* regnum confirmat *Beneventi*, atque ita illum in suas partes adducit, cap. 9.

MCXXXI. E *Galliis* in *Germaniam* deflectens *Innocentius* XI. kal. April. apud *Leodium* fœdus init cum *Lothario*, cap. 11.

MCXXXII. Idem, peragrata superiore anno *Francia*, per *Genuam* PISAS revertitur, cap. 13.

——— Bellum componit inter PISANOS & *Genuenses*, cap. 16.

——— X. kal. Decembr. *Lotharius* in *Italiam* proficiscitur, cap. 17.

MCXXXIII. Adscito PISIS *Innocentio*, *Romam* pergit, & occupat, ibique Imperator ab eo coronatur, prid. id. Junias, cap. 18.

——— Classis PISANORUM & *Genuensium* in gratiam eorum, *ibid.*

——— PISANI cum *Roberto Capuæ* principe & aliis coeunt in fœdera adversus *Rogerium*, regem *Siciliæ*, cap. 20.

MCXXXIV. Concilium PISANUM, III. kal. Junii cap. 30.

——— *Robertus Capuanus* PISAS denuò profectus ad auxilia maturanda, absens principatu orbatur, cap. 22.

MCXXXV. X. kal. Aprilis *Conradus* opera *D. Bernardi Lothario* se submittit, cap. 31.

——— mense Augusto PISANI cum 46. triremibus AMALPHIN adorti eam diripiunt, & inter prædam exemplar Pandectarum nanciscuntur: sed mox à *Rogerio* clade affecti pulsique *Napolim*, & inde domum redeunt. VI. id Septem. cap. 24. 25. 26. 27. & 28.

——— Pacem hoc anno cum *Florentinis* fecerunt PISANI, cap. 30.

MCXXXVI. circa autumnum secundo in *Italiam* venit Imp. *Lotharius II.*, cap. 34.

——— VII. id. Novembr. conventum celebravit in campis *Roncaliis*, d. cap. 34.

MCXXXVII. Mense Maio *Apuliam* ingressus *Rogerium* ex continente fugavit, cap. 36.

——— Altera PISANORUM expeditio adversus AMALPHITANOS, cap. 37.

——— PISANI cum *Rogerio* pacem pangunt, cap. 38.

——— Dum in *Germaniam* redit *Lotharius* prid. non. Decemb. in valle *Tridentina* diem obit, cap. 40.

MCXXXVIII. VII. id. Januar. *Anacletus* moritur, subducto illi *Victore IV.* at mox schisma tollitur, cap. 42.

MCXXXIX. *Rogerius* omnia recipit. Pontificem capit, & ab eo Rex agnitus dimittit, cap. 43.

SOLI DEO GLORIA.

---

1. Camilli Pellegrini *Histor. principum Longobard. post par.* 1. ubi habet Bina stemmata principum Normannorum.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google